The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

4 E 3
SECTION SHELF

WITHDRAWN

ANTONII BALLERINI

E SOCIETATE IESU

OPUS THEOLOGICUM MORALE

IN BUSEMBAUM MEDULLAM

ABSOLVIT ET EDIDIT

DOMINICUS PALMIERI

EX EADEM SOCIETATE

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

VOLUMEN V.

CONTINENS EX TRACTATU X.

Sectionem V^m^ DE SACRAMENTO POENITENTIAE

Sectionem VI^m^ DE EXTREMA UNCTIONE — Sectionem VII^m^ DE ORDINE

CUM APPENDICE

EDITIO TERTIA

IN NONNULLIS AUCTA ET EMENDATA

EX LIBRIS PROVINCIALE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

240
B191o3
v.5

PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1900

FRANCISCUS M. CARINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS IESU.

Cum opus, cui titulus *Antonii Ballerini e S. I. opus theologicum morale etc.* a Dominico Palmieri nostrae Societatis Sacerdote rursus edendum aliqui eiusdem societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae in festo Epiphaniae, anno 1900.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Prati. — Can. Archid. Ioachim Gori, Vic. Gen.

TRACTATUS X.

DE SACRAMENTIS

SECTIO V.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

CAPUT I.

DE ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI

Dub. I.

De materia et forma.

I. Respond. Materia remota et necessaria est omne peccatum mortale, post baptismum commissum et non confessum. * Dicitur vero commissum post baptismum, contra Proposit. 19. inter damnatas ab Alexand. VIII. quae pro peccato originali perpetuam agendam poenitentiam asserebat. * Materia sufficiens et non necessaria est omne veniale post baptismum commissum, vel etiam mortale alias rite confessum. Materia proxima sunt actus poenitentis. Contritio, Confessio et Satisfactio: quarum ultima est integralis tantum, ut patet in infirmo, qui, si ratione destituatur, solet absolvi absque satisfactione: duae priores sunt essentiales, ut communiter docetur contra Scotum, qui totam essentiam ponit in absolutione. Porro peccata sunt tantum materia, circa quam: actus vero poenitentis materia, ex qua. Laym. d. 5. t. 6. c. 4. ex commun.

1. Catech. Rom. *de Poenit.* n. 13. de materia remota ait: « Quod autem ab aliis dictum est, peccata ipsa huius sacramenti materiam esse, nihil plane adversum videbitur (scil. doctrinae reponenti materiam in actibus poenitentis), si diligenter attendamus. Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quae vi ignis consumuntur; ita peccata, quae poenitentia delentur, recte huius sacramenti materia vocari possunt ».

Ex his apparet aequivoca *materiae* significatio; alioquin etiam baptismi materia dicentur peccata, quia baptismus ea detergit.

Materia *necessaria* non ea intelligitur, sine qua sacramentum confici nequit seu sine qua non potest absolutio dari: sed ea est, quam necesse est subiicere clavibus, ut eius remissio obtineatur. Haec autem sunt omnia peccata mortalia nondum per absolutionem remissa. Cetera peccata sunt materia sufficiens, ut sacramentum suscipi possit. Cf. de his Dogmaticos.

Auctor omittit dicere, quod materia sufficiens est etiam peccatum *veniale* alias confessum.

2. Merito Doctores tradunt, actus poenitentis dictos esse *quasi-materiam;* non quasi vere non teneant locum materiae, ut quidam ex his verbis elicere voluerunt, sed quia licet non sint reipsa aliquid materiale, cuiusmodi est aquae ablutio in baptismo, chrismatis inunctio aut manus impositio in Confirmatione, olei inunctio in Extrema Unctione etc.; attamen sunt actus sensibiles, sicut in matrimonio expressio consensus.

Qua de re s. Thomas 3. q. 84. art. 1. ad 1.: « Nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc Sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in Confirmatione ».

Et Catech. Rom. l. c. n. 13.: « Neque vero hi actus *quasi-materia* a s. Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant; sed quia eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in Confirmatione ».

Porro praemissa hac materiae explicatione, plures DD. addunt, uti et Auctor, actus illos poenitentis (Auctor id saltem de contritione et confessione contendit) esse partem Sacramenti essentialem, nec aliter eos se habere in Poenitentiae sacramento, ac se habeat ablutio seu aqua in baptismate etc. et hoc sensu dicunt, eos actus esse partes essentiales.

Ut vero hanc doctrinam de huius sacramenti materia componant cum iis, quae communiter traduntur de *satisfactione,* videlicet hanc esse partem *integralem,* opportuna distinctione utuntur: ut dici quidem debeat pars *integralis,* si sermo sit de actuali et reali satisfactionis impositae persolutione; *essentialis* vero, si agatur de animo et proposito poenitentis, quatenus paratus hic esse debet ad implendam satisfactionem, quae iniungatur. Quod ideo addunt, quia Synodus Tridentina eodem loco seu censu satisfactionem habet, atque alias partes.

3. Veruntamen maxime interest animadvertere, hanc doctrinam sic expositam nullatenus pertinere ad dogmaticas Ecclesiae sententias necessario tenendas, sed mere esse in censu opinionum Scholae.

Proinde minus probandum est, quod v. gr. Gury §. 414. vol. 2. absolute hanc doctrinam veluti indubiam promat, ne minimam quidem oppositae doctrinae mentionem aut suspicionem iniiciens.

Hac de causa cum Lucius Ferraris id ipsum praestitisset V. *Absolutio,* art. 2. n. 10., merito Romanus Censor ad eum locum adnotavit, *plurium* Doctorum sententiam esse, actus Poenitentis esse non *materiam ex qua,* sed *materiam circa quam:* ne scilicet vendatur tanquam *certum* id, quod merae opinionis gradum non excedit.

Quamquam vero nostrum non sit, huiusmodi quaestionibus immo-

rari; quatenus tamen ad praxim res deduci potest, necesse prorsus est, ut historice innuamus breviter, quid Scholae existiment.

Maldonatus *de Poenit.* part. 3. q. 3. ad thes. 7. memorata communi opinione, quae sacramentum hoc constare dicit ex tribus actibus poenitentis, contritione, confessione et satisfactione tanquam materia et ex absolutione tanquam forma, subdit: « Alii dicunt, solam absolutionem sacerdotis esse proprie sacramentum, in qua opinione est Scotus. Quam ego credo esse veriorem ». Idque post Maldonatum suaderi potest hisce rationibus (a).

1° Quia sacramentum proprie id est, quod proprie confert gratiam. Atqui sola absolutio sacerdotis confert gratiam sacramentalem.

2° Quia, ut omnes theologi docent, sacramentum est id, quod datur a ministro; quia minister dicitur conficere sacramentum. Excipitur tantum sacramentum Eucharistiae, quod non in actione consistit, sed in re permanente. Porro cum sacramentum Poenitentiae in actione consistat et ministri actio nulla sit praeter absolutionem; ergo ista est sacramentum.

3° Sacramentum debet esse aliqua ceremonia externa, analogiam habens cum re significata. Atqui in poenitentia neque contritio neque confessio neque satisfactio habet analogiam cum re significata, nempe cum remissione peccatorum et cum gratia: absolutio autem externa habet analogiam; quippe sicut exterius solvitur peccator, ita etiam intrinsecus. Ergo sola absolutio habet rationem sacramenti.

4° Sacramentum est id, quod significat effectum. Atqui sola absolutio significat effectum poenitentiae idest remissionem peccatorum. Ergo. Neque audiendi sunt qui signum remissionis dicunt esse contritionem internam, quia signum debet esse externum; aut qui id dicunt esse confessionem, hanc enim esse signum internae humiliationis. Nam nihil haec ad rem faciunt. Quippe sacramentum poenitentiae non debet significare humiliationem, quae non est proprius effectus, sed internam absolutionem.

5° Si actus poenitentis constituerent presso sensu materiam sacramenti, ipse poenitens, dum contritionem elicit et confessionem facit, non minus quam sacerdos, quodammodo conficeret aut conferret sacramentum et quodammodo se absolveret et vere dicendus foret minister sacramenti. Et quidem mirum est, quot et qualia excogitaverint quidam Doctores (vid. Lugo *de Poenit.* disp. 12. n. 28. seqq.) ad eva-

(a) Cf. hac de re quae scripsimus in Tr. nostro *de Poenitentia* th. XIV. Porro Maldonati Opus *de Sacramentis*, editum post eius mortem, non ea auctoritate gaudet, qua eiusdem Commentarii in Evangelia. E.

dendam hanc difficultatem multisque responsionibus utuntur, quas dicunt *probabiles* (a). At eo ipso quod necesse sit confugere ad *probabilitates* responsionum, quae invicem se destruunt, planum fit, heic agi de re, quae meris Scholae opinionibus continetur. Nec vim habet paritas, quam quidam desumunt a sacramento matrimonii. Nam eo ipso, quod a contrahentibus ponitur materia sacramenti, ratum est, contrahentes esse illius sacramenti ministros; quod de poenitentia dici non debet.

6º Illud accedit, quod DD. communiter, uti et Auctor noster, habent, satisfactionem esse partem integralem. Quod plane ostendit et fateri ipsi debent, materiam, ad quam et actus satisfactionis pertinet, non ita posse intelligi, ut significet partem essentialem Sacramenti, quatenus sacramentum intelligitur *signum sacrum efficax gratiae ex opere operato*. Quod enim ad necessaria et intrinseca constitutiva huius signi efficacis pertinet, id nequaquam dici pars *mere integralis* potest. Unde Lugo *de Poenit.* disp. 12. n. 40.: « Satisfactio est pars non essentialis, sed *integralis* componens materiam huius sacramenti: *per partem essentialem intelligimus eam, sine qua non potest dari essentia sacramenti;* per *partem vero integralem illam, sine qua datur quidem sacramentum*, non tamen omnino integrum, sicut datur homo essentialiter sine utroque pede, non tamen integer et perfectus » (ad quae tamen adverte inadaequatam comparationem; quia essentia est in eo, *quod causet gratiam:* hoc autem VEL TOTUM EST, VEL NULLO MODO EST).

4. Neque movet, quod nonnulli addiderunt, satisfactionem dicendam esse *essentialem* quoad animi propositum. Nam Synodus Trid., ubi sermonem instituit de *necessitate* satisfactionis sess. 14. cap. 3., non agit de necessitate *propositi,* sed ipsius *satisfactionis*. Insuper si velis, satisfactionem esse veri nominis materiam sacramenti (scil. partem signi efficacis), absurde affirmabis, materiae locum tenere posse *propositum ponendae materiae* et confundes cum generali proposito implendi obligationes: adeo ut dicere debeas, ad essentiam sacramenti pertinere auditionem missae et quadragesimale ieiunium, quia et horum propositum necessarium est.

(a) Card. Lugo *de Poenit.* disp. 12. n. 29. Ad difficultatem evadendam eo adducitur, ut reponat: « Licet actus poenitentis sint partes sacramenti, non requiritur, quod omnes sacramenti partes causent gratiam, sed sufficit, quod illam causet sacramentum per aliquam sui partem: hoc autem sacramentum causat gratiam per solam absolutionem Sacerdotis, in quo est potestas clavium ad absolvendum et ad destruenda peccata, ut videntur sentire plures, quos affert Suarez disp. 18. sect. 2. n. 11., qui dicit, hanc esse solutionem probabilem ». Quae quidem, uti patet, concedunt in Scoti sententiam et possumus ultro admittere.

Sed praeterea advertendum, non modo *satisfactionem*, verum et alios poenitentis actus dici partes *integrales* (a).

Ita Catechismus Romanus in ipso titulo §. 21. *de Poenit.*: « Quot *sint partes integrales poenitentiae* ». Et subiicit: « Est autem huius sacramenti proprium, ut praeter formam ac materiam, quae omnibus sacramentis communia sunt, partes etiam... illas habeat quae tanquam totam *integramque* poenitentiam constituant, contritionem scilicet confessionem et satisfactionem ».

Et quidem haec doctrina ab Synodo Tridentina sumitur. Nam sess. 14. cap. 3. legitur: « Docet praeterea s. Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua *praecipue* (b) *ipsius vis sita est,* in illis verbis positam esse: *Ego te absolvo* etc... Sunt autem *quasi-materia* huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad *integritatem* sacramenti, ad *plenamque et perfectam peccatorum remissionem* ex Dei institutione requiruntur, *hac ratione* poenitentiae partes dicuntur ».

5. Perpende enimvero singula verba, quae sane non temere adhibita, sed diligentissime selecta putari debent (c).

1° Dicit: *quatenus in poenitente* AD INTEGRITATEM *sacramenti* etc. Quaero: Si Patres Tridentini statuere voluissent, illas partes ad essentiam sacramenti pertinere, num adeo idiotae erant, ut non scriberent *ad essentiam*, sed inscite dicerent *ad integritatem?* Ignorabantne, duo haec infinito intervallo distare? Aut e mente exciderat vox ibi necessario ponenda *ad essentiam*, quam tamen quarta ante linea usurpaverant?

2° Dicit: *ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem.* Quaero: cur PP. Trid. non dicunt simpliciter, *ad remissionem*, sed addunt, *ad plenam et perfectam?* Palam est, ex PP. Trid. sententia ibi agi de iis, quae non ad substantiam seu essentiam, sed ad perfectionem quandam remissionis requiruntur. Et sane, ut suo loco innuemus,

---

(a) Quam sententiam Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 3. memorat, multis DD. placuisse, et inter eos Vegam appellasse illam *communem*. Melchior Canus, Relect. *de Poenit.* part. 6. q. 15.: « Contritio non est pars essentialis huius sacramenti, sed integralis. Non autem quaelibet integralis pars ad esse totius necessaria est, ut patet de satisfactione, sine quam verum sacramentum consistit ».

(b) Si *praecipue,* non ergo solum in ipsa est vis Sacramentalis: cur vero id, si ipsa sola est signum efficax gratiae? Atque ita quoque locutus fuerat s. Thomas 3. p. q. 86. a. 6. « Remissio culpae est effectus poenitentiae, *principalius* quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc sacramento: *secundario* autem ex vi actuum poenitentis ». Idque declarat per baptismum, in quo culpa remittitur non solum virtute formae, sed etiam materiae h. e. aquae: principalius tamen virtute formae. E.

(c) Notat disserte etiam Amort, *de Poenit.* disp. 2. q. 2., Synodum Tridentinam noluisse hanc quaestionem definire aut alterutri opinioni scholarum nocere.

utique Schola tradit, quis fructus specialis percipiatur ex verecundia confitendi etc. (a).

3º Dicunt: HAC RATIONE *poenitentiae partes dicuntur*. At enim voces illae *hac ratione*, nisi plane inutiliter locum occupent, sensum hunc faciunt, quod *solum*, idest *unice hac de causa* illi actus dicuntur partes poenitentiae, quatenus ad sacramenti *integritatem* (b) et ad *plenam perfectamque* peccatorum remissionem requiruntur. Atqui si *solum hac ratione* requiruntur, profecto non requiruntur ceu partes essentiales sacramenti. Ergo ex ipsis Synodi sententiis patet, actus poenitentis non eo sensu dici materiam sacramenti, ut sint elementum substantiale et essentiale sacramenti.

6. Est tamen alius sensus, quo ad essentiam pertinere, seu essentialis dici queat ac debeat tum contritio tum confessio. Etenim, ut habet allegatus Tridentini locus, isti actus requiri dicuntur *ex Dei institutione* et prout suo loco dicemus, *ex praecepto;* quatenus scil. Deus Poenitentiae sacramentum instituit a sacerdotibus, locum eius tenentibus, non quovis modo conferendum, sed per modum iudicii. In hoc porro iudicio, ex Christi institutione ac praecepto, ipse poenitens (quippe agitur etiam de occultissimis peccatis) debet esse sui accusator ac proinde iudici constituto a Christo peccata sua ipse prodere debet. Ultronea autem haec sui accusatio, ut distinguatur ab historica narratione, exigit plane, ut adiunctum habeat dolorem aliquem aut aliquam displicentiam et accedit, quod in adulto ad reconciliationem cum Deo necessaria sit aliqua eius ad Deum conversio. Ergo alia suppetit ratio, cur contritio aliqua et aliqua confessio ita sit necessaria et essentialis (saltem ex praecepto), ut utraque vel *altera saltem* plane deficiente, sacramentum non modo informe sit, sed plane nullum et invalidum. Dixi deficiente *saltem altera;* nam dispositio aliqua ex Dei institutione, imo aliquo modo ex rei natura necessaria plane est ad adulti iustificationem; quod vero attinet ad peccati accusationem, haec

---

(a) Vis huius argumenti me fugit. Vultne dicere Auctor, quod sine his, contritione, confessione, satisfactione, vera remissio, etsi non plena et perfecta, potest obtineri? Id perfecto nolim admittere. Quid ergo? Auctoris menti percipiendae forte conducant, quae habet infra, disputans de attritione existimata. E.

(b) Nimis forte urgetur haec formula: *pertinere ad integritatem sacramenti*. Nam etsi videatur difficultatem creare illi sententiae, quae vult eas (contritionem scilicet et confessionem) essentiales esse sacramento: non minus certo imo maius negotium facessit alteri sententiae. Etenim in hac sententia hi actus sunt tandem dispositiones subiecti requisitae; atqui inauditum est in Theologia, dispositiones suscipientis sacramentum dici pertinere ad integritatem eius: quando e contrario nihil prohibet idipsum de partibus essentialibus affirmare: nam vere e. gr. et recte dicitur corpus pertinere ad integritatem hominis. Ceterum partes integrantes (quamvis Trid. Syn. hac praecisa formula non utatur) sunt partes non extrinsecae, sed intrinsecae toti et eiusdem constitutivae, ut in corpore brachia, crura, etc.: hoc autem in sententia Auctoris quî verum est? E.

non ita videtur necessaria et essentialis, ut sine ipsa sacramentum confici non possit, ut videbimus, cum sermo erit de absolvendo moribundo sensibus destituto.

7. Quod ergo spectat ad sententiam Scoti, quam Auctor in hac Resp. innuit, totam nempe essentiam in absolutione sitam esse, haec inquam sententia, si intelligatur de sacramenti vi et efficacia, est huiusmodi doctrina, quam et fatente Lugo *de Poenit.* disp. 12. n. 29. Suarez dicit probabilem et quam, ipso Suarez fatente *de Poenit.* disp. 18. sect. 2. n. 1. et 12., tenuerunt alii gravissimi Doctores, v. gr. Andreas Vega, Ferrariensis, Capreolus, s. Bonaventura, imo et s. Thomas.

Et sane s. Bonaventura in 4. disp. 17. p. 2. art. 1. q. 3. scribit: « Duo sunt in confessione: unum *formale* et completivum et hoc est absolutio... et *penes hoc residet virtus:* aliud autem est materiale, et hoc est detectio peccati... Confessio hominis est opus pure humanum; unde *non est data virtus Sacramenti ipsi confessioni*, sed absolutioni ».

Et s. Thomas in 4. dist. 22. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2.: « Poenitentia exterior, quae est signum sacramentale in hoc sacramento, repraesentat cooperationem recipientis et non influentiam, quae est ex parte agentis extrinseci: et ideo *non competit ei, quod gratiam causet* ». Quo nihil luculentius dici potest, ut conficiatur, actus poenitentis non pertinere ad essentiam *signi efficacis* gratiae.

Exinde s. Thomas ibid. ad 3. notat discrimen huius ab aliis sacramentis: « Sacramentalibus signis in aliis sacramentis adhibetur forma verborum ad eorum sanctificationem; quia gratiam continent et causant: sed exterior poenitentia *non est signum gratiam causans* et ideo non oportet, quod sanctificetur per aliquam formam verborum; sed verba, quae a Sacerdote absolvente proferuntur, immediate feruntur ad eum, qui se subiicit sacramento: unde ipse *sanctificatur virtute absolutionis* et gratiam suscipit; non autem *sanctificatur eius confessio, ut ex ea gratiam accipiat*, sicut erat in baptismo de sanctificatione aquae ». Quae quidem plene confirmant ea, quae superius diximus de partibus essentialibus huius sacramenti.

8. Suarez tamen *de Poenit.* disp. 18. sect. 2. n. 13. contendit, s. Thomam priorem hanc sententiam in Summa dein retractasse.

Verum existimarem, s. Thomam, si retractasse quidpiam dicendus sit, non tamen favere sententiae, quae Scoto adversatur. Et sane dicit utique 3. q. 86. art. 6.: « Omne sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae... Unde... remissio culpae est effectus poenitentiae principalius quidem ex virtute clavium,... secundario autem ex vi actuum poenitentiae, prout hi actus *aliqualiter* ordinantur ad claves ecclesiae ». In quibus aliqua efficacia *qualicumque* huic materiae tribui videtur.

At virtus poenitentiae, de qua ibi s. Thomas, non sunt illi actus, de quibus forte isti theologi loquuntur. Nam ibid. ad 1. haec subdit: « Effectus gratiae operantis est iustificatio impii, in qua... non solum est gratiae infusio et remissio culpae, sed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatae et motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae. Hi tamen actus humani sunt ibi, ut *effectus gratiae operantis, simul producti cum remissione culpae*. Unde remissio culpae non fit sine actu poenitentiae virtutis, *licet sit effectus gratiae operantis* ». Et clarius ibid. ad ultim.: « Actus poenitentiae virtutis habet, quod sine eo non possit fieri remissio culpae, in *quantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur*, quae etiam operatur in omnibus sacramentis ». Ergo si est effectus gratiae, qua culpa remittitur, non potest profecto dici causa eiusdem gratiae. Unde non puto, s. Thomam heic pristina retractasse, sed alia addidisse (a).

9. Quod vero Concilium Tridentinum cum Florentino et communi sensu Ecclesiae dicat, tres esse partes Poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem, sensus hic est, ut observat Maldonatus *de Poenit.* p. 3. q. 3. thes. 7., tres vocari partes poenitentiae, « non quasi intelligatur ita esse partes poenitentiae, sicut materia et forma sunt partes rei naturalis; nam si ita loqueretur (concilium aut sensus ecclesiasticus), non tantum tres partes, sed etiam quatuor debebat facere, numerans etiam absolutionem: sed vocat Ecclesia potius partes poenitentiae, quam partes sacramenti, idest, eas qualitates, quas poenitens afferre debet, ut consequatur fructum sacramenti huius ».

Quo sensu autem appellari hi actus a Concilio potuerint *quasi-materia*, reponit Maldonatus l. c., eo modo actus poenitentis vocari quasi-materiam sacramenti, quo philosophi vocant materiam omnes dispositiones, quae praecedunt formam, quia omnes referuntur ad genus causae materialis. Et quia tres illi actus sunt dispositiones poenitentis, vocantur materia.

(a) Est et alius textus satis clarus 3. p. q. 84. a. 1. ad. 1.: « Actus exteriores sensibiles ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo vel chrisma in confirmatione... Si qui actus humani sunt in *talibus* sacramentis (nominaverat baptismum, confirmationem, extremam unctionem, in quibus, ut ait, excellens gratia confertur), non sunt *de essentia* sacramentorum, sed *dispositive* se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiae, ut accidit in poenitentia et matrimonio ».

Atque in 1m Dist. 17. q. 3. a. 3. ql. 2. ad 1m: « In sacramento poenitentiae non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio et satisfactionis iniunctio; sed etiam aliquid ex parte ipsius, qui suscipit sacramentum, quod est etiam *de essentia sacramenti*, sicut contritio et confessio ». Cf. ibid. ql. 4. in corp.: « In poenitentia actus accedentis ad sacramentum est *de substantia sacramenti* ». E.

10. Neque inde consequitur, sacramentum Poenitentiae spoliari altera parte, nempe materia, quia solum relinquimus formam idest absolutionem: cum tamen Ecclesia doceat, in omni sacramento esse materiam et formam. Reponi enim potest cum Maldonato l. c., « nunquam fuisse sensum Ecclesiae, ut decerneret, in omni sacramento debere esse res duas distinctas, quarum altera materia esset, altera forma. Hoc enim non potest in omni sacramento reperiri, v. gr. in matrimonio; sed tantum voluit dicere, in omni sacramento esse quiddam externum, quod habeat vicem materiae et quiddam, quod habeat vicem formae, etiamsi non sit distinctum. Ego vero (pergit Maldonatus) iam docui, non tantum aquam in baptismo esse materiam, sed etiam verba; quia quicquid sensibus percipitur, vocatur materia in sacramento; significationem autem esse formam (de hac acceptione materiae, formae diximus sect. 1ª *de Sacramentis in gen.* n. 4.), quod ipsum dico de sacramento poenitentiae, nempe Absolutionem, quatenus est externa quaedam ceremonia, esse materiam eandem, quatenus habet vim significandi, esse formam ».

Sed et alia responsio addi potest: nimirum significationem materiae latius patere, quam essentiale elementum signi efficientis gratiam. Ita v. gr. nomine materiae appellamus peccata in Sacramento poenitentiae, et corpora coniugum in matrimonio: ita etiam materiam Eucharistiae dicimus panem et vinum. Quis tamen serio admittat, peccata concurrere ceu partem essentialem sacramenti ad efficiendam gratiam, uti nonnullis nihilominus in mentem venit ob aequivocam hanc *vocis materiae* significationem? Vid. Lugo *de Poenit.* disp. 12. n. 22. Aut quis dicat, corpora coniugum pertinere ad signum gratiae efficax? Itemque nonne substantia panis et vini, potiusquam ad gratiam conferendam vim habeat, destruitur? Aut dicemus, gratiam conferri ab accidentibus superstitibus, quae nonnulli ad meras apparentias revocant?

Concludamus ergo, nihil concludi posse ex nomine *materiae* aut *quasi-materiae* actibus poenitentis attributo.

Et ex hisce omnibus simul concludamus, ad meram Scholae opinionem pertinere etiam postrema verba Responsionis A., ubi ait, actus poenitentis esse *materiam ex qua*, nempe ex qua componitur essentia sacramenti; nam alii dicent iuxta disputata, hunc locum ipsis tribuendum non esse.

Alia conclusio hinc profluens haec est, quod ratiocinia quaelibet, quae innituntur illi opinioni, non posse habere nisi aliquam probabilitatem; quippe conclusio tantam vim et firmitatem habet, quantam praemissae (a).

(a) Sed et ratiocinia, quae opinioni B. innitantur, non maiori fruentur firmitate. E.

Unde resolves.

II. 1. Etsi peccatum mortale remissum quomodocumque sit, teneris tamen confiteri si non fecisti. Trid. sess. 14. c. 15.

11. Peccata *quomodocumque remissa* intelligit A., quae deleta fuerint vel caritatis aut contritionis perfectae vi, vel indirecte in sacramento Poenitentiae, (quod multiplici in casu contingit), vel per accidens in alio sacramento v. gr. Eucharistiae seu Extremae Unctionis etc. Ratio, cur opus sit ea confiteri, est plana, quia scil. eiusmodi peccata sunt materia necessaria. Voluit enim Christus omnia mortalia peccata dimitti absolutione et quidem directe, cuius rei demonstratio spectat ad dogmaticos.

Obiter adverte, haec peccata, utut iam remissa, tamen esse *necessariam materiam sacramenti* atque adeo *absolutionis*. Ergo necesse est, ut absolutio impertiatur.

III. 2. Omitti possunt venialia, vel omnia vel aliqua, item mortalia semel rite confessa, v. gr. in Confessione generali, ut docent Dian. p. 3. t. 4. res. 56. Cardin. de Lugo d. 16. num. 46. contra Victor. Ledesm. et alios. In qua etiam non esse necessarium addere peccato mortali, quod post ultimam confessionem sit commissum, docent Bon. d. 5. q. 5. s. 2. p. 2. Dian. t. 2. tr. 4. res. 62. et t. 3. res. 65. Card. de Lugo d. 16. s. 2. n. 47. ex Sanch. et Con. quod est probabile: nisi circumstantia aliqua, v. gr. speciem mutans vel reservatio casus vel proxima peccandi occasio aliud requirat et poenitentia sufficiens imponatur. Card. de Lugo, Tamb. *de Exped. conf.* l. 2. c. 1. Tutius tamen est nova ab antiquis secernere.

12. Quod omitti possint, in confessione generali non necessaria, peccata gravia alias rite confessa, sedulo inculcandum est poenitentibus, quando generaliter confitentur ex devotione, 1° ne quis ex falsa conscientia peccet, 2° ne nimis sint solliciti et sic impediatur fructus confessionis generalis. Vid. Lugo disp. 16. *de Poenit.* n. 56. et Suarez de *Poenit.* disp. 22. sect. 6. n. 2. Quoad omissionem venialium, curandum, ne poenitentes plus agantur ac solliciti sint de iis enumerandis, quam de detestandis et emendandis.

Quoad confessionem peccatorum iteratam. Mos confitendi peccata iam rite confessa a Benedicto XI. (Extrav. *Inter cunctas, de Privilegiis*) declaratur *salubris:* « Ceterum, licet de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata: tamen, propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre ». Ioannes autem XXII. (in Extrav. *Vas Electionis, de Haereticis*) ut dogma catholicum tradit, haud esse necesse, ut peccata iam rite confessa iterum fideles confiteantur.

13. De permiscendis novis peccatis cum antiquis. Videndus de hac re Lugo *de Poenit.* disp. 16. a n. 46. Proposita enim quaestione, « An

qui facit confessionem generalem et confitetur simul aliqua peccata commissa post ultimam confessionem, quae nunquam prius confessus fuerat, debeat explicare, illa peccata esse commissa post confessionem ultimam, ut confessarius ea excipiat tanquam materiam necessariam », ait, aliquos dixisse, debere omnino id explicari, inter quos Luisius Turrianus contrariam sententiam dixit non esse probabilem nec tutam in praxi, sed potius perniciosam bonis moribus.

At enim, ut Lugo inquit (disp. 16. n. 47.), excessit hic Auctor in censura absque fundamento... « Alii ergo (pergit) melius negant talem obligationem poenitentis, ut debeat explicare, non fuisse antea se confessum illa peccata. Ita Bonacina, Homobonus, Diana, Sanchez, Suarez. Ratio, quia peccatum idem est, sive antea illud confessus fuerit, sive non, nisi forte mutatio temporis afferat secum circumstantiam specie diversam, ut si accuset coniugatus de peccato contra castitatem commisso, quando erat solutus : nisi enim explicet tempus, confessarius apprehendet speciem adulterii. Quando vero peccatum idem est, non est cur debeat explicari ratio temporis. Cum ergo peccatum idem sit, sive illud antea confessus fuerit, sive non, nec illa circumstantia variet ullo modo peccatum, non est cur debeat necessario explicari ». Ita Lugo, qui deinde (ibid n. 48.-55.) solvit obiectiones.

Verum quaestio illa aequivoca est. Nam potest intelligi 1° de eo, qui peccatum recens ita antiquis permiscet, ut, licet confessarius intelligat ea omnia ut *olim* commissa idque poenitens cupiat, id tamen positive poenitens non dicat: 2° de eo, qui positive et falso dicat, peccatum, quod de facto nunc commisit, esse peccatum antiquum.

14. Porro si quaestio primo sensu sumatur, falsum est, aut Tamburinum aut Lugo contra eam stetisse. Nam Tamburini (*Exped. Confess.* lib. 2. cap. n. 1. 2.) plane oppositum docet, inquiens: « Non oportet explicare, peccatum esse vel non esse alias confessum... ; quia peccatum est idem sive confessum sive non confessum temporisque, quo crimen patratum est, circumstantia, *non se habet ex parte peccati, sed ex parte poenitentis.* Unde qui generaliter confitetur, potest sine aliqua explicatione admiscere nova cum antiquis, etiamsi id de industria ad tegendum tempus, quo peccatum commisit, ne confessario id innotescat, faciat ». In quibus videtis reiici etiam principium, quo utuntur quidam, de *tempore determinante actionem.*

Lugo vero insuper ostendit, quomodo id nihil obstet integritati. Ita enim ille disp. 16. n. 54.: « Licet poenitens non omnino explicet distincte suum peccatum, imo vellet, quod confessarius intelligat de alio : vere tamen habet intentionem illud confitendi atque ideo de illo loqui nec aliquid contrarium dicere! Nec obstat, quod dicat, se velle con-

fessionem generalem facere: per hoc enim non dicit, se velle confiteri sola peccata antiqua, sed velle se etiam illa comprehendere; nam confessio generalis omnia peccata complectitur usque ad hanc horam. Nec etiam refert, quod confessarius intelligit, illud esse peccatum antiquum; poenitens enim id non dixit atque ideo intentio absolvendi non regulatur ab existimatione privata confessarii, sed intendit absolvere a peccatis, quae poenitens detulit ad iudicium, quaecumque illa sint. Sicut si quis affert baptizandum infantem et dicit esse filium suum, cum non sit, sed supponit unum pro alio, adhuc infans est baptizatus; quia minister intendit baptizare non eum, quem putat esse, sed eum, quem praesentem habet, quicumque sit. Denique non refert, quod poenitens videatur implicite indicare, quod sint peccata antiqua: nam ipse vere habet animum loquendi de peccatis novis et de illis vult loqui, licet desideret non intelligi quoad hoc a confessario. Non est ergo idem loqui obscure ac expresse negare; quia in primo casu verba vere significant id, quod vult confiteri atque ideo defert peccatum verum: in secundo autem casu verba non possent significare verum peccatum sed falsum».

15. Si vero quaestio fiat secundo sensu, de illo nempe, qui positive dicat, antiquum esse peccatum, quod alioqui recens est; plura adhuc sunt notanda.

Nam 1° falso allegatur Lugo, quasi defendat sententiam eorum: quippe n. 53. (quem quidam allegant), Lugo mere refert obiectionem ex doctrina illa de *circumstantia temporis determinante actionem* et eam non dicit nisi probabilem.

2° Licet Tamburini *Exp. Cons.* lib. 2. cap. 1. n. 6. dicat, se non probare eum, qui antiquum positive dicat illud, quod recens est; at adiungit, infirmari hanc sententiam posse ex eo, quod alii, ut Arriaga, contendunt, eum, qui dicat se occidisse Paulum, cum Petrum occiderit, aut qui dicat, se peccasse cum advena, quando peccavit cum incola, aut furatum se esse Lucio, cum furatus sit Caio, solum leviter mentiri in re non pertinente necessario ad confessionem. Casum autem illum non differre ab istis, habemus ex iisdem Doctoribus (apud Lugo disp. 16. n. 53.), qui circumstantiam falsam temporis et circumstantiam personae in homicidio eodem loco habent et utrumque casum simul obiiciunt. Neque apparet reipsa, cur dicendus sit mutare peccatum pro peccato ille, qui falsam dicit temporis circumstantiam, quin idem dicendum sit etiam de adiungente falsam circumstantiam loci et dicat se detraxisse in via, cum reipsa detraxerit in agro, aut se legisse malum librum in cubiculo A. cum legerit in cubiculo B.

Quicquid de his sit, haec nihil nocent doctrinae Auctoris. Nec scio, an distet ab hac doctrina alius casus de eo, qui accusatis nonnullis

venialibus, addat: *praeterea me accuso de peccatis totius vitae, praesertim de tali peccato*, cum tamen hoc sit peccatum recens. Quidam contendit, aequivalenter hunc dicere, illud esse peccatum olim commissum. At ex praemissis cum Lugo (l. c. n. 54.), hic revera id non dicit et cum peccata totius vitae complectantur omnia peccata etiam recentia, revera illa formula per se nec negat esse recens nec aliquid falsi effert.

16. Praemissae doctrinae de novis peccatis permiscendis cum antiquis Auctor quatuor apponit exceptiones.

1ª Si in novo peccato addatur *circumstantia mutans speciem*, vel viceversa, ut in exemplo prolato a Lugo. Veruntamen non tenetur poenitens aperire, peccatum affectum ea circumstantia, commissum fuisse post postremam confessionem.

2ª *Reservatio casus.* Nam casus reservati, alias rite absoluti, possunt esse materia etiam cum eo confessario, qui quoad ea reservata non habet facultatem. Per absolutionem enim rite olim factam cessat reservatio. At si misceatur novum aliquod eiusdem speciei, quoad hoc confessarius ille facultate careret (a).

3ª *Occasio peccandi*, nempe propter remedia necessaria et obligationem fugiendi, quae locum non habent quoad peccata antiqua. Ceterum (ut ait Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 47.) tunc est obligatio non quidem dicendi, an sit confessus iterum illud peccatum, sed an sit reservatum (id valet pro casu praecedente) vel an habeat occasionem proximam; quae, quando potest relinqui, arguit aliud peccatum, imo indispositionem praesentem, si non relinquitur. Quanquam nec tenetur poenitens fateri occasionem, si propositum habeat auferendi ipsam, aut opportuna remedia adhibendi, etsi fateri forte debeat (ut observabat Lugo), quod obligationi illam tollendi antea non satisfecerit, v. gr. prius non proiecerit librum aut picturam obscenam; sed ne hoc ipsum quidem tenetur dicere, an olim, an modo contigerit.

4ª *Poenitentia iniungenda:* ratio, quia non solet eadem satisfactio imponi pro novis culpis, ac pro antiquis, pro quibus alias iam imposita fuit. Verum poenitentiae quantitas non pertinet ad rei substantiam et ut confessarius possit proportionatam prorsus, si velit, poenitentiam imponere, sufficere videtur ius quod ipse habet interrogandi, an peccata omnia quae audit iam fuerint necne per absolutionem deleta. Et sane, ut advertit Lugo n. 51., multa alia sunt, quae possunt confessarium prudenter movere ad minuendam vel augendam poeni-

---

(a) Item si reservatio facta fuerit post ultimam poenitentis confessionem: debet poenitens notare tempus, ut sciat confessarius peccatum cadere sub reservatione. E.

tentiam, quae tamen non tenetur poenitens explicare, v. gr., quod intensum vel remissum dolorem habeat, quod ex se aliunde plura satisfactoria opera exerceat, quod peccatum fuerit cum maiori intensione et maiori affectu admissum, quod maior fuerit furti quantitas etc. Cf. dicenda in quaestione de circumstantiis aggravantibus; nam par occurrit ratio. Ergo hinc non probatur obligatio fatendi peccatum, ut recens.

IV. 3. Ponenda semper est materia certa, qualem esse negat Sancius in *Sel.* d. 7. apud Dian. p. 3. t. 4. res. 52., quod quis non responderit divinis inspirationibus, non fecerit bonum, quod potuit et similes imperfectiones. In quibus tamen exponendis non tenetur Confessarius impedire poenitentem, ut docet Card. de Lugo l. c. n. 103. contra Sancium. Quod si habere certam non possit, pro ratione dubii danda est absolutio, ut sub dubio, si materia prorsus dubia sit; vel absoluta, si certa videatur. Ita Suar. Laym. l. 5. t. 6. c. 3. et alii commun.

17. Certa dicitur materia, quando certe subest aliqua culpa aut gravis aut levis. Tales autem non censentur eae, quae A. innuit, v. gr. quod quis non responderit divinis inspirationibus, non fecerit bonum quod potuit etc., quae dicuntur imperfectiones.

Ioan. Sancius contendit, interdicendos poenitentes, ne ista confiteantur, ut A. innuit. De quo Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 102.: « Sancius contendit, non esse permittendum poenitentibus in confessione accusare se, quod non consenserint inspirationibus divinis, quibus a Deo movebantur ad non habendam nimiam sollicitudinem de corporis salute, ad non quaerenda alimenta superflua... ad non appetendas dignitates etc... aut quod transgressi fuerint inspirationem oblatam, quando urgebat occasio violandi praecepti (haec enim transgressio non est peccatum distinctum ab ipsa transgressione praecepti), quod non praemiserit examen nec doleat intense, prout posset, de peccatis, quod Deum non dilexerit, quam potuisset, intense, quod in copula cum coniuge aut alias verba amatoria et impudica cum ea fuerit colloquutus, quod in copula illa nimiam delectationem fuerint experti etc. ».

Ad quae Lugo n. 103.: « Verum non debent reprehendi confessarii, quod poenitentes in iis dicendis non impediant; tum quia plura ex iis, quae videntur merae imperfectiones, non fiunt sine aliqua culpa veniali, praesertim si cum communi sententia Thom. supponas, non dari moralem actum indifferentem in individuo: ex hoc enim constat, eos omnes actus, qui ex fine honesto non fiunt, esse peccata venialia (modus vero, quo explicavimus honestatem ex fine in tr. de *Actibus humanis,* haud ita faciles demonstrat huiusmodi culpas); tum etiam, quia non est necesse, quod omnia, quae poenitens in confessione dicit, sint determinate et absolute materia absolutionis... Sicut ergo infirmus

omnia medico narrat, ut si quid invenerit curatione dignum, remedium adhibeat; sic poenitens confessario, qui simul medicus est, potest absque vitio omnia narrare, etiam imperfectiones; quia ad confessarium magis spectat decernere, quae sit et quae non sit materia absolutionis, et ut confessarius magis perspectam habeat poenitentis conscientiam et eo melius de toto eius statu iudicare possit in ordine ad debitum remedium adhibendum ». Quae quidem non commendant tamen *consuetudinem* praemittendi aut addendi confessioni quandam quasi cantiunculam de amore Dei non satis perfecto, de amore non intenso proximi etc., quam quidam poenitentes ex stata formula, quam a pueris didicerunt et sine animi sensu semper repetunt, familiarem habent.

18. Materia dubia, de qua A., multiplici ex capite potest esse.

1° Si dubites, an factum, in quo foret culpa, reipsa commiseris: 2° si dubites, an culpam quampiam commiseris ante vel post baptismum. Huc revoca 5^m. infr. 3° Si certus sis de facto, sed dubites, an reatus aliquis intercesserit, v. gr. in cogitationibus contra fidem.

4° Quidam addunt, si dubites, an quidpiam contigerit ante vel post praecedentem confessionem. At in hoc casu dubium verteretur, an sit materia necessaria, non vero an sit sufficiens.

5° Accenseri materiae dubiae possunt etiam peccata in ipso suscipiendi baptismi actu commissa. Nam communissimam quidem s. Alphonsus lib. 7. n. 427. appellat sententiam, quae affirmat, hanc esse materiam necessariam et Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 2. statuit, *in praxi* certum esse, omnia illa peccata exprimi debere in confessione subsequenti tanquam materiam necessariam; at s. Alph. l. c. subdit, rationem ab iis DD. allatam non videri aptam ad convincendum et s. Thomam non esse huius sententiae (quod et Lugo concedere imo contendere videtur disp. cit. 16. n. 41.) et Lugo, si speculative res consideretur, fatetur ibid. n. 10., se prius probabiliorem putasse sententiam, quae negat, hanc esse materiam necessariam et communiter id ipsum sensisse Thomistas quoad alia peccata praeter fictionem. Sed disputatio instituta a Lugo ibid. n. 3. seqq., innixa conceptui metaphysico ideoque obscuro et incerto temporis, non est idonea gignendae certitudini in re morali. Satis clarum est, quod docet n. 9., causam non esse, cur peccatum fictionis potius quam alia peccata admissa in ipsa susceptione baptismi, sit expiandum per sacramentum Poenitentiae. Quaestio scil. huc redibat, an peccata admissa, cum susciperetur baptismus, puta indigna eius susceptio, deficiente debita dispositione (quae est fictio), actus odii, luxuriae etc. qui susceptionem comitentur, remittantur vi reviviscentis baptismi, remota fictione, an per sacramentum Poenitentiae. S. Thom. 3. p. q. 69. a. 10. ad 2. ait: « Fictio non removetur

per baptismum, sed per poenitentiam subsequentem; qua remota, baptismus aufert culpam et reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum et etiam simul exsistentium cum baptismo ». Sed quia tandem peccata quaevis exsistentia cum baptismo, illud operantur quod fictio (quae est voluntas recipiendi sacramentum absque debita dispositione), ut effectum nempe sacramenti in iustificatione situm impediant: hinc alii vel omnia haec peccata vel nulla materiam esse volunt sacramenti Poenitentiae. Non immerito igitur habentur, ceu materia dubia, quae per se absolutionem tantum conditionatam admittit.

19. Porro quod liceat absolvere sub conditione, doctrina communis est; neque adest ratio solida dubitandi; cum certum sit, licere sacramenta administrare identidem sub conditione (vol. IV. 666. seqq.) et inanes obiectiones nonnullorum, etiam recentiorum in Gallia, qui antiqua praeiudicia ianseniana incaute ebiberunt, dissolvit Gury vol. II. §. 435. seqq. et nos infra dissolvemus.

Intellige autem, si conditio sit de praesenti vel de praeterito, non vero si sit de futuro, v. gr. ut dicas: si Deus cognoscat, *quod restitues:* in quo haberetur insignis insipientia etiam ex eo, quod ad sacramentum requiritur quidem voluntas praesens restituendi, non autem nocet valori praecedentis sacramenti defectus sequens constantiae in praecedenti sincero proposito.

Occasio absolvendi conditionate tunc occurrit, quando sacerdos duo habet incommoda, a quibus cavere debet, nempe 1° periculum irreverentiae ob nullitatem sacramenti, quam timet: 2° periculum damni gravis ex parte poenitentis, si nullo modo absolvat. Utrique autem incommodo prospicitur per conditionatam sacramenti administrationem, ut iam diximus, ubi de Sacramentis in genere.

Damna autem eiusmodi haec enumerari solent:

1° quod quis, alioquin dubie poenitens, decedat absque absolutione. Huc s. Alph. n. 432. revocat, cum quis versatur in gravi vel probabili periculo mortis, v. gr. mulier in partu difficili, nauta aut quivis alius longam navigationem ingressurus, miles ante praelium, infirmus ante difficilem ac valde periculosam chirurgicam operationem etc.

2° Quod forte quis diu mansurus praevideatur in statu peccati mortalis.

3° Quod privari quis diu debeat gratia sacramenti.

4° Quod necessitas urgeat communicandi vel celebrandi aut implendi praeceptum confessionis annuae; de quibus fusius, ubi de usu dubiae iurisdictionis ad cap. 2. dub. 3. resol. 8.

20. Casus absolvendi sub conditione generatim hic statui potest « quando damnum immineat animae, si absolutio non detur; si vero

absolute detur, nullitas sacramenti, atque adeo irreverentia timeatur ». Ita Sporer *de Poenit.* n. 622.

Casus speciales enumerari hi solent:

1° Si prudenter confessarius dubitet, an poenitens adhuc vivat vel iam exspiraverit.

2° An, qui reperitur destitutus sensibus, sit christianus necne.

3° An, qui iacet sensibus destitutus, sit capax absolutionis ratione dispositionis.

4° An poenitens, etiam sanus, cui differri absolutio non possit, sit dispositus quoad dolorem, propositum, integritatem confessionis etc. s. Alphons. n. 432.

5° An confessarius poenitentem praesentem absolverit necne.

6° An habeat iurisdictionem in hunc poenitentem, v. gr. Regularem, vel an habeat iurisdictionem in aliqua peccata, aut an elapsum iam tempus approbationis etc. Sporer n. 622. ponit exemplum, quando v. gr. religiosus pro hac dioecesi non fuerit approbatus, cum DD. disputent, num satis sit approbatum semel fuisse ab aliquo Episcopo: ast huiusmodi exemplum non est ad rem; quia modo indubium non est et Romani Pontifices declararunt, requiri approbationem Ordinarii loci, in quo quis confessionem excipit: potius ad rem esset exemplum *Parochi*, ac generatim *pastoris ordinarii*, an parocho alterius dioecesis non approbato pro ista possit iurisdictionem dare quoad oves suas, de quo infra ubi de approbatione.

7° An adsit sufficiens materia, v. gr. in pueris rudibus, quando dubium esse queat, an sufficienti usu rationis sint praediti et an reipsa peccaverint nec ne; quod idem valet cum semifatuis aut infirmis semidelirantibus.

Quando tamen dubium de materia sufficienti versatur solum circa exposita a poenitente, qui alioquin materiam certam suppeditare potest ex alias confessis, curanda est materia haec certa: qua de re vide quae docet Suarez *de Poenit.* disp. 23. sect. 1. Nec multi facienda sunt, quae Gury §§. 421. et 423. habet de dimittendis sine absolutione, etiam de hoc illis non admonitis etc., ubi etiam falso supponit, difficile esse dolorem extundere. Ubi enim agitur de poenitente, qui a mortalibus refugit (ut heic supponitur), affectus doloris generatim habitualis est et facile ad actum reducitur.

21. Sunt qui, concedentes posse in necessitate administrari sacramenta sub conditione, negant de sacramento Poenitentiae; quia, aiunt, forma sacramenti huius est iudicialis, sententia autem iudicialis absolute est proferenda: secus nihil facit.

Resp. 1. necessitatem absolutae prolationis sententia iudicialis ex eo

esse, quod secus homines, qui eam exsequi debent, nihil scirent quid agendum ipsis sit aut ad quid obligentur: haec autem ratio non valet in sacramento, cuius sententiae exsecutor est ipse Deus, qui novit quomodo se res habeat in facto.

Imo 2. sententia absolutionis est intrinsece semper conditionalis, si nempe reapse adsint requisitae dispositiones, quas Deus solus cum certitudine cognoscit, confessarius solum plus minus probabiliter.

Difficultas contra licitum usum absolutionis conditionalis ex eo peti solet, quod poenitens dubie absolutus non amplius confitebitur peccatum suum et si reapse absolutio non valuit, in peccato morietur.

Resp. Si ponas hanc esse ultimam confessionem, non magis certe hic iuvabitur, si ei negatur absolutio, imo maiori periculo hoc pacto exponetur. Sed omisso tali casu, qui per accidens occurrere potest, poenitens sic absolutus, retinet utique obligationem, si deinceps ei certo constet, defuisse sibi debitas dispositiones, rursus ea peccata confitendi, quemadmodum audivimus a s. Alphonso in casu dubiae iurisdictionis: secus remissionem horum peccatorum saltem indirectam obtinebit alia sequente susceptione sacramenti.

Perperam vero provocatur ad principium: non licere uti opinione probabili in administratione sacramenti; nam haec est sententia certa, licere in necessitate administrare sacramenta sub conditione.

22. Casus specialis est absolutionis dandae sub conditione, cum agitur de conferendo sub conditione baptismo homini adulto. Iam enim duplici decreto (quod retulimus Vol. II. n. 99.) C. S. O. respondit redeuntem ab haeresi, de cuius baptismo dubitabatur, debere baptizari sub conditione atque integra peccatorum suorum confessione peracta, absolvi sub conditione.

Difficultas erat, quod incerto exsistente priore baptismo, dubia quoque erat obligatio confitendi peccata post illum admissa: porro lex dubia non obligat. Atque idcirco Croix l. 6. p. 1. n. 324. hoc posito, quod huiusmodi peccata sunt materia incerta sacramenti Poenitentiae, inferebat, obligationem non esse ea confitendi, innixus principio communi Theologorum, quod peccata dubia haud sint materia necessaria sacramenti Poenitentiae. An litem prorsus diremit responsum s. C.? Res non satis liquet (a). Nam propter speciales rationes datum est illud decretum. Sane quod spectat ad prius decretum datum anno 1715. in causa Caroli Wippermann Germani, non referuntur quidem conditiones speciales casus: sed cum in causa Anglorum anno 1868. provocatum sit ad illud

---

(a) Recentiores Theologi (cf. Bucceroni *Theol. Mor.* V. 2. *de Poenit.* n. 12.) id non putant. — E.

decretum., credere licet, easdem quoad substantiam conditiones fuisse in utroque casu. Porro rationes, quas Episcopi Angli in supplici libello oblato Apostolicae Sedi anno 1868. attulerunt, huiusmodi sunt, ut vix non omnes speciales conditiones eorum neophytorum eo tempore exhibeant. Exigendi enim a neophytis integram totius vitae confessionem, istae ceu causae necessariae proponuntur.

Habetur difficultas conversorum, intellectum ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in Sacramento Poenitentiae Christus Dominus reponere dignatus est. — Habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neoconversus rite sit ad ipsum baptismum dispositus velitque ex. gr. restitutionem famae vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere (a), *occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire, etiamsi per Sanctae Sedis dispensationem (uti in casibus quotidie frequentioribus matrimonii post divortium civile contracti) illud sanari nequeat. — Habetur insuper necessitas suae saluti per iustificationem in sacramento Poenitentiae prospiciendi, a cuius integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi, attenta praesertim diligentia iuniorum e Clero Anglicano circa ritum baptizandi fideliter servandum et attento proinde maiori numero eorum, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare. Cum vero certum sit, quod post plures annos, confessionis integrae obligatio vim suam sit amissura, si in praxi sequi valeant Theologi uti tutam opinionem auctorum praefatorum* (aientium nempe cum Croix, dubiam in casu esse confessionis obligationem), *Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae enixe rogant* etc. Ita quidem supplex libellus.

Iam vero, si illud paulisper seponas quod dicitur de diligentia cleri Anglicani baptismum rite conferendi: patet ceteras causas speciales esse illi genti et eius moribus accomodatas. At si ea ratio spectetur, talem scilicet a iuniori Clero Anglicano diligentiam in ritu baptismi servando adhiberi, ut de infantilis baptismi valore dubitare non liceat; quis non videt, quando constet, baptismum sic generatim conferri solere, rem eo iam adduci, ut, cum baptismi iterandi vix ulla tunc appareat necessitas, sacramentalis confessionis integritas ad iustificationem a peccatis postea commissis, dicenda sit necessaria?

Quaestio ergo universalis in casu dubii baptismi, quam alii Theologi proponunt, proprie non attingitur his responsis.

(a) Sed scientia in confessione habita quid confert ad forum externum, in quo sacramentum administratur? — E.

V. Resp. 2. Forma Sacramenti Poenitentiae sunt verba absolutionis: *Ego te absolvo a peccatis tuis;* ubi, licet de essentia tantum sit, *Absolvo te,* debent tamen addi reliqua, praesertim in articulo mortis, secundum quosdam sub mortale, secundum alios sub veniali (ut vid. Gran.), voce prolata in praesentem; absentem enim Clem. VIII. absolvi prohibuit, sub poena excommunicationis.

23. S. Alph. n. 430. dub. 2. censet cum pluribus mortale esse, si omittantur verba; *A peccatis tuis:* veniale autem ibid. dub. 3. si verba *In nomine Patris* etc. omittantur citra scandalum et contemptum. Et haec quidem etiam extra mortis articulum. Sed haec parum ad praxim faciunt, sicut et quaestio, an verba *Absolvo te* valeant ad absolutionem etiam censurae; nam omnes servant normam communem, quam habetis in resol. 2.-4.

Decretum Clementis VIII. ex Bulla, quae est 87ª inter Clementinas dat. 20. Iun. 1602. est huiusmodi: SS. D. N... re mature ac diligenter considerata, hanc propositionem (nempe licere per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere) ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit praecipitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus ac congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, ad praxim quovis modo deducatur ».

Subdit s. Alphonsus n. 428. « Si pontifex voluit, huiusmodi absolutionem *in nullo casu* esse licitam, consequenter declaravit, in nullo casu esse validam; si enim aliquando valeret, ea in casu necessitatis ne dum licita sed debita foret. Paulus autem V. die 14. Iul. 1605. insuper damnavit interpretationem aliquorum in praefatum decretum, dicentium, posse absolutionem praesenti conferri, etsi confessio facta sit in absentia. Explicavit enim, prohibitionem Clementis VIII. *disiunctive,* non *copulative,* intelligendam, h. e. non solum prohiberi ne utrumque simul in absentia fiat, sed ne alterutrum quoque (a).

Unde resolves.

VI. 1. Invalidum est absolvere nutu, signo aut scripto: item absolvere absentem, quod docuit Alensis, Medin. et alii; sed vetitum nunc, ut modo dictum.

24. Quod forma a Confessario *voce* proferri debeat, nulla est dubitandi ratio, qua de re cf. Theologos dogmaticos. Advertit cum aliis s. Alph. n. 429., non opus esse, ut poenitens verba absolutionis audiat et tanto minus ut ea intelligat. Quinimo consultum est, ut in praesentia aliorum poenitentium praefata verba submisse dicantur, ne, si aliquis dimittatur sine absolutione, id alii percipiant.

(a) Cf. de hac re Tract. nostrum *de Poenitentia* ed. 2ª, pag. 160. segg. — E.

Etiam moralis poenitentis praesentia postulatur. Praesentia moralis, inquit s. Alph. n. 429., reputatur illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt ac solent.

Addit s. Alph. ex plurium sententia, eiusmodi praesentiam haberi, etiamsi poenitens distet viginti passus.

Casus contingit, quando poenitens discedit non exspectata absolutione, ut interdum fit. Et bene monent doctores, poenitentem revocandum esse, si sine scandalo et turbatione fieri possit. Ceterum censent DD. apud s. Alph. ibid., sine scrupulo absolvi posse, si certo scitur, adhuc non longe distare. Idque fere evenit, nisi poenitens fugerit, dum forte Confessarius a quopiam tertio interpellante distractus fuerit.

Vide Tamburini *de Poenit.* cap. 2. n. 11., ubi rationem doctrinae affert ex communi doctrina de natura iudicii in reum praesentem exercendi. Unde inferunt DD., quod si absolvi quis non posset nisi a longe, v. gr. si sacerdos videat quempiam e tecto ruentem, aut e littore navim mergi, tunc absolutio sub conditione danda esset.

* Ceterum si forma verbis consistit ore proferendis et ad essentiam formae spectat vocula *te:* patet praesentem solum absolvi posse; nam talia verba in absentem, ore, veluti cum eo loquens, nemo proferet nisi mentecaptus. *

VII. 2. Valida est absolutio, si reverentiae causa dicas: Absolvo dominationem, excellentiam, vel maiestatem vestram etc. Quia non mutatur essentialiter et sunt verba aequivalentia. Aversa. V. sup. sect. 1. c. 1. d. 2. Non valet autem, si dicas: Absolvat te Deus, vel absolvat te Christus, Avers. q. 12. s. 2.

VIII. 3. Orationes praeviae et subsequentes formam, ut *Misereatur tui* etc. et *Passio Domini* etc. quae secundum Trident. laudabiliter adduntur, non sunt necessitatis et ex causa rationabili omitti possunt, v. gr. si breves sint confessiones, vel multi confitentes, ut vid. Dian. p. 3. t. 4. r. 97.; tunc enim sufficit dicere: *Absolvo te a peccatis tuis in nomine* etc. vel si timeatur censura, *Absolvo te a vinculo excommunicationis, deinde a peccatis tuis.* V. Sà v. *Absolutio.*

IX. 4. Elevatio manus eiusque impositio in caput, item formatio Crucis est libera, etsi debeat servari consuetudo. Ita Laym. cap. 5. ubi idem dicit de apertione capitis. Forma autem Clem. VIII. ut tradidit Sà et Rituale Romanum, est haec; qua ut omnes utantur, suadet Paulus V. ideoque omnibus tenenda memoriter; *Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam, Amen.* deinde elevata manu pergit: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus, Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (quae vox circa laicos omittitur) *et interdicti, in quantum possum et tu indiges: Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi et merita B. Virginis et omnium Sanctorum et quicquid boni feceris et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.*

25. Quoad has resolutiones, nihil addendum (a).

* Sed quaestionem aliam peperit nostra aetas. Cum ipsa feracissima sit inventionum, illud paucis abhinc annis prodiit in lucem instrumentum, quod *telephonium* vocatur. Hoc ab aliis quibusdam mediis, quibus distantes loco homines inter se agunt, eo differt, quod duo per telephonium ita inter se loquuntur, ut expressio, imago quaedam, ut sic dicam, vocis collocutoris aures alterius feriat. Hinc dubitatio orta, an hoc pacto posset, valide saltem, sacramentum Poenitentiae administrari. Decretum sane Clementis VIII. prohibens administrationem sacramenti inter absentes, non loquitur in hac hypothesi, quae ignota erat ea aetate, sed in alia h. e. in hypothesi quod per litteras seu internuntium sive simili modo, qualis esset ex. gr. usus telegraphi, qui ad scripturam transmissam redit, communicent invicem poenitens et sacerdos. Heic e contrario non per litteras aut alia signa sed voce utriusque percepta et cognita invicem communicant ambo; ut vere alter alteri proferre possit *ore* formam *integram* absolutionis. Itaque dubium propositum fuit s. Poenitentiariae. « Utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per *telephonium?* » Porro s. Poenit. 1. Iulii 1884. respondit: « Nihil est respondendum ». Cuius responsi non una potuit esse ratio, forte, quia ad ipsam profecto solutio quaestionis non spectabat: sed cum hoc s. Tribunal censuerit nullum a se dandum responsum; non erit certe privati hominis hanc solvere quaestionem, quae adhuc, fatendum est, in suspenso manet.

Auctor nihil dixit de usu *stolae* in administratione sacramenti nec opus est, illud a nobis notari; cum iam in sect. 1ª agentes de Sacramentis in genere Vol. IV. 697. 2°, significaverimus, ex praescripto s. R. C. vestem adhibendam in administratione sacramentorum esse *superpelliceum* et *stolam*. Addere tamen iuvat hoc alterum responsum eiusdem s. C. Quaesitum est: « Utrum consuetudo ministrandi sacramentum Poenit. absque stola, etiam in ecclesia et sede confessionali, servari possit? » Respondit s. C. R. 31. Aug. 1867.: « Conveniens est, ut in ecclesia adhibeatur stola, iuxta s. R. C. decreta ».

(a) Quoad absolutionem sub forma deprecativa, de qua A. in resol. 2. cf. sis Tract. nostrum de Poenitentia in Parergo post Thes. XII. — E.

Dub. II.

De Contritione.

X. Suppono, quod Contritio in communi sit dolor ac detestatio peccati commissi, cum proposito emendandi, ut habet Trid. sess. 14. Ubi eam dividit in perfectam, quae absolute sic dicitur et in imperfectam, quae Attritio dicitur. Perfecta est, quae elicitur ex motivo caritatis propter Deum summe dilectum et haec ex se sola mox iustificat, etsi cum voto et ordine ad confessionem, quam deinde facere teneris. Imperfecta est, quae ex inferiore motivo, supernaturali tamen, concipitur.

26. Definitio sic prostat in Synod. Trid. sess. 14. cap. 4.: « Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ».

Cuius definitionis explicatio in Resolutionibus apparebit. Nunc nota, disputasse Doctores, ut videre est apud s. Alph. n. 435., consistatne contritio in detestatione an in dolore et quis ordo sit inter haec duo. At parum refert nec timendum est, ne alterutrum eorum deficiat; altero enim posito, alterum necessario adiungitur ac mutuo se supponunt. Ut enim ait s. Alph., qui suum detestatur peccatum, scil. qui vellet se non peccasse, hic necessario de ipso dolet et contra qui de peccato dolet, illud necessario detestatur.

Duplicem contritionem, *dolorem nempe perfectum et imperfectum* sic explicat Synodus Tridentina sess. 14. cap. 4.: « Docet praeterea s. Synodus, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat (s. Synodus), non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit ».

27. Quaestionem instituere de motivo formali perfectae contritionis opus est duplici de causa: 1° ut corrigatur minus exacta ratio, qua eam tractat s. Alphonsus: 2° ut pateat, quam late se porrigat motivum et indoles perfectae contritionis.

Quaerit ergo s. Alph. lib. 6. n. 436., num contritio perfecta elici possit ex motivo cuiusvis attributi Dei offensi, v. gr. iustitiae, misericordiae, sapientiae etc., an vero debeat procedere ex solo motivo caritatis, nempe divinae bonitatis offensae, quatenus haec bonitas complectitur omnes Dei perfectiones. Tum subdit, sententiam communem ac probabiliorem esse, quae docet, contritionem debere omnino procedere ex solo motivo caritatis, nempe divinae bonitatis offensae, quatenus haec complectitur omnes Dei perfectiones. Ratio (inquit), quia ex Tridentino sess. 14. c. 4. requiritur contritio caritate perfecta idest informata: obiectum autem caritatis est Deus, quatenus est infinita bonitas, nempe radix et aggregatio omnium perfectionum. Ita, pergit, Suarez, Lugo, Vasquez (qui vocat oppositum erroneam) et alii passim.

Sed reipsa non est eiusmodi status quaestionis, quam agitarunt DD. allegati nec sententia, quam tenuere et cuius oppositam Vasquez dixit erroneam. Scilicet quaestio erat, an ad perfectam contritionem sufficiat, quod dolor sit ex motivo *obedientiae* vel *religionis* vel *poenitentiae* idest iustitiae volentis reparare iniuriam illatam, ut ait Suarez *de Poenit.* disp. 2. sect. 3. n. 4. et disp. 4. sect. 2. n. 13.: « quia nempe peccatum (ut ait ex hac opinione Lugo *de Poenit.* disp. 5. n. 3.) est contra eius praeceptum, cui obedire tenemur, vel contra eius cultum vel denique quia est contra ius Dei, quod tenemur observare, quod dicunt esse motivum poenitentiae et idem a fortiori possent dicere de motivo poenitentiae in nostra sententia, scilicet quia peccatum est offensa Dei et per consequens destruit pacem cum Deo eumque nobis reddit rationabiliter aversum ».

Haec utique et non alia quaestio est et opinio affirmativa ea est, quam Suarez sibi alias simpliciter placuisse dicit disp. 4. sect. 2. n. 13., quamque ibidem dicit probabilem et de qua plura disputat Lugo disp. 5. nn. 3.-10. et inter alia post Suarezium affirmat n. 5. de ea, quod « sane id videbatur postulare humana fragilitas, quae raro trahitur motivo illo dilectionis super omnia, frequentius vero motivo obedientiae, religionis, gratitudinis etc. Cum ergo frequentissimus sit lapsus, non debuit adeo difficilis et rara designari medicina etc. ». Contra quam tamen opinionem concludit Lugo ibid. n. 10.: « Adhuc tamen dicendum omnino est cum communi sententia, contritionem sufficientem ad iustificationem debere oriri ex peculiari motivo caritatis, scil. Dei super omnia dilecti ».

Porro manifestum est, quantum differat haec quaestio ab ea, de qua s. Alphonsus. Nam motivum formale vel obedientiae vel iustitiae vel religionis non est ipse Deus et praescindit ab amabilitate illius,

erga quem talia officia praestantur atque adeo locum habent et cum aliis, etsi eos non diligamus: sic obedimus superiori, colimus regem, iustitiam exercemus erga creditores etc. (a). Contra vero sententia, de qua s. Alph. agit, motivum detestandi peccatum desumit ex attributis divinis, qua talia sunt, quorum singula sunt ipse Deus. Non est ergo ea opinio, quam DD. posthabere vidimus et quam dicunt tantum probabilem et cui aliam opponunt veluti probabiliorem.

28. Iam si sermo sit de quaestione, prout a s. Alphonso proponitur, statuendum est, uti manifestum, caritatem habere pro obiecto formali summam Dei excellentiam atque infinitam perfectionem, propter quam super omnia diligendus est amore appretiativo. Porro haec infinita perfectio et summi boni excellentia non habetur tantummodo in complexu omnium divinarum perfectionum, sed plane in singulis quoque eiusdem attributis. Ergo in singulis attributis divinis habetur obiectum formale caritatis perfectissimae.

Hinc merito Ripalda *de Fide, Spe et Carit.* disp. 35. sect. 1. hunc sectioni titulum praefigit: « Obiectum formale caritatis est bonitas divina, prout naturae Dei et attributis communis est et propria ».

Quinimo vix fieri potest, ut mens Deum caritate attingat, quin ab aliquo potius vel aliquibus specialibus perfectionibus ad id moveatur; neque enim in concreto moveri solent homines generica idea perfectionis, sed potius summo bono, quod in particularibus elucet. Id vero dum fit, non quidem excluduntur aliae perfectiones, sed non considerantur speciatim: neque ulla alioquin apparet ratio, cur aut omnes *speciatim* (quod impossibile foret) aut conglobatim spectari debeant.

Exinde docent Theologi, obiectum formale caritatis contineri in illa Ioannis sententia: *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Animadvertunt enim, perfectam caritatem heic suaderi non ex consideratione nostrae utilitatis, sed ex perpensa perfectissima et excellentissima caritate divina, ob quam praevenit nos et quidem peccatores.

Sic ergo si questio statuatur, non debet dici cum s. Alphonso, quod *probabilis* sit sententia, quae docet sufficiens caritatis perfectae motivum esse quodlibet divinum attributum, *probabilior* vero illa, quae eiusmodi motivum statuit in omnium attributorum aggregatione. Iam enim diximus, Doctores a s. Alph. allegatos id decrevisse de alia quaestione omnino diversa: nimirum probabilior ab ipsis dicitur sententia, quae ad perfectam contritionem exigit motivum alicuius divini attributi, quod est verum obiectum formale caritatis, prae sententia,

(a) Cfr. in Tr. nostro *de Poenit.* Thesès. IV. V. — E.

quae ad contritionem sufficere dicebat motivum non quidem caritatis, sed alterius virtutis, v. gr. obedientiae, iustitiae, religionis etc.

Veruntamen praetereundum non est, motiva ista aliarum virtutum facili negotio pertrahi ad motivum perfectae caritatis posse et facilem per illa viam sterni ad perfectam contritionem eliciendam. Si enim simul cum motivo obedientiae vel iustitiae vel religionis addatur consideratio infinitae excellentiae illius, cui aut facta est iniuria aut negata fuit obedientia aut cultus est demptus, facillime ad perfectionem caritatis pervenietur.

Haec autem prae oculis habenda sunt; quia ad manum ea esse debent Confessario, quae ad hoc medium reconciliationis suadendum pertinent, ut facilem modum tum in actu confessionis suggerere possit, tum extra confessionem exercendum doceat.

XI. Respond. Ad sacramentum hoc sufficit et requiritur saltem attritio formalis, supernaturalis, efficax et universalis, respectu mortalium, concepta in ordine ad confessionem vel saltem absolutionem. Est communis. V. Bon. d. 5. q. 5. et Schol. ac colligitur ex Trid. l. c.

29. Nunc de attritionis *sufficientia*. Ad suscipiendum rite sacramentum Poenitentiae non sufficere attritionem, docuerunt Merbes, Iuvenin, Ludov. Habert, Morinus, Concina, Antoine.

Evincendae thesi non immoramur, quippe quae in Theologia speculativa tradi solet. Satis sit adnotasse, quod ait s. Alph. lib. 6. n. 440.: « Certum et commune est apud Doctores, non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem ».

Et quidem id intelligendum est non modo de Doctoribus recentioribus, sed etiam de antiquioribus. Quod probe advertendum est.

Nec movere debet, quod quidam hanc doctrinam ceu novam et a Melchiore Cano primum invectam traduxerint (vid. Bened. XIV. *de Synod.* lib. 7. cap. 13. n. 6., et Perrone *de Poenit.* n. 90. in not.). Nimirum si sepositis Iuveninio, Ludov. Habert, Le Drou, Vanespen, Witasse et aliis huiusmodi, adiissent suis oculis v. gr. Suarez *de Poenit.* disp. 20. sect. I. n. 9., profecto reperissent pro ea doctrina allegatos s. Thomam, Scotum, Paludanum, Capreolum, Durandum, Adrianum, s. Antoninum, Sylvestrum etc. Cano sane antiquiores.

Sed et multo plures DD. in eandem rem affert Iosephus Benaglio in opere plane egregio, cui titulus: *Dell'attrizione quasi materia e parte del Sacramento della Penitenza* etc. Milano 1846. cap. 5. art. 11. vol. 2. pag. 101. Qui quidem et illud (cap. 4. art. 7. et cap. 5. art. 13.) palam facit, omnia demum quaecumque ad praedicti paradoxi praesidium ex memoratis Iuveninio, Habert etc. corrogata habentur in citato loco Operis *de Dioecesana Synodo,* ea nutare prorsus.

Ceterum quod laudatus Benaglio sibi veniam fecerit recedendi penitus ab iis, quae de hoc argumento in Opere Lambertiniano *de Synodo* leguntur, merito sibi factam ad id facultatem censuit ex iis, quae ipsemet Benedictus XIV. in fine Praefationis editionibus postremis praefixae in haec verba edixit: *Ubi neque a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris neque a Nobis ipsis aut in Bullario aut alibi, Apostolica auctoritate quidpiam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiae auctoritate pondus accessit, nihil nos definire ac veluti decretorium exhibere intendimus. Ea enim nobis et semper fuit et adhuc mens est, ut sententiam nostram proponentes, hanc eatenus tueamur, quatenus illi ex rationibus et auctoritatibus, quae nos ad eam amplectendam impulerunt, satis roboris et firmitatis adesse cognoscatur libentique animo subscribimus doctrinae... Melchioris Cani, qui... de libris agens, qui a Summis Pontificibus conscripti publicantur, haec ait: Cum edunt libros de re qualibet Romani Pontifices, sententiam suam, ut homines alii docti, exprimunt, non tamquam Ecclesiae iudices de fide pronunciant.* Et allata historia Innocentii IV. qui Commentaria in libros Decretalium scripsit, dum Pontificatum gerebat, subdit: *Neque profecto Innocentius hoc sibi unquam arrogavit, ut quidquid in eo Opere scripsisset, pro re definita haberetur; sed facile passus est, opiniones suas, quas tanquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet ex... illius vita, multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt posteriores Canonistae, dum sententias ab Innocentio suis Commentariis insertas saepe deserere et in alia omnia ire non dubitarunt.*

30. Sane haec est doctrina s. Thomae. In 4. dist. 22. q. 2. a. 1. q. 3.: « Quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plene contritus, si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione sibi gratia et remissio peccatorum datur ». Et rursus (ibid. ad 3.): « Aliquando remissio peccatorum in ipsa confessione et absolutione fit, ut dictum est et tunc non praecedit res sacramentum ». Haec si (dictum sit cum debita reverentia) legisset Lambertini, non dixisset cum Morino, hanc doctrinam deberi Melchiori Cano *de Syn.* l. 7. c. 13.

Et allata verba s. Thomae ex Comment. in Lombardum ostendunt praeterea minus caute P. Perrone tract. *de Poenit.* n. 90. in not. remittere lectores ad Morinum, ut ab eo discant, quomodo Scholastici s. Thoma antiquiores defenderint absolutam necessitatem contritionis et adhuc minus caute a Morino transcripsisse (ibid. n. 103. in not.), s. Thomam quod in Commentariis ad Lombardum eandem contritionis necessitatem docuerat, in Summa retractasse. Quae attulimus, pro-

fecto ostendunt huius affirmationis falsitatem. Morinus nempe inaniter putavit, rem confici ex illis s. Thomae verbis in 4. dist. 21. q. 2. art. 2.: « Ordinatur confessio directe ad remissionem poenae ». Non intellexit nempe doctrinam theologicam, quae diversos remissionis effectus adscribit diversis actibus poenitentis; nam remissionem culpae tribuunt poenitentiae, poenae vero remissionem tribuunt confessioni *propter erubescentiam.*

31. Quaeritur praeterea, an saltem requiratur amor aliquis initialis. Porro quod necessarius sit amor aliquis saltem initialis seu inchoatio caritatis seu caritas imperfecta, ut volunt Concina, Antoine etc., non admittitur neque admittendum est.

De hac re s. Alph. lib. 6. n. 440.: « An sufficit attritio sine amore inchoato, qui oriatur a caritate praedominante, quamvis remissa...», negat Iuvenin, Merbes, Morinus, Habert, Antoine etc.: « Secunda sententia fere communis affirmat...».

Quoad rationem vero, quam petebant ex sess. 6. cap. 6. Conc. Trid.: « Dum peccatores se esse intelligentes a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore illumque tanquam iustitiae fontem *diligere incipiunt* etc. » remittimus ad Professorem Theol. speculativae.

Egregie Benaglio *de attrition.* pag. 12.: « Doctrina de necessitate dilectionis Dei, quae sit vera caritas, nec tamen sit Dilectio Dei super omnia, innititur praeposterae interpretationi Concilii Tridentini, pervertit rationem caritatis et tempore coaeva est cum profanis Baii et Iansenii novitatibus ».

Et reipsa iansenianus sapor sit prodit ex forma *caritatis praedominantis, at remissae* etc., ut ex s. Alph. verbis audivimus. Quomodo vero egregie s. Alphonsus ibid. n. 442. absurdam eam doctrinam de caritate, quae tamen non iustificat, fuse exagitet, ipsi per vos videte. Satis sit, quod ipse s. Doctor antequam obiectionibus respondeat concludit (l. c.): « Ex his omnibus congestis patet, oppositam sententiam, quae dicit, contritionem cum caritate remissa non iustificare extra sacramentum esse omnino improbabilem et falsam. Unde dicit Lugo disp. 5. n. 99. eam ab omnibus Theologis communiter reiici, imo apud ipsum Lugo ibid. n. 115., Coninck vocat *erroneam*, Vasquez *contra Ecclesiam catholicam*, Alph. Curiel *parum tutam in fide*, alii vero *temerariam; scandalosam* etc. ».

32. Quae de qualitatibus attritionis sufficientis ad dispositionem etc. enumerat Auctor, enucleantur deinde in Resolutionibus. Nunc pauca tantum de *motivo supernaturali.*

Nam auctor dicit, attritionem concipiendam ex motivo supernaturali. Porro si id intelligatur, quatenus mens illustrari debet supernaturali gratiae lumine, refragatur nemo: at de hoc nihil solliciti simus, oportet; quia gratiae lux a nemine abest. Si vero ita accipiatur, quasi obiectum *formale* cognitionis, quae ad attritionem movet, debeat esse id, quod fides stricte sumpta proponit, haec est mera Scholae opinio.

Revocanda heic sunt ea, quae diximus in tract. *de Actib. Humanis* circa actus virtutis meritorios, ex doctrina s. Thomae n. 186. seqq. Ex ibi enim dictis sponte colligitur, fidem utique requiri, ut homo statum gratiae ad merendum necessarium adipiscatur: non vero fidem esse necessariam, quasi motivum virtutis, cuius actum exercemus, fidei lumine seu divina revelatione innotescere debeat.

Consequenter ad eam doctrinam Ripalda *de Fid.* disp. 17. n. 209. docet posse attritionem disponentem ad iustificationem sacramentalem elici ex directione prudentiae infusae, aut ex directione cognitionis, quae piam fidei affectionem (scil. quaerentis in sacramento iustificationem, quam credit) dirigat (a).

Ibidem vero n. 187. Ripalda haec praemiserat: « Dispositio ad iustificationem sacramentalem sufficiens fieri potest sine fide theologica stricta. Nam ad iustificationem sacramentalem sufficit dolor elicitus a virtute morali, cui peccatum opponitur (et hoc innuitur in decreto Trid., ubi meminit doloris eliciti ob turpitudinem peccati). At virtutum moralium actus salutares et supernaturales fieri posse absque stricta fide, sacris Scripturis, Conciliis, Patribus rationibusque theologicis nec non gravium theologorum iudicio conforme in superioribus praemisimus ».

Videnda etiam sunt, quae de eadem re Ripalda tradit *de Ente supernat.* lib. 6. disp. ult. nn. 458.-460., et tom. 6. disp. 22. n. 100., ubi motivum ex communi Thh. sententia dicit esse *obiectum virtutum moralium.*

(a) Non negat Ripalda disp. cit. fidem stricte dictam h. e. assensum mentis in veritates revelatas propter auctoritatem Dei, necessariam esse ad iustificationem: sed monet n. 209., « necessitati fidei strictae lege Dei decretae satisfieri posse, quamvis affectus disponentes ad iustificationem non eliciantur ex illa, sed ex alia illustratione supernaturali fidei latae (quaelibet supernaturalis infusa illustratio mentis a Deo est pro Ripalda fides late sumpta). Nam dummodo fides stricta necessario iustificationem praecedat, non contingit iustificatio sine fide. At potest fides stricta iustificationem praecedere, quin, affectus disponens ad illam ex fide procedat; vel quia fides stricta tempore antecessit, vel subsecuta tempore est, vel comitata tantum eum affectum. »

Atque hoc est unum ex temperamentis, quod adhibet assertioni, quam n. 204. praemiserat inquiens: « Nihilominus absolute decerno, fidem strictam ad iustificationem esse necessariam ».

Doctrinae de fide late sumpta quam Ripalda disp. cit. tuetur, quamque eandem esse dicit ibid. n. 1. cum ea, quam *de Ente supern.* disp. 20. sect. 2. propugnavit et quam Card. Lugo *de Fide* disp. 12. sect. 3. seq. impugnavit, doctrinae huius, inquam, specimen dedimus in nostro tr. *de Gratia* in Parergo pag. 254. seqq. Cf. circa hanc sententiam disputantem Lugo l. c. — E.

Unde resolves.

XII. 1. Non requiritur contritio existimata, ut voluit Gabriel.

33. Agit primo A. de contritione existimata. Ad intelligentiam Resolutionis adverte, fuisse, qui existimarent, ad effectum sacramenti sufficere quidem attritionem; attamen vi *positivi praecepti* obligari fideles, ut ad sacramentum accedant cum contritione. Itaque si forte deesset contritio, iuxta istos doctores, saltem opus erat, ut poenitens bona fide putaret, se esse contritum; haec bona de habita contritione fides si defuisset, iuxta eosdem DD., poenitens sic accedens ad sacramentum, actualiter peccabat, nec poterat eo ipso iustificari (praeceptum contritionis defendere videtur Sotus in 4. dist. 17. q. 2. artic. 6.).

Contritionem porro DD. illi intelligebant dolorem peccati, prout hoc est offensa Dei. De quo Franc. Victoria (relect. I. *de Potestate Ecclesiae* n. 8.): « Advertendum, quod contritio revera nihil aliud importat, nisi dolorem de peccatis propter Deum, idest eo quod sunt offensiva Dei, cum proposito cavendi in futurum. Nec quicquam aliud est de ratione contritionis, reiectis anxiis et subtilibus disputationibus scholasticis parum in hanc rem conferentibus et physicis potius quam theologicis ». Verba tamen Victoriae non important perfectam contritionem, sed conveniunt definitioni quoque *virtutis poenitentiae*, quam alias descripsimus et quae non est confundenda cum contritione perfecta caritate. Insuper admittunt alia motiva, propter quae displiceat Dei offensa, v. gr. quod ingratus fuerim, quod iratum habeam, quod caream beneficiis etc. Num istae sunt subtilitates, quas abigendas Victoria clamat? Ceterum haec doctrina de contritionis existimatae necessitate est inutilis; quia ex communi sententia sufficit attritio.

XIII. 2. Non sufficit 1. Attritio existimata tantum, licet inculpabiliter; quia vera Attritio est pars essentialis. *Et hoc contra Proposit. 15. inter proscriptas ab Alexand. VIII. quae Attritionem non bonum esse motum ac supernaturalem asseruit *. 7. Nec desiderium absolutionis, sine affectu ad peccata: idque etiamsi tantum confitearis venialia, ut habet sententia communis contra Angles et quosdam alios, quos sequitur Tamb. l. 1. *Exped. conf.* c. 3. Vid. Dian. p. 9. t. 9. r. 31. Unde peccat graviter, qui etiam sola venialia vel sola mortalia alias confessa sine omni formali dolore confitetur; quia non ponit materiam sacramenti et saltem periculo sacrilegii se exponit. Ita Card. de Lugo d. 14. s. 8. etc. comm. Vid. Dian. p. 3. t. 4. r. 116. Bon. d. 5. q. 3. s. 1. p. 3. Non tamen est necesse, ut dolor se extendat ad omnia venialia, quorum sibi poenitens est conscius. Sà, Laym. Lugo. Imo notat Tamb. l. c. satis esse de uno veniali dolere formaliter, etsi plurium sis conscius, de quibus nec propositum emendandi habeas, sive ea confitearis sive non.

34. Agit A. secundo loco de attritione existimata. Primo nihil huc spectat Prop. 15. ex proscriptis ab Alexandro VIII., quae est huiusmodi: « Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine

dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis »: quae doctrina fuit quorundam Belgarum iansenizantium et deducta est ex placitis Lutheranis. Quid enim commune habet cum doctrina huius Resolutionis, quae negat sufficientiam attritionis mere existimatae?

Male ergo Patavinus annotator addidit heic hoc esse contra istam propositionem: sed forte perperam haec notula huc translata est; cum minus incommode congrueret *Responsioni*, in qua asseritur sufficientia attritionis.

Ceterum doctrinam, quam heic Auctor reiicit, nempe ad recipiendam in sacramento remissionem peccatorum sufficere, si quis se sufficienter attritum existimet, licet reipsa sufficientem ex parte doloris aut propositi dispositionem non habeat, hanc inquam doctrinam tenuerunt DD. quidam veteres iique non pauci nec infimi subsellii, dummodo poenitens id inculpabiliter ignoraret.

Quod vero dignissimum est animadversione, hanc doctrinam praeter alios professi sunt Theologi quoque, qui Concilio Tridentino interfuere, cuiusmodi sunt Melchior Canus, Andreas Vega et Dominicus Soto et post Concilium Tridentinum, Cardinalis Toletus et quidem in opere, quod Romae ann. 1601. et 1608. impressum est sub Clemente VIII. et Paulo V. Pontificibus.

35. Veterum autem doctrina innitebatur huic principio, quod sacramentum vim suam exerat, quoties homo obicem non ponat; hunc autem obicem non poni ab eo, qui bona fide se putet satis dispositum, licet aliter reipsa sit.

Ita Franciscus Victoria (Relect. I. *de Potestate Ecclesiae* n. 6.): « Veritas autem sic habet, quod ad remissionem peccatorum Deus in Ecclesia duo remedia efficacia reliquit, aut poenitentiam aut claves Ecclesiae. Et ita aperte scriptum est: Per claves Ecclesiae remittuntur peccata, sicut per poenitentiam. Satis est ergo, ut quis non ponat obicem clavibus, idest... ut poeniteat de praeterito et proponat in futurum cavere, etiamsi hoc ita faciat, ut non sufficiat ad remissionem peccatorum, sed remaneat in peccato. Haec enim dispositio non requiritur ad remissionem peccati, sed solum ne ponat obicem clavibus ». Hic tamen textus non est peremptorius, quia verificatur hic casus, quando ad sacramentum quis accedat mere attritus, *vere* tamen attritus.

Clarius autem mentem suam aperit n. 10.: « Dico, et sequitur ex dictis, quod omnis ille dolor et solus sufficit ad remissionem peccatorum cum clavibus, de quo peccator existimat, quod sit contritio, idest sufficiens dolor, si non sit aliud impedimentum extrinsecum vel sit tanta negligentia examinandi, ut rediret in naturam omissionis... Sed si bona

fide, facta probabili examinatione, putat, se sufficienter poenituisse quamvis decipiatur, cum poenitentiae sacramento consequitur sine dubio remissionem peccatorum ».

Quinimo indulgentiora haec praemiserat n. 7.: « Quisquis sine complacentia quidem praeteritorum peccatorum, sed etiam sine aliquo dolore, solum cum proposito (in hoc proposito possemus supponere inclusum *virtualiter* dolorem, uti inferius dicetur) cavendi in futurum a peccatis accedat ad sacramentum Poenitentiae, animo recipiendi remissionem peccatorum, quod revera recipiet, nescio, an verum sit; impugnari profecto non vehementer posset ». Ita ille, qui alioquin in sua Schola *Magister Magistrorum* meruit appellari.

36. Andreas Vega *de Iustif.* lib. 13. c. 34. docet, « per sacerdotalem absolutionem primam gratiam conferri, quandocumque peccatores eam (absolutionem) suscipientes, probabiliter existimant, se sufficienter disposuisse ad gratiam neque tamen id fecerunt et semper eos peccare, qui accedunt in peccato absque eiusmodi ignoratione probabili. Et ratio, quae me in hanc sententiam pertrahit, est haec: Sacramenta habent se ex institutione divina in efficienda gratia (quam et Dionysius et Maximus et alii graeci *habitum*, ut Scholastici, vocant), sicut agentia naturalia in producendis suis effectibus circa passa bene disposita et sibi debite propinqua. Ac proinde et causant gratiam in quocumque ipsa suscipiente ei non ponente obicem. Non ponit obicem, qui habet ignorantiam probabilem: ponit vero, qui eam non habet et accedit in peccato ».

Ita praeiacto principio, dein clarius rem sic explicat (ibid.): « Asserimus, quod sive contingat, peccatores in peccato accedere ad sacramentum hoc, quia non dolent de peccatis suis, quantum oporteret, sive quia non dolent de ipsis propter Deum, sive quia non habent cum eo dolore propositum vitandi omnia peccata, si quidem probabiliter putent, se habere quicquid ad suam reparationem necessarium est, consequentur primam gratiam per hoc sacramentum etc. ».

Exinde Vega hanc normam Confessariis tradit (ibid.): « Adniti debent in primis omni vi et ope sua boni confessarii, ut poenitentibus displiceant peccata sua vehementer et potissimum ob Dei offensam et ut proponant, ea in posterum pro sua virili parte cavere. Sed quamvis eos videant non tam perfecte poenitere, si credant eos probabiliter hoc de se ipsis existimare, absolvere eos debent; imo et cum dubio iusto et rationabili non tantum de perfecta eorum poenitentia, sed etiam de probabili eorum ignorantia, ubi illi asserant, se ita dolere et ita proponere vitare peccata, neque in aliqua esse peccati letalis proxima occasione, absolvere eos possunt et debent. Quis enim exacte possit

nosse, quid opus sit, ut ea ignorantia sit probabilis? Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus et, sicut saepe contingit, ipsa absolutione perficiat et augeat poenitentiam eorum? »

37. Eadem principia et easdem conclusiones praefert Melchior Canus. Ita *Relect. de Poenit.* Part. 6. q. 15.: « Et si quaeras, quando ex attrito fiat contritus virtute sacramenti, respondeo, id primum evenire, quocumque attritionis genere homo sit attritus, si existimat sese praestitisse, quod necessarium erat ignoratque invincibiliter, se non habere sufficientem dispositionem; quia is non ponit obicem, sed bona fide accedit ad sacramentum. Sacramentum autem in non ponente obicem suum semper habet effectum. Quo fit, ut omnia sacramenta ex huiusmodi attrito contritum faciant. Quod etiam d. Thomas lucide tradit 3. q. 79. art. 3., et in Comment. super Ioann. cap. XI. in illud: *Solvite eum* ».

Phrasim, *ex attrito fieri contritum*, sic explicat Vega ex communi: « Concedere possumus, attritionem fieri contritionem extrinsece propter superveniens sacramentum; quia ille actus, qui ante ipsius susceptionem erat attritio, *invariatus manens*, dicetur fieri contritio; quoniam ad reparandum lapsum tantum valet cum sacramento, quantum actus, quia ex se et sua perfectione ad id satis esset per Dei misericordiam et intrinsece est contritio ».

Et Canus l. c.: « Sic enim hoc loco intelligi volumus, ex attrito fieri contritum, idest gratiam et iustificationem consequi virtute sacramenti, perinde ac si vere fuisset contritus ». Eadem tradit Sotus, ut videre est in iis, quae inferius ex ipso afferimus: imo dissertius explicat.

38. Porro ut redeamus ad quaestionem, Canus praemiserat duos istos modos doloris imperfecti et non sufficientis: « Primo cum quis habet attritionem conditionatam, idest, quae oritur ex velleitate, qua homo vellet placere Deo et ipsi reconciliari; tunc... recipit verum sacramentum, si tristatur, quia caret dolore ita efficaci et accusat se etiam huius indispositionis. Haec est autem communis attritio meretricum, usurariorum, concubinariorum etc. ».

« Altera quoque attritio est,... quae ex timore infamiae proficiscitur vel cuiusque mali temporalis, ut qui detestatur peccatum et proponit confiteri, ne eiiciatur ab ecclesia, vel ne mulctetur pecunia etc. ».

Addit denique Canus tertium attritionis modum sic l. c.: « Tertio etiam attritio, quae procedit ab amore naturali Dei super omnia, forsitan dispositio est idonea, ut virtute sacramenti baptismi vel poenitentiae gratia conferatur; quia talis etiam attritio tollere videtur complacentiam in peccato et obicem sacramenti... ». Quae quidem

doctrina aliquid commune habere videtur cum indulgentiori illa, quam sup. ex Victoria retulimus: sed est mere hypothetica; quia nunquam deest gratia, qua fiat dolor *supernaturalis*.

Quod vero Canus (ibid.) dicat, cum eiusmodi attritione poenitentem non iustificari in sacramento (licet dicat etiam, sic nihilominus recipi verum sacramentum adeo ut non oporteat iterare confessiones), id adscribendum hypothesi, de qua loquitur, nempe quod poenitens accedat conscius imperfectionis doloris, vel gravis negligentiae.

Nam quod Canus alioquin non loqueretur de sola attritione *per se sufficienti*, ubi superius disserebat *de quocumque genere attritionis*, dummodo adesset *bona fides*, patet ex sequentibus, ubi certam attritionem nominat, qua homini licet accedere ad sacramentum, etiamsi conscius sit, se dumtaxat esse attritum. Ita ille l. c.: « Deinde etiam attritio efficax ex timore poenarum supernaturalium idonea dispositio est ad Sacramentorum baptismi et poenitentiae gratiam percipiendam, ut cum quis detestatur peccata mortalia et propterea confitetur, ne per peccatum excludatur a gloria, vel ne in infernum ignem coniiciatur. Qui etiamsi cognoscat se non habere contritionem, sed solam attritionem, licite accedit ad baptismi et poenitentiae sacramenta suscipienda. Quod sentit d. Thomas etc. ».

39. Doctrinam, quam superius ex Cano retulimus, de attritione *conditionata*, quam nempe quis vellet habere, cernere est etiam penes Navarrum, qui alioquin Manuale suum dicavit Romae an. 1584. Gregorio XIII. Sic enim ille *Manual.* cap. 1. nn. 17. 18.: « Infertur, non esse contritum eum, qui actu aut virtute non est eo animo, ut malit generatim pati quamlibet poenam, quam mortifere peccare aut peccasse... Si (confessarius) intellexerit, eum minime eam (sufficientem peccatorum poenitudinem) habere, laboret, quantum poterit, addere ei animum ad eam habendam et ad malendum in genere perdere alia omnia sua bona, quam Deum, qui est summum bonum eius... Quod si forte non possit eius animum ad tam excelsum contritionis gradum attollere, « contendat eum elevare saltem ad hoc, quod vere ipsum poeniteat, quod talem non habet...; et hoc sufficit, ut sit contritus, vel saltem ita attritus, ut possit absolvi iuxta Paludanum in 4. sent. dist. 17. q. 1. art. 5. Quae conclusio non parum consolationis secum affert et est communis apud s. Thomam et s. Bonaventuram et omnes theologos ». Quae Navarrus repetit et inculcat cap. 10. n. 4.

Neque putes, Navarrum loqui de attritione, quam nos communiter dicimus sufficientem. Nam perpende haec alia cap. 10. n. 4.: « Prudenter etiam (confessarius) consideret, an poenitens debitam contritionem gerat...; et si videtur ei, non habere sufficientem contritionem, cohor-

tetur eum ad maiorem concipiendam illis considerationibus in eodem cap. 1. n. 39. tactis, quae sunt privatio gratiae, mors animae, amissio felicitatis aeternae, recessus a patrocinio divino et accessus ad subiectionem diaboli... Quod si adhuc his omnibus ad dolorem non sufficienter eum moveri consideret, interroget, an doleat, quod non doleat tantum, quantum deberet et an vellet huiusmodi dolorem sufficientem concipere. Quod si annuat, satis erit per supradicta in dicto cap. 1. n. 18.».

40. Quod spectat ad aliud doctrinae caput, quod ex Cano audivimus, de attritione ob mala temporalia, eo sane spectat definitio attritionis, quam Sotus tradit in 4. disp. 5. q. unic. art. 4. in fin.: « Attritio dolor est, propter supplicia, vel alia *temporalia incommoda* ».

Et rursus dist. 6. q. 1. art. 7.: « Supponamus, usque ad locum sacramenti poenitentiae, sic inter se istos dolores differre, quod contritio est dolor propter Deum, seu de offensa Dei: attritio vero dolor propter inferni supplicia aut *propter aliquod temporale detrimentum* ».

Hisce positis distinguit hoc pacto attritionem, quae putetur contritio, ab attritione nota disp. 6. q. 1.: « Et quidem ista attritio dupliciter potest contingere. Uno modo quod sit existimata contritio, ita ut qui illam habet, fallatur, putans se dolere propter Deum: atque altero modo ut sit nota, scil. ut accedens sentiat, se non propter Deum, sed aliam ob causam dolere ».

Addit deinde huic distinctioni conclusionem de sufficientia prioris attritionis, si bona adsit fides. Ita in 4. dist. 12. q. 1. art. 4.: « Et per hoc solvitur aliud dubium, utrum ad legitimam dispositionem (sumendi Eucharistiam) requiratur contritio, quae est dolor propter Deum seu de offensa Dei, an vero sufficiat attritio, quae est dolor propter poenas inferni aut *alias temporales*. Iam enim supra de attritione distinximus, quod una sit existimata contritio, quando scilicet quis fecit diligentiam, quae arbitrio prudentis videtur sufficere et bona fide putat se dolere propter Deum. Et haec sufficere ut homo per sacramentum fiat ex attrito contritus ».

Quod idem statuit quoad sacramentum Poenitentiae. In 4. dist. 17. q. 2. art. 5. Nam cum *primam differentiam* inter contritionem et attritionem sumpsisset ex *parte obiecti*, « quod contritio (inquit) est dolor de offensa Dei..., attritio vere dolor peccati ob timorem inferni aut aliorum *nocumentorum temporalium* »; deinde ponit sic secundam conclusionem: « Attritio, quae id habet *ex obiecto*, potest fieri extrinsece contritio, ut dum quis ad sacramentum accedit attritus, putans se esse contritum, tunc per sacramentum suscipit gratiam, per quam eadem attritio informata dicitur *extrinsece* contritio ». Cur dicat *extrinsece* contritio, reddit, sic (ibid.) rationem: « Sunt, qui dicant, virtute sacra-

menti illam attritionem *mutare obiectum*, ut fiat peccati, quatenus est offensa. Sed hoc est inopinabile: nam sacramentum non constituit actui voluntatis aliud obiectum etc. ».

Porro sequitur ex his, eum qui doleat ob *timorem nocumentorum temporalium*, si bona fide putet se contritum, in sacramento gratiam consequi.

41. Easdem prope doctrinas reperis apud Toletum. Etenim lib. 3. cap. 4. n. 4. cum primum attritionis modum *ex obiecto* definivisset, quando aliquis detestatur, « aut quia est quoddam malum animam foedans et deturpans faciensque servam diaboli, aut quia ei debetur poena aeterna, aut quia ex eo sequutum est *malum aliquod temporale* »; deinde n. 5. de ea subdit: « Prima attritio, *si talis sit* (nota conditionalem), UT COGNOSCAT POENITENS, se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est *alicuius mali temporalis* causa, quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit etc. ». In quibus repetit doctrinam sup. allatam Soti.

Secundam dein attritionem definit ex parte modi ibid. n. 4., « cum quis detestatur peccatum, ut Dei quaedam offensa est, sed non detestatur supra omne detestabile: non enim mallet, quodcumque malum subiisse, quam peccasse ». Et de hac ita dein n. 5. scribit: « Secunda attritio alia indiget distinctione. Aut enim poenitens cognoscit, se non detestari peccatum supra omne detestabile et tunc talis est insufficiens, sicut prior: aut non cognoscit id, quamvis vere non sit supra omne detestabile; tunc talis dicitur attritio putata contritio; et sufficit, ut praeceptum quis impleat et gratiam ex ipso consequatur ».

Deinde quartam attritionem n. 4. sic describit: « cum quis desiderat habere contritionem de peccato et detestari supra omnia, quamvis vere non habeat veram contritionem ». De qua dein n. 5. definit: « Quarta sufficeret ad gratiam in sacramento recipiendam, si poenitenti non constaret, se non esse vere contritum; cum vero constat, insufficiens est etc. ».

Denique notanda sunt quae de *existimata attritione* habet cap. 10. eiusd. lib. 3. n. 5.: « Cum aliquis existimat se sufficienter dispositum (quamvis non vere sit, imo quamvis sit taliter dispositus, quod non consequetur gratiam ex absolutione, imo peccabit accedendo), si tamen ipse putet, illam attritionem sufficientem esse, confessio non est iteranda, ut tenet Soto loco allegato. Sed cum illi constiterit, male accessisse, quia dolebat de peccato et habebat propositum, sed imperfecte et insufficienter, tunc sufficiet hoc confiteri; sed non est opus peccata rursus exprimere ». In quibus non dicit gratiam obtineri, sed solum, non esse opus, ut confessio iteretur. Lugo tamen putat, ex mente

Toleti eiusmodi confessionem esse validam, licet informem. Vid. infr. n. 109.

Ex dictis diiudicari potest de opinione, quae statuit, actus poenitentis esse materiam presso sensu acceptam et partem essentialem sacramenti, idque propugnat quasi statutum in Concilio Tridentino. Nam si reipsa veri nominis materia et pars essentialis sacramenti censeri debet dolor ille ac detestatio peccati, qui communiter habetur ceu sufficiens dispositio, idque colligi debet ex decretis Concilii Tridentini; quomodo enimvero hoc illi ignorarunt, qui praesentes Concilio interfuerunt, imo et concinnandis illis decretis operam suam adhibuerunt? Quomodo excepissent aequo animo hasce doctrinas tum alii Theologi, qui interfuerunt Synodo, tum Episcopi qui decreta sanxerunt? Quomodo haec Romae prodire et quidem pluries in libro Toleti pacifice potuerunt?

42. Quod attinet ad praxim, quaerere in praesens omittemus, an ex hisce principiis repetendum sit, quod apud veteres illos Doctores nulla occurrat mentio absolutionis *necessario* negandae aut differendae, quando de recidivis aut consuetudinariis agebant.

Sed illud potius considerandum, quod cum rudioribus non raro usuvenit. Si enim quidam accedant, de quibus vix definire coniiciendo possis, an rite intelligant ea, quae ad sufficientem dispositionem praestare opus est, profecto suboriri merito dubium prudens continget, non modo an isti rite sint dispositi quoad praesentem confessionem, sed etiam an id evenerit quoad praeteritas. Porro saepissime neque est in potestate confessarii, ut miserrimis illis tunc medeatur *radicitus* neque rursus proficiet quidpiam, si eos sine sacramentis dimittat. Haec autem sunt sane illa adiuncta, in quibus Confessarius hoc unice consequi poterit, ut scitando certior fiat, an poenitens sincere et bona fide semper fecerit quantum in se erat; tum ut etiamnum ad dolorem de peccatis universalem pro viribus illum excitet et sic necessitati animae illius provideat.

Filliuccius tract. 7. cap. 6. cum dixisset n. 150. duplicem esse sententiam DD., quorum alii censent sufficere attritionem existimatam, alii requiri veram, subdit ibid. n. 151.: « Resp. et dico primo, *probabile esse*, dolorem existimatum sufficere, modo oriatur ex ignorantia inculpabili. Primo constat auctoritate Doctorum primae sententiae; secundo ratione: quia non sunt obligandi fideles ad iterandas confessiones, ubi non constet evidenter de tali obligatione. At si non sufficeret existimata contritio vel attritio ex ignorantia invincibili, talis confessio, utpote nulla, iteranda esset; cum tamen sententia, quae fertur super allegata et probata bona fide, valida sit et qui ita confitetur humano modo implet praeceptum; facit enim confessionem cum existimatione

probabili attritionis: quae existimatio si non sufficeret, nunquam possent conscientiae esse securae de confessione facta ».

43. Ceterum ne apud recentissimos quidem Doctores penitus exolevit praemissae doctrinae praxis.

Nota enim est sententia Scholae, quae docet, Poenitentiae sacramentum aliquando dari validum, sed informe, idest sine effectu gratiae sanctificantis. Hanc (inquit Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 68.) docet s. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 4. 1. et Thomistae communiter, Capreolus, Paludanus, Caietanus, Soto, Cano, Ledesma, Sylvester, Richardus, quos affert Suarez *de Poenit.* disp. 20. sect. 5., qui eandem ex parte sequitur; et hanc etiam amplectuntur communiter recentiores Thomistae et Henriquez lib. 2. *de Poenit.* cap. II. §. 3. Card. Toletus lib. 3. c. 10. §. *Tertius casus*, et alii, quos refert et sequitur Diana tom. 1. tr. 3. Miscell. ref. 31.; qui omnes consequenter docent talem confessionem validam, non esse postea repetendam: sed solum explicandum in alia confessione defectum illum prioris confessionis, si fuit graviter culpabilis.

Porro inter casus, in quibus consentit et Lugo disp. 14. n. 74. cum Suarez, dari confessionem validam sed informem, ille est, « quo aliquis qui commisit duplex peccatum mortale, v. gr. alterum furti, alterum odii, confitetur peccatum furti de ipsoque dolet propter specialem turpitudinem et foeditatem furti, de peccato autem odii non dolet nec confitetur, quia illud invincibiliter est oblitus: in quo casu cum homo apponat materiam scil. confessionem formaliter integram et dolorem efficacem cum proposito absoluto, nihil videtur deesse ad hoc, ut adveniente absolutione fiat verum et validum sacramentum et tamen non confertur gratia, quia datur obex peccati odii non retractati per dolorem aliquem formaliter vel virtualiter etc. ».

Alium casum proponit ac probat Lugo disp. 14. n. 89. de homine qui ex ignorantia invincibili crederet, non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen esset dolor de aliquo. « Consequenter ad illam doctrinam (inquit) concedendum, quod tunc fierent sacramentum validum et informe, quia memoria illius peccati per accidens se haberet ad obligationem doloris de illo, supposita ignorantia invincibili de obligatione talis doloris. Atque ita ipse Suarez disp. 20. sect. 5. n. 26. consequenter docet, sacramentum fore validum et informe, si aliquis per inadvertentiam inculpabilem doleat solum de uno peccato et non de alio etiam mortali, quod confitetur, eadem autem est ratio in nostro casu, quando scienter non dolet propter ignorantiam de obligatione doloris. In utroque autem casu oportebit repetere postea illa peccata quae sine dolore confessus est, perinde ac si non fuissent in confessione explicata ».

44. Validam ergo, licet informem, admittunt confessionem, saltem quando poenitens inculpabiliter omittit vel confessionem simul et dolorem alicuius peccati, vel saltem alicuius peccati dolorem. Et si supponatur, poenitentem aliquando id animadvertere, utique dicunt, eum obligari ad eliciendum dolorem et peccatum (quod tacuerat), clavibus subiiciendum. Sin vero ea de re cogitatio amplius non subeat, communis doctrina est et esse debet, quoad confessionem quidem id contingere, quod communiter sentiunt omnes de peccatis oblitis indirecte scil. remitti; quoad dolorem vero, suppleri eum, quandocumque quis de peccatis doleat ex motivo universali. Et ad validitatem huius confessionis, utut informis, ipsi quoque utuntur generali illo effato, quod sacramenta vim suam habent, quoties obicem non inveniunt, ut innuit Lugo disp. 14. n. 98. prop. fin. Quam doctrinam s. Alphonsus n. 444. *probabiliorem* dicit.

S. Alph. lib. 6. n. 87. admittit doctrinam Lugo aliorumque, et in hoc sacramento contingere, ut recedente fictione sacramentum illud validum operetur effectum suum. Vid. Lugo disp. 14. nn. 100.-102.

Suarez autem disp. 20. sect. 5. n. 15. confirmat, fictionem quidem ex mero defectu doloris removeri per contritionem aut etiam attritionem; per confessionem vero, si agatur de fictione etiam in confessione scilicet de secundo casu proposito a Lugo n. 43.

Ergo ad summum intercedet inter utramque sententiam hoc discrimen, quod veteres obicem nullum adesse putarent, quando poenitens bona fide accedebat et in hoc consentiunt etiam recentiores: sed veteres non necessariam essentialiter putarunt illam contritionem seu dolorem quem modo dicimus sufficientem dispositionem; contra autem recentiores ex praeconcepta opinione de dolore ceu essentiali materia seu parte sacramenti, necessarium ipsum dicunt essentialiter, ut saepius repetit Lugo disp. 14. nn. 66. 70. 90. 94. etc.

45. Veruntamen cohaerens sibi magis veterum doctrina videtur, quam recentiorum.

Et sane tum ex doctrina catholica, tum ex decretis Tridentinis aeque pars sacramenti, aeque materia seu quasi materia dicuntur contritio et confessio (ut modo nihil dicamus de satisfactione) et pari modo Concilium Tridentinum docet et tradit, cuiusmodi esse debeat tum *contritio* tum *confessio*.

Porro ex Concilii Tridentini doctrina habita ratione divinae institutionis huius sacramenti, confessio debet esse *integra* et extendi etiam ad circumstantias *speciem mutantes*.

Quid est ergo, quod recentiores putant, huic praecepto ac simul parti essentiali fieri satis, quando sit integra formaliter, ut aiunt,

reipsa tamen desint conditiones, quas divina institutio, a Tridentino exposita, exigit? Quid est, quod dicunt, sufficere *aliquam* seu *aliqualem* confessionem, dummodo non desit bona fides ac proinde admittunt inculpabilem defectum non modo ratione impotentiae, sed etiam ratione ignorantiae, imo non modo inculpabilem, sed etiam nihil obstantem effectui et efficaciae sacramenti? Ergo concedunt plane etiam in parte, quam dicunt essentialem, atque insuper essentialem materiam, valori et efficaciae sacramenti non obesse, si citra culpam non serventur ea, quae alioquin ex Concilio Tridentino, ut volunt, eiusmodi partem constituunt.

Veteres porro Theologi id ipsum quoad alteram quoque partem, nempe dolorem admiserunt et hoc abnuunt ac respuunt recentiores. At cur?

46. Ad summum dicere quispiam posset, confessionem non postulari ex natura rei, sed ex praecepto positivo; contra vero, animi motum seu conversionem cordis ad Deum requiri ex rei natura (a).

At enim cur in hac quoque parte defici non poterit ab ea mensura,

---

(a) Doctrina haec de sufficientia attritionis existimatae, quae quibusdam Theologis arrisit, antiquata videtur et apud non paucos haud bene audit atque, ut equidem censeo, non immerito. Nam vera poenitentia certe postulatur; hoc enim sacramentum est *sacramentum Poenitentiae*, ita ut et in recto *Poenitentia* appelletur: absque poenitentia ergo sacramentum nec digne suscipi nec confici potest, porro poenitentia non est sola voluntas non peccandi in futurum, quae perinde est ac vitae mutatio seu nova vita (prop. 7. Lutheri): sed est dolor et detestatio peccati admissi eaque talis, ut voluntatem peccandi excludat: haec est necessaria ad Deum conversio, sine qua fieri nequit (in hoc saltem praesenti ordine Providentiae), ut cum Deo reconciliemur. Trid. Syn. sess. 14. c. 6.

Iam vero attritio existimata non est attritio vera ideoque nec vera poenitentia atque illa sola exsistente non habetur ille motus contritionis, quem quovis tempore necessarium fuisse ad veniam impetrandam affirmat Trid. Syn. l. c. nimirum dolor et detestatio peccati, voluntatem peccandi excludens. Sane hic dolor, nisi verus sit, nullus est et si necessarius est reconciliationi cum Deo: qui obtineri potest reconciliatio sine illo? Illa attritio utique ratio esse poterit, cur quis, cum ea sola accedens, non pecćt atque non advertat ideoque nec subeat obligationem repetendae confessionis: sed ne credatur sufficiens pro reconciliatione cum Deo obtinenda in sacramento, obstat doctrina Tridentini exigens saltem attritionem et idcirco veram attritionem, cuiusmodi non est *attritio existimata*; istud enim additum *existimata* est diminutivum atque ita, ut abstrahat subiectum (attritio) a genere attritionis et in aliud prorsus transferat, h. e. speciem seu apparentiam eius. Nec dicere licet, obicem auferri per attritionem existimatam; nam id perinde est ac dicere, eam esse sufficientem dispositionem (per hanc enim obex aufertur), quod quidem esset probandum et nos negamus. Quamvis autem videatur exclusa voluntas peccati, iam monuimus, non satis esse nolle amplius peccare: sed requiritur conversio ad Deum per dolorem et detestationem peccati, qua voluntas peccandi excludatur, ita ut exclusio voluntatis peccandi oriri debeat a dolore et detestatione peccati.

Haec nobis videtur clara nimis ratiocinatio, deducta ex iis, quae Trid. Syn. docet: illa proinde nos magis movet, quam contraria auctoritas quorumdam, qui Concilio interfuerint, a quibus nemo nos cogit interpretationem decretorum Synodi flagitare.

Quae heic breviter, ob amorem veritatis, adnotamus, valent in utraque hypothesi, sive contritio dicatur pars intrinseca sacramenti sive solum requisita dispositio: non ergo est, cur nunc traducatur in medium sententia affirmans, contritionem esse partem essentialem sacramenti. Cf. quae dedimus in tract. *de Poenitentia* in Parergo post Thesim 32m. — E.

quam Concilium describit? Conversionem aliquam ac dispositionem, qua obex tolleretur, etiam veteres necessariam duxerunt, exigentes, ut homo hanc conversionem in se excitare curet studiose et ex sincero corde. Attamen hanc sollicitudinem putarunt coniungi posse cum defectu, qui inculpabiliter ignoretur (uti Lugo disp. 14. n. 78. fatetur saepe manifeste contingere in multis rusticis et pueris) atque adeo posse quempiam se existimare satis conversum ad Deum, cum tamen conversus satis satisque dispositus non sit. Et in hoc casu non informe et effectu carens, sed validum et cum gratiae infusione coniunctum dixerunt sacramentum, quippe quod obicem non inveniret. Est ne alia ratio, cur recentiores id non admittant, praeter praeiudicatam illam opinionem de materia essentiali huius sacramenti? ut et Auctor noster habet.

47. Pergamus in iis declarandis, quae in hac ipsa Resol. 2ª habet A. Auctor, ubi dicit, non sufficere desiderium absolutionis etc., quaestionem reipsa tangit de dolore, utrum requiratur *formalis*, an vero sufficere possit *virtualis*. Et ipse quidem etiam in *Responsione* tenet, requiri *formalem*, uti docet etiam s. Alph. n. 449., dicens *communiter* id Doctores tenere: « In sacramento requiritur omnino dolor formalis, nec sufficit virtualis, ut communiter docent Doctores cum Roncaglia, Concina, Croix, contra paucos »; sed hic quaestionem tangit solum ex parte, scil. quoad dolorem venialium: at eam tangere oportet etiam quoad mortalia, ad quae sane spectat ac se extendit *Responsio* Auctoris.

Quod ergo spectat ad dolorem mortalium, quamquam vera sit thesis Suarez *de Poenit.* disp. 9. sect. 1. n. 1.: « Poenitentia *per se loquendo* necessaria est secundum proprium et *formalem* actum doloris seu detestationis ad consequendam remissionem peccati mortalis »; tamen aliam ipse thesim mox addit ibid. n. 6., qua etiam ratio redditur, cur dixerit in priori *per se loquendo*: « Aliquando potest remissio peccati mortalis obtineri sine formali actu poenitentiae ». Et duplicem casum memorat, scil. 1° martyrii, 2° oblivionis, vel etiam, ibid. n. 7., naturalis inconsiderationis quoad peccata, in eo, qui eliciat actum caritatis. « Ratio inquit n. 10., quia actus caritatis est perfecta conversio animae ad Deum et *virtute* continet poenitentiam et aversionem a peccato et propositum placendi Deo in omnibus ».

Et eadem habes apud Lugo *de Poenit.* disp. 4. n. 43., ubi docet « dari posse actum amoris Dei sine contritione formali; cum homo possit non recordari tunc alicuius peccati, quod debeat detestari. Tunc ergo dicendum videtur cum communi, sufficere illum actum perfectae dilectionis ad iustificationem sine detestatione formali...; quia dilectio licet non

sit formaliter contritio, *est tamen virtualiter et aequivalenter,* quod sufficit ».

Imo ibid. n. 94., non probat universim Suarez limitationem, quasi id contingat solum, cum intercedit oblivio vel inconsideratio peccati. Nam ut inquit ibid. n. 95., potest id contingere etiam cum adest memoria peccati, si nempe tunc non appareat necessitas poenitentiam habendi ad finem caritatis, imo nec ad salutem: non enim est ultimum instans vitae, in quo urgeat praeceptum procurandi iustificationem aut utcumque praeceptum poenitentiae.

Quoad factum nihilominus Lugo ibid. disp. 4. n. 96. concedit, sponte duos illos actus coniungi. « Cum hoc tamen stat, quod communiter ex dilectione actuali Dei et memoria peccatorum oriatur statim poenitentia et dolor de illis: non quia apprehendantur ii actus necessarii ad expulsionem peccati habitualis, sed quia ex amore alicuius obiecti statim oritur odium contrarii ».

48. At dubium superest, num *virtualis haec contritio* vim iustificandi habeat tantummodo extra sacramentum, an vero sit dispositio sufficiens ad suscipiendum sacramentum poenitentiae.

S. Alphonsus n. 449. negat, pro sacramento eam sufficere atque allegat Roncaglia *de Sacram.* q. 2. cap. 2. §. 2., Concina (cuius minima est auctoritas) et Croix lib. 6. p. 2. n. 682., qui auctor dici debet confusionis huc etiam inductae.

Dixi Croix *auctorem confusionis;* nam quaestionem quidem ponit de sufficientia contritionis contentae in actu caritatis lib. 6. part. 2. n. 666., sed deinde contra sententiam, quae tenet illius doloris sufficientiam, promit v. gr. Tannerum *de Poenit.* q. 6. n. 73., qui thesim suam de necessitate doloris formalis opponit dicentibus, nullam requiri poenitentiam et sufficere voluntatem suscipiendi sacramentum: promit Suarez et Vasquez, quasi alter *de Poenit.* disp. 20. sect. 1. n. 2., *temerariam,* alter in 3. part. q. 92. art. 1. dub. 1. n. 2. *erroneam* dixerim eam sententiam et tamen uterque ibi tractat *de iis, qui nullum dolorem necessarium dicunt.* Promit et Amicum *de Poenit.* disp. 12. n. 2., qui praeterquam quod explicari imo posset pro opposita, insuper cum huic opponat praemissam censuram Vasquez, incertum est, num hanc quaestionem an aliam ibi verset.

Eo autem minus excusatione dignus videtur Croix, quatenus deinde promit de hac re opinionem Illsung, apud quem legere potuit haec verba tract. 6. disp. n. 34.: « Vasquez autem et nonnulli alii Doctores non satis explicant mentem suam, dum *solummodo eos impugnant,* qui *neque virtualem* dolorem requirebant et contra hos utique clare etiam pugnat Tridentinum etc. ». Quibus moneri poterat, ne Doctorum nomina temere congereret in veritatis detrimentum.

Quanquam nec ipse Illsung satis cavit ab hoc lapsu. Etenim mox subiicit, *communiorem* sententiam esse, quod ne *virtualis* quidem *dolor* sufficiat et testes huius rei appellat Suarez disp. 20. sect. 1. n. 2., Tannerum *de Poenit.* quaest. 6. n. 73. et Dicastillum *de Poenit.* disp. 6. n. 4. Atqui Suarez, Tannerus et Dicastillo illis locis impugnant solum eos, qui nullum dolorem, sed solam voluntatem suscipiendi sacramenti exigebant, ergo cum *communem* dixerunt contrariam esse sententiam aut esse *omnium Doctorum et Theologorum*, ut ait Suarez, de alia quaestione id affirmarunt, non vero de insufficentia doloris virtualiter inclusi in actu caritatis.

Exinde huic et falso fundamento innititur, quod eamdem illam opinionem (quod *scil. non sufficiat dolor virtualis*) Tamburini *Meth. Confess.* lib. 1. c. 1. §. 5. n. 12. appellet *communissimam* Theologorum, Platellius vero *de Poenit.* n. 634., et s. Alphonsus n. 449. *communem* et Viva, *de Poenit.* quaest. 3. art. 3. n. 1. *communissimum Theologorum sensum*, licet Croix n. 666. imprudens eum alleget pro sententia opposita.

49. Ut igitur aequius subducamus rationes quoad pondus auctoritatis, oportet ut omittamus modo s. Alphonsum, Roncaglia, Croix, Viva, Platellium, Illsung et Bonacinam *de Sacram.* disp. 5. q. 3. p. 2. n. 6., qui ex errore venerunt in eam opinionem, falso putantes, se communem aut communiorem aut communissimam sententiam sectari ac duos demum tantum habemus reipsa, qui negarunt sufficere virtualem dolorem in actu caritatis inclusum, scil. Henriquez et Suarez.

Et Henriquez quidem, quandam sectans subtilitatem, hoc paradoxum proponit, quod (lib. 4. cap. 19. n. 7.) non sufficiat « detestatio et dolor ex solo motivo caritatis » (ut habet in titulo praefixo capiti 19. ad n. 7.) et illud ita explicat: « Ex universali motivo solius caritatis potest dolere de laesa amicitia cum spe ut reconcilietur Deo. At non est satis idonea dispositio in eo, qui meminit aut meminisse debet sui peccati mortalis; quia quamvis eo dolore recedit aliquo modo a peccato..., sed revera non destruit praesentem statum peccati et aversionem habitualem cum suis effectibus..., nisi... simul assumat sponte dolorem voluntatis seu tristitiam poenalem..., qua intendat... punire in se offensam etc. ».

Quae quidem doctrina prorsus falsa apparet in eo, quod supponat actum caritatis perfectae sine iustificatione consequente, imo caritatem coniungat cum habituali animae aversione a Deo; quas speculationes vidimus ex unanimi DD. consensu reiectas superius a Suarez et Lugo sup. n. 78.: ubi Henriquez forte etiam confundit duas diversas quaestiones, scil. 1° an caritas iustificet, 2° An caritas sit par dispositio ad sacramentum Poenitentiae.

Aliud autem paradoxum in eo habetur, quod supponit detestationem et dolorem peccati sine memoria tamen aut sine odio peccati: quae plane sunt contradictoria.

Inanis autem est speculatio de necessario affectu satisfaciendi Deo; cum enim satisfactio consistat in detestatione et odio peccati, iam in praedicto actu haec habetur et Henriquez videtur confundere satisfactionem cum intentione satisfactionis, seu potius cum actu reflexo attentionis ad ipsum actum satisfactionis. — Seponere ergo licet hunc scriptorem, qui tandem ne tangit quidem nostram quaestionem (a).

50. Suarez autem disp. 20. sect. 6. n. 2. tangit hanc quaestionem non quidem sect. 1. n. 2. aut sect. 4. nn. 1.-3., prouti alii allegant, cum hisce in locis pugnet contra eos, qui nullum nec virtualem dolorem requirant, ubi agit de peccatis venialibus. Ita enim ille: « Nihilominus dicendum, etiam in hac (scil. venialium) confessione esse necessariam attritionem formalem. Quia Conc. Trid. absolute et simpliciter loquitur de hoc sacramento et de partibus eius: ergo quotiescumque fit, requirit essentiales partes, quarum una est attritio, non virtualis tantum, sed formalis, ut aperte constat ex doctrina Concilii. Et quia alias fere idem dici posset de mortalibus; cum extra hoc sacramentum possint interdum per virtualem poenitentiam remitti, ut supra dictum est. Item quia ad veram accusationem necessarius est dolor formalis: est etiam necessaria actualis recogitatio peccatorum, qua posita nulla esse potest moralis excusatio detestationis formalis etc. ». In quibus ex insufficientia virtualis doloris quoad mortalia, arguit ad eandem insufficientiam quoad venialia (b).

(a) Henriquez debuisset forte disputare, an peccator possit iustificari per solum actum amoris absque formali actu poenitentiae, ut quaerit Suarez disp. 4. sect. 1. n. 3. Et in quaestione *de re,* Suarez affirmat; quoad quaestionem vero de *nomine,* an actus ille cum Navarro appellari debeat aut possit contritio, bene Suarez ibid. respondet: « Sicut amor praecise sumptus non est formalis poenitentia, sed dicitur virtualis: ita non est formalis contritio, sed dici poterit virtualis. Dicendum ergo est, contritionem formaliter et essentialiter esse actum poenitentiae, quamvis virtualiter contineri possit in superiori actu, qui non sit poenitentia formalis ».

Directe contra Henriquez sunt quae habet Suarez disp. 4. sect. 2. n. 14.: « Superest igitur alia detestatio peccati, quatenus est contra bonum Dei in se eiusque dissolvit amicitiam. Haec igitur erit propria et per se contritio. Et hanc assertionem intendit s. Thomas ubicumque docet veram displicentiam peccati esse actum elicitum caritatis... loquitur enim de displicentia *remissiva* et *per se expulsiva* peccati in ratione dispositionis ».

(b) Contraria his videri possent ea, quae Suarez ipse habet disp. 12. sect. 1. Namque n. 4. statuit, *sacramenta aliquando tollere peccata venialia ex opere operato;* quam doctrinam ut ipse conciliet cum thesi asserta disp. 11. sect. 3. n. 11., nempe *venialia peccata tolli per solam attritionem,* ex qua fieret, ut si haec attritio requiratur ad sacramentum et ipsa sine sacramento delet peccata, iam *nunquam sacramentum tolleret hoc peccatum,* affirmat disp. 12. sect. 1. n. 9., ad tollendum veniale peccatum cum sacramento non requiri attritionem, sed ad hunc effectum *satis esse, quod accedat sine actuali complacentia peccati venialis et cum voluntate ac desiderio recipiendi sacramentum et effectum eius:* quam

At enim absurdam esse eam opinionem quoad mortalia, evincet sane eodem alio argumento, quod adhibuerat quoad venialia, scil. quia Concilium Tridentinum dum dolorem requirit, intelligi debet de formali.

Verum, uti alias diximus, 1° alius negabit, eam esse partem, ut ipse supponit, essentialem sacramenti. 2° Deinde adversus eum utetur etiam argumento ad hominem. Etenim Suarez eadem sectione sexta n. 5. scribit: « Sequitur, eadem proportione loquendum esse de proposito vitandi peccata. Nam etiam in hac (venialium) confessione requiritur *propter easdem rationes;* quamquam hic regulariter sufficere videatur *virtuale* propositum in absoluta detestatione peccati inclusum: securius autem est illud adhibere, maxime quando de illo cogitatio occurrit; nam si quis ad illud non advertat et bona fide procedat, detestando talia peccata, non est cur de valore talis sacramenti dubitetur ». Ita ille: atqui (reponam) nonne Concilium Tridentinum disserte exigit propositum eadem ratione ac dolorem? Ergo si *virtuale* propositum satisfacit verbis Tridentini, nulla suppetit ratio, cur idem dicendum non sit, ubi agitur de dolore.

Ceterum nemo alius nec Platellius nec Bonacina nec Viva nec Croix aliud argumentum promunt, nisi quod ex Suarez tetigimus.

51. Roncaglia addit *de Poenit.* q. 2. cap. 2. q. 2., quod si unquam obligat praeceptum *formalis* poenitentiae, saltem obligare debet, cum sumendum est hoc sacramentum. Ast alius negabit praeceptum *formalis* poenitentiae: 2° addet, negandam esse consequentiam. Nam v. gr. contritio cadit sub praeceptum, v. gr. quando unicum tunc sit medium iustificationis, cum hanc adipisci teneris. Et tamen non cadit sub praeceptum, cum accedit ad sacramentum Poenitentiae, quia sufficit attritio.

S. Alphonsus n. 449. promit in hanc rem verba s. Augustini Epist. 48.: « Nec quemquam putes, a quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire ».

---

voluntatem cum Soto et Ledesma dicit esse *virtualem retractationem peccati venialis.* Ergo videtur Suarez concedere sufficientiam *doloris virtualis.*

Sed reipsa Suarez non est sibi contrarius. Nam doctrina tradita dist. 12. sect. 1. spectat generatim ad sacramenta; et ut vera sit, satis esset, eam habere locum in reliquis sacramentis. Quoad sacramentum vero Poenitentiae Suarez ibid. n. 4. monet, coniungenda esse ea quae dixerat in praec. disp. XI. Porro in disp. XI. sect. 3. n. 16. casum proponit attritionis, quae sufficiat ad remissionem peccati cum sacramento, non tamen sufficiat sine sacramento, utpote *nimis remissa et confusa per simplicem et universalem motum.* Quae tamen cum sit *formalis,* utut imperfecta, nihil favet doctrinae de sufficientia doloris virtualis. Veruntamen cum Suarez dubiam haberet doctrinam istam de attritione (utut remissa et confusa), quae non sufficeret ad remissionem venialis in homine alioquin gratia donato ibid. n. 17., proinde ibid. n. 18. concludit, nullum esse inconveniens, *peccatum veniale, quando de illo tantum fit confessio, nunquam ita tolli per absolutionem, quin iam sit expulsum per attritionem.* Atque ita patet, Suarez constantem fuisse in doctrina de insufficientia doloris virtualis ad sacramentum Poenitentiae.

Sed haec potius probant sufficientiam *poenitentiae virtualis*. Nam peccatum *parvum* est peccatum veniale. Atqui peccata venialia remitti ex sola displicentia *virtuali*, est communis omnium sententia cum s. Thoma 3. q. 87. art. 1.: ubi quaerit, utrum peccatum veniale possit remitti sine poenitentia et respondet: « Exigitur ad remissionem peccati mortalis perfectior poenitentia, ut sc. homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat etc. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quae habetur per habitum caritatis; quia sic caritas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur, quod requiratur quaedam *displicentia virtualis:* puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quicquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitet; quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem ».

52. Pro sententia, quae affirmat sufficere virtualem dolorem inclusum in actu caritatis, Croix n. 666. allegat *Sylvestrum*, *Rosellam*, *Vivam et alios*. Quae non satis accurate. Nam Viva (sup. n. 81.) certat pro contraria: Sylvester vero V. *Confessio* I. q. 26. et Rosella V. *Confessio* §. 4., quibus Viva *de Poenit.* l. 3. art. 3. n. 1. immerito addit Sotum et Navarrum et alii Angelum V. *Confessio* n. 27., quaestionem faciunt de mero desiderio confessionis, non autem de dolore incluso in motu caritatis. Hos igitur dimittamus. Pro sententia itaque, quae defendit sufficientiam illius doloris virtualis, Illsung *de Poenit.* q. 3. n. 34. allegat Lugo.

Et reipsa Lugo disp. 14. n. 55. primo quidem sic exponit, quomodo haberi dolor virtualis possit: « Conveniunt quidem (dolor et propositum) in hoc, quod sicut dolor ex efficaci et universali odio peccati et offensae divinae includit virtualiter propositum circa futura, sic etiam propositum non peccandi ortum ex efficaci et absoluto odio peccati, eo ipso continet implicite detestationem peccati praeteriti. Unde *qui diligit Deum super omnia actu efficaci et ex hoc motivo proponit firmissime custodire eius mandata, eo ipso dicitur communiter habere contritionem virtualem;* quia in eo actu continetur implicite detestatio peccati praeteriti, licet homo non recordetur nec putet se peccasse et offendisse Deum. Ergo similiter qui ex metu inferni concipit odium peccati et proponit efficaciter vitare omnia peccata, eo quod displiceat illi super omnia quodcumque peccatum exclusivum a Regno Coelorum et inductivum damnationis aeternae; iam eo ipso continet implicitam

detestationem peccati praeteriti, in quo tota illa ratio odibilitatis reperitur ».

Postquam autem etiam in proposito, quod actui caritatis inest, Lugo statuit haberi virtualem contritionem, mens eius apertissime se prodit in his, quae subiicit n. 56.: « Hinc ergo est, quod Concilium merito ad contritionem requirat non solam mutationem vitae et propositum vitae novae, sed odium veteris, *sive hoc includatur implicite in actu proposití efficacis propter talem modum tendendi in obiectum formale, sive sit alius actus diversus* ». Consentit his Ripalda infr. n. 91.

Et utique verissime dixit Lugo ibid. n. 56.: « Differunt tamen adhuc quoad hoc actus detestationis et actus propositi, quod detestatio efficax et dolor de peccato praeterito *magis necessario* includit propositum implicitum, quam e contra »: quod dein evolvit et exemplis illustrat. « Sic senex impeditus facile proponit castam ducere vitam in futurum, licet non displiceat illi lascivia suae iuventutis nec contradicit sibi, dicendo, *placet mihi quod feci,* sed nullo modo volo iterum id facere; sufficit semel fecisse ». Lugo l. c.

At hoc non contingit in casu nostro, quando eadem est ratio proponendi futurum et detestandi praeteritum.

Hinc idem Lugo disp. 4. n. 97. ubi memorat, etiam Suarez concedere, aliquando sufficere propositum virtuale, quod includitur in detestatione peccati commissi propter motivum universale, subdit comparationem cum dolore, qui in dilectione Dei includitur. « Nam qui dolet de peccatis commissis propter Deum, virtualiter vult ea non committere; quod eodem modo probatur, quo detestationem virtualiter inclusam in amore sufficere ».

Et reipsa cur dicant sufficere virtuale propositum, negent autem sufficere virtualem dolorem, nulla redditur ratio, sive habeatur prae oculis doctrina Synodi Trid., quae de utroque simili modo loquitur, sive rei natura inspiciatur.

53. Alter, quem pro eadem sententia allegat l. c. Illsung, est Martinus De Esparza; qui aliam habet utilitatem, indicandi nempe, quomodo et alii DD. pro eadem sententia stent, licet pro opposita allegari soleant.

Esparza itaque lib. 10. q. 88. art. 4. haec scribit pro ea doctrina: « Necesse igitur est, ut odio habeat peccatum et iniquitatem, a qua recedit utque amet gratiam et iustitiam, ad quam accedit et consequenter etiam observantiam legis... Verum si contingere aliquo modo posset, ut poenitens conciperet contritionem seu dilectionem Dei absque dolore formali de peccatis commissis aut absque formali proposito non peccandi de cetero; consequeretur procul dubio verum effectum

Sacramenti, non obstante defectu formali eiusmodi motuum animi, ex vi solius dilectionis... quia perfectae dilectioni Dei utcumque conceptae repromittitur saepe remissio peccatorum etiam extra sacramentum ». Ad excludendam dubitationem, an fortasse loquatur de dilectione extra sacramentum, adverte,quod Auctor ibid. art. 1. dicit, velle se de his agere, *conferendo illos actus cum sacramento Poenitentiae.*

Adverte porro illa verba Esparzae: « Si contingere aliquo modo posset, ut poenitens conciperet contritionem seu dilectionem Dei absque dolore formali de peccatis etc. ». Quorum ipse art. 5. hanc rationem reddit: « Dictum est autem conditionaliter, si *contingere aliquo modo posset* etc. Quia absolute contingere nequit, ut quis actualiter ac formaliter cogitet de peccatis utque simul afficiatur formaliter ad motivum illis contrarium, quin ea odio habeat actualiter et formaliter...; necesse vero est, ut qui suscipit sacramentum Poenitentiae, cogitet actualiter et formaliter de peccatis, utpote actualiter exponendis Confessori... Necesse igitur est, ut saltem dolorem et odium de peccatis concipiat formaliter et explicite, quicumque accedit rite ad sacramentum Poenitentiae ».

In quibus Auctor necessitatem doloris formalis repetit non ex natura rei, quae ita exigat, sed ex facti circumstantiis, quae necessario poenitentem huiusmodi in eam cogitationem atque adeo affectum adducunt.

54. Neque aliter P. Franciscus Amici *de Poenit.* disp. 12. n. 2., qui alioquin pro contraria sententia allegatur a Croix n. 666., dicit utique requiri dolorem formalem; sed mox subdit, Concilium Trident. explicari non posse *de virtuali*, nisi cum peccata menti non occurrunt; atqui (inquit) *in confessione necessaria est memoria peccatorum.* — Ex quibus patet, eum repetere necessitatem formalis doloris non ex Concilii doctrina, sed ex nativa inseparabilitate actuum in confessione.

Quin et ipse Illsung *de Poenit.* q. 3. n. 34., licet defendat necessitatem doloris formalis etiam ex Concilio Tridentino; tamen cum sibi obiecisset illa Concilii verba sess. 14. cap. 4.: « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius »: ex quibus colligitur, non agi de formali contritione, quia sine sacramenti institutione certe sufficiebat contritio virtualis; respondere cogitur iuxta doctrinam Esparzae, nimirum: « Concilium loquitur ibi de dolore procedente ex cognitione peccati commissi; iste autem dolor semper fuit et est dolor formalis, *nec potest ex tali cognitione* procedere mere virtualis. Talem itaque Tridentinum requirit dolorem ad sacramentum, qualis semper fuit necessarius recordanti peccati commissi ». — In quibus ex concomitantia actuum deducit, Tridentinum loqui de formali et non viceversa.

21903

Exinde Aegidius Coninck disp. 4. n. 39. licet necessitatem doloris formalis asserat etiam ex Synod. Tridentina; quia contritio dicitur pars et materia sacramenti (quae ratio ex alibi dictis parum valet); mox tamen et ipse recurrit ad actuum concomitantiam; « quia inquit) ut dixi disp. 2. n. 51. 52. in memore suorum peccatorum qualis est necessario qui vult confiteri, non potest esse poenitentia virtualis, nisi sit simul formalis ».

Quam necessariam concomitantiam egregie sic idem Coninck exponit disp. 2. n. 52.; « Actus verae caritatis eminenter continet omnem vim et bonitatem contritionis. Qui enim perfecte Deum super omnia amat perfecte omnino ad eum conversus est et virtualiter ab omni peccato mortali omnino aversus est: ita ut implicet, eum ita amare Deum et simul affici erga peccatum mortale. Imo si hoc ei occurreret, statim incitaretur ad eius formalem detestationem et dolorem *idque quodammodo necessario* ». Et rursus ibid. n. 52.: « Immemor sui peccati potest elicere actum caritatis sine formali contritione. Secus autem est de memore sui peccati; quia hic efficaciter impellitur ad eiusdem detestationem, *cui impulsui nequit resistere, nisi desistendo ab amore* ».

55. Lugo affirmanti sup. n. 87., Synodum Trid. exigere dolorem ac propositum sive formalia, sive virtualia, accedit Ripalda, qui (*de Ente supern.* disp. ult. n. 473.) ad obiectionem, quod Deus exigat ad iustificationem amorem sui et detestationem peccati, respondet: « Id intelligendum de amore et detestatione formali aut aequivalenti; *ut etiam exigitur a Concilio Tridentino propositum* suscipiendi sacramentum et servandi mandata Dei et *alii actus, qui non formaliter, sed virtualiter desiderantur* ».

Ad obiectionem vero, quod « qui habet conscientiam actualem peccati, non possit diligere Deum absque formali dolore illius » respondet n. 474.: « Si separari non possunt, utriusque exsistentia non erit necessaria propter necessitatem dispositionis animae ad iustificationem, sed propter connexionem unius cum altero ».

Inclusionem autem virtualem alterius actus in altero sic bene expresserat (ibid. n. 472.): « Sufficit (ad iustificationem) dilectio formalis Dei absque formali contritione peccati et contritio formalis peccati absque dilectione distincta Dei. Hoc mihi probatur primo; quia dilectio formalis Dei est aequivalenter formalis detestatio peccati, et formalis detestatio peccati, quia est offensa Dei, est aequivalenter formalis dilectio Dei ».

Locum Navarri, in quo asseritur sufficientia doloris virtualis, vide infr. n. 71.

56. Nunc de virtuali dolore quoad venialia. Auctor dicit, etiam in confessione venialium non sufficere desiderium absolutionis, quod sit sine affectu ad peccatum et addit, id esse contra Tamburinum.

Atqui 1° Tamburini non absolute defendit illam sententiam, sed solum dicit, esse probabilem (*de Confess.* lib. 1. c. 3. n. 1. et 2.); quam in rem plures congerit Auctores,

2° Tamburini non agit de eo qui mere careat affectu ad peccatum, sed de eo, qui habet *dolorem virtualem*, qui scilicet in alio actu includitur. Qui dolor poterit v. gr. includi in efficaci proposito venialia vitandi ob poenas purgatorii vel dilatam caelestem gloriam, iuxta ea, quae disputat Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 55. de proposito peccati vitandi ob poenas inferni. Non sufficere autem dolorem virtualem generatim, vidimus incassum contendi in praecedentibus.

Ergo quaestio fiet, an dolor seu detestatio virtualis adsit in desiderio recipiendi sacramentum et effectum sacramenti, ut ait Tamburini.

Porro (ne indulgeamus subtilitatibus) nonne ille, qui se ab onere liberari desiderat, convincitur detestari onus ac satis de eo tristari ac dolere?

Utque magis res pateat, nonne animum satis affectum ad peccatum diceremus, si quod poenitens agit ad liberandum se a culpa, id ipsum faceret, ut Deum relinqueret et animum maculis contaminaret?

Quinimo in casu dolor et detestatio peccati est causa, cur quis velit ope sacramenti ab eo liberari. Quocirca, re bene perpensa, dolor, qui dicitur eliciendus formaliter, reipsa ut plurimum nihil est aliud, nisi actus reflexus, qui oritur ex dolore et detestatione, quae iam in corde residet. Quem tamen actum reflexum (ut alias diximus agentes de intentione ministri in conferendis sacramentis *de Sacram. in gen.* n. 16.) in aliis rebus non solemus quaerere. Ita v. gr. satis aversari morbum eos dicimus, qui recurrunt ad medicum, licet de morbo detestando (*formaliter* quidam dicerent, nos dicemus *reflexe*) nihil cogitent. Ita verissimum et evidens est illud Psalmi: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, nec tamen actus formalis odii habetur.

Quocirca per calumniam huic sententiae adscribitur, quod nullam displicentiam peccati exigat. Displicentia enim exigitur, iuxta effatum s. Augustini, quod s. Alphonsus refert sup. n. 51.; at hallucinatio in eo est (ut ex textu s. Thomae sup. ibid. patet), quod displicentiam isti non videant, nisi habeatur formalis, ut aiunt, seu potius reflexa.

57. Ait A. peccare graviter qui vel sola venialia sine omni formali dolore confitetur. Particula haec Auctoris (cui s. Alph. consentit n. 449. l. iam cit. n. 73.) nonnihil exaggerat. Nam praeterquam quod utitur argumento infirmo, cum supponit dolorem esse materiam sacramenti

presso sensu, insuper confundit carentiam omnimodam doloris cum carentia doloris *formalis;* cum tamen omissio voluntaria cuiusvis doloris certum reatum ex omnium sententia habeat : carentia vero doloris formalis reatum habeat ex sola quorundam opinione, ut patet ex dictis.

Neque timendum de periculo, quod A. meminit, sacrilegii. Etenim, uti ex dicendis suo loco patebit, poenitens non tenetur sectari tutiora. Insuper haec non tractantur nec valere debent, ut suadeamus, ne dolor eliciatur formaliter; sed ut scrupulos timoratorum sedare facile liceat et ne onus iterandi confessiones bona fide factas ob huiusmodi dubia imponatur.

Et Auctor quidem in eo quoque peccat, quod doctrinae suae vades alleget Lugo disp. 14. sect. 8., Bonacina *de Poenit.* q. 5. sect. 1. punt. 3. Atqui et Lugo l. c. n. 104. et Bonacina l. c. n. 2. de absentia cuiusvis doloris disserunt, non vero de absentia solius *formalis* et Lugo iam vidimus sup. 52. in opposita sententia esse. Idem dicito de Diana, qui Resolutione ab Auctore allegata tractat de eo, qui sine novo dolore confitetur peccata alias confessa et absoluta. Et quidem ibi habet ut probabilem sententiam, quae id probat et addit eam sententiam valere posse pro scrupulosis. Vid. part. 3. tr. 4. resol. 116.

58. Ceterum si sermo sit de omissione cuiusvis doloris, distinguendum est, an poenitens accedat conscius huius defectus necne.

Nam si non conscius sic accedat, sed ex inadvertentia, non valet decisio Auctoris, sed nullum erit peccatum aut etiam leve, si leviter culpabilis dici queat negligentia.

Quando vero accedat conscius defectus doloris, mirum sane est, quod rigorosi illi viri, Genettus, Nat. Alex. Iuvenin apud s. Alph. n. 449. lepide affirmaverint, leviter peccare ; quod levis sit irreverentia frustrare sacramentum in re levi. Merito autem Lugo, ut innuit ibid. s. Alph., disp. 14. n. 109. post allatas ratiunculas cuiusdam recentis Theologi, qui eam defenderat, non dubitat eam opinionem uti *prorsus falsam* appellare ac singulis dein ratiunculis, non exclusa ea quae petitur ex ficto matrimonio (n. 116.), respondet; iniuria enim sacramento illata levis censeri non potest.

59. Affirmat deinde A. opus non esse, ut dolor venialium sit universalis. Fuerunt, qui negarent (ut inquit s. Alph. n. 449. dub. 2.), quod sufficiat in confessione venialium dolere de uno peccato sine alio.

« Sed oppositum (pergit s. Alph. ibid.) est tenendum cum sententia communi » : quam et Auctor habet et sequitur. Ratio, quia venialia non sunt materia necessaria, sed tantum sufficiens. Et hinc sententia Tamburini, quod satis sit de uno ex multis dolere.

Auctor post Tamburini addit verba: *sive ea confitearis sive non.* Sed haec aliquam continent difficultatem. Nam si confiteris sine dolore, subiicis absolutioni materiam (nam sacerdos et ea absolvet), circa quam tamen absolutio frustratur et falsa evadit ob carentiam poenitentiae. Hinc quidam apud Suarez *de Poenit.* disp. 20. sect. 6. n. 6. et 7. hunc damnant peccati mortalis.

Distinguendus igitur cum Suarez l. c. n. 7., duplex modus, quo venialia quis confiteri potest sine vera attritione vel proposito emendationis.

1° Si aperiat Confessario hunc ipsum doloris et propositi defectum et tunc nec ipse sacerdos debet absolvere a tali peccato, nec poenitens, *si prudens sit*, debet illud dicere ut absolvatur nec ut sit materia sacramenti, cum revera esse non possit: potest tamen licite dici vel ob humilitatem vel ob consilium vel ob excitationem ad veram poenitentiam; sed hic modus nihil attinet ad rem presentem.

2° Si venialia, de quibus non dolet, aperiat, sicut cetera, ceu materiam absolutionis. « Et tunc (inquit Suarez) multi putant esse peccatum mortale... Sed licet negari non possit, quin illud sit aliqua culpa, nihilominus non censeo mortalem, quia materia talis culpae levis est; quia defectus illius doloris vel propositi per se et natura sua non est contrarius gratiae et iustificationi, qui est primarius effectus huius sacramenti per formam significatus...: neque etiam impedit remissionem aliorum peccatorum venialium, de quibus vera fit accusatio capax verae absolutionis, non obstante obice alicuius peccati venialis ».

Lugo disp. 14. n. 118. levem esse culpam probat multis exemplis adductis materiae ineptae, quae valide materiae permisceatur in aliis sacramentis. Et concludit: « Ergo nec in casu nostro... erit peccatum mortale. Iam enim apponitur alia materia valida et per consequens forma non frustrabitur nec carebit omni effectu, licet careat aliquo quem posset etiam habere circa illud peccatum, de quo poenitens efficaciter non dolet ».

Veruntamen culpa haec abesse saepe poterit: 1° ob inadvertentiam vel ad defectum doloris vel ad inordinationem: 2° quia raro abest omnino omnis displicentia, licet haec efficax satis non sit: qua in re difficile saepe est vitare deceptionem.

60. Alia difficultas inde oritur, quod dolor et propositum, quod ad valorem sacramenti requiritur, debet esse tale, quod non compatiatur secum voluntatem peccandi, ut colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 4.; quod cum proportione debet verificari in confessione de venialibus, ad quam requiritur detestatio, cum qua non possit simul stare affectus circa eadem peccata, seu voluntas eadem committendi. Quomodo

ergo aderit dolor, qui *ex obiecto suo* non compatiatur secum voluntatem erga eadem peccata, si dolor ac propositum non est universale? Etenim si vere moveor poenis purgatorii ad detestationem venialis, quomodo erit efficax circa unum et non circa aliud?

Porro merito respondet Lugo disp. 14. n. 133. non adesse hanc difficultatem, quando dolor non est ex obiecto universalis de omnibus venialibus, sed de aliquibus, videlicet ea detestando propter specialem eorum malitiam.

Veruntamen etiamsi quis doleat ex motivo universali, doctores docent non una ratione contingere, quod huiusmodi dolor ac propositum possit non esse universale.

Ac 1° quidem quia ille, qui se accusat de multis venialibus potest aliquando intendere accusare se non de singulis seorsim, sed de collectione eorum: sicut, inquit Lugo l. c., cum aliquis religiosus accusat se de relaxatione, quam habet circa regularum observantiam, quod passim eas transgrediatur, non accusat se de singulis transgressionibus seorsim, sed de collectione illa seu de negligentia tali et frequentia transgressionum. Ad hoc autem sufficit dolere de collectione seu de frequentia et proponere vitare talem frequentiam ac negligentiam. Sic sufficiet dolor de multitudine et frequentia venialium ac propositum vitandi illam multitudinem ac frequentiam... dolendo de tanta negligentia et incuria in custodia cordis sui..., absque eo quod doleat de singulis seorsim et proponat circa singula, sed solum corrigere vitam suam et vitare negligentiam illam culpabilem ac frequentiam peccatorum.

Addit Lugo n. 134., tunc remitti posse ad minus frequentiam seu multitudinem, hoc est, peccata illa, in quibus fuit circumstantia illa frequentiae, quam odio quis habet et detestatur. Quamvis ergo priora peccata non remittantur, remitti tamen poterunt posteriora, quae commissa fuerunt cum illa circumstantia frequentiae, quae circumstantia non fuerat in prioribus. Sicut quando aliquis se accusat de longa distractione in oratione et dolet propter longitudinem, qui de breviori distractione fortasse non curaret, tunc ad minus remittitur quoad partem illam, qua coepit iam distractio habere circumstantiam longitudinis.

61. Hanc doctrinam de dolore ob multitudinem ac frequentiam ex aliis quoque DD. refert s. Alphonsus ac studet conciliare cum sententia eorum qui cum Lugo dolorem exigunt etiam circa illa venialia, quae constituunt frequentiam seu multitudinem. « Cum impossibile sit, ait s. Alph. n. 449. dub. 2., dolere de multitudine et non dolere saltem de illis posterioribus culpis, per quas constituitur multitudo; quia

circumstantia haec excessus abstrahi non potest a culpis ipsis; tunc enim in obliquo saltem doleres de culpis, in recto principaliter de excessu ». Quae consona sunt allatae Lugo doctrinae.

Addit s. Alphonsus n. 449. dub. 2.. huic doctrinae videri favere s. Thomam. Quod veritati consonat: haec enim habet s. Thomas 3. q. 87. art. 1. ad 1.: « Poenitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus: sed ad poenitentiam peccatorum venialium, requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus; quia hoc infirmitas humanae naturae non patitur: debet tamen habere propositum *se praeparandi ad peccata venialia minuenda;* alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia ».

62. Circa quam doctrinam multa quidem disputant DD., quaerentes, quomodo propositum, quod versari debet etiam circa collectionem, efficax esse possit cum conscientia impotentiae, ut videre est apud Lugo disp. 14. nn. 130.-140. Propositum differt a dolore in hoc, quod dolor debet se extendere solum ad peccata commissa, non vero ad alia, quae quis non commisit; sed propositum debet extendi ad peccata omnia, etiam quae non commiseris. Atqui vitare omnia venialia dicitur impossibile, ut habet etiam Synodus Tridentina. At forte vitari possunt tot ambages, adhibita illa doctrina, quam Scholae ex s. Augustino depromunt, impossibilitatem nempe vitandi venialia seu impotentiam, de qua et Synodus Tridentina, non antecedentem esse intelligendam, sed consequentem.

Quinimo Lugo disp. 14. n. 141. veriorem habet sententiam eorum, qui putant, posse dari dolorem sufficientem de uno veniali, quin adsit dolor (vel quin sufficiens sit) virtualiter de aliis eiusdem speciei, v. gr. de uno mendacio absque dolore virtuali de aliis mendaciis et absque proposito vitandi omne mendacium.

Ratio, quia reperiri potest aliqua inaequalitas, ratione cuius moveatur quis ad dolorem specialem de illo, v. gr. quia mendacium fuit cum plena advertentia, sine utilitate aut causa, sed ex mera levitate; quae tamen non faciunt illud differre specie ab aliis mendaciis, quae dicuntur ex semiplena advertentia aut cum aliqua utilitate aut causa. Item (pergit ibid. Lugo) si quis doleat de furto unius iulii propter gravitatem aliquam materiae, quae non sit in aliis minoribus furtis. Poterit ergo dare pro materia confessionis illud mendacium vel illud furtum leve, de quo dolet propter illam specialem gravitatem, cum proposito non committendi aliud simile in futurum, in quo proposito non includuntur alia mendacia vel furta levia minus gravia, licet eiusdem speciei. Ita Lugo.

Et huc spectat, quod post alios DD. monet s. Alph. n. 449. dub. 2.: « quod bene quisque potest dolère de venialibus deliberatis et proponere omnia illa vitare; de semideliberatis vero dolere, quod ea commiserit et imposterum velit attendere ad ea vitanda quantum sinit humana fragilitas ». Quae tamen posterior pars necessaria non foret.

63. Praemissa doctrina facit ad solvendam aliam quaestionem. Contingere enim potest, ut poenitens, qui confitetur mortalia simul et venialia, post dolorem et propositum ex motivo universali offensae divinae, quod ad omnia simul extendatur, ante absolutionem committat veniale, v. gr. vanae gloriae, impatientiae etc., quod revocet priorem dolorem ac propositum, utpote quod horum motivo opponitur: unde videri potest, quod ad accipiendam absolutionem accedat indispositus, nisi novum dolorem eliciat. Et hoc procedere videtur cum proportione etiam quando aliquis confitetur sola venialia; nam si ea detestatus est ex motivo universali offensae Dei aut alio simili, si ante absolutionem aliud leve committat, praecedentem dolorem ac propositum eo ipso videtur retractare.

Huic incommodo ut occurratur (et sane non raro hoc contingit), quidam optimum consilium esse dicunt (vid. Lugo disp. 14. n. 144.), ad maiorem securitatem, quod poenitens doleat seorsim de mortalibus propter gravitatem mortalis offensae, qui dolor nullatenus retractatur per subsequens veniale: item quod de peccatis venialibus aut aliquibus eorum doleat propter specialem eorum gravitatem aut malitiam aut turpitudinem.

« Practice tamen, inquit Lugo disp. 14. n. 144., non videtur in dubium revocari debere valor sacramenti, etiamsi huiusmodi cautela non adhibeatur; quia iniiceret innumeros scrupulos poenitentibus atque etiam confessariis ipsis propter obligationem admonendi poenitentes de obligatione et necessitate habendi dolorem seorsim ex speciali motivo, vel de illo renovando immediate ante absolutionem. Unde ex communi praxi poenitentium et confessariorum (quae est optima legum interpres) desumi potest argumentum a posteriori non leve, non ita revocari dolorem et propositum in iis casibus per novum veniale, ut non maneat dispositio sufficiens ad valorem et effectum sacramenti ».

64. Rationem autem a priori affert Lugo n. 145. ex doctrina, quam proposuerat disp. 5. sect. 4., scil. contritionem, licet sit universalis de omnibus peccatis et eliciatur unico actu indivisibili, tamen hunc actum esse virtualiter multiplicem et non terminari aequaliter ad omnia illa peccata, sed inaequaliter iuxta eorum inaequalitatem, ita ut magis detestemur mortalia quam venialia, magis graviora, quam levia vel minus gravia. Licet ergo poenitens eodem actu detestatus sit mortalia

et venialia, cum tamen illa magis, quam ista detestatus sit propter eorum gravitatem; non sequitur revocatum fuisse dolorem de mortalibus propter sequens veniale. Quod idem et de proposito dicendum. Sicut enim magis mortalia detestamur, quam venialia; sic magis proponimus circa illa, quam circa ista. Non ergo arguitur defectus propositi circa mortalia, eo quod deficiat quis in proposito circa venialia; quia deficiente eo, quod est minus, non oportet ut id etiam deficiat, quod est maius.

Hoc ipsum cum proportione dici potest, quando poenitens confitetur sola venialia. Neque enim per novum veniale censetur revocari totus dolor et propositum praecedens; quippe inter ipsa venialia datur inaequalitas atque per generalem quoque detestationem magis detestamur graviora, quam leviora et magis circa illa proponere videmur, quam circa ista. « Quare, inquit Lugo n. 146., cum possit poenitens dare pro materia illa sola, circa quae manet dispositio debita doloris et propositi non revocati, non est, cur dicamus sacramentum esse omnino irritum ob defectum dispositionis debitae ».

DD. recte monent, attritionem delere venialia etiam sine confessione. Sed ad obiectionem, quod inutilis foret eorum confessio, minus apte quis responderet, confessionem esse utilem ratione confusionis et directionis. Vera quidem haec sunt; sed addere oportet, confessionem esse utilem 1° ratione sacramenti, quod, data ea materia, conficitur atque adeo ratione infusionis gratiae sanctificantis: 2° ratione poenae illis debitae, quae saltem ex parte vi sacramenti remittitur: 3° ratione gratiae sacramentalis, quae vi sacramenti confertur, ad ea evitanda in posterum.

XIV. 3. Non absolvitur, qui dolet, licet intensissime, tantum propter infamiam, damna aliasve poenas temporales praecise, etsi ex inculpabili ignorantia: quia non est dolor supernaturalis, nec ignorantia aut bona fides potest supplere defectum essentialem. Bonac. loc. cit. etc. Limitat tamen Regin. cum Tambur. *de Exped. conf.* l. 1. c. 1. nisi doleas propter istos, ut a Deo inflictas vel infligendas.

65. Doctrina Auctoris, quod non sufficiat dolor ob merum temporale aliquod malum, retinenda est. At non item ratio, quam affert, ex praeconcepta opinione, quod hic agatur de materia *essentiali, ex qua*.

Ceterum superius vidimus, eam doctrinam tradi a Cano et Soto Theologis Tridentinis et a Toleto.

Insuper dum exigitur dolor supernaturalis, excluditur tantum sententia eorum, qui naturalem attritionem dicebant sufficere, idest (ut eam refert Suarez disp. 20. sect. 2. n. 7.), « quae solis naturae viribus eliciatur, sive illa sit concepta ex motivo aeterno et honesto, ut est fugere poenas inferni vel turpitudinem peccati, sive *ex motivo tem-*

porali et indifferente, ut est vitare infamiam vel aliud temporale detrimentum; quia haec etiam temporalia damna dantur a Deo propter nostra peccata ». Cui doctrinae dein Suarez opponit thesim ibid. n. 8., quod attritio debet ex principiis gratiae provenire. Eadem de re Suarez clarius disp. 4. sect. 1. nn. 3. 4.

Auctor a praedicta doctrina excipit, nisi mala illa accipiantur, uti a Deo inflicta in peccatorum poenam: subintellige autem, quod dolor supernaturaliter eliciatur ex viribus gratiae; illud autem non continget, si quis doleat ob mala, quae non consideret uti poenam offensae divinae, sed uti naturale peccati consectarium.

S. Alphonsus n. 443. postquam pro Auctoris sententia gravissimos Doctores attulit et fassus est, ab aliis *probabilissimam*, ab aliis *moraliter certam* declarari; addit tamen, pro opposita stare Concinam, Canum, Hurtadum ac Pasqualigo apud Dianam: Cardenam vero dubitare de morali certitudine sententiae *affirmativae*. Quocirca concludit: « Cum secunda non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto, tutius in praxi eam servandam ».

Etiam Gury vol. 2. §. 457. q. 7. videtur Concinae sententiam habere uti probabilem, dum aliam dicit tantum *probabiliorem* et Concinianam in praxi, uti tutiorem, esse sequendam.

66. Verum male allegavit auctores Croix n. 884., a quo suas citationes s. Alph. sumpsisse videtur. Sane Canus dolorem naturalem fere admittebat, qui e metu mali mere humani et naturaliter consequentis elicitur, ut sup. vidimus. Quomodo igitur adducitur pro sententia, quae negat sufficere conceptum ex motivo obiective supernaturali?

Hurtadus autem plane oppositum docet, imo Diana, ad quem appellat s. Alph., utitur rationibus Hurtadi tom. 1. tr. 3. reg. 108. n. 2., ut evincat eam attritionem sufficere.

Quod attinet ad Cardenam, hic rem totam et semet ex lapsu memoriae confundit. Nam *Cris.* part. 4. in Prop. 1. Innoc. diss. 2. q. 2. n. 69. videtur utique loqui de poenis conceptis prouti a Deo infliguntur; sed mox ibid. n. 70. lectorem remittit ad disp. 73. partis 3ae. Porro heic loquitur utique de iisdem poenis, sed non uti inflictis a Deo et idcirco nn. 14.-16. dicit, timorem illum non esse donum Spiritus Sancti, qualem exigit Synodus Tridentina. Ergo non agit de illo timore, de quo est quaestio et si de eo videtur alibi disputare, id sui oblitus ex lapsu memoriae praestitit. Nec mirum; quia est opus postumum et ideo sine secundis curis auctoris editum ab aliis.

67. Supersunt ergo Concina et Pasqualigo. At 1° Concina non est auctor, qui opinioni possit suo suffragio conciliare probabilitatem, ut patet. Locum aliquem, ubi Pasqualigus hanc tangat quaestionem,

reperire non licuit, utut quaecumque huius opera reperire potui, pervolverim.

Sed Ligoriani VV. dein detexerunt, inde repetendum quod, apud Croix errore typographico scriptum erat *Pasq.* pro *Vasq.:* inde Mazzotta et s. Alphonsus putaverunt, allegari a Croix *Pasqualigum.*

2° Tum Concina tum Pasqualigo ad attritionis sufficientiam exigunt praeterea, ut accedat aliqua caritas, ut dicunt, *initialis.* Ergo si ob eorum auctoritatem abstinendum s. Alphonsus censet ab usu sententiae contrariae, non licebit uti sententia de attritionis sufficentia; quod certe s. Alph. non admittit.

Ut autem appareat, quam inaniter de quibusdam interdum disputetur, Concina oggerit (et s. Alph. eandem rationem probabilem habet), quod Tridentinum dicat, timorem concipi ex metu *gehennae* ET *poenarum*, non autem *gehennae* vel *poenarum;* ergo copulative ea verba accipienda esse nec posse abesse timorem gehennae.

At enim 1° ex illa argumentatione sequeretur, nec sufficere dolorem ex metu inferni, nisi addatur dolor ex metu poenarum.

2° Tridentinum postquam definivit, attritionem, quam descripserat, disponere ad gratiam in sacramento recipiendam, immediate subdit: « *Hoc* enim timore concussi Ninivitae ad Ionae praedicationem terroribus plenam poenitentiam egerunt etc. ». Adverte illud *Hoc;* timor ergo Ninivitarum ille erat, de quo supra Synodus egerat. At timor Ninivitarum nonne fuit ex praedicatione illa Ionae: Adhuc *quadraginta dies et Ninive subvertetur?* (a).

68. S. Alphonsus addit, Cardenam dicere, affirmativam sententiam non inniti *fundamento infallibiliter certo.*

Sed forte Cardenam, qui sui immemor (si tamen sua sunt haec et non ab editore inserta) hac in re erravit, habebimus uti oraculum? — Ad haec, nunquid Cardenas, nunquid et s. Alph. eas solas sectatur et amplectitur sententias, quae innituntur *fundamento infallibiliter certo?* Nunquid tales sunt sententiae, quas et ipsi et alii sequuntur ex novo hoc canone?

Ceterum in communibus calamitatibus v. gr. pestis, terraemotus etc. locum plane habere potest hic dolor, sicut et in morbis etc.

(a) Hoc exemplo Ninivitarum demonstrare Trid., detestationem peccati ex timore esse bonum motum, quemadmodum ipsum Concilium immediate exinde infert, facile omnes dabunt: probare vero, detestationem peccati ex timore disponere ad gratiam in sacramento suscipiendam, id enim vero non omnes facile dabunt. Nam nec Concilium dicit, Ninivitas gratiam iustificantem esse consecutos multoque minus dicit aut dicere potuit, sola ea poenitentia, quae fuisset attritio, iustificatos fuisse, absque actu caritatis. Cf. tr. nostrum *de Poenit.* th. 30. sub. finem. n. IV. — E.

Bene Suarez dolorem hunc revocat ad metum divini supplicii inchoati. Sic enim ille *de Poenit.* disp. 5. sect. 2. n. 15.: « Vega lib. 13. cap. 14. concedit, detestationem ob metum aliarum poenarum esse attritionem et contineri sub primo membro (scil. Doctrinae Trident.); nam Concilium utrumque coniunxit, scilicet *ex metu gehennae et poenarum.* Quae sententia VERA ERIT, si intelligamus illum timorem non esse humanum ac naturalem, sed divinum et supernaturalem. Itaque quamvis poenae temporales sint; si tamen considerentur ut inflictae a Deo et ut nobis indicant iram eius et quodammodo inchoant divinum supplicium, nisi emendemur, sub ea ratione possunt movere ad supernaturalem attritionem, quae optime reducitur ad eam, quae est ex metu gehennae ».

Et Lugo *de Poenit.* disp. 3. n. 137. perpendens, quas poenas comprehendat decretum Trid., scribit: « Eodem modo censeo, posse concipi attritionem ex metu pestis vel alterius damni temporalis, quo Deus solet punire peccata etiam in hac vita: quod videtur esse iuxta mentem Tridentini; nam adducitur ibi in exemplum poenitentia Ninivitarum, quae concepta fuit ob metum excidii suae civitatis, quod Deus comminatus fuerat. Et quidem sicut Deus comminatur poenas aeternas, sic etiam comminatur poenas huius seculi ad terrendos homines etc. ».

Porro quatenus hae poenae indicant nobis iram Dei, quae in omnia exardescit peccata, timor conceptus huius irae satis esse potest ad excludendam omnem voluntatem peccati; praesertim si hae poenae ut inchoatio spectentur poenarum aeternarum, quibus ira divina, nisi a peccato desistamus, vindictam absolvet contra peccatores.

XV. 4. Ad attritionem non requiritur ulla intensio vel duratio temporis, ut vult Durand.

69. Fuerunt, qui exigerent contritionem summe intensam. Quae « sententia, inquit Lugo disp. 5. n. 84., *communiter reiicitur* et merito; quia redderet difficillimam et quasi impossibilem contritionem... Ratio a priori est, quia contritio etiam minus intensa est dolor super omnia, non quidem intensive, sed appretiative; ergo quando etiam exigitur dolor super omnia, non exigitur dolor summe intensus, sed summus appretiative: imo si non esset appretiative summus, quantumcumque esset summe intensus, non sufficeret. Non ergo attenditur ex necessitate ad intensionem, sed ad perfectionem substantialem doloris ». Et s. Alph. cum nihil, n. 433. addat aut notet, hanc Auctoris doctrinam, uti patet, admittit.

Alii voluerunt, ut dolor sit saltem intensior aliis actibus, quos idem homo habet erga alia obiecta.

Quae regula, inquit Lugo ibid. n. 87., multis fallaciis et periculis est exposita et requireret forte dolorem intensiorem ab eo, qui minus peccavit, quando iste quempiam alium affectum haberet valde intensum. Ergo sicut « quando petitur dilectio Dei super omnia ex praecepto caritatis, non requiritur esse intensiorem amore aliorum obiectorum, quae ille homo amat: nam eodem amore amat Deum et homines propter Deum et per consequens eadem intensione, sed tamen plus amat Deum, excessu scilicet appretiativo; ergo de eodem excessu debet intelligi dolor super omnia ».

Subdit tamen Lugo ibid.: « Non negamus expedire, ut peccator conetur summa intensione dolere, tum ut certior sit de poenitentia, tum ut plenius satisfaciat non solum pro culpa, sed etiam pro poena: in quo sensu accipi debent Patres, qui summum dolorem exigunt ». Et haec faciunt etiam contra sophisticos cavillos iansenianorum.

Contra quosdam, qui aliquam durationem exigebant, ne alioquin homo certe sciret, se esse iustificatum (ut timebat Caietanus apud Lugo disp. 5. n. 89.) « contraria sententia (ait idem Lugo ibid. n. 88.) est communis et certa... Et ratio est clara, quia contritio est ultima dispositio ad gratiam nec unquam exigitur illa duratio, sed solum quod sit dolor super omnia. Ergo sicut potest homo diligere Deum super omnia in primo instanti... vel certe in quovis brevissimo tempore..., sic etiam homo poterit perfecte dolere super omnia in primo instanti, quo conteritur et per consequens disponetur sufficienter ad iustificationem ».

Certitudo autem, quam Tridentina Synodus negavit sess. 6. c. 2. posse haberi propriae iustificationis, est certitudo fidei, cui falsum subesse non possit; nam alioquin potest aliquis (ut ait Lugo ibid. n. 89. in fin.) nonnunquam moraliter iudicare, se esse in gratia Dei, cuius multa signa in se ipso experitur.

XVI. 5. Etsi debeat esse de omnibus peccatis mortalibus, non requiruntur tamen singuli dolores de singulis, ut vult Angles; sed sufficit unus actus de omnibus simul sumptis, etiam oblitis: ideoque peccat graviter, qui sciens prudens non atteritur universaliter de omnibus mortalibus nondum remissis, Bon. etc. ll. cc.

70. Prima pars resolutionis reiicit, quod nonnulli requirebant, scil. recognitionem explicitam singulorum peccatorum in particulari: quod quidam DD. asseruerant, sed relate ad confessionem.

Ratio autem est, quia obligatio recogitandi singula non fundatur in aliquo praecepto positivo vel naturali nec necessaria est ad excitandum dolorem de peccatis. Nec credibile est, mulierem peccatricem aut latronem in cruce, aut similes alios recogitasse in speciali species et numerum peccatorum. Ergo satis erit ea in communi recogitare ad

excitandum dolorem. Per accidens tamen aliquando oportebit ea in specie considerare ad remedia apponenda vel ad restituendum etc. Ita Lugo disp. 5. n. 91.

Ratio autem secundae partis in aperto est. Qui enim sciens prudens non dolet universaliter de omnibus mortalibus, exponit evidenter sacramentum periculo frustrationis.

Suarez disp. 20. sect. 4. n. 28.: « Contritio vel attritio propter.... universale motivum, licet formaliter terminetur ad unum peccatum, virtute comprehendit omnia peccata mortalia. Nihilominus tamen in ordine ad confessionem necessaria est contritio vel attritio, quae formaliter terminetur ad omnia peccata, de quibus fit confessio ; quia huiusmodi formalis poenitentia est per se necessaria de peccatis commissis et ad eorum veram accusationem. Non oportet tamen ut ad singula peccata speciatim terminetur per repetitionem plurium actuum; quia hoc neque ad veram poenitentiam neque ad veram accusationem necessarium est: sed sufficit dolor universalis de omnibus peccatis confuse conceptis, qui virtute extendatur ad singula, prout accusatio de illis fit virtute talis doloris.

XVII. 6. Non sufficit dolere, quod non doleas, ut habent Navar. et Sà, nec velleitas, non peccandi. Ratio utriusque est, quia non est dolor de peccatis commissis, cum quo affectus ad ea stare potest. Henriq. Vasquez, Bonac. l. c. n. 7. Ubi recte notat, cum actu, quo quis dolet, se non dolere de peccatis, plerumque coniunctum esse dolorem de peccatis etsi poenitens eum non dignoscat.

71. Frequens est penes recentiores monere, non sufficere *dolorem quod non doleas:* e contra frequens est penes vetustiores id quod habet et Navarrus *Manual.* cap. 10. n. 4.: « Si adhuc his omnibus (scil. doloris motivis) ad dolorem non sufficienter eum moveri consideret, interroget, an doleat, quod non doleat tantum, quantum deberet et an vellet, huiusmodi dolorem sufficientem concipere. *Quod si annuat, satis erit* ».

At nimis indiscreti sunt, qui putent, veteres in hoc aberrasse et qui doctrinae utique verae, quod dolor non habendi dolorem differt ab dolore habito, non subiiciat monitum Bonacinae q. 5. sect. 1. p. 3. n. 7. : « Observa tamen cum actu, quo quis dolet, se attritionem de peccatis non habere, ut plurimum coniuntum esse dolorem de peccatis quamvis poenitens illum non dignoscat ».

Et sane nisi agatur de eo, qui explicite ita non dolet, ut pateat, eum non odisse peccatum, non velle in posterum a peccato abstinere; fere tenendum est, ad summum deesse dolorem *sensibilem*, sed adesse dolorem substantialem seu appretiativum. Quorsum enim dolet se non dolere, nisi quia odio peccatum habet? Atqui hic est verus dolor.

Hinc Navarrus *Man.* cap. 1. n. 18. obiiciens sibi, quod opponebat doctor e nostra Societate, cuius nomen tacet, nempe « quod poenitere ac dolere quod aliquid non habeam, non est illud habere; sicut nec dolere eo quod non communicaverim, est communicare... »; respondet: « Dicimus itaque, revera poenitere quempiam eo quod non habeat contritionem, non esse illam habere, saltem formaliter, neque poenitere me, quod non valeo poenitere, quantum mihi expedit ad contritionem, sufficit ad ipsam habendam, nisi alias iam ipsam habeam; sufficere tamen ad credendum, me habere iustam attritionem, quo possim a confessario absolvi... Quin et dici posset: etsi talis dolor non sit contritio formalis, desiderium tamen habendi eam, adiuncto iusto dolore, quo dolet se non posse pervenire ad contritionis perfectionem, saltem *virtualiter* esse ipsam contritionem in voluntate partis intellectivae sitam fomento divini auxilii bona desideria foventis, etiam si pars sensitiva recalcitraret ».

72. Neque ita ineptos existimare veteres debemus, ut ab hoc statu hominis non distinguerent statum nolentis exuere affectum peccati. Hinc idem Navarrus cap. 10. n. 4.: « At vero si eius dolor non eo usque perveniat, vel quia non proponit in posterum se a peccatis abstinere, licet id quadantenus desideret, vel nolit restituere vel concubinam relinquere vel odium a se repellere vel dicit, se non posse vel nolle caste vivere vel officio, quod sine peccato mortali exercere non potest, renunciare vel alia huiusmodi, nullo modo eum debet absolvere... ».

Brevius Andreas Vega *de Iustif.* lib. 13. cap. 25. in fin.: « Quod si, ut assolent aliqui peccatores dicere, de hoc doleant, quod non dolent tali dolore sensitivo vel intellectivo, modo simpliciter dicant, *se nolle peccasse,* admitti debent ad poenitentiam. Si tamen dicerent, se non habere affectum, quo nolint consensisse peccatis, quae admiserunt; quia non possunt talem affectum habere et eum affectum more communi dolorem vocent; communibus et protritis rationibus ex malis, quae sunt in peccatis, paulatim trahendi sunt, ut nolint ea admisisse ».

XVIII. 7. Etsi hic dolor debeat esse summus appretiative, ita ut nihil magis detesteris, quam peccatum malisque omnia mala huius mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare: non tamen opus est imo nec expedit, particulares facere collationes, verbi gratia, mallem hoc vel illud malum subire, quam mortaliter peccare; quia periculosae sunt.

73. Apposite s. Alph. 433. in notul. ad h. Resol.: « Hoc est commune apud omnes cum s. Thoma, s. Bonaventura etc. apud Croix lib. 6. part. 2. n. 731., nempe non expedire comparationem explicitam inter peccatum et alia mala, se determinando potius, quam peccatum, eligere

haec mala in particulari et tanto minus eligere infernum; quia secundum praesentem Dei providentiam cum infernus sit destinatus iis, qui sunt firmati in peccato per aeternum odium erga Deum, incongrue homo ad vitandum peccatum eligeret infernum, in quo non posset manere sine peccato ».

Idcirco ambigendum est, an probandae quaedam *doloris* formulae, ubi explicite eiusmodi comparationes instituuntur: potius *mille mortes*, vel etiam (quod ex s. Alph. est insipiens) *potius infernus* etc. Etenim gratia specialis ad hos actus a Deo dari solet, solum cum opus est. Hinc illud sanctorum hominum: se scire, quid facere tunc deberent, sed simul scire, se nihil boni sine Dei gratia praestituros.

Et hoc monitum prodest etiam concionantibus; si enim post excitatos poenitentiae aut amoris affectus, imprudenter ad illas comparationes prosiliant, hoc facile assequentur, ut ignis, prius accensus, dein frigescat et forte penitus exstinguatur.

Pulchre Navarrus *Man.* cap. 10. n. 4.: « Caveat tamen, ne ipsum in tentationes damnosas et supervacaneas coniiciat ».

Et cap. 1. n. 17.: « Nemo... tenetur ad conferendum speciatim, reputando secum, quod malit illud et illud mortis genus et poenarum pati, quam peccare aut peccasse. Imo id esset imprudentiae; sicut et imprudens foret confessarius, qui interrogaret poenitentem, malletne potius filios suos vel se mortem obiisse, quam peccasse, aut sitne paratus potius mori vel perdere filios, quam mortiferum peccatum admittere. Quoniam nimia est huiusmodi tentatio... Quocirca satis est confessario, ut videatur ei poenitens sufficientem peccatorum poenitudinem habere ».

74. Quin s. Thomas non modo imprudentiae, sed *stultitiae* eum morem arguit. Ita Quodlib. 1. art. 9.: « Contritus tenetur *in generali* velle pati magis quamcumque poenam, quam peccare et hoc ideo quia contritio non potest esse sine caritate, per quam omnia dimittuntur peccata. Ex caritate enim plus homo diligit Deum, quam seipsum; peccare autem est facere contra Deum, puniri autem est aliquid pati contra se ipsum: unde caritas hoc requirit, ut quamlibet poenam homo contritus praeeligat culpae. Sed *in speciali* descendere ad hanc poenam vel ad illam non tenetur; quinimo *stulte faceret,* si quis se ipsum vel alium sollicitaret super huiusmodi particularibus poenis. Manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur et aliqui sunt, qui minori tentatione non cadunt, qui forte maiori caderent: sicut aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem; sed si per considerationem descendit ad singulas illecebras, magis movetur. Et similiter aliquis non refugeret pati mortem

pro Christo; sed si descenderet ad considerandum singulas poenas, magis retraheretur. Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem et praebere occasionem peccandi ».

XIX. 8. Qui non vult occasiones proximas peccandi a se amoliri, vel non remittere ex animo, vel non restituere aut satisfacere, quibus debet, vel non habet formale (licet probabiliter cum Lugo l. c. s. 5. Laymann, Dian. aliqui dicant, virtuale in contritione universali inclusum sufficere, saltem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis) propositum peccata mortalia, quando talia confitetur, vitandi efficax, id est, cum quo non possit consistere affectus actualis erga aliquod mortale, non est sufficienter attritus. Ratio est, quia non est dolor et detestatio efficax; quippe cum quo possit stare voluntas peccandi, nec is se ex toto corde convertit ad Deum, detestans peccatum super omne detestabile. Suarez, Fern. Laymann l. 5. tr. 6. c. 4. Diana p. 3. t. 4. r. 119. etc. commun. Et licet sola venialia confitearis, teneris tamen, sicut dolorem, ita etiam propositum, saltem virtuale circa illa habere. Card. de Lugo d. 14. s. 8. et 9. et alii.

XX. 9. Redire saepe cum eodem mortali non est certum indicium, deesse attritionem etsi sit magna praesumptio, praesertim in iis, qui coguntur confiteri a parentibus, magistris etc. Item in iis, qui aliquoties moniti concubinam non separant, aut restitutionem non faciunt, quibus proinde absolutio differenda est, nisi id actu praestent. Quanquam possint esse alia signa veri doloris, ver. grat. si media praescripta sint adhibita, occasiones vitatae, si numerus peccatorum imminutus, si poenitens omnino asserat, cui plerumque credi debet: cum ipse sit sui accusator, defensor et testis: qua in re opus est magna prudentia Confessarii, ne poenitentem severitate avertat, neque etiam lenitate seducat et peccet pereatque cum illo. Suar. in 3. p. d. 2. s. 2. Sanch. l. 2. in dec. c. 32. et l. 3. cap. 5. Card. de Lugo loc. cit. n. 166. et 169. contra quorum aliorumque communem sententiam, docent apud Dian. Vivaldus, et Ioannes Sancius d. 10. n. 16. posse toties, quoties confitetur, absolvi, etiamsi nullus appareat profectus; eo quod sine illo possit esse verum propositum; sicut est in iis, qui venialia semper afferunt eadem. Verum id probare non ausim, * ob damnatas nuper ab Innoc. XI. Proposit. 60. et 61. * nec videtur esse par ratio. V. Conin. d. 2. dub. 14. Dian. p. 2. t. 7. r. 55. et p. 2. t. 2. misc. r. 45. et p. 3. t. 4.

XXI. 10. Absolvendi sunt ii, qui ex officio, domo vel negotio, in quo propinquum peccati periculum imminet, discedere nolunt; eo quod sine maxima difficultate non possint, parati interim media praescribenda adhibere. Ratio est, quia occasio, etiam propinqua, non necessitat ad peccatum, ideoque stare potest cum proposito peccata vitandi. Nec refert, quod quis putet vel timeat, se unum vel plura peccata non vitaturum; quia propositum est actus voluntatis: existimatio autem illa est actus intellectus, qui ex illo proposito, ob humanae voluntatis mutabilitatem, non necessario consequitur. Interim qui certus est, impossibile sibi esse in tali occasione peccata vitare, debet eam deserere, nisi velit perire. Ita Laym. l. c. Lugo l. c. n. 152.

Resolutiones 8. 9. 10., in quibus de iis agitur, qui vel consuetudine quapiam peccandi implicantur, vel in occasione peccandi versantur, seorsim explicantur inferius.

XXII. 11. Non requiritur dolor sensibilis; sufficit enim intellectivus: qui cum sit internus, ac spiritualis, scrupulosi non facile debent angi, quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, eo quod nullum sentiant.

75. Non requiri sensibilem patet, quia est actus voluntatis; voluntas porro est facultas *rationalis* sive partis intellectivae.

XXIII. 12. Is, qui nihil cogitans de confessione, attritionem elicuit, non referens eam ad Sacramentum, non potest sine novo dolore ad id accedere; quia pars debet referri ad compartem. Ita Suarez d. 20. s. 4. Bonac. d. 5. q. 3. p. 2. Contrarium tamen videtur docere Card. de Lugo d. 14. s. 4. n. 37., quod non est improbabile. Tamb. l. 1. c. 2.

76. De hac re Suarez, ab Auctore allegatus, ita scribit *de Poenit.* disp. 20. sect. 4. n. 29.: « Solum oportet advertere, semper esse necessarium, ut talis dolor internus ex intentione poenitentis formali *vel virtuali* ad confessionem referatur; quod fit quoties quis peccata recogitat et de eis dolet, ut ea confiteatur, *vel praebet signum sui doloris in ordine ad confessionem faciendam* seu *absolutionem obtinendam:* ac denique quoties quis dolet de peccatis cum expresso proposito illa confitendi, ex cuius virtute postea confessionem facit. Nam *quilibet ex his modis sufficit ad veram accusationem*: aliqua vero huiusmodi relatio necessaria est; quia intentio sacramenti et partium eius in ordine ad constitutionem illius, necessaria est ad sacramentum conficiendum ».

Quae quidem moles innititur, ut patet, opinioni de actibus poenitentis quasi sint materia, *ex qua* constet sacramentum. Quod quidem consectarium *ordinationis partium* quomodo deinde cohaereat cum sententia, quae dicit satisfieri sacramentali satisfactioni, licet quis de ea non cogitet, dum opus alioquin ponit, v. gr. audit Missam vel rosarium recitat, nullus video.

Interim s. Alphonsus lib. 6. n. 447. fatetur utique, *probabiliorem* esse sententiam, quae docet dolorem valere, etiamsi quis eum eliciat, nihil tunc cogitans de sacramento, quod deinde oblata occasione suscipiat. Addit tamen, sequendam esse oppositam sententiam; quia cum sit *probabilis*, iam locum habet doctrina resultans ex damnatione Prop. I. per Innoc. XI., de non adhibenda materia probabili, relicta tutiore.

77. Quod vero *probabilior* sit sententia negans necessariam eam doloris ordinationem, evincunt validissimae rationes, quas affert Lugo disp. 14. nn. 38.-40. tum ex Concilio Tridentino, tum ex usu fidelium, tum denique ex natura huius sacramenti poenitentiae.

Ex Concilio quidem Tridentino: nam sess. 14. cap. 4. docet, attritionem praeparare ac disponere hominem ad impetrandam peccatorum remissionem in sacramento. Ergo si post elicitam attritionem iam velit confiteri, satis iam est dispositus. Frustra ergo exigitur alia illa relatio doloris ad sacramentum vel ad confessionem (v. Lugo disp. 14. n. 38.).

Ex usu dein fidelium. « Si enim aliquis dum legit, vel dum audit concionem, moveatur ad intensum dolorem et detestationem suorum peccatorum et postea ex desiderio veniae cogitet de confessione facienda et Sacerdoti confiteatur, nemo dicet, hunc non esse optime dispositum

ad absolutionem recipiendam; imo ille videtur modus aptissimus, cum ex dolore peccatorum et desiderio veniae procedat ad procurandam confessionem et absolutionem ». Ita Lugo disp. 14. n. 39., qui merito subdit, id valere, etiamsi non statim, sed etiam si tribus vel pluribus horis post dolorem homo recordaretur confessionis et eam procuraret: quia adhuc verum esset, confessionem fieri a poenitente cum vero dolore.

« Ex natura demum et institutione huius sacramenti in quo magis connaturale est, quod ex dolore et contritione oriatur desiderium confitendi, quam quod e contrario ex desiderio confitendi oriatur dolor et contritio... Imo ipse dolor eo erit perfectior, quo purior et solum propter motivum divinae offensae; minus autem haberet de hac puritate, si ex relatione antecedenti ad confessionem et ex desiderio sacramenti imperaretur actus doloris de peccatis; iam enim tunc dolor haberet saltem pro motivo extrinseco desiderium sacramenti et eo minus homo moveretur a motivo divinae offensae ad dolendum, quo magis moveretur et impelleretur ab extrinseco imperio procedente ex alio motivo ». Ita Lugo disp. 14. n. 40. Idem n. 38. advertit, votum praestandi omnia, quae requiruntur ad sacramentum Poenitentiae (ideoque confitendi) contineri semper implicite in quavis attritione.

Quin, ut Lugo observat ibid. n. 37., ipse quoque Suarez, dum iudicat sufficere secundum illum modum referendi dolorem, qui datur, quando quis in *ordine ad confessionem vel absolutionem praebet signum aliquod doloris sui praecedentis*, iam et in sententiam aliam concedit. Idemque dicendum de Reginaldo, dum ait *in Praxi* tom. 1. lib. 5. n. 54., eum, qui ex *contritione prius habita excitatur ad confessionem* et ad examen peccatorum, non debere postea de illis iterum conteri. V. Lugo cit. n. 37.

78. Ceterum argumentum a s. Alph. prolatum innititur hypothesi debili. Arguit enim ex eo, quod materia debet per intentionem ordinari ad sacramentum, prout ablutio ad baptismum: quo accersit et necessitatem intentionis in recipiente Ordines, dum materiam tangit.

Atqui reponi potest 1° negando hanc esse materiam illam, quae uniatur ad efficiendum signum gratiae efficax, prout ablutio in baptismo.

2° Coniunctio materiae per intentionem pertinet ad ministrum, non autem ad suscipientem. Nec ad rem facit exemplum Ordinationis; nam in suscipiente Ordinem requiritur utique intentio suscipiendi sacramentum, sed non intentio applicandi materiam: ideo autem requiritur tactus instrumentorum; quia sine illo non perficeretur actio ministri: in ipso autem tactu suscipiens declarat intentionem tum suscipiendi sacramentum seu ordinem, tum acceptandi potestatem, quae

illi confertur. Adeo autem necessaria non est relatio illa voluntaria tactus ceu materiae ad sacramentum in suscipiente, ut valida sit ordinatio infantis (ut DD. fatentur), qui certe non potest illam ordinationem seu relationem tactus ad sacramentum facere.

Quod vero attinet ad Propos. damnatam, utemur verbis Gury (vol. 2. n. 437. in fin.): « In propositione damnata non agitur nisi de partibus essentialibus sacramenti, nempe de materia, forma (IN SACRAMENTIS CONFERENDIS) prout a ministro dependent. Hic autem materia a poenitente ministratur ac proinde a ministro independens est. Secus plerumque poenitentes absolvi non possent; cum saepius non nisi probabiliter de eorum dispositione constet ».

Quae nos admittimus non quatenus supponant *materiam ex qua* suppeditari a poenitente, sed quatenus Propositionem damnatam arctant, prout par est, ad officium ministri proprium.

XXIV. 13. Non sufficit ad Sacramentum dolor, qui sequitur absolutionem, imo secundum sententiam saltem tutiorem, quam docet Laym. l. 5. t. 4. et Conin. debet antecedere etiam confessionem, etsi contrarium etiam probabiliter doceant Vasq. Fill. Fag. Card. de Lugo *de Poen.* d. 14. s. 2. Gasp. Hurtad. d. 7. dif. 5. apud Dian. et Escob. t. 7. E. 6. Unde poenitentes initio ad dolorem excitandi aut, si post peccatorum narrationem fiat, repetant verbo confessionem, dicendo se dolere de peccatis expositis. Vide Laym. l. c.

79. S. Alphonsus n. 445. postquam definivit, *probabiliorem* esse sententiam, quae necessitatem praemittendi confessioni dolorem negat, subdit insuper, falso heic induci Doctores veluti inter se discordes. « In tantum enim (inquit) Laymann cum aliis (scil. Coninck et Palao) requirunt, ut confessio sit dolorosa, sive quod dolor confessionem praecedat, in quantum exposcunt, ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed habeat rationem confessionis sacramentalis et ad hoc sufficit, ut confessio fiat animo obtinendi absolutionem et deinde dolor manifestetur saltem per petitionem seu exspectationem absolutionis; sic enim confessio bene sacramentalis evadit ».

Et reipsa Laymann lib. 5. tr. 6. cap. 4. n. 4. dum vult in suam sententiam trahere Suarez, sensa sua accommodat sensui Suarez, qui scribit disp. 20. sect. 4. n. 31.: « Iuxta communem usum fidelium tam poenitentium quam confessariorum, post absolutam confessionem peccatorum omnium, solent excitari ad generalem contritionem peccatorum eorundem et ad exhibenda signa eiusdem contritionis seu doloris idque censetur ex hac parte sufficiens, ut rite et recte detur absolutio, sive dolor antea praecesserit, sive non. Dico ergo, hoc satis esse ad veritatem sacramenti. Ratio est, quia licet tota prior narratio peccatorum, quatenus tempore antecedit contritionem, nondum habuerit completam rationem accusationis...; tamen quatenus postea informatur

per consequentem contritionem et ut sic informata subiicitur clavibus ab ipsomet poenitente postulante vel expectante absolutionem, sufficienter consummatur in ratione accusationis sacramentalis. Hoc ergo satis est ad veritatem sacramenti ».

Sed quod attinet ad Coninck disp. 4. n. 44., et Palaum *de Poenit.* disp. unic. punct. 7. n. 11., non descendunt hi revera eousque cum Laymann. Et utique videntur hoc tantum exigere, ut sit accusatio ad reconciliationem et non mera peccatorum narratio; sed ad hoc omnino exigunt praeeuntem dolorem, qui praeterea, ut addit Coninck, secus non esset *sensibilis* et exterior, uti alioquin postulat ratio sacramenti.

Quidquid sit de horum opinione, concordine omnino an discordi ex parte ab aliorum sententia, certe Lugo disp. 14. n. 13. de illa potuit scribere: « Haec sententia (scil. Coninck) singularis est et habet contra se omnes alios Theologos ».

Pergit Lugo: « Habet etiam contra se praxim fidelium; hi enim si forte peccata absque dolore confessi sunt et postea confessarii exhortatione permoti excitantur ad dolorem habendum de peccatis, putant se sufficienter satisfacere, si tunc doleant ante absolutionem: imo ad hunc finem Confessarii solent poenitentes tunc potissimum ad dolorem movere, ut se disponant ad absolutionem validam suscipiendam nec obligant eos post dolorem tunc conceptum ad repetendam confessionem, quae absque dolore praevio facta est ».

Et hanc in rem s. Alphonsus cit. n. 445. citat Rituale Romanum, quod inquit: « Audita confessione, ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur etc. ».

80. Quoad difficultatem autem, *quod dolor debet esse sensibilis*, varii varia respondent.

Quidam id reperiunt in eo, quod Poenitens subdat: *Cupio ab iis absolvi.* Verum inquit Lugo disp. 14. n. 14. hoc est contra praxim: non enim solent poenitentes repetere ea verba nec confessarii solliciti sunt ut poenitentes id dicant.

Alii cum Suarez dicunt exprimi satis dolorem, dum poenitens exspectat humilis absolutionem. Sed et hoc Lugo disp. 14. n. 16. ostendit, posse deesse, si discedente confessario post hortationem, poenitens eliciat actum, et mox destituatur sensibus; quem sane Confessarius rediens absolvet et absolutio omnino valida censetur.

Lugo itaque disp. 14. n. 17. seqq. censet, dolorem fieri sensibilem per confessionem praecedentem, quatenus accusatio *facta in ordine ad absolutionem* significat desiderium obtinendi veniam efficaciter et per consequens quod poenitens vult omnia requisita ex parte sua ponere. Et Lugo ibid. n. 18. confirmare id contendit exemplo satisfactionis,

quae quoad opus potest esse actus mere internus, sensibilis tamen fit verbis, quibus eam confessarius imponit, aut poenitens acceptat antequam ponatur. A pari ergo subsequentem dolorem satis exprimit praecedens confessio.

Admittat haec, quisquis volet; at brevius responderi posset, nihil opus esse hisce subtilitatibus, quae haud parem praeferunt soliditatem et quas praeter Doctores Scholae nemo novit, utut omnes suscipiant sacramentum: opus autem his subtilitatibus non habent ii, qui negant necessitatem *sensibilis* doloris; quippe hoc, quod est *esse sensibile* requiritur solum in *signo gratiae efficaci:* quae vis non competit actibus poenitentis, sed uni absolutioni.

Ceterum suadendi in praxi sunt poenitentes, ut cogitantes tantisper, quam malum et amarum sit dereliquisse Dominum Deum suum, dum se praeparant, dolori insistant et rudes, potius quam *Confiteor*, utilius ante confessionem recitabunt formulam doloris, sicuti et mos est, ut post confessionem repetant. Suadendum, inquam, id est; quia fieri potest, ut postea aut distracti aut turbati id rite non praestent ante absolutionem. Quamquam et illud addendum, hunc actum plerumque esse quendam actum reflexum; nam sine directo actu doloris vix censendus est accedere christianus, qui aliquo modo instructus est et non appareat cuipiam peccato tenaciter affectus.

Quod autem Auctor addit de *repetenda verbo confessione* aut quod Salmanticenses apud s. Alph. n. 445. dicunt, addendum: *de peccatis narratis doleo et me accuso,* haec suggeruntur ex hypothesi illius opinionis, quam vidimus ab omnibus reiici. Lugo sup. n. 123. dixit insuper, id esse contra communem fidelium praxim et s. Alphonsus n. 445. in fin. addit ex Salmanticensibus, id solere confessarios suggerere tantum ad sedandos scrupulos. Quocirca confessarii non opus est, ut sint solliciti et multo minus turbentur si omittatur, ut fit ex oblivione, vel quia poenitens non intelligit, quid sibi id velit etc.

XXV. 14. Probabile est, eum, qui paulo ante confessus iterum confitetur vel eadem peccata vel quae exciderant, de quibus ante (explicite et in particulari) non doluit, non teneri elicere novum dolorem. Card. de Lugo, d. 14. s. 3. Dian. p. 9. t. 3. r. 50. et 51. etc. Consequenter potest moribundus propter periculum instantis mortis absolvi, audito tantum uno alterove peccato et deinde si superstes maneat, auditus reliquis iterato absolvi in virtute doloris praecedentis. Tamb.

81. Quaestio haec vix habet ullam difficultatem, si coarctetur ad casus, qui aliquo modo deservire possunt ad praxim.

Unus est casus et quidem in praxi frequentior, si aliquis v. gr. in confessione obliviscitur alicuius peccati, statim autem post absolutionem recordatur, vel etiam paulo post redit et illud addit: quaeritur

an indigeat novo actu doloris, an vero virtute prioris adhuc virtualiter manentis possit ab eo peccato absolvi. Lugo disp. 14. n. 24.

Alter est v. gr. quoad moribundum, qui propter instantis mortis periculum absolvendus est uno vel altero audito peccato et deinde prosequenda est confessio de aliis: quaeritur, an debeat post primam absolutionem renovare dolorem, quando a peccatis secundo absolvitur. Lugo ibid. n. 27.

Tertium casum memorat Lugo (ibid.), qui tamen rarissime contingit, quando quis dimidiata confessione a Superiore absolvatur solum a reservatis et dein ab alio absolvatur a non reservatis: et tunc quaestio erit, an poenitens ad duos actus doloris teneatur.

S. Alph. lib. 6. n. 448. fatetur, sententiam Auctoris, quae docet non esse in illis casibus necessarium iterare contritionem, *communiorem* esse aut etiam *communem*, a Roncaglia dici *moraliter certam*, a Sporer et Elbel et aliis multis censeri *probabilissimam* et ab aliis dici *indubitatam apud omnes:* quod tamen ipse subdit *immerito affirmari.*

Huic opponit secundam sententiam, pro qua allegat Bonacinam *de Sacr.* disp. 5. q. 4. punct. 4. n. 1., Vasquez quaest. 92. art. 3. dub. 5. n. 10., et Filliuccium tract. 6. cap. 3. n. 77. Et concludit: « Cum haec secunda sententia sit probabilis, imo probabilior, in praxi omnino sequendam esse dicunt Croix lib. 6. p. 2. n. 712. et Concina; ego saltem tutius censeo tenendam ». Cum tota ratio probabilitatis consistat in vi auctoritatis DD., quos allegat, hi autem perperam allegentur; tota probabilitas evanescit.

82. Dolendum, quod s. Alphonsus in transversum heic actus fuerit a Croix, qui, ut alias subinde, nunc quoque omnia permiscuit.

Primo igitur nihil ad rem faciunt allegati Vasquez, Bonacina et Filliuccius, qui non disputant, utrum « si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem », quae est quaestio s. Alph. et cui similes sunt aliae binae a Lugo sup. n. 129. propositae; sed postquam statuerunt, licite et valide imo et utiliter peccata, iam alias rite confessa et per absolutionem remissa, iterum posse subiici clavibus, monent in nova hac confessione eorundem peccatorum necessarium esse dolorem. Ergo frustra horum DD. auctoritate pugnat s. Alph., sicut abusive eos citaverat Croix lib. 6. p. 2. n. 711.; qui illogice a doctrina hac ad casum quem proponit Lugo voluit praeterea argumentari.

Ad rationem autem Concinae, quam affert et s. Alph., nempe quod nova absolutio indigeat nova materia proxima, reponi potest.

1° Nego suppositum, heic nempe agi de materia proprie dicta *sacramentum constituente;* sed agitur de dispositione poenitentis et dum

peccatum supponitur iam praecedenti dolore comprehensum, adest iam illa cordis conversio et detestatio peccati, quam Trid. Synodus exigit.

2° Nonne Concina contendebat, confessionem esse expressionem sensibilem doloris? Habet ergo in secunda confessione sufficientem unionem doloris cum suo signo et quidem signo perseverantis doloris.

3° Ceterum Lugo disp. 14. n. 28. seqq., huic difficultati late responderat, etiam iuxta theoriam, quae supponit dolorem esse materiam *ex qua*. Reponit scil. Lugo, nihil obstare, quominus aliqua materia partialis proxima deserviat eadem pro duplici forma sacramentali atque adeo eundem dolorem posse pro duplici absolutione sufficere: licet non sufficiat *una confessio* pro duplici absolutione; quia fit per modum iudicii; quod requirit accusationem ibid. nn. 29. 30.

S. Alph. addit, quod etiamsi dolor praecedens perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem; probabile autem esse quod dolor elici debeat in ordine ad absolutionem.

Resp. 1°. Negavimus iam superius n. 76. seqq., necessitatem huius ordinationis doloris ad confessionem.

2° Negatur ulterius, non haberi heic illam ordinationem. Nam qui dolet de peccatis cum intentione ea confitendi, satis ordinat dolorem singulorum peccatorum ad eorum confessionem et absolutionem. Quando ergo quispiam dicit post absolutionem peccatum omissum antea ex oblivione, profecto confitetur peccatum, quod detestatus est in ordine ad confessionem et absolutionem. Et idem dicito de duobus aliis casibus sup. a Lugo n. 80. propositis.

83. Concludamus ergo, neque auctoritate neque ratione niti opinionem, quam s. Alphonsus *communi* sententiae opponit, pro qua, ut ait Lugo disp. 14. n. 27., stat et communis praxis: « Nam licet unus vel alius confessarius fortasse admoneat poenitentem in praedicto casu (scil. confitentis post absolutionem peccatum oblitum) de renovando dolore, alii tamen omnes communiter id non faciunt ». Ita de Dicastill. tr. 8. d. 6. dub. 22. n. 160. apud Diana tom. 1. tr. 3. res. 38. n. 2.: « Confirmatur ex praxi Ecclesiae et confessariorum..., quia pauci sunt (si tamen sunt) qui sint solliciti de monendo poenitente, ut in reconciliationibus renovet dolorem, ut recte notavit Lugo. Signum ergo est, prius habitum dolorem sufficere ».

Quae quidem quoad praxim deservire debent. Licet enim poenitens excitari possit et soleat (si adhuc genuflexus manet), ut dolorem renovet, dum confessarius absolvit; nullo tamen scrupulo angi hic debet, ad cuius aures solent poenitentes stantes redire, vel statim post absolutionem statim oblitum addere etc.

Hinc patet, abs re prorsus Croix n. 712., qui alioquin n. 707. *pro-*

babiliorem dixerat sententiam negantem renovandi doloris necessitatem et obiectionibus responderat, in medium deinde protulisse *de more* Prop. 1. ex damnatis ab Innncentio XI., ut concluderet praxim illius doctrinae esse illicitam. Revocanda huc illa quae de hac propositione advertimus sup. n. 78.

84. Illud adverterim, non solum Vasquez, Bonacinam et Filliuccium, sed et alios docuisse, in nova confessione eorundem peccatorum, quae rite confessa et absoluta fuerant, rursus eliciendum esse dolorem. Ita Amicus *de Poenit.* disp. 13. n. 36., et Bernal *de Sacram.* disp. 6. sect. 4. n. 74. apud Diana tom. 1. tr. 3. resol. 90. n. 1. et Ioan. Sancius *In Select.* disp. 1. n. 22. apud Diana l. c.

At circa hoc ipsum Diana (part. 3. tr. 4. res. 116. in Edit. coord. tom. 1. tr. 3. resol. 89.) refert oppositam sententiam Ioannis De la Cruz, qui hanc (nempe quod ne in iterata quidem confessione peccatorum, quae quis alias est rite confessus et consecutus absolutionem, iubet renovari dolorem vocat *probabiliorem.* Deinde subdit alium doctorem e familia Dominicana Petrum Ledesma, qui insuper testatur *esse communem*, ut retert Dicastillus apud Dian. tom. 1. tr. 3. resol. 88. n. 1.

Insuper ipse Diana, qui resol. 89. n. 3. allatis De la Cruz et Ledesma se non accedere dicit, superius resol. 88. n. 4. attulerat sententiam et rationes Dicastilli et dixerat: « Huc usque Dicastillus ; cui ego nunc absolute adhaereo ».

Porro Dicastillus, apud Diana l. c. res. 88. n. 1. hanc thesim ponit: « Asserendum est, non solum quando novum peccatum quis fatetur, quod oblivione non dixerat, sed quando eadem omnino peccata novae confessioni subiiciuntur, sufficere antiquum dolorem vel physice vel moraliter manentem adhuc ».

Praeterea Diana ibid. 95. n. 4. haec debet de Leandro: « Idem *de Sacr.* tom. 1. tr. 5. disp. 7. q. 4. docet, etiam me citato et Cardinali Lugo, quod quando quis confitetur eadem peccata, a quibus iam directe fuerat absolutus, non tenetur habere novum dolorem eorundem peccatorum; quia repetita confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor praecedentis confessionis, perseverantis adhuc moraliter et virtualiter ».

85. Et reipsa Lugo, licet potissimum pugnaverit pro casibus ab initio n. 81. allatis, tamen disp. 14. n. 31. de hac quoque sententia subdit: « Si vera sunt, quae adduximus in confirmationem primae partis, non apparet, cur aliquando circa eadem etiam peccata non possit repeti confessio et absolutio nova in virtute doloris praecedentis, perseverantis adhuc moraliter et virtualiter ». Et n. 32. « Ratio videtur esse eadem in utroque casu ».

His Diana tom. 1. tr. 3. resol. 90. n. 2. alium addit, cuius nomen non dicit, inquiens: « Eandem sententiam indicavit obiter alius Magister Salmanticensis in hac eadem materia, dicens, eam non esse improbabilem ».

Accedit et Tamburini, qui *de Confess. meth.* lib. 1. cap. 2. §. 5. n. 7. ait: « Quamvis La Cruz et Ledesma absolute satis illum esse dolorem non retractatum concedant, tamen ut probabilis haec sententia fiat, addenda est haec limitatio ex Lugo, ut antiquus ille dolor non sit ita tempore disiunctus ab hac confessione, ut moraliter unum quid cum hac facere non censeatur ».

Idem autem Tamburini ibid. alium suppeditat Doctorem, nempe Iosephum de Ianuario: « Lege Ianuarium p. 1. res. 30., qui docet, eum, qui peccata alias rite confessa et absoluta confitetur, non teneri iterum elicere actum doloris, si prior habitualiter (idest *non retractatus*) vel virtualiter perseveret... ».

Adde his Ioannem Salas, de quo Lugo disp. 14. n. 34. scribit: « Licet Auctores non agant expresse de hoc puncto, ex modo tamen quo loquuntur, videntur hoc insinuare; cum enim dicunt, secundam absolutionem posse cadere supra eadem peccata, addere solent: *Si tamen detur nova confessio;* de dolore autem novo nihil dicunt, si unum vel alterum excipias. Imo P. Io. De Salas in Manuscriptis *de Poenitentia* q. 84. art. 10. relata sententia aliquorum recentiorum, qui dicebant requiri novum dolorem, sicut novam confessionem, ad valorem secundi sacramenti, ipse dicit, contrarium esse verius et sufficere, quod partes sensitivae sint novae etc. ».

Et ex his satis patet, etiam pro hac sententia non ita leve esse pondus auctoritatis, ut facile contemni possit.

86. Ex quibus pro praxi Tamburini *Exped. Confess.* lib. 1. cap. 2. § 5. nn. 8.-10. haec corollaria deducit:

1° « Quia supra diximus dolorem antecedentis diei non retractatum, facere unum quid cum confessione diei sequentis; ideo consequenter probabile erit, dolorem confessionis antecedenti die habitum posse extendi ad confessionem eorundem peccatorum absolutorum, quae fiat die sequenti ».

2° « Si post collatam rite absolutionem poenitens recordetur afferatque aliquid, quod confiteri oblitus fuerat, vel etiam aliquid, de quo dubites, quod sit certa materia absolutionis, unde iubeas eum aliquid certum repetere ex peccatis iam iam exhibitis, non est necesse, ut iterum doleat... Ratio est, quia si nova haec absolutio cadat in peccata iam absoluta, proderit... dolor praecedentis confessionis, qui certe non longe distat; si vero cadat in peccatum de novo allatum, proderit

ille idem praecedentis confessionis dolor; quia extendebatur ex motivo, ut suppono, universali... pro omnibus peccatis a poenitente commissis, inter quae est etiam hoc peccatum nunc directe absolvendum ».

3° « Atque haec doctrina est notanda pro his frequentibus eventibus, quando poenitens post collatam absolutionem alia peccata manifestat, quae memoria exciderant: post collatam, inquam, *sive immediate...*, *sive etiam post aliquas horas*, *sive etiam post diem* dicto modo ».

87. Verum quoad peccata alias confessa et absoluta haud unius diei limitibus constringit doloris virtutem Diana, qui allata Ledesmae sententia mox subiicit tom. 1. tr. 3. resol. 89. n. 2.: « Ex quibus confessarii sedabunt multos scrupulos praesertim illorum, qui confitentur de peccatis venialibus ordinariis et cum illis de aliquo peccato mortali alias confesso et absoluto; nam in tali casu et in tali confessione secundum sententiam horum Doctorum, non tenentur elicere novum actum doloris et contritionis ». Quam animadversionem amplectitur et Leander, uti videre est apud Diana, ibid. resol. 90. n. 2. in fin.

Hinc vero et obiectio et solutio obiectionis, quam legimus penes Dicastillo tr. 8. *de Sacr.* disp. 6. dub. 12. n. 167.

« Obiicies (inquit) ex hucusque dictis sequi, posse aliquem toto anno quotidie confiteri eadem peccata, non renovato dolore, quod habuit ab initio, quod videtur absurdum ».

Et reponit « Respondet Lugo disp. 14. n. 35. id pendere ex alia quaestione, ad quam omnes tenentur respondere, scil. quanto tempore possit dolor antecedere confessionem, vel absolutionem, ut dici possit habere moralem unionem cum ipsa in ordine ad constituendum unum sacramentum. Omnes enim debent assignare aliquod tempus, intra quod eae partes debeant concurrere, ne forte propter longam distantiam non possit esse unio moralis inter partes adeo distantes. Haec ille et quidem verissime: voluissem tamen, ut aliquam nobis regulam assignasset vel suum in ea re iudicium aperuisset. Solum addidit, dolorem priorem interrumpi per peccatum subsequens atque adeo ex eo etiam capite debet iterum renovari. Et his concludit rem totam. Sed quid si toto anno non fuerit interpositum peccatum? Quid si per supervenientem phrenesim vel aliam mentis alienationem? Malim ab aliis audire, quid sentiant, quam per me decernere ». Ita Dicastillus: et quoad distantiam inter dolorem et confessionem de qua mox agemus, non aggrediemur id per nos ipsos definire, quod definire ille ausus non est. Duo tamen iuverit adnotasse in praesens.

88. 1° Cum materia proxima (admissa utcumque hac theoria de actibus poenitentis) compleatur per exteriorem significationem doloris,

ut innuit Salas sup. n. 81. et fuse explicat Dicastillus l. c. nn. 162.-164. nec referat, utrum tunc actus doloris actu perseveret, cum sit satis antea eum elicuisse; non video, cur maior unio *ratione distantiae* requiratur inter actum doloris et eius significationem, quam inter peccatum et peccati confessionem, aut (melius dixeris) inter confessionem et absolutionem.

2° Quaestio parum deservit ad praxim, cum haec omissio actus doloris, cum quis confitetur etiam elapsae vitae peccata iam confessa et absoluta, vix unquam contingat. Tamen animadversio Dianae reipsa utilis est ad sedandos scrupulos excitatos subinde ab indiscretis concionatoribus, cum declamant contra iteratas veterum culparum confessiones absque dolore. Ad quae illud etiam in mentem iterum revocandum, ab hac confessione vix seiungi reipsa actum directum doloris; actum autem, quem depraedicant, vix aliud esse, quam actum reflexum, ut alias notavimus.

89. Quaestio ergo agenda de distantia doloris a confessione vel absolutione. S. Alphonsus innuit sententiam quorundam, qui putaverunt sufficere dolorem, etiamsi longo tempore confessionem praecesserit et his accenset etiam Suarez *de Poenit.* disp. 20. sect. 4. n. 29. At Suarez nihil tale habet, sed solum dicit: « Certum est, posse quidem dolorem hunc tempore antecedere ipsam confessionem, non tamen id esse necessarium, sed aliquando posse comitari confessionem ipsam ».

Melius allegavit Hurtadum, de cuius sententia Diana tom. 1. tr. 3. res. 94. n. 1.: « Consolatoriam sententiam circa praesentem quaestionem tenet doctus Hurtado disp. 1. *de Sacram. in Gen.* diffic. 2., ubi sic ait: In poenitentia post actus poenitentis, multo tempore post, potest absolutio valide conferri, sicut etiam in iudicio forensi (instar cuius poenitentia est instituta) multo tempore post discussionem causae fieri solet absolutio vel condemnatio, toto scilicet tempore post, quo actus poenitentis dicuntur moraliter permanere, quandiu permaneant habitualiter, idest quandiu non retractentur neque expresse neque implicite. Haec ille ». Ita Diana, qui ibid. n. 3. subdit: « Verum sententia Hurtadi mihi etiam probabilis videtur ». Et cum Hurtado generatim de actibus poenitentis loquatur, merito intelligitur etiam de dolore sine confessione.

S. Alphonsus n. 446. dicit, sententiam, quae longam distantiam admittit, non approbari a Concina. Sed non admodum valet nomen Concinae contra Sotum, Hurtadum, Candidum, Escobar, imo et Suarez (falso allegatum).

Atqui s. Alph. ibid. in fin. refert, Concinam non dissentire *a communi doctrina* de analogia inter forum externum et sacramentale: posse

igitur intercedere aliquod spatium inter discussionem causae et sententiam; licet s. Alphonsus heic subdat, quod iam dixerat lib. 6. n. 9., in hoc sacramento non tantam esse debere, quanta fit in iudicio forensi (quod plane gratis affirmatur).

Hinc apparet, quanta prudentia Lugo disp. 14. n. 35. prorsus indefinitam reliquerit quaestionem de hoc tempore et solum dicat, talem debere esse distantiam, ut maneat unio moralis. Nam cum unio moralis desumi debeat in casu ex natura sacramenti quod perficitur per modum iudicii; proinde unio moralis eam patietur distantiam, quam potest pati iudicium inter actus ad id necessarios.

Et mirum sane, quod s. Alph. lib. 6. n. 5. alleget Croix lib. 6. p. 1. n. 8. dicentem ex Tamburini *de Sacr. in gen.* cap. 1. §. 1. n. 6., spatium horae post confessionem non obstare validitati absolutionis. Sed quis id acceperit ceu regulam distantiae? Nonne Tamburini sup. n. 82. dicebat, posse etiam distare unum diem? Tamburini ergo dum de hora loquitur, non mensuram defigit, sed solum negat, id validitati nocere.

90. Ceterum nulla est ratio, cur dolor magis coniunctus esse debeat cum confessione, quam confessio cum absolutione. Porro nonne isti DD. admittunt, imo adamant morem differendi absolutionem? Nemo autem affirmavit, opus esse, ut quando dein absolutio impertitur, poenitens debeat actus suos, scil. dolorem et confessionem iterare.

Quidquid de his sit, haec uti patet, parum ad praxim faciunt et solum valere possunt ad tollendos scrupulos iis, qui deinde anxii sint, eo quod dolorem in actu confessionis non renovaverint.

Veruntamen s. Alph. n. 446. dein affert sententiam eorum, qui dolorem concedunt, etiam pridie elicitum, moraliter perseverare, imo et per aliquot dies, ut ait Roncaglia *de Poenit.* q. 2. cap. 3. q. 2. resp. 2., « si intra tale tempus praeconceptus dolor venerit in memoriam ibique in confuso saltem retineatur cum aliqua ratificatione et approbatione; nam tunc illa approbatio et saltem confusa recogitatio facit, quod voluntas praeconceptum dolorem in se retineat (scilicet renovet: at estne necessaria haec renovatio? id negatur: quid ergo?): unde si talis poenitens interrogaretur, an vere doleat de peccatis, statim responderet, utique dolere ». Quod idem concedit Roncaglia ibid., si poenitens hic interim orationi, fugae occasionum etc. insistat.

Addit heic conditionem Gury vol. 2. §. 446. q. 7., *dummodo elicitus sit dolor ex intentione confessionis.* At haec limitatio procedit ex falso principio, de quo sup. iam dictum est a n. 77.

Croix heic lib. 6. p. 2. n. 706. sub specie consilii, ambiguis verbis, vellet necessitatem imponere renovandi doloris, si poenitens post actum

doloris ad alia negotia se distraxerit, secus si v. gr. exspectet ad tribunal confessarii.

Ipse s. Alphonsus tamen subdit n. 446.: hoc habendum ut consilium, non vero ut praeceptum.

De actibus fidei speique.

91. Concina et quidam alii exigunt, ut poenitens etiam eliciat actus fidei et spei, quippe qui a Tridentina Synodo expresse memorantur, ubi describitur iustificationis processus.

Resp. Hoc unum deerat, ut Concina adderet etiam necessitatem audiendi prius praeconem fidei. Nam Concilium eo loco dicit etiam sess. 6. cap. 6.: *fidem ex auditu concipientes;* imo addere debuerat, necessario requiri etiam dolorem *imperfectum* nec contritionem ex motivo caritatis sufficere, quia in eodem decreto legitur « *timore divinae iustitiae concutiuntur* ».

Atqui aliud est innuere viam (ut fit in illo decreto), quo homo lapsus venit ad iustificationem: aliud vero decernere, illa omnia tanquam necessaria toties quoties; quasi vero in homine iam christiano quaedam non possint, imo non debeant praesupponi.

Ad rem Suarez disp. 4. *de Poenit.* sect. 2. n. 7.: « Denique sess. 6. cap. 6. plures actus Concilium numerat in dispositione peccatoris, quos necesse non est semper omnes formaliter concurrere, sed sufficit virtualiter seu implicite, ut actum spei ».

Et Ripalda *de Ent. Supern.* disp. ultim. n. 460. « Responderi potest haberi quidem posse attritionem sine actu fidei, ad iustitiam tamen non perveniri sine illo; nam priusquam adultus ad sacramentum accedat, nec timorem divinae vindictae nec spem veniae nec affectum suscipiendi sacramentum per se quidem absque fide habere potest; quod sufficit ad necessitatem fidei a Paulo et Tridentino requisitam ». Fides ergo et spes reipsa exercentur et in ipsa actione accedendi ad sacramentum includuntur, ut patet.

Et tamen sunt Confessarii, qui praeiudicio illo abducti exigunt a poenitentibus, ut ante confessionem peccatorum prius recitent formulas consuetas actuum virtutum theologalium, nisi forte etiam illos dimittant, ut prius huic muneri satisfaciant. Quod quidem eo etiam est insipientius, quod in formula consueta fidei non reperies ea, quae Concilium dixit credenda, scil. *Deum per Christum sibi propitium fore.*

Nunc resumendae sunt resolutiones, quas praeterivimus, 8ª. 9ª. 10ª.: quae uberem materiam suppeditant; quam sub distinctis titulis pertractabimus et primum, quod A. tangit resol. 8ª.

An sufficiat propositum virtuale (resol. 8ª).

92. Recte in primis distinguit Lugo disp. 14. n. 52., includat ne dolor requisitum propositum necne. Nam si dolor concipiatur non ex motivo universali v. gr. divinae offensae, sed ex speciali, propter quod poenitens dolet de peccatis illis, quae confitetur, v. gr. ob turpitudinem simoniae; profecto hic dolor ne virtualiter quidem continet propositum universale non peccandi de cetero, quod omnino requiritur. Ergo in hoc casu patet, propositum virtuale, quod scil. includitur in peccati detestatione, non sufficere. Sed haec est hypothesis a specie veri distans. Qui enim v. gr. labatur in simoniae crimen, licet maxime doleat ob turpitudinem specialem istius criminis, at nisi ad alia peccata affectus ipse supponatur, in culpae detestatione et desiderio reconciliationis cum Deo reperitur implicite voluntas a peccatis generatim abhorrens. Animadversio Lugo vera est, si supponas hominem, qui nihil ab aliis peccatis abhorreat, sed solum ab eo speciali, quod nunc detestatur. At si interrogetur, num v. gr. vellet aut velit furari, moechari, s. Euch. profanare..., respondebit: *Absit, minime.* Unde actus directus adest, ut patet.

Quaestio igitur vertitur, an sufficiat propositum virtualiter inclusum in dolore, quando dolor concipitur ex motivo universali, adeo ut etiam propositum in eo inclusum universale dici possit et debeat.

Et omissa nunc eorum opinione, qui nullum propositum exigebant et quam Suarez refutat disp. 20. sect. 4. n. 33., quia, inquit, *confessio cum actuali complacentia peccati mortalis est omnino nulla et qui scienter non vult elicere propositum, profecto ne virtuale quidem habet*, omissa, inquam, hac opinione, S. Alphonsus tres ponit sententias lib. 6. n. 450.

1ª Statuit, requiri propositum formale atque expressum, et idcirco virtuale non sufficere.

2ª Sententia affirmat, virtuale sufficere, dummodo, ut diximus, eliciatur ex motivo universali.

3ª Tertia denique dicit, *formale* propositum eliciendum esse (et quidem sub gravi) si cogitatio subeat de tempore futuro; sufficere vero *virtuale*, si poenitens de futuro nihil cogitet.

93. Porro haec tertia vix a secunda distat quoad substantiam. Nam concedit esse validam confessionem, si poenitens nihil de futuro cogitavit. Ergo concedit, propositum *formale* non pertinere ad rei essentiam, et ad effectum sacramenti sufficere etiam merum *virtuale*.

Ceterum quando pro eo, cui subit cogitatio de futuro, hi ultimi

exigunt propositum *formale*, vel loquuntur de obligatione a Concilio Tridentino imposita, quae extrinsece se habeat ad rei in se spectatae exigentiam (et reipsa Holzmann apud s. Alph. n. 450. ad Concil. Trid. recurrit), vel de rei exigentia seu natura loquuntur.

Porro si de obligatione a Tridentino imposita loquuntur, 1° paulo post videbimus, frustra inde deduci necessitatem *formalis* propositi. 2° Nimis difficile foret, ne dicam impossibile contendere, quod Concilium ibi non descripserit dispositionem, quae ex Christi institutione requiritur atque adeo ex rei exigentia, sed obligationem actus per se non necessarii imposuerit.

Si vero sermo sit de re in se spectata; vel fingimus hominem, qui ideo ad cogitationem temporis futuri non elicit propositum formale, quia vel corde adhaeret peccato vel saltem ideo haesitat seu propositum cohibet, quia incertus haeret reipsa non habet voluntatem determinatam et tunc neque adest propositum virtuale, imo nec adest sufficiens dolor peccati, utpote inefficax. Si vero fingimus hominem, qui sincere peccata ex motivo universali detestatur, tunc chimaerica est hypothesis; quia cogitanti de futuro non potest deesse etiam *formale*. Nam, ut inquit Bellarminus *de Poenit.* lib. 2. cap. 6.: « Dubitari non potest, quin is, qui serio peccata sua odit ac detestatur et ob ea perpetrata dolet, cupiat simul ac velit saltem implicite et virtualiter deinceps in melius vitam mutare ». Et rursus (in resp. ad 3. obiect.): « Dico igitur non posse fieri, ut verus sit in animo dolor de peccatis admissis, quin continuo oriatur etiam propositum vitandi futura ». Proinde nunquam fiet, ut interroganti poenitentem huiusmodi, an velit in posterum peccare necne, hic non illico respondeat, se omnino nolle. Unde egregia sunt illa verba s. Alph. n. 450.: « Revera in quocumque dolore propositum necessario continetur patetque quod taciti et expressi eadem est efficacia. - Et illa Dominici Soto in 4. dis. 15. q. 1. art. 2.: - Detestatio propterea dicitur vera, quia gignit propositum cavendi in futurum... Sed si illud non pariat, non est vera ».

Tertia ergo haec sententia in secundam recidit et quod addit, nullius est ponderis; quia vel actus *formalis* necessario ex sua natura aderit, vel si scienter omittitur, deerit etiam sufficiens dolor.

Haec tertia igitur dimissa, restant duae aliae, quarum prima exigit *formale*, secunda sufficere autumat *virtuale*.

94. Primam defendunt Canus, *Rel. de Poenit.* part. 1. quaest. 2. concl. 1. n. 10., Sotus in 4. dist. 15. q. 1. art. 2., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 6. in fin., et Bellarminus *de Poenit.* lib. 2. cap. 6. et probabiliorem putarunt Toletus lib. 3. cap. 4. n. 2., et Reginaldus lib. 5. n. 8., quibus falso Croix lib. 6. part. 2. n. 894. et post eum s. Al-

phonsus n. 540. addiderunt Caietanum V. *Confess.* n. 12. ubi de qualit. *lacrymabili,* Bonacinam et Henriquez et s. Alph. addit etiam Suarez. Nam Caietanus et Bonacina disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 8. n. 2. docent oppositum. Henriquez lib. 4. cap. 24. n. 2. tertiam docet sententiam, de qua supra.

Et si pondus auctoritatis pro hac prima sententia perpendas, singularis est ratio agendi Bellarmini itidemque Valentiae. Ille l. c. cap. 6. scribit: « Nobis communis ac trita a veteribus via semper visa est tutior ac commodior ». Si quaeras, quos veteres appellet, reperies allegari ibid. Alensem, s. Thomam, Durandum, Scotum, Albertum, queis deinde addit Adrianum VI., Caietanum, Sotum et Canum.

At enim ipse fatetur, priores illos asserere utique necessitatem alicuius propositi, sed non distinguere inter formale et virtuale. Quomodo ergo hos recenset veluti auctores opinionis suae, quos sequatur?

Contra, cum pro opposita citet Ioannem *Maiorem* et Almainum, quibus addere poterat Seraphinum Capponi a Porrecta, quem male ipse allegat sub nomine Caietani (a), antiquiores potius pro opposita habuisset. Idem dicito de Valentia, qui l. c. veteres nihil distinguentes assumit gratis ceu vindices propositi *formalis.*

95. Suam dein Bellarminus opinionem fulcit verbis Tridentini. Etenim cum propositum implicitum (inquit) a peccati detestatione nullo modo separari possit, sine causa Concilia addidissent illa verba: *Cum proposito non peccandi de cetero:* quorsum enim ista expressio, si propositum non expresse requiritur? ».

Sed respondet Lugo disp. 14. n. 53., illa verba Tridentina intelligenda, esse de proposito formali vel virtuali; « quia nimirum potest esse dolor aliquis (vid. sup. n. 92.), qui non affert secum tale propositum universale; ideo explicuerunt Patres dolorem, non utcumque, sed cum proposito non peccandi, sive formali sive virtuali.

Et subdit ibid. Lugo: « Quod autem virtuale etiam sufficiat, colligi potest ex eodem Tridentino illa sess. 14. c. 4., ubi dicitur, attritionem ex gehennae metu v. gr. « si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, peccatorem disponere ad recipiendam gratiam iustificationis cum sacramento poenitentiae: ubi non requiritur alia conditio ad hunc effectum, nisi quod attritio sit talis, quae voluntatem peccandi excludat: ergo quoties hoc habuerit attritio, disponit sufficienter ad valorem

---

(a) Seraphinus a Porrecta perpendens definitionem contritionis a s. Thoma ibi illatam = Contritio est dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi = advertit, quod intelligitur *dolor de peccatis ac detestatio pro quocumque tempore,* Particula ergo de peccatis (inquit) continet propositum non amplius peccandi.

sacramenti. Dolor autem ille universalis... excludit voluntatem peccandi, ut constat (et Bellarminus concedit, imo contendit). Ergo.

Obiicit Bellarm. (eod. cap. 6. in fin.); etiam propositum non peccandi detestationem peccati implicitam et virtualem includit: Ergo sufficiet etiam propositum non peccandi sine detestatione formali.

At quispiam facile reponet, utique sufficientem ad sacramentum esse dolorem virtualiter inclusum in proposito, si revera motivum propositi tale sit, quod virtualiter etiam praeteriti peccati detestationem includat, uti superius n. 52. vidimus cum Card. De Lugo.

Obiicit Canus *Relect. de Poenit.* p. 1. q. 2. concl. 1. n. 10., quod nisi Concilium intelligeretur de explicito, iam « statueret ad contritionem cordis spectare propositum ieiunandi tempore quadragesimae ».

Respondebimus, quod, posita lege, id et in proposito explicito continetur, quod est servandi omnem legem: licet, cum hoc elicitur non cogitetur de omnibus singillatim legibus. Ergo est obiectio nulla.

96. S. Alphonsus n. 450. concedit, secundam et tertiam sententiam esse probabiliores; sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi *ante factum* tutius eam sequendam; *post factum* autem (quae est tertia sententia) non esse repetendam confessionem ex communi Doctorum (quibus falso accenset Bellarminum). Sed neque his se posse acquiescere; quia culpa et gravis et certa exigit confessionem certe et non tantum probabiliter validam.

Quod attinet ad opinionem s. Alph. 1° Alii negare possent probabilitatem primae sententiae; tum quia pondus auctoritatis potius iactatur, quam reipsa promatur, ut vidimus sup. n. 94., tum quia rationes pro ea allatae nullum habent pondus.

2° Eo magis autem infirma est vis auctoritatis ad scopum s. Alphonsi, quia si veteres quidam exegerunt propositum formale, adeo tamen aberant, ut secus invalidam haberent confessionem ac repetendam censerent, ut validam putarent etiam cum dolore mere existimato. Ita Canus et Sotus.

3° Alii praeterea negabant principium, quod s. Alph. ibi ut certum assumit, quasi nempe heic agatur de necessaria *materia ex qua.*

4° Denique ipse s. Alphonsus alibi lib. 6. n. 105. negat, imponendum onus esse confessionis repetendae, nisi moraliter certo constet de nullitate confessionis. En eius verba. *Hic sedulo advertendum, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones,* NISI MORALITER CERTO CONSTET, EAS FUISSE INVALIDAS, *ut recte dicunt Croix, Gobat* etc. CUM COMMUNI, *contra Antoine, qui inter rigidos auctores nostri temporis non infimum habet locum.* At vero in casu potius quam certo constet, confessionem fuisse invalidam, contra merito dices, moraliter

certo constare, confessionem validam fuisse : quippe in neganda necessitate repetendi confessionem consentiunt, ipso fatente, tum primae, tum secundae, tum tertiae sententiae Auctores. Porro hanc necessitatem non negarent, nisi confessionem validam censerent. Doctores ergo *moraliter omnes* confessionem esse validam affirmant. Unanimis autem Doctorum consensus, ex canone ab omnibus recepto, moralem certitudinem parit. Ergo etc.

Ceterum quod s. Alphonsus ad singularem illam conclusionem deflexerit, duplex videtur causa exstitisse. Nam primo quidem deceptus a Croix primam illam sententiam pluribus adscripsit, qui eam nullatenus habent, uti n. 94. iam vidimus. Deinde vero non satis advertit, primae illius sententiae patronos, quotquot demum sint, dum simul cum aliis, ipso fatente, docent, confessionem non esse repetendam, haudquaquam existimasse, propositum explicitum *necessitate medii* (ut inquit Valentia) esse necessarium et idcirco ipsos ad tertiam potius sententiam pertinere, adeo ut prima illa sententia, prouti a tertia distinguitur, reipsa vix ullum patronum habeat et idcirco nonnisi ex falso supposito aliqua ipsi probabilitas tribuatur.

97. Incredibile plane videri poterit; ita tamen se res habet: quatuor et quinquaginta columnas (omissis nempe quatuor aliis, quae licet aliam habeant materiam, insertae illis sunt) VV. pag. 443.-472. de hoc argumento impleverunt, contendentes nimirum iure merito s. Alphonsum statuere, non esse certo validam, *atque adeo iterandam esse confessionem absque formali et explicito proposito peractam*. Paucis rem perstringemus. Huius autem disquisitionis fructus sit ille, ut etiam haec quaestio iam ad statum transire queat rei iudicatae.

Sit itaque argumentum: Quisquis 1° negat *formale seu explicitum propositum esse de essentia illius contritionis, quae*, ut ait Suarez *de Poenit.* disp. 4. sect. 3. n. 1., *est ultima dispositio ad gratiam* et 2. affirmat *detestationem peccati sine proposito formali*, ut ait idem Suarez l. c. n. 6., *esse sufficientem dispositionem ad gratiam* ac 3. *sufficere propositum virtuale in dolore inclusum, ut validum sit sacramentum*, ut ait idem Suarez disp. 20. sect. 4. n. 34., hic profecto tenet, confessionem absque formali seu explicito proposito et solum cum proposito virtuali seu implicito peractam, esse validam atque adeo non esse necessario iterandam. Atqui haec unanimis dici debet Scolae catholicae sententia. Ergo.

Prob. Min. 1° Suarez disp. 7. sect. 3. n. 7.: « Concluditur, formale propositum non peccandi de cetero non esse de essentia et formali ratione contritionis. - Et rursus ibid. n. 6.: - Potest sola detestatio peccati sine proposito formali esse sufficiens dispositio ad gratiam. - Et rursus

disp. 20. sect. 4. n. 34.: - Existimo, sacramentum esse validum et sufficere propositum virtuale in dolore inclusum ». Hinc patet, qua fruge VV. pag. 447.-449. septem columnas textibus Suarez repleant. — Dices: Suarez disp. 4. sect. 3. n. 3. statuit, *formale propositum per se loquendo esse necessarium.* Resp. *Disting.:* Statuit, esse necessarium ad valorem Sacramenti, *Nego:* aliis de causis extrinsecis *per se loquendo*, Transeat; quaestio autem praesens est de valore Sacramenti.

2° Petrus Soto in Trid. Synodo theologus *de Sacr. Poenit.* lect. 17. prop. fin.: « Patet aperte, dolorem integrum, qualis descriptus est, sufficere: in quo propositum hoc inclusum est. Satis itaque est, implicite haec habere. » Aiunt VV. pag. 447., *Petrum* Sotum impugnari a Suarez disp. 20. sect. 4. n. 32., propterea quod dist. 17. q. 1. art. 2. dixerit, *confessionem nunquam esse fictam ex defectu propositi, si tamen poenitens suum defectum confiteatur.* — Resp. 1° Qui habet opus cum dist. quaest. et art. non est *Petrus* Soto, sed *Dominicus.* 2° Si Suarez impugnat Dominicum Soto, quia iste, ut ait idem Suarez, *nec virtuale propositum requirit*, quomodo VV. obiiciunt nobis Dominicum Sotum tanquam requirentem non modo *virtuale*, sed etiam *formale* propositum?

3° Vasquez in 3. p. q. 86. art. 2. dub. 4. n. 3.: « ut deleatur peccatum, propositum cavendi futura satis est, si sit virtuale... Haec sententia, meo iudicio, verissima est ».

4° S. Alphonsus lib. 6. tr. 4. cap. 1. dub. II. not. A. edit. an. 1748.: « Hic operae pretium putamus notare, quaenam sint sententiae moraliter certae... Sunt... II. Sufficere propositum virtuale seu implicitum in dolore concepto ex motivo generali. - Et rursus edit. an. 1757. lib. 6. n. 540.: - Optime docent Croix, Viva et alii communiter quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris Confessionem repetere ». Haec erat ergo sententia communis.

5° Collet *de Poenit.* part 2. cap. 4. n. 230.: « Si novae vitae propositum (formale) ad essentiam contritionis pertineat, eo etiam inculpate omisso, deficiet substantia contritionis sicque conclamata erit salus poenitentis, qui peccato super omnia detestando intentus, de futuro non cogitaverit. Atqui hoc mihi quidem absurdum, aliis vero doctoribus ridiculum videtur ». Collet autem, ut norunt omnes, non potest laxis auctoribus accenseri ».

6° Franciscus Sylvius apud Collet l. c. n. 231.: « Dicendum cum Navarro... per accidens sufficere propositum implicitum... Unde si quis occupatus vel in examinanda sua conscientia vel in detestanda vita praeterita... non cogitet actu, *volo emendare vitam...*, sed bona fide eat ad Confessorem..., talis eius confessio est bona ».

7° Etiam rigidissimus Concina *Epitom. Th. Christ.* lib. 11. cap. 8.: « Contingere tamen potest, ut poenitens ita vehementi dolore abreptus sit, ut de proposito non cogitet; at si adverteret, firmissimam resolutionem conciperet non peccandi de cetero. Sed nunc sermo est de iis, quae communiter contingunt ». Gemina habet alibi *de Poenit.* diss. 3. c. 1. n. 18. Cum itaque heic valida asseratur confessio sine formali proposito, quorsum VV. etiam Concinam recensent pag. 455. in articulo, cui titulus: *Vindicantur auctoritates a s. Alphonso allegatae?*

8° Cardenas part. 4. diss. 2. n. 80.: « Est supra omnem probabilitatem omnino certum, quod hoc propositum virtuale sufficiat... Cum ergo certum sit, id genus propositi virtualis sufficere; non habet hic locum ea damnatio, scilicet propositionis primae ex proscriptis ab Innocentio XI. ».

9° Bonacina *de Poenit.* disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 3. n. 9.: « Observa tamen, sufficere propositum virtuale, quo quis ita detestatur peccata, ut si menti occurrerent, firmum eliceret propositum illa praecavendi ». Afferunt VV. pag. 421.-452. Bonacinam l. c. punct. 8. ubi utramque sententiam dicit probabilem. Resp. 1. Quam sententiam ipse absolute praeferat, patet ex allatis eius verbis. Advertantur verba, quae habet in loco a VV. allegato n. 2.: « Non videtur existimandum invalidum sacramentum susceptum ab eo, qui bona fide detestatur peccatum illudque confitetur absque formali proposito ».

10° Laymann lib. 5. tr. 6. cap. 1. n. 8.: « In actu contritionis includitur etiam propositum, saltem implicitum, in posterum, si vita suppetat, servandi mandata Dei. Sufficit tamen ad iustificationem implicitum votum seu propositum horum sacramentorum - Et luculentius lib. 5. tr. 6. c. 4. n. 6.: Assertio 6. - Ad iustificationem extra et intra Sacramentum, per se ac necessario non requiritur expressum propositum servandi mandata Dei sive a peccatis abstinendi, sed sufficit implicitum, quod in ipsa detestatione peccatorum virtualiter continetur ».

11° Viva ad prop. 1. Innoc. XI. n. 26.: « Cum videatur, esse moraliter certum, non requiri in Sacramento Poenitentiae... propositum non peccandi de cetero formale, sed sufficere virtuale...; idcirco sequimur huiusmodi propositiones probabilissimas, omissis tutioribus ».

12° Resolut. Cas. Dioec. Bononiens. de mandato Benedicti XIV. pag. 151.: « Dicendum est, defectum formalis propositi invalidam non reddere confessionem ».

13° Felix Potestas tom. 1. part. 4. n. 3072. absolute: « Pro valore Sacramenti... requiritur propositum de cetero non peccandi... Sufficit quod propositum sit implicitum et virtuale ».

14° Trullench lib. 4. cap. 5. dub. 5. n. 5. absolute: « Sufficit propositum virtuale. Nav. Bon. ».

15° Andreucci *Memorial Confess.* p. 1. c. 1. §. 3. n. 2. absolute: « Ad valorem et effectum Sacramenti dicendum, quod... sufficit virtuale inclusum in ipso dolore ac detestatione, si dolor fuerit ex motivo aliquo universali... Neque haec opinio ullatenus videtur affici a proscriptione prop. 1. damnatae ab Innoc. XI. ».

16° Petrus Catalani part. 3. *de Poenit.* q. 6. c. 4. n. 16.: « Auctores primae sententiae (quae nempe exigit *formale*) non negant, validum esse sacramentum, si quis accedat ad illud bona fide ac peccata detestetur... cum proposito virtuali tantum ».

17° Reiffenstuel tr. 14. dist. 6. q. 4. n. 49.: « Propositum non peccandi de cetero... regulariter quidem debet esse formale et explicitum... Per accidens tamen potest etiam sufficere propositum virtuale ac implicitum. Ita communis ». Hinc argue: si ad valorem sacramenti essentialiter pertineret *formale* propositum, defectus eius, licet per accidens, valorem tolleret, quia tolleret essentiam. Atqui. Ergo.

18° Holzmann part. 5. n. 501. absolute: « Per accidens saltem sufficere posse propositum virtuale et implicitum, communis est Doctorum sententia... quo in casu qui habet propositum virtuale et implicitum... censetur sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem sacramentalem: ut proinde valeat illud: Taciti et expressi eadem est efficacia ».

19° Fagundez *de* 2° *Eccl. Praec.* lib. 2. c. 3. n. 14. absolute: « Communis sententia docet, non requiri formale (propositum) sed sufficere virtuale..., quod maxime verum est, quando poenitens ob inculpabilem inadvertentiam non meminit huius formalis propositi ».

20° Cuniliati tr. 14. c. 4. §. 3. n. 6. absolute: « Propositum regulariter debet esse explicitum et formale... Dixi regulariter... quod si dumtaxat ex inadvertentia omittatur, tunc censetur implicite contentum in dolore ».

21° Antonius a Spir. S. *Compend. Salmantic.* tr. 27. c. 2. punct. 7. n. 79. absolute: « 1° Propositum aliquod saltem virtuale requiritur ad valorem huius sacramenti... 2° Propositum formale et expressum non requiritur ad validum sacramentum essentialiter ».

22° Rodriguez Emman. *Summ.* tom. 1. c. 48. n. 4. absolute: « Poenitentia peccatorum, quam habet peccator sine proposito formali vitandi ea..., est sufficiens, ut ille peccator maneat iustificatus ».

23° Dupasquier *Theol. Scol.* tr. 15. disp. 3. q. 2. concl. 3.: « Contritio debet esse cum proposito formali...; in aliquo tamen casu sufficere posset virtuale et implicitum. Est communis... Secus si quis ex toto

corde peccata sua detestaretur non cogitans de futuro et in eo statu moreretur, damnaretur defectu talis propositi formalis; sed hoc est falsum et inconveniens et durum ».

24° Billuart *de Poenit.* disp. 4. artic. 1. absolute: « Propositum videtur, per se loquendo, debere esse explicitum... Per accidens tamen... sufficit implicitum seu virtuale... Ratio est, quia propositum formale non est de essentia contritionis, nec consequenter pars essentialis Sacramenti ». Primam partem huius textus afferunt etiam VV. pag. 456.: Sed non debuissent recidere secundam, quae dirimit contra eos quaestionem.

25° Platelius (*Curs. Theol.* part. 5. c. 6. §. 2. n. 646.): « Ex nullo capite probari potest necessitas propositi formalis distincti ab efficaci detestatione peccatorum virtualiter continente voluntatem efficacem non peccandi de cetero: cum hoc virtuale propositum abunde sufficiat ad explicanda Concilia indefinite requirentia propositum emendationis ».

26° Filliuccius (tr. 7. cap. 7. n. 161.) absolute: « Si quis bona fide detestetur peccatum, quod confitetur et non advertat ad formale propositum in futurum..., confessio erit valida et sufficit tunc propositum virtuale..., ut ex Medina et firmius ex Conc. Florentino et Tridentino probat Suarez ».

27° Coninck *de Poenit.* disp. 2. n. 58.: « Non semper necessario requiritur propositum in posterum vitandi omnia peccata, quod sit distinctum ab actibus praecedentibus. Quia fieri potest, ut dum quis elicit priores illos actus (scil. *doloris*), nihil cogitet de vitandis peccatis in posterum; quo casu non poterit habere formale circa hoc propositum et tamen iustificabitur ».

28° Marchant Petrus *Trib. Poenit.* tr. 4. tit. 3. quaest. 4. ad quaestionem, « An ad veram contritionem sive attritionem requiratur formale propositum de cetero non peccandi, - respondet: - Ad veram contritionem sive attritionem sufficit virtuale propositum de cetero non peccandi et mandata servandi, nec formale necessarium est ».

29° Mastrius *Theol. Mor.* disp. 21. q. 2. n. 32. absolute: « In casu naturalis oblivionis... expressum propositum cavendi peccata in futurum non est ad iustificationem necessarium, sed sufficit virtuale et implicitum ».

30° Giribaldi tr. 7. cap. 5. n. 75. absolute: « Respondeo ad sacramentum poenitentiae sufficere propositum virtuale inclusum in ipsa detestatione, sine formali et expresso. Colligitur ex Tridentino ».

31° Io. Medina *Cod. de Poenit.* tr. 1. q. 3. pr. fin. absolute: « Satis est, si (poenitens) virtualiter proponat, prout propositum virtualiter continetur in actu poenitentiae ».

32° Illsung tr. 6. disp. 6. q. 3. art. 3. n. 34.: « Tridentinum... tanquam sufficientem dispositionem ad iustificationem per sacramentum poenitentiae approbavit contritionem imperfectam..., si voluntatem peccandi excludat, absque discrimine, utrum illa exclusio fiat per virtuale propositum in illa inclusum vel per formale...; satis tamen insinuat, magis requiri detestationem formalem, quam propositum formale ».

33° Salmanticenses tr. 6. c. 5. n. 54. absolute: « Sufficit ad Sacramentum Poenitentiae propositum virtuale, quo quis ita detestatur peccare, ut si menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propositum, illa praecavendi in futurum ».

34° Roncaglia tr. 19. q. 2. cap. 1. q. 2. resp. 2.: « Si quis tota mente occupatus in detestandis peccatis praeteritis, nihil cogitaret de futura emendatione, atque ita sine proposito explicito reciperet Sacramentum Poenitentiae, putarem ipsius virtute iustificari. Ratio, quia..., omissio propositi expliciti non esset ex defectu doloris, sed ex defectu advertentiae ».

35° Wagemann *Synops. Theol. Mor.* part. 5. tr. 2. c. 4. n. 53.: « Est communior sententia, quod sufficiat propositum virtuale... Potest haec sententia servire ad hoc, ut per oblivionem omittens quis formale propositum et post sacramentum deprehendens defectum, possit acquiescere ».

36° Elbel *de Poenit.* conf. 4. n. 86.: « Ad sacramenti poenitentiae valorem probabilissime sufficit propositum virtuale... Dixi probabilissime ad valorem etc. Etenim Stoz cum aliis probatissimis et classicis auctoribus hanc sententiam etiam in praxi vere tutam existimat nec per eam exponi sacramentum periculo etc. ».

37° Marcus Struggl tr. 11. quaest. 2. art. 2. n. 27. absolute: « Ad valorem Sacramenti poenitentiae, per se loquendo, non requiritur necessario propositum formale vitae melioris, tanquam actus distinctus a dolore, sed sufficit propositum virtuale, ipsi dolori universali identificatum ».

38° Honoratus Fabri *Th. Mor.* tr. 9. cap. 2. n. 11.: « Si attritio est ex motivo universali, cadente in omnia mortalia... in illo actu contritionis includitur propositum non peccandi in posterum..., nec aliud requiritur a Concilio. - Et rursus ibid. n. 12.: - Respondeo, sufficere propositum virtuale, quod in ipsa detestatione includitur ».

39° Aversa *de Poenit.* q. 2. sect. 12.: « Negari non potest, posse illum actum poenitudinis elici sine distincto actu propositi... At in illo casu fatendum est, peccatorem iustificari; per illum enim actum avertitur a peccato... et virtualiter habet animum non amplius peccandi...

Ergo negari non debet, eum iustificari. - Et rursus quaest. 11. sect. 2.: - Si poenitens bona fide confiteatur, non cogitans nec a Confessario admonitus de tali proposito eliciendo, satis erit si habeat dolorem sufficientem, qui virtualiter tale propositum includit, ut recipiat quoque effectum gratiae ».

40° Reuter part. 4. tr. 4. n. 290.: « Regulariter loquendo requiritur etiam, ut propositum sit formale et explicitum... - Dixi: regulariter loquendo; - nam longe probabilius, imo, iuxta Gormaz, Cardenam et alios, moraliter certo sufficit propositum virtuale in dolore universali contentum. Tridentinum enim etc. ».

41° Henriquez lib. 4. cap. 24. n. 2. absolute: « Fieri potest, ut ex inadvertentia aut quia nihil meminit de futura vita, (poenitens) habeat veram dilectionem et contritionem, excluso omni affectu virtuali peccati et iustificetur absque dicto formali proposito, quod satis in contritione includitur in eo, qui non recordatur ». Numquid itaque Henriquez non clarissime affirmat, validum sic esse sacramentum? Quorsum igitur VV. (pag. 455.) columnam integram absumunt, ut in alium sensum verba eius accipiantur?

42° Castropalaus *de Sacram. Poenit.* punct. 1. n. 8. absolute: « Propositum firmum et absolutum nunquam peccandi non oportet in poenitentia fieri actu distincto a detestatione et dolore; etenim qui serio et perfecte detestatur et dolet peccati commissi, voluntatem saltem virtualiter habet nunquam iterum peccatum committendi. - Exinde punct. 2. n. 15. addit: - Nullum peccatum sive mortale sive veniale remittitur absque proposito vel formali vel virtuali ».

43° Mansi *Theol. Mor.* lib. 5. tr. 6. cap. 4. n. 6. absolute: « Sufficit ad iustificationem implicitum propositum de cetero non peccandi, quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur ».

44° Ioan. Pontas *V. Contritio*, cas. 4. absolute: « Certum quidem est, ad veram contritionem necessario requiri firmum non peccandi de cetero propositum... Sed ad essentiam contritionis non requiritur, ut propositum illud sit expressum et explicitum... Satis est igitur, ut propositum illud sit implicitum et virtuale ».

45° Babenstuber tr. 8. part. 6. disp. 4. art. 1. n. 11. absolute: « Per accidens sive extraordinarie sufficit propositum virtuale... Ratio, quia fieri potest, ut poenitens, quando efficaciter dolet de peccatis commissis, nihil cogitet de peccatis futuris vitaque in posterum emendanda. In quo eventu habet propositum virtuale inclusum in ipso dolore formali... Atqui tale propositum virtuale tunc sufficit, veluti consentiunt communiter DD. estque in hoc quoque casu eadem vis taciti et expressi ».

46° Wirceburgenses *de Sacr. Poenit.* cap. 3. art. 5. n. 173. absolute: « Dico: Propositum formale, per se loquendo necessarium est ad contritionem... Per accidens tamen sufficit virtuale. Conc. Trident. ».

47° Ysambertus *de Sacr. Poenit.* disp. 9. art. 3.: « Sit haec Propositio: Propositum non peccandi de cetero, item confitendi sua peccata sacramentaliter et satisfaciendi, in contritione requisitum, non debet esse necessario formale et explicitum, quasi, illo ut tali omisso, contritio sit insufficiens; sed virtuale et implicitum potest sufficere... Est praedicta nostra propositio valde communis inter Scholasticos... In moralibus (enim) virtuale et formale seu expressum coaequantur ».

48° Reginaldus lib. 5. cap. 1. nn. 7.-8.: « An sufficiat, (propositum) esse virtuale..., in utramque partem diversos auctores referunt Bellarminus et Suarez... Quamvis autem pars negans non sit omnino reiicienda..., affirmans tamen videtur sequenda in praxi et poenitenti consulenda ». VV. pag. 454. duas solidas columnas iis implent, quae Reginaldus l. c. post Bellarminum fuse prosequitur, ut scilicet, evincat, in praxi *affirmantem sententiam esse consulendam.* At enim praesens quaestio non est, quae sententia sit consulenda, sed an virtuale propositum sufficiat. Porro s. Alphonsus lib. 6. n. 540. Reginaldum recenset inter eos, qui confessionem cum virtuali proposito peractam negant esse repetendam. Num VV. etiam s. Doctorem refellere instituunt et quidem in eo articulo, quo auctoritates a s. Doctore allegatas vindicare satagunt? Et reipsa Reginaldus conditiones perfecti doloris enumerans, scribit ibid. n. 69.: « Quinto ut peccandi voluntatem excludat sitque cum proposito saltem virtuali vitandi de cetero peccata ».

49° Lessius *In addit. s. Thom.* q. 1. dub. 2. n. 6.: « Dico secundo: Hoc propositum debet esse formale et expressum, si homo cogitet de modo vitae in posterum degendae. Si tamen haec cogitatio non occurrat, sufficit implicitum et virtuale propositum inclusum in serio dolore peccatorum... Si enim virtualis poenitentia aliquando sufficit, cur non etiam virtuale propositum emendationis in dolore peccati inclusum? »

50° Navarrus *Manual.* cap. 1. n. 1.: « Antiquorum et recentiorum... sententiam secuti definimus, quod contritio est poenitudo... cum proposito non peccandi amplius ut minimum virtuali... n. 11. Dixi, ut minimum virtuali; eo quod sicut actus, qui est poenitentia virtualis, sufficit, ita eadem ratione sufficere videtur id, quod est propositum virtuale amplius non peccandi. Et n. 6.: Interrogatus autem, an id... tenendum, nempe... sufficere propositum virtuale? respondi affimative, modo ita eum poeniteat, quod si adverteret ad futura, proponeret de nunquam iterando ea, nec admittendo futura ».

51° Mazzotta tr. 6. disp. 1. q. 3. cap. 4. §. 1. n. 3.: « Quaeres, an propositum debeat esse formale et expressum, an vero sufficiat virtuale et implicitum? Respondeo, sufficere etiam propositum virtuale et implicitum in actu doloris, dummodo hic sit elicitus ex motivo universali... Haec sententia est tam recepta a Theologis tamque firmis rationibus munita, ut non sit practice dubitandum de eius veritate ».

52° Tamburini *Method. Conf.* lib. 1. cap. 1. n. 7.: « Propositum explicitum de cetero non peccandi, licet laudabiliter addatur et in sententia multorum necessario...; at in probabili aliorum opinione satis est implicitum, hoc est illud quod involvitur in ipso actu detestationis... Nemo enim vult committere, quod ipsi displicet ». Cum mere dicat de *explicito laudabiliter addi,* patet, necessarium ab ipso habitum nequaquam fuisse.

53° Esparza lib. 10. q. 88. art. 4.: « Si contingere aliquo modo posset, ut poenitens conciperet contritionem... absque formali proposito non peccandi de cetero, consequeretur procul dubio verum effectum Sacramenti ».

54° Magister Candidus *de Confess.* disp. 24. art. 12. n. 3.: « Dico secundo: Propositum implicitum et virtuale, quo quis ita detestatur peccata, ut si menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propositum et voluntatem absolutam illa praecavendi in futurum, est sufficiens ad valorem Sacramenti et ad effectum illius consequendum ».

55° Voit vol. 2. n. 511.: « Per accidens subinde sufficit (ad consequendam gratiam... in confessione) propositum virtuale, quod includitur in serio dolore, vi cuius poenitens ita constitutus est, ut nolit amplius peccare... Sic videtur conciliari cum nostra aliorum sententia, quod sufficiat propositum virtuale ».

56° Escobar lib. 14. sect. 2. n. 157.: « Formale propositum non videtur mihi tam necessarium... Unde si quis bona fide vere detestetur peccatum quod confitetur et non advertat ad formale propositum, ita ut in omittendo non peccet, Sacramentum erit validum et sufficiet propositum virtuale in dolore inclusum ».

57° Franc. Ant. a Goritia tab. 151.: « Sufficit propositum virtuale et implicitum, inclusum in ipso dolore, si pro casu quis ita acerbo dolore et vehementi contritione abreptus esset, ut nihil de vita in futurum instituendo cogitaret ».

58° Reding *Theol. Schol. de Poenit.* q. 6. art. 2. controv. 3. n. 5.: « Thesis: Ex definitione Concilii Tridentini haud evincitur, propositum de cetero non peccandi, pro poenitentiae Sacramento requisitum, debere esse formale ac explicitum, sed per se loquendo ad huius Sacramenti valorem sufficit implicitum ac virtuale, dum tamen sit universale ».

59° Moya tr. 3. *de Poenit.* disp. 5. q. 11. n. 4.: « Vera sententia tradit, tam ad valorem quam ad effectum Sacramenti sufficere propositum virtuale in dolore inclusum, dummodo talis sit dolor ut saltem implicite extendatur ad omnia peccata mortalia ».

60° Ulloa disp. 5. cap. 3. n. 47.: « Quando audis, detestationem, dolorem atque propositum requiri essentialiter constitutive ad Sacramentum Poenitentiae, ne intelligas de istis actibus formalibus determinate, sed vel de formalibus vel virtualibus factis. - Et rursus n. 72.: - Hoc propositum potest esse distinctum et indistinctum a duobus prioribus actibus, vel ab illorum altero ».

61° Paulus Mezger tr. 18. disp. 44. art. 2. §. 1.: « Conclusio. Ut dolor sit efficax ac proinde utilis ad remissionem peccatorum, sive intra sive extra Sacramentum, necessarium est propositum non peccandi de cetero, ordinarie quidem formale, per accidens et extraordinarie virtuale ».

62° Lucius Ferraris V. *Poenit. Sacram.* art. 2. n. 40.: « Propositum non peccandi de cetero, quamvis per se loquendo debeat esse formale et explicitum... tamen sufficit etiam, quod sit implicitum et virtuale. Scotus ».

63° Sporer *Theol. Sacr.* p. 3. c. 2. n. 316. absolute: « Ad contritionem etiam perfectam, extra vel intra Sacramentum iustificativam, per se universaliter necessario non requiritur formale, expressum propositum de cetero non peccandi mortaliter, sed sufficere potest etiam propositum virtuale in ipsa vera contritione formali semper inclusum ».

64° Granadus *de Sacram. Controv.* 7. tr. 18. disp. 3. sect. 1. n. 6. apud Diana tom. 1. tr. 3. res. 109.: « Ad attritionem existimo sufficere propositum virtuale, quod intrinsece clauditur in dolore... Quare qui ex animo dolet de peccatis propter poenas inferni, sufficienter dispositus accedit ad Sacramentum Poenitentiae absque alio proposito formali non peccandi de cetero ».

65° Villalobos *Sum.* tom. 2. tr. 9. diffic. 19. n. 8.: « Quando poenitens cogitat de peccatis futuris, tenetur habere propositum actuale ea evitandi, secus habebit virtuale; multo magis autem hoc sufficit, si de futuris non cogitat ».

66° Gobat tr. 6. n. 205.: « Quod per accidens fieri queat, ut sine expresso et formali proposito obtineatur, vel per attritionem una cum confessione, vel per contritionem extra confessionem quoque, remissio delictorum, est tam recepta a recentioribus theologis tamque firmis munita rationibus, ut non sit practice dubitandum de eius veritate ».

67° Gormaz *de Sacram.* disp. 4. sect. 3. n. 223. absolute: « Assero secundo: Sufficit ad verum Poenitentiae actum et ad valorem Sacra-

menti Poenitentiae propositum, quod solet vocari virtuale... - et rursus n. 224. - Ille actus doloris absque formali proposito habet formalitatem propositi a Tridentino requisitam et proinde est certo sufficiens... ad Sacramentum poenitentiae constituendum ».

68° Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 6. pr. fin.: « Quae Maior et Medina afferunt... tantummodo evincunt, non requiri expressum istud propositum necessitate etiam medii ad iustificationem; sed quandoque posse peccatorem cum implicito tantum eiusmodi proposito, quod ipsa videlicet detestatione peccati praeteriti contineatur, iustificari: nempe extra tempus praecepti, vel etiam praecepti tempore, si tum aliquis subitaneo casu praepediatur, quominus de futuro cogitare possit ». Circa Valentiam VV. pag. 457.-458. tres columnas insumunt et licet supprimant verba heic relata, non negant, ex sententia Valentiae validum esse sacramentum sine formali proposito etiam tempore praecepti. At enim si VV. id concedunt, etiam illud igitur concedant, perperam allegari Valentiam pro sententia s. Alphonsi, qui contendit confessionem in casu esse repetendam.

69° Praepositus *de Poenit.* quaest. 2. dub. 3.: « Formale propositum non requiritur; quia etiam sic invenitur verus dolor et efficax ».

70° Meratius *de Poenit.* q. 17. sect. 2.: « Sententia communis recentiorum est sufficere propositum virtuale et implicitum ».

71° Dicastillo tr. 8. disp. 2. dub. 6. n. 141..: « Asserendum est, ad rationem contritionis perfectae esse quidem necessarium aliquod propositum non peccandi: non tamen esse necessarium propositum quod sit actus distinctus ab actu poenitentiae ipsius. - Et rursus disp. 6. dub. 14. n. 212: - Sufficere propositum virtuale contentum in dolore... iam communis est sententia in Schola hoc et praecedenti saeculo post Tridentinum. - Et rursus disp. 2. n. 144.: - Non ergo tam communiter oppositum docent theologi, ut absolute putat ». Lugo disp. 5. n. 97.

72° Toletus lib. 3. c. 4. n. 2.: « Hoc propositum debet esse expressum et hoc est probabilius... quamvis aliqui dicant sufficere primum actum; sed quod diximus, securius est. » Porro qui dicit, *securius est*, implicite per se et aliud sufficere fatetur. Confirm. ex his eiusmodi Toleti in 3. part. s. Thom. q. 85. art. 1.: « In eo, quod homini displicet peccatum factum, ibi virtualiter inclusum est propositum quoddam amplius non committendi illud... Quamvis ergo in tali detestatione non sit propositum formale, quod etiam aliquando fit; tamen in ipsa virtualiter propositum hoc includitur ». Exinde eandem implicito ac explicito vim ad effectum obtinendum tribuit ibid. q. 87. art. 1.;

« Non est necessaria formalis poenitentia, sed sufficit actus dilectionis qui tamen sit virtualis poenitentia, ad delendum veniale ». Caeterum superfluum videri debet, de sententia Toleti circa hoc ambigere, quando constat, ipsum de poenitente non detestante peccatum supra omne detestabile, itemque de desiderante habere contritionem, quam non habet absolute statuisse (*Sum.* l. c. n. 6.-7.), eam contritionem, si poenitenti de defectu non constet, *ad gratiam in sacramento recipiendam sufficere.*

73° Lugo disp. 14. n. 52. « Aliquando dolor est talis, in quo virtualiter includitur propositum requisitum et tunc non exigitur ad valorem Sacramenti aliud propositum formale. - Et paulo post n. 53.: - Verba Conciliorum Florentini et Tridentini, quae exigunt cum dolore propositum non peccandi... intelliguntur de proposito formali vel virtuali et implicito. Quia nimirum potest esse dolor aliquis... qui non affert secum tale propositum universale; ideo explicuerunt Patres dolorem non utcumque, sed cum proposito non peccandi, sive formali sive virtuali ».

98. Seriem abrumpamus, non quasi totidem et amplius desint testes, sed 1° qui a bibliothecis per vim abstracti in exilio degimus: 2° quia ad omnium scholarum consensum ostendendum iam sufficere et producti heic possunt. Sed hos iam cum iis comparemus, qui quasi adversarii obiiciuntur et quos a Bellarmino collectos *de Poenit.* lib. 4. c. 6. habemus.

At enim (ut ipse s. Alphonsus lib. 6. n. 450. post alios disserte testatur) Bellarminus censuit, *quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere* (sunt s. Alphonsi verba). Et cum Bellarminus l. c. scribat: *Nobis communis ac trita a veteribus via semper visa est tutior et commodior;* nonne hinc aperte deducitur, eandem ac Bellarmini, veterum illorum extitisse de sacramenti sic suscepti validitate sententiam? Insuper missum nunc fiat, quo tandem iure Bellarminus veteres illos de *formali* potius, quam etiam de *virtuali* proposito interpretandos contendat, dum v. gr. Scotum disserte *virtualis* propositi sufficientiam docuisse tradunt et evincunt Mastrius, Ferraris, Dupasquier ll. cc.; at nonne notissima est illorum quoque veterum doctrina de *virtuali poenitentia* in actu perfectae caritatis inclusa, vi cuius et peccatorum remissionem obtineri professi sunt? Et siquidem sufficit poenitentia atque adeo contritio mere virtualis, nonne a fortiori id de proposito dicendum apparet?

Addit Bellarminus, propositi formalis necessitatem apertius ab Adriano VI. Caietano, Dominico Soto et Cano tradi, — Resp. *Distinguo:* Ad valorem Sacramenti, *Nego;* Secus, *Transeat.* Et quoad Adria-

num, Suarez disp. 4. sect. 3. n. 2. haec habet: Adrianus in 4. q. 1. *de Poenit. ait necessarium esse propositum saltem implicitum, exponens quod absolute dixerat* Quodlib. 5. art. 3. (qui locus a Bellarmino allegatur), *ad contritionem requiri propositum.* Ergo Adrianus demi ex iis debet.

Quoad Sotum dici solet (et hoc etiam apud VV. legitur), sententiam de virtualis propositi sufficientia appellatam ab eo fuisse *errorem perniciosum.* En Soti locus *de Nat. et Grat.* lib. 2. c. 14.: « Neque vero silentio duxerim praetereundum, quod ex Nominalibus quidam addubitant, num in ratione contritionis necessarium sit propositum cavendi a vitiis in futurum. Atque id negant ex eo quod in bibliis sacris nihil comperiant de huiusmodi proposito. De quo profecto, si exile meum iudicium ullius esset momenti, condemnandi essent; non solum quia error est, sed quia perniciosus ». Estne huiusmodi de virtuali proposito Scholarum doctrina, ut apte ei Soti censura haec congruat? An non potius congruit doctrinae neganti necessitatem cuiuslibet propositi, sive formalis sive virtualis? neque enim in verbis Soti mentio fit propositi formalis, sed imo propositi contenti in ipsa contritione.

99. Sed (ne inutiliter his diutius immoremur) duo de tribus hisce theologis advertantur. Unum est, quod et isti communem doctrinam de efficacia poenitentiae virtualis profitentur. Sic v. gr. Caietanus Comm. in 3. 87. 1.: « Virtualis displicentia vocatur, quae non est formaliter displicentia sed est formaliter alius actus, puta dilectionis Dei, tantae vis, ut ex ea nata sit sequi displicentia peccati: ita quod si tunc occurreret memoria peccati, ex vi illius actus sequeretur formalis displicentia peccati et sic omnis actus dilectionis Dei ex caritate procedens, potest dici virtualiter displicentia peccati mortalis. - Exinde infra subdit: - Si ex speciali dono Dei sola displicentia virtualis affuisset, sufficienter salvatur (in iustificatione) concursus displicentiae implicite et virtualiter. » Alterum est, tum Soto, tum Caietano, tum Cano, communiter probatam fuisse (ut notum est) doctrinam de sufficientia attritionis mere existimatae; atque, ut sup. vidimus Sotum reprehendit Suarez, quod gratiae Sacramenti consequendae non obesse putaverit cuiuslibet propositi defectum. Hinc nihil magis nedum a vero sed et a verisimili alienum, ex horum sententia, confessionem, cui formale propositi defuerit, esse repetendam.

Ex his vero quid concludere tandem fas erit? Habeant VV. sibi Amort, qui necessarium esse ad iustificationem propositum explicitum hoc singulari probat argumento *Th. Mor.* tr. 13. §. 8. q. 12.: *Ad iustificationem requiritur amor Dei; sed amor Dei est explicitum pro-*

positum servandi mandata. Ergo. Cui argumento bene quis reponet: *Nego maiorem*, quia ad gratiam in sacramento recipiendam non praerequiritur caritas: *Nego minorem*, quia actus amoris Dei elici potest cum mera *implicita* voluntate mandata servandi. *Nego* demum Consequens et Consequentiam, quia contra se habet unanimem, ut vidimus, catholicae Scholae sententiam. Quae quidem Scholae catholicae unanimis doctrina illud etiam efficit, ut scrupulum, quo permotus s. Doctor Alphonsus censuit, in casu confessionem esse repetendam, sine temeritatis nota et debita s. Doctori reservata reverentia, posthabere quisque possit.

In praxi autem eo magis necessarium est communi sententiae adhaerere, quo propositum formale frequentius ac facilius omittunt pie viventes (scil. omittunt actum reflexum, qui confunditur cum voluntate directa). Ratio est, quia hi iugiter atque habitualiter a peccato sunt aversi neque deliberandi de hac re ulla cogitatio subit, sic nec confessario ratio excitandi ad propositum, quasi nempe ad *mutandam voluntatem* ac novam viam ineundam: contra ac fit cum eis, qui passim gravia peccata et effraenate committunt.

De propositi conditionibus.

100. Haud immoramur in asserenda propositi necessitate, aut explicandis conditionibus, ut scil. sit firmum, sincerum, absolutum, efficax, universale etc.

Ac de universalitate solum adverte, id intelligi non solum de peccatis patratis, sed de omnibus generatim. Solent tamen poenitentes ob oculos habere potissimum peccata, in quae labi solent; quippe de aliis nulla eos tangit formido. Et hinc apparet evidenter distinctio inter propositi actum directum et reflexum. Nam voluntas vitandi alia peccata, quae directa est, vix advertitur; advertitur vero propositum vitandi quaedam specialia.

Cum propositum sese extendere debeat ad quasvis obligationes; sunt tamen, quarum exsecutionem confessarius explicite monere debet, cuiusmodi sunt offensae remissio ex animo, rei alienae restitutio, satisfactio pro debitis, iniuriae reparatio erga parentes, superiores, aliosve etc., denuntiatio, si quae sit necessaria, sublatio alicuius scandali etc. Sed de his, ubi de officio Confessarii.

Non tamen urgendi sunt quidam poenitentes circa vitanda specialia quaedam peccata; sed confessarius satis putet, si generatim obtineat propositum. Secus periculum erit, ne in tentationem poenitens inducatur.

Bene Suarez *de Poenit.* disp. 32. sect. 2. n. 2.: « Observant Doctores, non debere Confessorem proponere poenitenti omnes difficultates, quae in vitandis peccatis occurrere possunt; quia constituet illum in manifesto periculo non solum non habendi propositum efficax in futurum, sed etiam denuo peccandi. Satis ergo est, ut proposita *in genere* foeditate peccati Dei bonitate et periculo damnationis etc., poenitens concipiat *generale* propositum nunquam iterum peccandi *mortaliter* ».

Huc faciunt quae habet Caietanus (V. *Confessio* ad 12. qualitatem): « Hortetur eum ad amorem Dei super omnia et quod ex amore huiusmodi debeat dolere de praeterito et proponere vitationem de futuro... Et sic accendet cor poenitentis et non ponet in periculum tentationis ».

Et Card. Lugo *de Poenit.* disp. 7. n. 238. de iis « qui ardenter honorem vel corporis voluptatem insectantur, qui licet dolore aliquo remisso peccata sua in confessione retractaverint, postea tamen data occasione honoris vel voluptatis facile relabuntur propter vehementiam affectus, quem non nisi in confuso et remisse correxerunt », subdit: « Imo nec audemus illis in confessione proponere distincte tentationes aut pericula peccandi, quae possunt occurrere, ut circa illa distincte proponant; quia prudentur timemus, quod iam neque in confuso priora peccata retractarent ».

Ita disp. 7. n. 199. memorat quandam infirmitatem spiritus, non habentis robur ad prorumpendum in generosum actum; « Quae infirmitas (inquit) non est novum peccatum, ut constat in poenitentibus illis, quibus Confessarius non debet ponere ob oculos explicite circumstantias aliquas nimis difficiles, ut circa eas, si occurrant, proponant explicite in iis etiam non peccare ».

Et Laymann *de Poenit.* cap. 4. n. 8.: « Non recte agit Confessarius, si poenitentem adigat ad specialem promissionem... de hoc vel illo peccato in posterum vitando, praeter quam in casu raro, si peccatum reipublicae v. gr. sit valde perniciosum etc. ».

De relapsu praeviso.

101. De hac re agit A. in resol. 10ª. Auctoris doctrina, quod non obstet sinceritati propositi, si quis *putet* vel *timeat*, se unum vel plura peccata non vitaturum, licet promatur quoad eos, qui versantur in occasione proxima necessaria; tamen valet generatim etiam pro aliis casibus.

Duo autem praestare heic opus est, nempe 1° eximere dubium motum a s. Alphonso: 2° methodum ad vitandas in praxi difficultates innuere.

Et quoad dubium theoreticum, s. Alphonsus n. 451. dicit, se stare cum Busembaum, Concina et Croix lib. 6. p. 2. n. 1822. adversus Navarrum, Laymann, Sporer, Suarez, Vega, allegatos et adoptatos a Salmanticensibus *de Poenit.* cap. 5. n. 53.

Atqui hi DD. nequaquam a Busembaum discordant. Imo Busembaum sumpsit ex Laymann. Et sane Navarrus *Man.* cap. 1. n. 9. ita habet: « Non tamen est necessarium, ut credat poenitens, se amplius non peccaturum mortifere; quinimo id quandam superbiam saperet, ut oppositum humilitatem: quod testatur Innocentius in cap. *Omnis de Poenit. et Remiss.;* quia satis est, ut nolit amplius peccare et proponat id efficere ope divina ».

Laymann vero *de Poenit.* cap. 4. n. 8.: « Saepe fieri potest, ut licet aliquis absolutum et sufficiens propositum habeat, nihilominus timeat vel etiam existimet, se non vitaturum omnia peccata mortalia... Quare non recte agit Confessarius, si poenitentem adigat ad specialem promissionem etc. ».

Et Sporer *de Poenit.* n. 310.: « Propositum firmum voluntatis tantum non peccandi de cetero requiritur, non item necessario credulitas vel persuasio certa ex parte intellectus, ut nimirum poenitens certo credat vel animo sibi persuadeat, se non amplius peccaturum, aut hoc vel illud peccatum non amplius perpetraturum etc. ».

Denique Salmanticenses, qui aliorum sententiam exponunt ac sequuntur, sic eam exhibent *de Poenit.* cap. 5. n. 53.: « Potest tamen saepe fieri, ut licet aliquis absolutum et sufficiens propositum habeat vitandi sive veniale sive mortale, nihilominus timeat vel etiam existimet, se non vitaturum; quia hoc iudicium et timor consistere potest cum efficaci voluntate actuali id peccatum pro viribus fugiendi..... Quamvis autem id locum habeat non in venialibus tantum, sed etiam in mortalibus; pro confessione tamen venialium id frequentius potest accidere ».

Quin et Croix, quem s. Alph. dicit se velle sequi, non aliam habet doctrinam. Ita enim ad n. 1822. part. 2. lib. 6.: « Ostendi (scil. n. 1733.), ad serium propositum etiam circa mortalia, non requiri, ut credatur relapsus non sequuturus; sed satis est, nunc adesse seriam non relabendi voluntatem, cum qua, quandiu stabit, stare non possit voluntas relabendi, quamvis forte praevideatur per fragilitatem immutanda; sicuti etiam s. Petrus non ideo iudicatus est indispositus ad communionem, quod a Christo sciretur relapsurus: ita nec consuetudinarius censendus est indispositus ad absolutionem, quamvis moraliter sciatur, esse relapsurum ».

102. Cur ergo (inquies) s. Alphonsus alios dixit se sequi contra alios, cum omnes idem dicant?

Resp. Ratio fuit, quia Sporer verbis superius (n. praec.) allatis haec addiderat, quibus theoriam extendit ad casum relapsus *certo* praevisi, seu melius existimati. Ita enim ille *de Poenit.* n. 310.: « Potest enim quis vere dolere et detestari peccatum ac vere et absolute proponere se de cetero non peccaturum, seu firmum propositum ac sufficiens concipere abstinendi in posterum; tametsi valde timeat, aut etiam existimet, imo *certo credat,* se ob expertam voluntatis suae inconstantiam et fragilitatem suam denuo relapsurum, non omnia peccata mortalia, vel hoc certum peccati genus evitaturum ».

Ad quae s. Alphonsus n. 451. dicit, se non acquiescere; quia « cum quis certo credit se relapsurum, practice suspicionem praebet, propositum suae voluntatis non esse satis firmum ».

Verum 1° male s. Alphonsus duriusculam hanc Sporeri sententiam aliis tribuit, quia non ita loquuntur, ut vidimus.

2° Quod firmum idest sincerum non possit esse propositum, quando quis certo credat, se relapsurum, philosophema est Concinae, quod ipse effert per punctum interrogationis: « Certo credis et scis te relapsurum et una sincere et firmiter promittis (heic locum non habet *promissio* sed propositum), te non relapsurum? Sincere et ex toto corde promittis donare centum aureos et simul certo credis et scis te non daturum? Unde hoc monstrum? » S. Alph. non habet iota, quo fulciat hoc philosophema.

3° Ipse Croix, cui se adhaerere s. Alph. profitetur, eiusmodi philosophema paucis explodit. Nimirum lib. 6. p. 2. n. 1822. sibi obiicit: « Ipsimet consuetudinarii, si interrogentur, an in posterum nunquam amplius peccare velint, agnoscunt impossibilitatem quandam moralem et dicunt: *Faciam quantum in me erit, conabor;* quandoque ingenue fatentur, sibi esse impossibile. Ergo nunquam possunt prudenter iudicari serio proponere ». Ex quibus patet non bene productum exemplum *de donatione* etc. Agitur scil. vel de consuetudinariis vel de iis, qui versantur iugiter in periculo seu occasione lapsus.

Porro Croix obiectioni mox ita respondet: « Dato Antec., nego consequentiam. Nam in primis serio proponimus in venialibus et tamen scimus, nos relapsuros ». Quaero: possuntne negare, aut sincerum esse propositum aut certo non praevideri heic relapsum?

4° Quis id negabit, quod et Doctores communiter habent et quotidiana experientia docet, Confessarium absolvere poenitentes, quos certo novit relapsuros? Nec tamen absolveret, nisi sufficienti proposito eos instructos putaret. Atqui si sincero proposito non nocet prae-

visio Confessarii, cur nocebit eadem praevisio in poenitente? Da v. gr. mulieres rixosas, quae convivere debeant cum conviciantibus. Da pauperes, artifices, servos iugiter angariam patientes a dominis, a praefectis opificii etc. Da uxorem (alioquin non insignem virtute), quae a marito nihil nisi iniurias, contumelias, verbera recipiat, dum ipsi et turbae parvulorum panis et vestis, calceamenta etc. desunt, marito interim dissipante omnia ludo et cuiuspiam adulterae consuetudine. Numquid certitudo alicuius relapsus in impatientiae et irae motus efficient, ne admittantur ad paschale sacramentum ob defectum propositi sinceri?

Suum ergo Concinae relinquamus philosophema; quod exemplo s. Petri plane confutatur.

103. Ceterum s. Alphonsus forte prae oculis habuit casum, de quo Croix cit. n. 1822. « Si tamen consuetudinarius ipse *desperet* de sua emendatione, *difficulter* habebit verum propositum » et vox *difficulter* innuit non deesse possibilitatem. At aliud est *praevisio inconstantiae* voluntatis, aliud est *desperatio,* quae potius impossibilitatem rei sequitur.

Porro s. Alph. in hoc casu acquiescit consilio Croix, qui (ibid.) mox subdit: « Hic priusquam absolvatur, disponi debet ut speret non per *vires suas,* sed per Dei gratiam; cui si cooperatur, poterit, ut innumera suadent exempla ipsi similium ».

Itaque cessat repugnantia visa a s. Alph. in verbis Sporer; nam et ipse demum eadem habet, ac allata ex s. Alphonso. Pergit enim cit. n. 310.: « Unde si poenitens dicat: *Omnino quidem doleo ac firmiter propono in posterum abstinere; interim tamen, scio, iterum faciam, iterum labar, iam toties expertus sum* etc.; is tamquam bene dispositus, *praemissa confirmatione ac consolatione debita,* absolvendus est. Quia sensus verbi *iterum faciam,* est tantum indicativus ex parte intellectus. Secus, si esset volitivus ex parte voluntatis... ».

Hinc, non aliter ac Croix, pergit: « Ceterum si poenitens, spectata sua fragilitate et inveterata prava consuetudine, omnino impossibile iudicet, ut de cetero ab aliquo vel aliquibus peccatis mortalibus abstineat, inducendus erit efficaciter a Confessario et attenta divinae gratiae efficacia, omnino sibi persuadere debet, non esse impossibile atque in divina gratia sola, non in se confisus, firmum concipere propositum de cetero abstinendi, dicens cum Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat* etc. Quod si hoc facere nequeat vel potius nolit, cum revera possit, iam tanquam vera contritione destitutus, de gratia Dei desperabundus, adeoque ad iustificationem et sacramentum indispositus absolvi non poterit ex propria sua culpa ».

Quae quidem si s. Alph. legisset in ipso Sporer, non autem in Con-

cina, huic suum philosophema reliquisset nec Sporer a suis ipsius sensibus alienum traduxisset.

Hinc etiam patet, sensu eodem locutum Navarrum l. c. cap. 9. n. 18., ubi ait: « Confessio illius, qui credit, se non habere tantam virtutem, qua de cetero a peccatis abstineat, valida est; imo etiam si credat, se ante mortem peccaturum mortaliter... Non valeret tamen confessio illius, qui crederet, se non posse a Deo sufficiens auxilium, ad non peccandum mortaliter, impetrare ».

Quae quidem consonant quoad sensum cum sententia Sporer et s. Alphonsi: ac praeterea quidpiam continent prae oculis necessario habendum in praxi.

104. Quoad praxim igitur (nam de methodo servanda cum hisce poenitentibus tangenda nonnulla sup. n. 100. diximus), difficultas haud mediocris apparere potest. Ad quam eximendam, adverte seqq.

1° Quoad confessarium, certe nihil opus est, ut credat poenitentem non relapsurum; imo non raro continget, ut pro certo habeat aut prope pro certo, illum vel in gravia peccata primo lapsurum aut in eadem relapsurum, aut etiam in praeceps prolapsurum. Ut illum absolvat, hoc illi et satis et necessarium est, ut nunc dispositum credat: dispositum autem illum facit voluntas praesens poenitens, non futura constantia. Ita Christus cum Petro et discipulis in ultima coena.

Potior est difficultas quoad poenitentem, quando hic (ut fieri solet non raro) dicat, *se non posse hoc vel illud promittere,* ne *dein fidem frangere perhibeatur*, vel non *posse sibi fidere* etc. Quod contingit v. gr. cum habentibus consuetudinem nominandi Sanctos, imprecandi, irascendi ob iuges causas etc.

Et quidem quod non obstet aliqua relapsus praevisio, quam imo vel ipse Confessarius innuat poenitenti (ut modo sententias allatas Doctorum praetermittamus), evincit exemplum s. Philippi Nerii, qui hanc unicam cuidam poenitenti satisfactionem imposuit, ut statim ac in idem peccatum relaberetur, mox confiteretur.

Implicite insuper haec persuasio elucet, quando poenam aliquam pro singulis futuris lapsibus vel sibi ex voto aut simplici proposito imponit poenitens, vel Confessarius iniungit.

At rursus id elucet, quoties Confessarius poenitentem edocet, quomodo sese gerat, si forte relabatur etc.

Ceterum quoad difficiliores etiam casus, proderit innuere poenitenti, nunc non ab eo exigi, ut non sit relapsurus, sed ut heic et nunc voluntatem habeat non relabendi, praesertim cum incertum sit, an vitam protracturus sit etc. Haec autem voluntas sufficit ad debitam dispositionem, non secus ac ad substantiam voti v. gr. non ludendi vel non

bibendi vinum sufficit sincera voluntas id praestandi, nec votum constituit absentia violationum in posterum.

Proderit etiam ad suadendum poenitentem, praeter alia media, illud quoque, ut suo ipsius exemplo poenitens evincatur; qui non ideo minus sincere alias proposuisse se putat, quia deinde relapsus est.

Potissima autem Confessarii industria eo convertenda est, ut ea videatur exigere, quae huiusmodi poenitentes haud aegre fateantur, esse in eorum potestate et hoc assequetur, si media quaedam proponat, quando pulsat eos tentatio, vel extra eam: item si poenitens doceatur, solum ab eo exigi, ut caveat a culpis, quae scienter committantur: quod maxime praestandum cum iis, qui laborant pravo habitu blasphemandi, imprecandi etc.; nam quoad hoc summa solet esse cum rudibus difficultas, qui impossibile ab se exigi putant, si iubeantur, ne in ea verba posthac amplius prorumpant etc.

De occasione peccandi (Resol. 8. et 10.).

105. Causas plures congerit Auctor Resol. 8., ob quas deest vera attritio seu dispositio includens etiam propositum: cuiusmodi sunt nolle amovere proximas peccandi occasiones, nolle restituere, nolle ex animo remittere offensas etc. Reliquis modo omissis, agimus solum de proxima peccandi occasione. Nam quod haec omnia commune habent, videlicet hominem efficere incapacem reconciliationis cum Deo et gratiae sacramenti, propterea quod implere id recusat, ad quod tenetur, non indiget ulteriori explanatione. Quae vero ad speciales materias vel offensae remittendae spectant vel restitutionis faciendae, ea suis locis disputantur.

Occasio peccati dicitur *externa circumstantia sive rei sive personae, quae ad peccandum impellit seu allicit tum ex se ac suapte natura, tum ex fragilitate aut communi aut certae cuiusdam personae.*

Differt autem a *periculo* peccandi, quippe quod patet latius ac potest esse tum ab intrinseco tum ab extrinseco, quando *occasio* dicitur quidpiam *externum.*

Notissima est distinctio occasionis in *proximam* et *remotam.* Proxima dicitur (ut ait Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 149.) quando talis est ex suo genere, ut *frequenter* homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experientia constat, in hoc homine talem effectum habere. Ita etiam Suarez habet prope ad litteram disp. 32. sect. 2. n. 4.

Et hanc quidem definitionem s. Alphonsus n. 452. praefert huic alteri, in qua definitur, proximam esse, in qua creditur poenitens *nun-*

quam vel raro a peccato abstinere, quae amplior videri potest. Eam memorat etiam Lugo, nulla inusta nota, ubi ait disp. 14. n. 149. in fin.: « Alii ergo addunt, occasionem proximam esse, qua *nunquam vel fere nunquam* utitur homo, consideratis circumstantiis, sine peccato novo; ut qui detinet concubinam domi, raro vel nunquam desinet cum illa peccare, oblata occasione ».

Vel certe isti definitioni s. Alphonsus ibid. praefert sequentem, secundum quam occasio proxima dicitur, *in qua homines* (aut quispiam) *communiter ut plurimum peccant;* quae definitio minus ampla est; quippe minus est *cadere ut plurimum*, quam *nunquam vel raro abstinere.*

Veruntamen dum s. Alph. postremam hanc adoptat, minus sibi videtur cohaerere, quando ibid. subdit, proximam esse occasionem, *in qua quis etsi non fere semper nec frequentius, frequenter tam cecidit;* nam *ut plurimum cadere* plus sane prima fronte dicit, quam *cadere frequenter,* quando *frequenter* contradistinguitur a *frequentius.* Quocirca ut integram sententiam s. Alphonsi habeamus, ita accipiemus vocem *frequenter*, ut nimis non distet a priori *ut plurimum* et sic forte cohaereat cum sensu, quem voci *frequenter* adnectit in sua definitione Lugo cum Suarez.

106. Ex allata porro Lugo sup. n. 167. definitione patet, aliam esse occasionem proximam *in se* et *absolute* seu *communiter respectu omnium*, quia nempe communiter est hominibus offendiculo: aliam vero esse talem *respective* et *per accidens,* quia nempe est offendiculo respectu alicuius, licet communiter non sit talis quoad alios.

At rursus advertendum est, ea, quae communiter respectu omnium dicenda vere est occasio *proxima*, posse fieri, ut proxima non sit respectu alicuius, v. gr. hominis valde virtute praestantis vel parum propensi. Sic novi egomet exempla concubinariorum, qui ad longum tempus, cum falso putarentur coniuges, non secus ac coniuges, ita exigentibus pauperis familiae circumstantiis, cohabitarent ita simul, ut et eodem lectulo uterentur, innocenter tamen.

Occasionem *remotam* dicunt DD. eam, quae non est proxima, ut ait Lugo disp. 14. n. 149. seu in qua ut plurimum homines communiter non labuntur. Si enim lapsus non evenit *ut plurimum,* iudicium est, vel ex parte obiecti vel ex parte fragilitatis, aliquid deesse, quod occasionem efficiat *proximam.*

Adverte autem dici, IN QUA *homines* etc. Nam non consideranda heic est raritas lapsuum respectu temporis, sed raritas vel frequentia respectu praesentiae occasionum. Exinde qui v. gr. ter in anno adiens cauponam, ter ibi reperit offendiculum, censetur habere ibi occasionem *proximam,* non autem solum remotam.

De appellationibus proximae et remotae sic Lugo disp. 14. n. 149.: « Cur autem illa appelletur proxima et haec remota, ratio videtur esse, quod inter illam et peccatum nihil videtur mediare, propter quandam coniunctionem necessariam moraliter, quam videtur habere cum peccato; haec autem non ita videtur coniuncta, sed remota, quatenus mediat maior libertas hominis, per quam consequitur peccatum ».

De obligatione quoad remotam.

107. Consentiunt omnes, non adesse obligationem vitandi occasiones remotas atque adeo non posse absolutionem denegari poenitenti, qui in occasione quapiam tantum remota versetur.

Ratio 1° quia vel eiusmodi occasiones vitari nequeunt, v. gr. occursus mulierum per vias aut occursus eorum, qui aliis detrahunt etc.: vel certe obligatio eas vitandi esset nimis dura.

2° Quia occasiones, quae remotae dicuntur, vi definitionis atque ex sua natura non inducunt illud peccandi periculum, quod fugere teneamur, grave nimirum.

Quod si inducerent proximum periculum et simul ubique occurrerent, habendae essent in censu proximarum *necessariarum*.

In tr. *de Peccatis* vol. I. 693. seqq. ostendimus, non bene quosdam induxisse etiam necessitatem fugiendi *probabile periculum* peccandi et allegationes quibus ea fulcitur, allatas a Cardenas, non subsistere.

De obligatione quoad proximam.

108. In antecessum distinguatur oportet occasio voluntaria et involuntaria. *Voluntaria* seu *libera* est, quam auferre vel non auferre est in libera atque expedita poenitentis voluntate aut potestate.

Involuntaria autem, quae communius *necessaria* appellatur, ea dicitur quae aut relinqui aut removeri a poenitente non potest.

Multiplici autem de causa contingit, occasionem esse necessariam, videlicet quia *physice* nequit amoveri, v. gr. si quis in eodem carcere sit inclusus cum occasione, vel eadem vehatur navi aut curru inter itinerandum: vel quia eam amovere moraliter est impossibile seu magnis difficultatibus obnoxium. Interdum enim id vetat alia obligatio v. gr. militis, qui licite non potest discedere, aut parochi sive medici, qui tenentur muniis suis fungi, aut uxoris, quae non potest abire a marito, aut filii, cui integrum non est vel scholam vel collegium vel paternam domum deserere etc.; aut etiam obstat gravis damni temporalis periculum, quod impendet, v. gr. si deserendum foret officium, a quo quis victum pro se vel familia alenda percipit.

Praeterea recte distinguunt DD. occasionem ita, ut aliam non inconcinne dicas *praesentem* atque adeo *removendam* seu *repellendam*, aliam vero *haud praesentem* seu *adhaerentem*, sed potius *disiunctam* atque adeo quam dixeris potius *non quaerendam*, seu *fugiendam*.

Primam appellare solent occasionem *in esse*, quae scilicet exstat et adest ac manet, per se perseverans, ita ut non sit opus eam quaerere, quam dicunt etiam *stabilem* seu *continuam*, v. gr. quae habetur in ordinaria cohabitatione vel consueta frequentatione alicuius personae ad domum tuam; alia vero est, in qua non tam versatur quis continuatim, quam ipsa se offerat, vel adeatur, aut ad intervalla occurrat; v. gr. occasio turpiloquii cum condiscipulo, aut detractionis cum amica, si quando occurrant, vel blasphemiae in ludo, vel ebrietatis in caupona vel amicorum contubernio etc.

Hisce praemissis, ad obligationum declarationem veniamus.

109. Itaque in primis certissima est obligatio removendi proximam occasionem voluntariam et exstantem seu praesentem. Ac proinde certa et universalis est doctrina, non posse eum absolvi, qui potest et non vult proximam huiusmodi occasionem removere.

« Ratio est inquit Lugo disp. 14. n. 150., quia ille, qui vult manere in periculo morali labendi, non videtur habere propositum efficax non peccandi. Ex obligatione enim vitandi peccatum sequi videtur obligatio vitandi ea, quae quadam necessitate secum trahunt peccatum, saltem quando moraliter possumus eas occasiones vitare ».

Accedit propositio 61. damnata ab Innoc. XI.: « Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et *non vult omittere;* quinimo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit ».

Sedulo autem adverte verba - *non vult omittere* -; nam sunt, qui ex hac propositione inferre volunt, non posse poenitentem absolvi, utut velit dimittere, nisi prius actu dimittat, uti Cardenas apud s. Alph. n. 454. Sed perperam, uti patet et magis ex dicendis patebit.

Non tamen doctrina haec efficere debet, ut oborta suspicione periculi proximi, mox confessarius obligationem removendi illud indicat. Nam prudentia supernumero exiget, ut supersedeat, quo scilicet melius appareat, an vere occasio proxima sit necne, v. gr. ubi agitur de socio, de conversatione etc. Meminisse porro oportet duo ad proximam occasionem constituendam concurrere, scil. non idoneitatem modo obiecti ad alliciendum vel impellendum, sed etiam comparationem animi in homine, de quo agitur.

Huc spectant illa Lugo disp. 14. n. 51.: « Haec regula (vitandi occasiones) solet limitari. Primo ut possit absolvi poenitens, quando

habet extraordinarium dolorem et propositum: haec enim faciunt, iam illam non esse occasionem proximam; quia homo sic armatus, fortior multo est, quam erat prius atque adeo probabilem possumus de ipso sperare victoriam tentationum, a quibus antea semper superabatur. Secundo limitari solet, quod possit etiam absolvi non relicta omnino occasione, quando proponeret alia media adhibere: ut, si occasio esset ex femina domestica et proponeret nunquam solus cum sola colloqui aut inveniri, eius aspectum pro viribus declinare etc. ». Ex quibus patet, supersederi posse, quousque pateat necessitas removendi, scil. quousque apparet casus occasionis omnimode *proximae*.

110. Quaestio, an Confessarius possit poenitentem absolvere, antequam occasionem dimiserit, a recentioribus DD. inducta est; nam veteres ne suspicati quidem videntur, quempiam id negaturum.

Quocirca Auctor resol. 9. inter indicia insufficientis attritionis, illud addit, *si quis nempe* SAEPE MONITUS *non dimiserit concubinam;* quae plane supponunt, illum plus semel fuisse absolutum nondum dimissa concubina, sed cum solo dimittendi proposito, quod deinceps non implevit.

Verum consilium, quod subinde DD. monet, suggerendum, ut, si facile fieri possit, prius removeatur occasio, paulatim, ut in multis aliis contingit, a quibusdam versum est in regulam necessariam.

S. Alphonsus n. 453. dub. 3. hanc quaestionem instituit duplicemque dicit sententiam adesse, pro utraque afferens hinc inde Doctores. Verum nimis bona fide ipse allegationes mutuatus est a Cardena *Cris.* p. 1. disp. 18. n. 119. et p. 4. dissert. 40. n. 75. qui hac in re nimio zelo abreptus multos ceu testes in scenam vocavit, qui nihil pro re sua habent, vel etiam habent oppositum.

Ita v. gr. allegat Azorium part. 3. lib. 3. cap. 3. q. 1. seu in fin. capitis, quam allegationem transcripsit ab eo et s. Alphonsus. Atqui Azorius agit de concubinario PUBLICO, quando adest ratio publici scandali. Idem dicito de allegatione Filliucci tr. 30. cap. 2. n. 56., qui pariter agit de publicis concubinariis et propterea citat Azorium.

Ubi etiam adverte, quod male Cardenas generalem quaestionem de proxima occasione commutat cum speciali de *concubinario;* nam speciales rationes adesse possunt pro speciali casu, quae pro aliis non aeque militant.

Eodem modo Ludovicus Lopez, quem Cardenas allegat, *Instructorii Consc.* part. 1. cap. 22. loquitur utique de variis casibus, in quibus necessaria est occasionis remotio; sed nihil dicit de necessitate removendi eam ante absolutionem. Veruntamen ibid. cap. 78. aliter dicit de concubinariis, vel huiusmodi, qui *aliter non possunt* vitare peccatum;

quamquam ratio ab eo allata non refertur reipsa ad eam removendam ante absolutionem, sed ad non consentiendam cohabitationem, seu ad exigendam necessario separationem.

Ita tum Zerola Thomas *Praxis Sacram. Poenit.* cap. 25. q. 17. qui viginti casus de peccandi occasione proponit, tum Iacobus Graffius *Decis. Cas. Conc.* part. 1. lib. 1. n. 24., qui fuse de eodem argumento tractat, utique ambo negant, in quibusdam casibus absolvi posse poenitentem, nisi concubinam aut occasionem removeat. At nuspiam dicunt, id exsequendum ante absolutionem esse. Imo Graffius l. c. n. 3. expresse loquitur de eo, qui non *proponit* aut *statuit* dimittere.

Ergo et isti perperam a Cardena allegantur, sicut et Tamburinus *Exped. Conf.* lib. 3. c. 3. §. 3. n. 5. et *In Decal.* lib. 7. c. 1. §. 2. n. 2., qui mere dicit non posse absolvi, qui non dimittat. Quinimo Tamburini allegari solet (vid. s. Alph. n. 453. dub. 3.) pro sententia opposita.

111. Ita et Cardenas et s. Alphonsus allegant Coninck, cuius quaedam imo verba s. Alphonsus refert.

Atqui ecce sententia Coninck disp. 8. n. 133.: « Quando sacerdos advertit, poenitentem *continuo* (idest iugiter) esse in proxima aliqua occasione peccandi mortaliter, nullo modo debet absolvere, *nisi promittat, eam omnino deserere.* Quia cum sub peccato mortali ad hoc teneatur; non potest habere sufficiens propositum vitandi in posterum peccata, nisi firmiter hoc proponat. Hinc si confessarius haberet graves rationes suspicandi, ipsum eam occasionem postea non deserturum (ut si bis vel ter hac in re fefellisset fidem), deberet eum non absolvere donec de facto eam deseruisset, nisi necessitas aliud facere cogeret; quia alias poenitens perpetuo in peccatis iacebit. Hinc eos, qui vivunt in concubinatu, nullo modo extra casum gravis necessitatis, expedit absolvere, antequam de facto separentur, etiamsi parati sint iurare, se in posterum caste victuros; quale iuramentum sacerdos nec exigere nec admittere debet, sed iubere eos, ante absolutionem separari ».

Ubi duo habetis, 1° distinctionem casus generalis a casu concubinatus: 2° vocem *expedit*, quae non importat necessitatem, sed convenientiam et consilium.

Atque ita Coninck, quem pro ea sententia allegant, reipsa idem sentit ac Suarez, quem citat pro opposita.

112. Ita enim Suarez *de Poenit.* disp. 32. sect. 2. n. 3.; « Tota difficultas ad hoc revocatur, quando ex confessione resultat specialis obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem in futurum. Circa quod primum observandum est, *non semper debere confessorem cogere poenitentem, priusquam illum absolvat, ut id exsequatur, quod facere*

tenetur... quia haec obligatio non semper urget pro statim et quia satis est, ut poenitens credatur habere firmum propositum suam obligationem implendi; cui credendum est, praesertim si tunc primum incidit in eam occasionem vel obligationem et non est inventus infidelis vel inconstans in similibus propositis nec ex aliis coniecturis potest talis suspicio probabiliter concipi. Neque oportet ab illo iuramentum aut aliam cautionem exigere, nisi in casibus a iure expressis... Aliquando vero oportet remittere poenitentem et illum non absolvere donec suam obligationem impleat, praesertim quando iterum atque iterum illam confessus est et implere promisit neque implevit; quia alias relinqueretur in morali occasione peccandi et eius propositum moraliter non potest iudicari efficax, quando convincitur esse in magna mora et posse et non facere. Quapropter oportet, confessores in hoc esse cautos et constantes, ne graventur peccatis alienis ». — Quae quidem prudentiae et discretionis plena sunt et nobis praebent responsionem ad argumenta oppositae sententiae, quam nude expressam non modo duriorem dixeris sed minus discretam.

Nam quidam ita statuunt: Generatim non debet absolvi ne prima quidem vice. Ratio est, quia etiamsi confessarius absolvere possit ut iudex, non potest tamen ut *medicus*.

Nempe (iuxta hanc sententiam) poenitens supponitur bene dispositus, quia habet voluntatem removendi, cum primum potest, occasionem; cum tamen hoc negotium fere sit arduum, alioqui autem propensio quaedam mala supersit, posset deinde poenitens facile mutare propositum ac sibi suadere, id non esse necessarium, neque tentationi praesenti posse resistere et inde fiet, ut occasionem reipsa non amoveat et sic ad peccata redeat.

S. Alphonsus vero n. 454. insuper addit, poenitentem, qui sic velit absolvi, habendum esse uti indispositum. Quippe indispositus censeri ille debet, qui probabili periculo se committit frangendi propositum. Ergo etiam officium *iudicis* postulat, ne absolvatur, antequam occasionem removeat. Utraque haec ratio a Cardena desumpta est, qui alias praeterea addit, sed eiusmodi, quas neque s. Alphonsus probare potuerit.

Veruntamen, re sedulo perpensa et spectata ratione, qua utraque pars suam sententiam explicat ac defendit, videntur posse amice duae sententiae conciliari. Etenim dum Suarez statuit l. mox c., non oportere, ut obligatio haec impleatur ante absolutionem, opponit limitationem quandam. Porro alii statuunt thesim huic limitationi congruam et deinde excipiunt casus, pro quibus Suarez regulam statuerat. Unde apparet, quam inaniter Cardenas tot paginas impleverit circa hanc

quaestionem, addens praeterea inordinatum illud studium, ut per vim Doctores in suam sententiam pertraheret.

113. S. Alphonsus igitur nonnullos casus excipit n. 454. et haec eadem de causa alii in thesi sua apponunt vocem *generatim*.

Primus casus est iuxta s. Alphonsum, si poenitens afferat signa extraordinaria doloris; quia tunc credi potest, abesse periculum inconstantiae in proposito.

Sed hic merito addit, placere sibi consilium Roncaglia (melius dixeris *commune*), quod congruentius absolutio usque ad exsecutionem differatur, si cito et facile fieri haec possit. Quam in rem bene addit idem s. Alph. n. 456., ubi agitur de removendo poenitente a periculo peccati formalis, semper expedire, ut confessarius *consilia* sectetur et suggerat, quae magis saluti poenitentium consulant (N. B. *consilia*).

Veruntamen hoc s. Alphonsi monitum tunc habere locum debet, quando nulla rationabilis causa secus agendi appareat, v. gr. puta in omissione communionis, ut si poenitenti grave accideret, eam omittere ratione solemnitatis, indulgentiae, magnae devotionis erga Patronum etc. Cum enim agatur de mero *consilio* et de *medicina* praebenda, profecto si nimis molesta haec evaderet ob praedictas causas, si poenitens aegre id ferre aut indignari videatur, attendendum foret, an expediat; neque enim medicus prudens praebet medicinam, praesertim non necessariam, si nocere haec aegroto possit. Idcirco et Auctor resol. 9. monet, opus esse magna cautela ac prudentia, ne confessarius poenitentem aut lenitate seducat aut severitate avertat. Et indulgentia ob praedictas causas eo magis congruet, si appareat, poenitentem sponte de hac obligatione iam cogitasse atque ad eam exsequendam iam necessaria praedisposuisse vel etiam si tunc primo de hac obligatione monitus fuerit.

Alter casus est, quando poenitens ad eundem confessarium redire non possit, vel saltem redire nisi post diuturnum tempus non queat. Tunc enim (inquit s. Alphonsus) non solum potest absolvi, sed ad absolutionem tunc recipiendam ius habet.

At inquies, quomodo iuxta s. Alph. potest absolvi, si ex eiusdem sententia censendus est indispositus? — Respondet s. Alph., quod tunc ratione necessitatis, periculum evadit remotum.

Verum haec ratio satis obscura forte videbitur. Minus obscura igitur haec ratio apparebit, si dicas, quod ubi nulla causa est, cur statim absolvatur, si poenitens velit absolvi statim, sponte videtur amare periculum aut certe sollicita ea cura carere, quae in hisce necessaria est aut certe quam maxime opportuna. Ast ubi distantiae etc. causa intercedit, mora amovendae occasionis non potest adscribi negligentiae

aut voluntati poenitentis; cessat ergo ratio, cur s. Alph. indispositum illum dicebat ac proinde superest in confessario dumtaxat officium *medici*. Atqui hoc officium non permittit, ut grave ac non *necessarium* (quippe hoc pertinet ad *consilia*, non autem ad praecepta, ut vidimus ex Suarez) onus imponatur; praesertim cum non omnino absit aliud periculum, nempe quod poenitens in aliud tempus reiiciat confessionem et sic et in statu et in occasione peccati maneat etc. Et sic revera rem dein explicat s. Alph.

De obligatione quoad proximas sed non iugiter exsistentes.

114. Quoad occasiones, quae (ut aiunt) non sunt *in esse*, non valet regula mox tradita; quia heic non agitur de occasione removenda sed potius de *fugienda aut vitanda*.

Et paucis res absolvitur. Nam libere se coniicere in proximam peccandi occasionem per se est peccatum. Ergo nequit absolvi is, qui abnuit fugere.

Si vero poenitens fugere acquiescat et proponat, non adest locus quaerendi, an negari vel differri debeat absolutio, magis quam locus sit quoad alia peccata.

De occasione necessaria.

115. Quoad occasionem proximam necessariam communis est et certa Doctorum omnium sententia, poenitentem non teneri atque adeo obligari non posse ad eiusmodi occasionem vitandam: absolvi autem posse, si sufficienter censeatur dispositus, idest si paratus sit uti remediis ad praecavendos lapsus necessariis.

Ratio, cur occasio non obsit dandae absolutioni, haec est; quia eatenus negari debet absolutio, quatenus quis est indispositus, voluntarie nempe recusat vitare peccandi periculum, quod occasio praebet. Atqui in casu non assumitur voluntarie periculum, sed necessitate imponitur. Nulla ergo quoad cavendum periculum est in poenitente voluntatis inordinatio, quae indispositum efficiat.

Ratio vero postremae partis est; quia etsi causa periculi non possit materialiter removeri, tamen remediis adhibitis effici potest, ut praesente licet ea causa, periculum tamen cesset, seu ut non sit amplius periculum proximum sed remotum (quod Auctores communiter dicere solent: occasionem ex proxima efficere remotam) et ad hoc quidem quisque tenetur eadem obligatione generali, qua periculum peccandi proximum fugere tenetur. Porro in casu poenitens supponitur paratus ad ea remedia adhibenda. Nihil est ergo, quod ab eo absolvendo impediat.

Quandonam occasio dicenda sit moraliter necessaria.

116. Circa doctrinam hanc, alioquin certissimam, prior difficultas occurrit: quandonam censenda sit adesse ista necessitas, seu difficultas tam gravis, ut non de removenda seu deserenda materialiter occasione cogitandum sit, sed solum de adhibendis opportunis remediis, quorum ope ex proxima fiat remota.

Quae quidem difficultas seu quaestio locum non habet, quando occasio est necessaria physice, sed quando est necessaria moraliter, v. gr. quando alioquin instaret periculum vel damni, vel infamiae, vel scandali, si occasio amoveretur.

Proferri porro solent quoad hoc tres propositiones damnatae; sed revera ad difficultatem solvendam vix aut ne vix quidem conferunt.

Prima est 46. ex damnatis ab Alexandro VII., quae sic se habet: *Non est obligatus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii,* REGALO, *dum deficiente illa, nimis aegre ageret vitam et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent et alia fercula nimis difficile invenirentur.* Atqui nihil ex ista deducitur, nisi sufficientem causam retinendi penes se concubinam non esse, quod haec bene paret cibos ita ut aegre alia inveniatur famula, quae idipsum praestare queat. Et ad damnationem sufficeret stulta hypothesis, quod doceri alia famula non possit modum coquendi cibos.

Altera est 62. ex proscriptis ab Innocentio XI.: *Proxima occasio non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.*

Et haec quidem censeri debet proscripta ob generalitatem suam, quasi vero quaelibet causa, dummodo utilis sit aut honesta, excuset a tollenda occasione proxima: quod plane absurdum est. Ceterum cum in confesso sit apud omnes, causam aliquam, utique honestam et utilem, adeo subesse posse, quae excuset et aliunde damnata propositio non determinet, quae ad excusandum causa sufficiens sit, quae non; proinde ex ista nihil inferri nec pro nec contra potest ad peculiares quaestiones solvendas.

Tertia demum est 63. ab eodem Innocentio XI. damnata; *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi. Quaerere directe* intellige *sese ingerere, sese immittere,* sed non quasi *quaeratur occasio, qua occasio,* sed quatenus quaeritur utilitas seu bonum spirituale vel temporale etc.

De qua idem sentiendum est ac de secunda. Nam verba illa, *pro*

bono spirituali vel temporali nostro vel proximi, adeo vaga sunt et indeterminata, ut ob generalitatem nullatenus admitti ceu regula possint; neque tamen rursus inferri potest, nunquam bonum quodpiam tanti esse ponderis, ut excusare queat.

117. Quod itaque penes Doctores constat, hoc est, posse occasionem non deseri, quando relinqui non potest absque gravi scandalo aut sine gravi infamia, aut absque gravi detrimento temporali vel spirituali: cuius causae exempla obvia sunt.

Verum tota difficultas in eo residet, ut definiatur, cuiusmodi sit gravitas incommodi, quae excuset.

Nam quidam exigunt quodammodo impossibilitatem *physicam*, cuiusmodi v. gr. est hominis moribundi, qui sensibus sit destitutus, quem excusant, ne concubinam eiicere tunc teneatur aut certe exigunt impossibilitatem *moralem.*

Quidam habent uti sufficientem causam illam, quae excusat ab aliis praeceptis, v. gr. audiendi Missam, ieiunandi. Quae opinio merito ob laxitatem reiicitur, sicut et praecedens ob nimiam severitatem.

Alii vero, ab utroque illo excessu recedentes, ad gravitatem illam plus requirunt, alii vero minus, nec semper consentanei inveniuntur quoad praxim, ob diversitatem praesertim circumstantiarum, quibus circumvestiri casus peculiares solent.

Regulam generalem aliquam habemus penes Auctorem operis *Instruzione pei Confessori novelli* p. 1. cap. 10. n. 244. (a), quae utique iusta reperietur, si tamen facilis dein sit applicatio.

Censet itaque, nullam regulam meliorem tradi posse, nisi *ut mature perpendatur, utrum in praxi difficilius sit occasionem removere, an vero difficilius sit vitare peccatum occasione praesente. Si difficilius sit occasionem auferre: decernetur, moraliter impossibile habendum esse, eam removere.* — Subdit tamen, ad hoc iudicium ferendum opus esse multa sapientia, multa prudentia ac discretione ac insuper multo lumine, quod desursum sit, nec fere idoneum ad id esse confessarium novitium, sed qui diuturna experientia non modo in confessionibus excipiendis peritiam habeat, sed praeterea qui noscat mundi huius conditiones.

(a) Auctor operis est Franciscus Giordanini Presbyter e Congr. Missionis, qui opus edidit Romae anno 1726., quod rursus Romae recusum fuit anno 1841. Hanc vero regulam fatetur se sumpsisse ex opere Pauli Segneri *Il Cristiano istruito* c. 5. ubi haec habentur. « Il precetto di fuggire l'occasione è stato imposto dalla legge naturale, per diminuire i peccati, non per accrescerli. Adunque quando il togliere l'occasione è più difficile in pratica, che non è difficile, posta l'occasione, l'evitare effettivamente il peccato, non vi può essere obbligazione di toglierla; altrimenti si accrescerebbe il pericolo di raddoppiare la colpa per quei medesimi mezzi, che sono prescritti dalla legge a distruggerla ».

Applicationem quandam huius generalis normae exhibet Auctor in Resol. 10., ubi tradit, non reliquendum officium, negotium aut domum si id absque magna difficultate fieri non queat.

Qua de re egregie monet s. Alphonsus n. 455. in fin. post alios Doctores, quod « ii, qui ab officio, negotiatione aut domo in qua peccant, discedere nolunt, quia sine difficultate non possunt, absolvendi sunt, si sint parati media adhibere. Idem (dicendum) de chirurgis, qui in medendis mulieribus et de parochis, qui in excipiendis earum confessionibus, pluries peccant, si aliter ipsi non possunt vivere iuxta suum statum ».

118. Veruntamen, utut s. Alphonsus n. 456. addat, hasce sententias probabilissimas et reipsa ipse quoque eas alibi tradiderit, ubi de obligatione fugiendi pericula peccati lib. 5. n. 63.; subdit nihilominus, in praxi expedire, ut absolutio differatur.

Videlicet (ut verba s. Alph. intelligenda videntur) quemadmodum *regulariter* praestat, absolutionem differre, quando agitur de occasione voluntaria, quousque eam poenitens reipsa removeat; ita et in casu absolutionem praestat differre, quousque appareat propositi efficacia in adhibendis mediis, quorum ope occasio ex proxima fiat remota. Et ratio eadem est utrobique, quia nempe agitur de re difficili et haec praxis effectum, qui desideratur, facilius consequetur.

Dixi *regulariter;* nempe nisi aliter suadeat quaepiam ex causis, quas superius n. 113. innuimus aut nisi Confessarius prudenter sperare posset, ex Eucharistiae sumptione rite peracta poenitentem validiores vires sumpturum ad difficultates vincendas.

Hoc autem s. Alphonsi monitum a fortiori iuxta eiusdem mentem praestandum est, si poenitens media iam ipsi proposita non adhibuerit atque adeo peccata eadem, ac prius, iteraverit. Nam censet, non absolvendum, nisi poenitens extraordinaria compunctionis signa afferat. Quod non ita sane est intelligendum, quasi non censeatur heic et nunc dispositus, sed ut difficultatem adhibendi media tandem aggrediatur. Et haec optime dicta censeri debent, si cum discretione (vid. sup. l. c.), quam praemisimus, praestentur.

S. Alph. subdit, id videri posse rigidius; at se optimam ac salutarem putare hanc methodum. Et dicendum, hoc non esse rigidum, sed aequum, quando non intercedat quaepiam alia iusta causa, quae, uti diximus sup. l. c. aliud suadeat.

119. Quaerit s. Alph. n. 457. et alii cum eo, quid agendum sit, quando poenitens, etiam adhibitis remediis, eodem modo semper relabatur.

Et idem s. Alph. ibid. tenet, absolvendum non esse, nisi occasionem

deserat, etiam, si opus sit, cum iactura vitae, quando secus nulla spes emendationis appareat.

Et hanc sententiam s. Alph. tradit contra alios, qui, ut ipse ait eodem n. 457., aiunt, posse talem poenitentem absolvi, etiamsi occasionem non deserat, dummodo habeat sufficientem dolorem et propositum et quidem toties quoties; quam sententiam s. Alph. tribuit Cardinali de Lugo.

Verum accuratius haec quaestio videtur explananda. Et in primis alii forte, quoad talem quaestionem, negabunt suppositum, nempe nullam superesse spem emendationis, cum tamen ponimus opportuna media esse adhibita. Si nulla itaque emendatio, imo nulla emendationis spes affulget, id potius indicio est, media adhibita non fuisse satis opportuna et ideo alia esse suggerenda. Quod quidem non modo de mediis generalibus intelligendum est, cuiusmodi sunt oratio, aliaque devota exercitia, pia opera, eleemosynae vel abstinentiae ad implorandum divinum auxilium et frequens usus sacramentorum etc., sed etiam ac multo magis de mediis particularibus, ad vitandas tentationes ac peccandi pericula idoneis, quae ex circumstantiis sunt determinanda; haec siquidem, si fideliter usurpentur, possent imo reddere relapsum moraliter impossibilem, praesertim si agatur de peccatis externis. Sic v. gr. fuga conversationis solius cum solo vel sola.

Deinde sententia illa opposita non bene confunditur cum doctrina a Lugo proposita. Nam sententia illa supponit poenitentem non destitui sufficienti dolore ac proposito. Atqui, ut ipse s. Alphonsus ibidem fatetur, Lugo disp. 14. n. 160. disserte notat, quod « aliquando ex illa experientia (relapsus scilicet) arguatur, poenitentem carere vero dolore et proposito requisito; qui enim efficaciter proponit et serio rem aliquam, non ita facile obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat et difficilius vel rarius cadit ». Non ergo negat Lugo, aliquando posse deesse dispositionem.

Praeterea Lugo non facit quaestionem de eo, qui media adhibuerit. Sic enim statum quaestionis proponit (ibid. n. 156.): « Primum dubium est, an qui saepius absolutus propter grave detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximae, eodem tamen modo semper relabitur nec in eo ulla correctio reperitur (N. B. non dicit, *nulla spes emendationis*), cogendus sit subire illud detrimentum et relinquere occasionem ».

Croix ergo fuit (e quo s. Alph. desumpsit), qui lib. 5. n. 261. portentosam hanc iniecit quaestionem seu hypothesim: « Si quis nullo modo posset facere, ut cum occasione proxima externa non sit coniunctum periculum formale peccandi (scil. periculum reale et concretum

ex fragilitate), dubium est, an sit obligatio, eam occasionem externam deserendi etiam cum quocumque incommodo, quamvis subire deberet iacturam omnium bonorum *fortunae*, *famae*, *vitae* etc. ».

Verum, ut diximus, negandum est suppositum, scil. *nullo modo quempiam posse facere,* ut cesset proximum periculum etc.

120. Quidquid sit, sive falsa haec et chimaerica fingatur hypothesis, sive melius hypothesis fiat hominis, qui ideo in eadem peccata iugiter relabitur, quia ex fragilitate etiam usum mediorum intermittit; semper verum erit, sententiam Croix, quam et s. Alph. ceu veriorem habet, nec rationi consonam esse, neque prudenter ad praxim deduci posse.

Et sane ex lege naturae poenitens ad vitandum proximum periculum utique tenetur. At vero cum id duplici modo obtineri queat, nempe vel utendo mediis opportunis, ut periculum (ut aiunt) fiat remotum, vel removendo seu fugiendo occasionem; poenitens ad alterutrum tantummodo ex lege naturae tenetur. Quo ergo iure Confessarius hoc illi potius imponet, quam aliud? Quo iure aut lege iubente praecipit remotionem occasionis?

Praeterea si verum est, non posse nec debere poenitenti imponi id, quod est difficilius, utpote moraliter impossibile (vid. sup. n. 117.), nunquid vero facilius erit subire discrimen *omnium bonorum* (ut ait Croix) *tum fortunae*, *tum famae, tum vitae*, quam remedia quaepiam ad minuendum periculum idonea usurpare?

Insuper si Confessarius eligere id debet, quod magis poenitentem removet a peccandi periculo, profecto nunquam illud eliget, in quo poenitens certius est peccaturus. Ergo Confessarius nunquam prudenter illud eliget, quod improbabilius videri debet ad exsequendum. Atqui nonne improbabilior est fuga occasionis cum tam gravi discrimine? Et mirum sane est, quod Croix lib. 5. n. 261. ostendat, nihil se permoveri ratione Pallavicini, quam allegat, quod nempe si obligatio imponatur fugiendi occasionem cum tanto discrimine, hanc ordinarie poenitens violabit nec occasionem deseret et exinde hoc solum iniungat, quo imprudens confessarius obtinebit, ut occasionem certam praebeat plura adhuc patrandi peccata.

Alioquin vero nonne alia via praesto est confessario, ut scilicet, omissa indiscreta illa obligatione, interim tamen absolutionem suspendat, quousque poenitens opportuna media adhibeat et efficaciter resistat?

Quo tamen in casu adverte, non omnimodam requiri emendationem, ut absolvi queat. Satis enim erit, quod lapsus eiusmodi sint, ut dici possit vero aliquo sensu, occasionem non esse proximam, scil. respectu occasionum et tentationum non lapsum esse *ut plurimum*.

Et, ut paucis dicamus, cum istis non secus agendum videtur, ac cum illis, qui pravos habeant habitus seu consuetudines peccandi, de quibus paulo post tractandum est. Illud unum adde, quod si Confessarius dure poenitentem reiiciat et rigide difficiliorem partem exigat, hoc unice consequetur, ut diximus, ut poenitens profundius peccatis mergatur; contra vero benignitas et patientia hoc saltem assequitur, ut poenitens non totus relinquatur diabolo viamque apertam habeat, ut consiliis hortationibusque iuvetur, ne media ac preces etc. omnino abiiciat etc., prouti monent Doctores, ubi sermo est de confessionibus meretricis, usurarii, seu cuiusvis alterius, qui non est sufficienter dispositus, sed emendationis desiderium aliquod seu velleitatem tantum habet.

121. Ceterum quod generatim et omissa hypothesi de adhibitis mediis, possit absolvi, etiamsi quis eodem modo relapsus fuerit, si tamen verum habeat dolorem etc. Lugo disp. 14. n. 158. sic probat:

« Adhuc post experientiam illam nullius profectus potest stare dolor verus et propositum requisitum *absque voluntate auferendi occasionem cum tanto detrimento.* Ergo potest absolvi poenitens; nihil enim aliud requiritur, nisi confessio cum dolore et proposito ».

« Antecedens probatur, quia sicut prima vice potuit absolvi, eo quod *cum tanto detrimento non tenebatur auferre* occasionem illam, sic *propter idem detrimentum,* quod perseverat, excusatur tempore sequenti ab auferenda occasione; neque est, unde orta fuerit gravis obligatio nunc auferendi occasionem, quae obligatio antea non esset; ergo si antea excusabatur, excusatur etiam nunc ».

Deinde sic solvit obiectionem: « Dices, nunc iam experientia constare, necessarium esse omnino ad vitandum peccatum auferre occasionem; quod prius non constabat ».

« Sed contra; quia si hoc non constabat in praecedenti confessione, non tenebatur tunc auferre occasionem, etiamsi absque ullo detrimento potuisset auferri; haec enim obligatio tunc solum datur, quando constat, illam esse occasionem proximam, hoc est, qua stante homo moraliter loquendo fere semper peccabit. *Supponimus autem, quod tunc solum ex eo capite excusatus sit,* quia scilicet absque gravi detrimento non poterat auferre occasionem: ergo tunc etiam constabat necessitas moralis auferendi occasionem ad vitandum peccatum atque adeo ex eo quod magis hoc ipsum iam constet diuturniori experientia, non accrescit obligatio gravis; quia totum illud augmentum est secundum magis et minus intra idem genus ».

122. Et in hanc doctrinam consenserat et s. Alphonsus n. 455., ubi ad dubium, an possit quis manere in occasione proxima necessaria,

si aliquis deberet pati notabile detrimentum temporale in vita, fama et fortunis, contra Merbesium haec statuit: « *Communiter* affirmant Doctores, non teneri poenitentem occasionem dimittere, si aliter grave damnum passurus sit, dummodo interim sit paratus uti mediis praescriptis... Ratio, quia occasio peccandi non est in se peccatum neque affert necessitatem peccandi; quapropter bene potest consistere cum ea vera detestatio peccatorum et firmum propositum non relabendi et adhibendi debita remedia. Et quamvis praeceptum vitandi occasionem proximam per se obliget ad non permanendum in occasione, tamen illud intelligendum est obligare, cum quis voluntarie in occasione persistit, non vero si maneat ex necessitate; moraliter autem haec necessitas intervenit, quando sine magno detrimento aut incommodo nequit occasio dimitti: etenim tunc periculum formale et proximum, opportunis adhibitis remediis ad non relabendum, fit materiale et remotum; non enim qui est in periculo, sed qui amat periculum, peribit in illo ».

Et rem confirmat sic Lugo disp. 14. n. 159.: Ratio autem a priori est, quia potest adhuc cum tota illa experientia periculi stare dolor et propositum efficax, licet homo ex propria fragilitate et longa experientia credat, se iterum peccaturum. Quod quidem ad hominem probari potest; quia ipse Suarez et alii fatentur, posse illum poenitentem saepius absolvi, si aliquam emendationem ostenderit, hoc est; non ita frequenter lapsus fuerit, sicut antea. Sicut ergo potest stare dolor et propositum requisitum cum certitudine illa morali de lapsu futuro, cur non poterit stare cum certitudine morali de lapsu futuro frequenti? Propositum enim cum sit universale, non minus videtur opponi cum certitudine de uno lapsu contra ipsum propositum quam cum certitudine de multis ».

« Et confirmatur, quia si occasio esset talis, quae absque gravi scandalo vel detrimento spirituali auferri non posset, non teneretur procul dubio poenitens ad eam auferendam ad hoc, ut posset absolvi. Ergo sicut nunc posset habere verum propositum requisitum cum illa certitudine morali lapsus futuri; sic etiam quando occasio auferri non posset sine gravi detrimento corporali ».

« Denique si occasio esset talis, ut nullo modo auferri posset, qualis est fragilitas fundata in propria carne et natura poenitentis; adhuc post totam illam experientiam potest absolvi. Ergo potest habere dolorem verum et propositum cum tota illa certitudine futuri lapsus, atque adeo ex hoc capite non erit incapax absolutionis ».

123. S. Alphonsus n. 457. prop. fin., cuius doctrinam sup. n. praec. attulimus ceu consentaneam principiis Lugo, oppugnat tamen illud

Lugo sup. n. 121. argumentum, quod nempe secus nec prima vice posset talis poenitens absolvi. Et reponit: « Dispar est ratio : nam cum occasio est necessaria, ope mediorum periculum materialiter proximum fit formaliter remotum; at cum adhibitis remediis non adest spes emendationis, periculum evadit formaliter proximum et ideo omnino vitandum cum quocumque incommodo ».

Verum haec non faciunt contra Lugo; quia ut sup. diximus n. 119. Lugo non disputat de casu absurdo, in quo, si media adhibeantur, nulla sit spes emendationis. Haec excogitavit Croix, qui (sup. 119.) cum disputaret de absurda ista hypothesi, in qua facere quis nullo modo potest, ut absit periculum proximum *formale* (quae nova forma loquendi novas confusiones inutiliter inducit), deinde pro affirmativa sententia (posse absolvi, non dimissa occasione) allegat eos, qui (ipso fatente) conditionem apponunt 1° quo poenitens velit adhibere media et 2° quod aliqua sit spes profectus seu emendationis: quae destruunt statum quaestionis ab ipso propositae et ad cumulanda absurda intorquet in hanc doctrinam propositionem 3^am^ damnatam ab Alexandro VII. quod non liceat retinere concubinam, quae bene parat cibos delicatos. Profecto haec disputandi ratio unice deservit ad confusiones et cum his falsas notiones et detortas opiniones inducendas. Et quod mirum magis est, Croix ibid. lib. 5. n. 261. fatetur, doctrinam, quam oppugnat esse *gravissimorum* et *plurimorum* doctorum et suam deinde esse *rigidam.*

Ceterum ipse s. Alphonsus n. 457. in fin. accedit doctrinae, quam dicit *communissimam*, eiusmodi poenitentem posse absolvi, non dimissa occasione, si afferat signa doloris extraordinaria. Porro signa extraordinaria doloris s. Doctor ad hoc unum dicit requiri n. 459. ut tollatur suspicio de indispositione poenitentis et confessarius prudenter iudicare possit, poenitentem esse dispositum. Ergo ubi satis constet de dispositione poenitentis, ipse s. Doctor concedit, ex communissima doctrina, poenitentem huiusmodi posse absolvi, etiam non imposita obligatione subeundi detrimenta, de qua est quaestio.

Atqui nonne ipse fatetur n. 457. init. Doctores, contra quos pugnat deceptus a Croix, loqui de eo quem constet, habere sufficientem dolorem et propositum? Nonne Lugo supponit expresse haberi (n. 121.) *verum* dolorem et (n. 122.) propositum *verum*, *requisitum*, *efficax?*

Abiiciantur ergo hypotheses a Croix inductae, abiiciantur dissensiones inaniter confictae inter Doctores et tollantur somnia Doctoribus imprudenter attributa et disputatio planissima evadet. Sic cessabit et quidam defectus cohaerentiae in s. Alphonso, qui in tota hac re eadem principia modo admittere, modo posthabere videtur.

De iuvenibus laborantibus cum feminis.
Et de puella admittente visitationes futuri sponsi.

124. Duplicem hanc quaestionem tangere expedit; quia s. Alphonsus duriusculam doctrinam quoad utramque habere videtur.

Quoad primam itaque s. Alphonsus n. 452. reiicit sententiam (quam Lugo tribuit), non esse nempe in occasione proxima adolescentes, qui laborando cum feminis peccant consensu, verbis aut tactibus, eo quod *non semper nec fere semper* in talibus occasionibus peccant. In quibus quaestio tota est, an hi sint in proxima occasione necne. Verum s. Alphonsus, ut alias notavimus sup. n. 105., nec sibi plane cohaeret dum proximam occasionem definit.

Quicquid sit, non videtur reipsa Lugo ea tradere, quae s. Alph. ipsi affingit. Vult nempe rationem reddere Lugo, cur non fugiendae sint *occasiones remotae* et in eam rem haec habet: « quia (inquit) alioquin debueramus omnes de mundo exisse, iuxta illud Pauli 1. Cor. V. 10. Fere enim in omnibus statibus est occasio remota peccati mortalis. Unde inferunt aliqui ex Auctoribus citatis, prudenter absolvi adolescentes, qui versantur cum feminis laborando, vel conversando, quae in eadem domo non habitant, licet saepe ex tali occasione peccaverint mortaliter cogitatione, consensu, tactibus, vel copula; quia ea non censetur occasio proxima sed remota: neque enim ex tali occasione semper aut fere semper solent homines peccare mortaliter et aliunde ad tollendam illam occasionem oporteret poenitentem in eremum abire ut omni commercio cum feminis liber esset ».

Ideo igitur isti Doctores, a Lugo allegati, negant in eo casu haberi occasionem *proximam* atque adeo necessario removendam; quia et per se non est speciali illo modo inducens ad malum, unde *proxima* constituitur occasio: quod si respectu alicuius esset inducens eo modo non esset tamen eiusmodi occasio, cuius fuga indici possit, eo quod ubique adsit, nisi si quis in eremum concedat. Quae doctrina nihil a communi discedit et si casum ita proponunt illi Doctores, non debemus aliam effingere conditionem illorum adolescentium et dein eos Doctores taxare, quasi non rectam notionem occasionis poximae aut remotae exhibeant.

125. Quoad alterum s. Alph. n. 452. non admittit doctrinam, quam et Roncagliae tribuit, scilicet non negandam esse absolutionem iuveni ac puellae, qui ad aliquod tempus se invisant animo matrimonii inter se contrahendi. Nam « raro, inquit s. Alph., reperi, qui in tali accessu non peccaverit saltem verbis aut cogitationibus; cum omnes

aspectus et colloquia inter eiusmodi sponsos sint incentiva ad peccandum et moraliter impossibile sit, ipsos invicem tractare et stimulos turpes non sentire ad ea, quae tempore matrimonii inter se futura erunt ».

Verum 1° oporteret, ut horum lapsuum frequentia talis esset, quae ad proximam occasionem requiritur et hoc falso dicitur, raro non contingere.

2° Haec occasio dicenda foret necessaria atque adeo agendum foret cum hisce iuxta regulam sup. n. 120. traditam.

Sed vide quae uberius notavimus tr. VI. sect. 6. a n. 64. deinceps.

126. Contra doctrinam heic traditam auctores Vindiciarum quatuor et triginta columnas pag. 603.-620. congerunt, seu potius ingenti rerum inutilium farragine replent. *Inutilium*, dixi; quippe rei cardinem vix aut ne vix quidem attingunt. Et percommodam sane viam se ab difficultatibus expediendi VV. tenuerunt, ubi pag. 620. scribunt: *Rationes intrinsecas, quas P. Ballerini pro sua sententia affert, speciatim confutare omittimus, ne laborem supervacuum subeamus; satis enim omnes istas rationes ad nihilum redigit praemissa explicatio doctrinae quam tenet s. Alphonsus.*

Atqui hoc prorsus falsum est. Et sane rationes istae *intrinsecae*, quae a nobis afferuntur, paucissimis hisce continentur: 1° *Poenitens utique ex lege naturae tenetur ad vitandum periculum proximum. At vero cum id obtineri duplici modo possit, nempe vel utendo mediis opportunis, ut periculum fiat remotum, vel removendo seu fugiendo occasionem; poenitens ex lege naturae ad alterutrum tantummodo tenetur. Ergo confessarius non potest illi hoc potius imponere, quam illud.* Et ratio est, quia Confessarius non est legislator, atque adeo, excepta satisfactione sacramentali, non potest poenitenti quidpiam praecipiendo imponere, ad quod poenitens quapiam alia lege non teneatur. Porro quaero: nunquid in *explicatione*, quam VV. praemittunt *doctrinae s. Alphonsi*, aliquid occurrit, quo hoc principium forte convellatur? Imo num putabit quispiam, hoc principium ostendi falsum posse?

Aliud principim est: *Manifestum est, e duobus mediis, quibus finis obtineri possit, non posse nec debere poenitenti illud a Confessario imponi, quod, utpote ad exsequendum difficilius, censetur moraliter impossibile. Atqui difficilius est subire discrimen* bonorum omnium, *ut ait Croix*, tum fortunae, tum famae, tum etiam vitae, *quam remedia quaepiam ad minuendum peccandi periculum usurpare.* Ergo.

Accedit confirmatio ex animadversione P. Segneri, quae quoddam est praemissi principii consectarium. *Confessarius videlicet praeferre*

id debet, quod poenitentem a peccandi periculo magis removet atque adeo nunquam eligere id poterit, in quo poenitens certius est peccaturus. Ergo nunquam confessarius prudenter illud praeferet, quod improbabilius videri ad exsequendum debet. Atqui improbabilius speratur fuga occasionis cum tanto discrimine (bonorum omnium, scilicet, tum fortunae, tum famae, tum etiam vitae), *quam mediorum ad minuendum periculum usus opportunus. Ergo.*

Porro in tota illa *explicatione doctrinae s. Alphonsi,* ad quam lectorem VV. remittunt, ne verbum quidem de his habent, nedum respondere aliquid conati sint. Hoc unicum licebit cernere, quod rationem a Ven. Segneri allatam infirmare student pag. 619., afferendo haec eiusdem verba, quae leguntur paulo post textum heic allatum: *In dubbio attenetevi qui sempre alla parte più rigorosa, perciocchè questa, come abbiamo veduto, è la più favorevole al penitente.* Quae, uti patet, ad rem non faciunt; quia regula ab eodem Auctore proposita et superius inconcussis rationibus confirmata, nequaquam ad casus dubios spectat. Ergo ad intrinsecas praemissas rationes reipsa nihil VV. respondent, utcumque se respondisse fingant; quo quidem artificio sane misero ad contrarias rationes eludendas s. Alphonsus usus est nunquam et certissime credimus, nunquam usurum fuisse.

127. In *explicatione* itaque *doctrinae s. Alphonsi*, quam VV. per sex columnas pag. 608.-610. praemittunt, illud unum ad rem facit, quod conentur ostendere, non esse chimaericam hypothesim, sic a Croix descriptam lib. 5. n. 261.: *Cum quis nullo modo potest facere, ut cum occasione externa non sit coniunctum periculum formale peccandi*, seu aliis verbis, *cum quis nullo modo potest facere, ut proximum periculum evadat remotum.* Quam quidem hypothesim diximus *absurdam,* quando videlicet *remedia apte suggerantur et fideliter usurpentur.*

Ut falso haec dici evincant, duo exempla VV. proponunt, quorum tamen alterum pag. 610., e Cardenas desumptum, non est ad rem. Proponit nimirum Cardenas part. 4. diss. 40. n. 145. casum *mulieris concubinae, quae si resistat libidini complicis, illam certissime e domo expellet; quo facto, prae fame peribit.* Dixi, hoc exemplum ad rem non esse; ubinam enim heic locus aliquis ad adhibenda remedia, quibus *periculum fiat remotum*, quando haec unice optio ei datur, ut aut peccet aut domo expellatur, fame peritura? Perinde scilicet est, ac cum Mathathiae optio data est, ut aut carnes porcinas manducaret aut mortem subiret. Et si quidem huc demum spectaret hypothesis Croix, omnis abesset sane controversia. Verum Croix l. c. asserit, pro sententia opposita stare Auctores *gravissimos*, quos infra etiam dicit

plurimos et in fine permittere quoque praxim contrariam videtur, inquiens: *Qui primam benigniorem sententiam volet defendere, legat Vindicias Gobat.* Ergo prorsus alia est Croix hypothesis.

Et ad hanc palam pertinet aliud exemplum, quod VV. pag. 608. fingunt, *adolescentis* scilicet, *qui sui iuris non est et perdite amat coniunctam, cum qua in eadem domo habitare cogitur. Pluribus peccatis cum ipsa commissis, conscientiae stimulis agitatus, ad confessionem accedit. Confessarius occasionem hanc necessariam esse agnoscens* REMEDIA CONSUETA *ipsi praescribit, in primis ut solus cum sola versari evitare studeat. Poenitens nihil praescriptorum omittit, fideliter solus cum sola esse evitat; sed non evitat complex, quae industriose eum inquirit et blanditiis ac sollicitationibus eo perducit, ut denuo misere cadat et peccet, sin minus consummatis, saltem imperfectis actibus, aut consentiendo interius. Redit ad Confessarium, qui in adhibendis remediis nullatenus negligentem absolvere non haesitat. Redit iterum atque iterum eodem modo recidivus. Non peccat, praeterquam si a complice inquiritur ac sollicitatur, ita ut sensu strictissimo vera sit suppositio:* eodem semper modo. *At denique confessarius... absolutionem ipsi differt. Redit poenitens, veruntamen denuo eodem modo recidivus.* Exinde VV. concludunt: *Habes ergo sensu strictissimo casum, quem ponit s. Alphonsus, et non remanent nisi duae quaestiones*: 1° *An in hoc casu spes emendationis adsit et* 2° *Quid Confessario agendum sit.*

Resp. Confessarius, ut aiunt VV., *consueta remedia praescripsit.* At quaero; cur omisit quaedam alia remedia, utique minus consueta, sed circumstantiis admodum opportuna? *Poenitens*, inquiunt, *nihil praescriptorum omittit, fideliter solus cum sola versari evitare studet: sed non evitat complex.* Et infra: *Non peccat, praeterquam si a complice inquiritur ac sollicitatur.* Verum de b. Thoma legitur: *Mulierem etiam, quae ad labefactandam eius constantiam introducta fuerat, titione fugavit.* Curnam itaque confessarius adolescenti non suadet, ut scelestam feminam, quam sibi laqueum ac funestam aeternae damnationis causam iam probe agnoscit, verbis etiam acerbis prius frustra monitam, adhibito demum titione fugaret? Et sin minus titionem ad manum haberet, alapis et calcibus eam exciperet? Quis enim nescit, hoc remedii genus, si cetera non proficiant, et a viro cum procaci opportunissime et non raro adhiberi ac porro adhibendum?

128. Verum, quod magis mirabile est, VV. denique in sententiam, quam videntur impugnare, deveniunt. Nam postquam perperam finxerunt, confessarium omnia remedia adhibuisse, ac porro ab omni emendationis obtinendae spe excidisse ac denique adolescenti serio indixisse

nullam salutis spem ipsi superesse, nisi domum paternam deserat; ipsum adolescentem exhibent ita comparatum, ut de aeterna sua salute sollicitus *aut domum paternam relinquat, aut extrema tentaturus, omnes vires ac nervos contendens atque ferventius solito et ex toto corde divinam opem implorans sollicitationi complicis resistat et tandem victor in hoc certamine exsistat... Imo etiamsi haec sana consilia non statim iniret, nihilominus vigil conscientia in peccatis marcescere ipsum non sineret nec clamare cessaret, donec alterutrum opere impleverit.* Ita quidem VV. pag. 608.-609.

Atqui 1° ex his iam plane colligitur, *chimaericam* igitur et *absurdam* esse hypothesim Croix de poenitente, qui *nullo modo possit facere, ut cum occasione externa non sit coniunctum periculum formale peccandi:* aut aliis verbis, *qui nullo modo possit facere, ut proximum periculum evadat remotum.* Nam ipsimet in hoc casu, quem alioquin ita exhibent, ut nulla spes emendationis affulgeat, supponunt, adolescentem, ferventiori studio assumpto, ita posse *sollicitationi complicis resistere, ut tandem victor in hoc certamine exsistat.* Ergo fatentur, fieri posse, ut adhuc perseverante occasionis praesentia, periculum proximum, adhibitis opportunis remediis, evadat remotum. Ergo repugnantia dicunt, dum et nullam spem adesse emendationis et nihilominus sperandam morum mutationem asserunt.

2° Ergo concedunt, praedicto adolescenti non esse necessario *deserendam domum paternam:* sed *alterutrum* illi eligendum esse, ut aut firmiori voluntate ad tentationes vincendas opportuna media adhibeat, aut certe ab occasione, paternam domum deserendo, fugiat, siquidem adhibendi media curam ac laborem nolit assumere. Nam alioquin, ut optime VV. pag. 608. scribunt, *certum est hunc poenitentem sollicitationi resistere posse et non resistere propter defectum propositi; nemini enim aliqua mandata, divina adiuvante gratia, servare impossibile est.* Ergo, contra ipsos concludere est: si a proposito deficiat, inde causa petenda est, quod opportuna media aut non ipsi a confessario suggerantur ac praescribantur, aut ipse fideliter non usurpet.

129. Hinc vero consectarium contra opinionem, quam Croix praefert. Nam si poenitens ad alterutrum tantummodo tenetur et obligationi suae satisfacit, si e duabus viis evadendi peccati periculum alterutram eligat ac teneat; ergo non potest confessarius alteram earum determinatam praecipiendo imponere: ac multo minus debet aut potest eam praescribere, quae ad exsequendum cum sit difficilior, certiori, ut aiebat Segneri, peccati periculo poenitentem exponit.

Ex his vero facile se prodit responsum ad textus Auctorum, quos

VV. pag. 610.-617. per tredecim columnas congerunt. Obligatio nimirum, quam urgent, occasionem deserendi, intelligenda est *conditionata,* nimirum quando poenitens animum non inducit opportuna imo et necessaria adhibere remedia, quae periculum e proximo efficiant remotum.

Conqueruntur, imo et graviter reprehendunt pag. 607. VV., quod hypothesis a Croix conficta dicatur *absurda* et *chimaerica*, praxis vero consequenter ad absonam illam hypothesim ab eodem proposita, illud nimirum a poenitente exigendi, quod, iuxta Segneri verba, certiori peccandi periculo illum exponit, dicatur *imprudens*, *indiscreta et rationi non consona*, quando eam etiam s. Alphonsus praetulit, cuius tamen virtutes atque adeo *prudentiam* gradum heroicum attigisse iam declaratum est.

Resp. ad 1. Ipsi VV., ut superius vidimus, hypothesim illam explodunt falsamque esse probant, dum eam tutari velle videntur. Quoad 2. quomodo in primis VV. evincent, s. Doctorem eam praxim laudare, quando ob eius difficultatem prae aliorum mediorum usu poenitentem in certius peccandi periculum inducit? Sed deinde hoc argumenti genus evidenter nimis probat. Etenim inferius videbimus, in hoc *prudentiae* negotio, quando scilicet quaestio est de differenda necne absolutione poenitenti, qui nondum restituendi obligationi, satisfecit, s. Antonini doctrinam a doctrina s. Alphonsi diversam. Et cum utriusque virtutes ac porro etiam prudentia in gradu heroico declaratae fuerint, quin et s. Antoninus *in explicandis consiliis tantae dexteritatis fuerit, ut communi elogio* ANTONINUS CONSILIORUM *diceretur,* ut habet Breviarium romanum, quonam haec pacto conciliari poterunt?

De recidivis et habituatis (resol. 9.).

Diligenter versanda est haec materia, non quasi *per se* multum difficultatis habeat, sed ne quis implicetur multis ambagibus, quas alii imprudenter, alii insipienter, alii etiam pravo consilio invexerunt.

Distinctio recidivi et habituati.

130. Quidam e recentioribus (nam subtiliores istae investigationes plane hoc loco non instituebantur a vetustioribus) habituatum distinguunt a recidivo: non quasi recidivus ex horum sententia non debeat haberi ut habituatus seu consuetudinarius; sed quatenus nomine *habituati* placuit designare eum, qui prima vice confitetur post habitum contractum, nomine vero *recidivi* intelligunt illum habituatum, qui post illam confessionem in eadem peccata rursus labitur.

Ita s. Alphonsus n. 453. et Gury, qui Vol. 2. §. 632. scribit: « Consuetudinarius dicitur, qui contraxit habitum alicuius peccati, de quo non est adhuc confessus: Recidivus vero..., qui post confessionem in idem peccatum relabitur ».

Fuerunt tamen ingeniosiores, qui invenerunt recidivum non habituatum quando quis nempe post confessionem alicuius peccati, cuius alioquin habitum non contraxit, rursus illud committit.

Ceterum tolerabilior videbitur haec distinctio habituati a recidivo, si cum Faure (Dubit. 3. §. 1. pag. 17.) ita eam adhibeas, ut mere habituatus dicatur qui ad annum vel plures annos peccata commiserit v. gr. mollitiei, blasphemiae..., ac primo haec confiteatur, et hunc distinguamus a recidivo, qui item peccata illa patraverit, sed interpolando confessiones.

131. Ad quasnam vero angustias deducant istae priores habituati ac recidivi notiones, facile intelliges, si cogites.

1° Quosdam iam prompsisse principium velut inconcussum, quod *consuetudo sit signum indispositionis* (apud s. Alph. n. 459. paulo post init.).

2° Adde doctrinam s. Alphonsi (*Prax. confess.* cap. 5. n. 70.), quod « quinque vices in mense iam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomarium et bestialitatum multo minor numerus habitum quit constituere; qui v. gr. semel in mense fornicetur per annum, bene hic habituatus dici potest.

3° Adde aliam doctrinam, quam sic efferunt, oportere, ut confessarius moraliter certus sit de dispositione poenitentis; quia agitur de materia sacramenti.

4° His adde factum, quod experientia nimis testatur, nempe, nisi agatur de quibusdam fidelibus, qui sollicitiores sunt in cavendis peccatis, nimis saepe reperiri, qui quinquies peccet in mense.

His itaque praesuppositis, quid quaeso acturus erit confessarius, qui fere indispositos habebit poenitentes et quidem illos, qui magis egent confessarii ope? Nempe (quod cum dolore ingenti cernere cogimur) confessarii his angustiis pressi se convertent ad excipiendas confessiones quarundam tantummodo devotarum et refugient ab iis, qui hoc sacramento magis indigent, cum magna sane laetitia diaboli, cui pinguior haec praeda libere permittitur.

De habituatis.

132. Ut itaque breviter expediamus, quae ad mere (ut aiunt) habituatos pertinent, adverte, ad aequivocationes tollendas, prodesse imo

necessarium esse, distinguere inter *habitualem affectum* erga peccata et inter *habitum* qui peccando contrahitur.

Habitualiter affectus erga peccatum ille dicetur, qui iugi quadam voluntate et amore deliberato adhaeret pravitati, v. gr. odii adversus aliquem, impudici amoris, iniustitiae violantis iura alterius etc.

Et si hoc sensu accipiatur homo habituatus, opus sane erit, ut confessarius sedulo dispiciat, an poenitens pravum suum affectum detestetur et an ipsum immutaverit *quoad voluntatis deliberationem.*

Verum non hoc sensu disputant heic recentes scriptores de habitu; sed quatenus nomine habitus generatim venit facilitas quaedam, quam ex repetitis actibus facultas quaepiam nostra acquirit, ad eiusmodi actus eliciendos.

Et quidem de habitu sic intellecto disputare solent Doctores, tum quatenus *deservit ad bonum* faciliter agendum et sic constituit *virtutem*, tum quatenus deservit ad malum faciliter patrandum et sic constituit *vitium* seu habitum vitiosum.

133. Porro ut ad rem accedamus, 1° in primis dicendum, non omnia peccata inducere eiusmodi habitum seu facilitatem ad peccandum, uti patet praesertim in peccatis, quae ex timore, humano respectu, indigentia seu necessitate etc. patrantur.

2° Nisi confundatur facilitas cum affectu voluntatis, nihil magis falsum est, quam habitum opponi sincerae detestationi peccati. Imo saepe ea, ad quae habitum seu facilitatem contraximus, v. gr. legendi, scribendi, sonandi, cantandi, pingendi, consuendi, etc. plus aversamur.

Et id sedulo advertendum contra generale assertum etiam s. Alphonsi (n. 459.), quod « pravus habitus reddat peccatorem *propensiorem* ad peccatum ». Etsi enim sit quaedam physica inclinatio ad actum; non est tamen hoc ipso moralis inclinatio ad malum.

3° Quinimo palam est, dari quosdam habitus, in quibus absurdum est fingi voluntatis affectum, qui obstet detestationi, quando scil. obiectum nihil habet appetibile, v. gr. imprecari, blasphemare etc. atque item quando vi habitus quis prorumpit in actus, quos detestatur, quod contingit tum in actibus moralibus, tum in aliis.

4° Ad haec etsi admittatur qualiscumque propensio, attamen falso supponitur, hanc obstare sincerae detestationi. Et sane si cuiuspiam facilitatis seu etiam inclinationis ad malum ratio habeatur, nunquam non aderit suspicio insufficientis dispositionis; quippe proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, ut s. Litterae docent.

5° Quod autem quaepiam facilitas, quae ex actu *ter quaterve* repetito forte potentiae accedere fingatur, sit indicium animi minus dispositi vel indispositionis suspicionem debeat iniicere, vel inducat

indispositionem, sunt inventa, ne dicam commenta, ridicula, quae veteribus universis plane incomperta fuerunt. Et sane veteres de habitu (ut videbimus) loquebantur, qui aliam quodammodo naturam induxisset.

6° Denique ipse s. Alphonsus (n. 459.), utut inanes illas speculationes admiserit, tamen subdit, hanc propensionem non praebere causam, cur poenitens *mere habituatus* censeatur indispositus, sed dispositum censeri posse, *nisi* (inquit) *obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium*. Quae quidem praesumptio cum, ipso s. Alph. fatente, non oriatur ex conficto illo habitu, oriri solum posset ex aliis indiciis rei nostrae extrinsecis et haec consideratio nihil huc facit.

Ergo etiamsi admitteretur conficta illa propensio, haec tamen etiam iuxta s. Alphonsum non iniicere debet suspicionem indispositionis.

Proinde s. Alphonsus (n. 459.) affirmat, nihil esse, cur absolvi mere habituatus non possit. Ita ille: « Qui prima vice suum habitum confitetur, bene absolvi potest, etiamsi nulla emendatio praecesserit (scil. ante confessionem) modo eam serio proponat, ut cum communissima docet Croix (lib. 6. p. 2. n. 1820.) ». Et allegat haec romani catechismi verba (*de Poenit.* n. 60.): « Si audita confessione iudicaverit (sacerdos), neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit ». Nota (inquit s. Alph.) *omnino defuisse*. De quo textu infra et utinam saepius s. Doctor eiusdem meminisset et aptiori loco; neque enim Catechismus romanus loquitur de habituato, qui *prima vice* confiteatur.

Notio recidivi.

134. « Recidivus (ait s. Alph. n. 459.) est ille, qui post confessionem *in eadem peccata* relapsus est ».

Sedulo advertantur verba = *in eadem peccata* =; quae satis non adverterunt quidam v. gr. Franzoia et socii, qui *recidivum* habent etiam eum, qui post confessionem in alterius etiam speciei peccatum labitur, v. gr. qui uno mense omisit Missam, alio autem (post confessionem) detrahit proximo.

Ex qua doctrina sequeretur, non posse absolvi (nam ita de recidivo isti statuunt) illum, qui post mortalis peccati confessionem, aliquod qualecumque peccatum mortale commiserit. Atque adeo stulte loquuti essent Patres Tridentini, cum (sess. 14. cap. 2.) de peccantibus post baptismum ita decreverunt: « Nam hos si se postea aliquo crimine contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti

(Christus Dominus) voluit ut per sacerdotum sententiam *non semel, sed* QUOTIES *ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint*, possent liberari ».

Ceterum minus plena videtur illa quoque definitio, quam attulimus (n. praec.) ex s. Alphonso. Etenim ista definitio falsa erit, nisi intelligatur de eo, qui consuetudine quapiam labatur: secus omnes fere homines essent recidivi; cum rari sint, qui semel tantum quampiam culpam admiserint.

Nec satis exacta est vel illa definitio, quam s. Alph. tradit in *Praxi Confessarii* (cap. 5. n. 71.), ubi dicit: « Recidivi autem sunt, qui post confessionem eodem vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione ».

Nam praeterquam quod subintelligi debet, non secus ac in praecedenti, sermonem esse de relabente *ex consuetudine*, insuper non satis videntur sibi cohaerere illa duo, *quasi eodem modo* et *absque emendatione*. Nam *absque emendatione* dicit *nullam* emendationem et *quasi eodem modo* dicit *aliquam* emendationem.

Alio praeterea vitio ea definitio laborat. Nam finge hominem, qui utique quinquies in mense lapsus fuerit in peccatum, v. gr. luxuriae, vel blasphemiae, vel detractionis aut imprecationis et post confessionem sequenti mense pari ratione lapsum esse et quidem, si vis, non quinquies solum, sed sexies aut septies peccasse. Atqui tamen tum primo mense, tum altero aeque strenue pugnaverat, centies daemonem ac tentationem repulerat et vixdum lapsus se damnabat etc. Quis porro dicat hunc non habituatum modo, sed ita recidivum, ut (quod dein isti contendunt) non debeat censeri dispositus; quando ipsimet vel exiguam horum partem habent ut signum extraordinarium doloris atque adeo dispositionis? Sunt ergo falsae regulae; quae si materialiter sumantur, in gravissimos inducent errores.

135. Genuinam itaque *recidivi* notionem ex antiquioribus doctoribus exquirere debemus, quorum sensa exposita habetis in Dissertatiuncula P. Andreucci ad calcem secundi voluminis nostri A. pag. 521.

Ibi reperietis ad constituendum recidivum *acceptione theologica* (recidivum scilicet, de quo specialis quaestio fit a Theologis) tria haec requiri, nempe ut habeatur 1° *frequens* relapsus post *plures* confessiones: 2° relapsus in eadem peccata et 3° defectus omnis etiam inchoatae emendationis.

Quae quidem breviter sic complexus est Lugo (disp. 14. n. 166.), ubi recidivitatem definit, ut sit « frequens reincidentia in eadem peccata post multas confessiones absque ulla emendatione ».

Itaque 1° cum ex sententia Doctorum requiratur *multiplex* et *fre-*

quens relapsus post *multas* confessiones; vix tolerandum est, quod statim ceu recidivus atque adeo suspectus de defectu dispositionis habeatur ille, qui post primam confessionem relabitur.

Unde enim, si prima rationis principia adhibeamus, desumi potest, quod iste de peccatis suis vel *modo* non doleat, vel non doluerit in praecedenti confessione? Ut enim s. Thomas advertit (3. q. 84. art. 10. ad 4.): « Quod aliquis postea peccet vel actu vel proposito, non excludit, quin prima poenitentia vera fuerit. *Nunquam* enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium sequentem. Sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere poenituit, qui postea peccat ».

2° Dicitur *relapsus in eadem peccata*. Nam si suspicio aliqua oritur de poenitentis dispositione, haec non quidem ex facilitate potentiae addita ad quosdam actus, sed inde oritur, quod ex eiusmodi relapsu locus quidam datur suspicandi de aliqua voluntatis adhaesione erga illius determinati peccati obiectum; unde et suspicio de occulta aliqua approbatione seu adhaesione, quae eiusdem detestationi vel praeteritae vel praesenti admisceatur. Oriri haec suspicio potest etiam inde, quod facilitas labendi etiam in peccata (quorum obiecta nihil habent, quod affectum alliciat, uti sunt v. gr. blasphemiae) suspicionem iniiciat exigui horroris et timoris adversus peccata, exiguam curam salutis et reconciliationis cum Deo Domino nostro etc. Haec autem suspicandi ratio abest, quando diversi generis sint peccata.

Insuper 3° exigitur defectus cuiusvis emendationis etiam inchoatae. Id et a Lugo (sup. heic) audivimus: id ita habet Ludovicus de Granata (apud Andreucci l. c. pag. 522.): « Talis (scil. *falsa*) eorum poenitentia esse videtur, qui ubi primum scelera sua hoc tempore confessi fuerint, in eadem PROTINUS relabuntur, neque de prava consuetudine et licentia iurandi, peierandi, mentiendi, maledicendi, maleprecandi atque concupiscendi *quidquam* remittunt, nec ullum virtutis ac pietatis officium amplectuntur, sed iidem omnino permanent; ac antea fuerant ».

Id et Salmanticenses (*de Iuram.* tr. 17. cap. 2. n. 167.): « Difficultas est, an habenti consuetudinem peierandi vel blasphemandi, NIHIL apponenti (qui nihil apposuerit) curae ad emendam, cum admonitus SAEPE fuerit in aliis confessionibus, possit et debeat confessarius denegare beneficium absolutionis, si accedat cum dolore de praeteritis et in posterum emendam firmiter proponat ». Et rursus: « Quaestio de eo est, qui SAEPIUS admonitus in EODEM SEMPER STATU permaneret (scil. permansit), NIHIL ex parte sua curae apponendo, ut ad meliorem frugem redeat ».

136. Ex quibus (quae non sunt singularis opinio Lugo, Granadae et Salmanticensium, sed communis omnium, uti paulo post videbimus)

manifesto patet, nimis a veritate distare notionem recidivi, quam exhibent tum s. Alphonsus, tum Gury et quam malo fato sequutus est etiam Scavini (tr. 10. disp. 1. c. 3. art. 2. q. 2.) et simul infinito intervallo distare a notione, quam exhibent communiter scholae catholicae.

Consectarium vero gravissimi momenti sua sponte fluit; nam cum alia sit notio recidivi penes allegatos recentiores alia penes scholae Doctores, perperam recentiores illi advocarent nomen et auctoritatem illorum Doctorum, licet thesis verbo tenus iisdem verbis apud utrosque concepta videatur: qui abusus evidenter apparet penes Scavini (l. c.), ubi agmen veterum pro sua thesi de recidivis allegat: sed penitus ABS RE; quia de diverso plane obiecto penes utrosque quaestio vertitur.

Quomodo agendum cum recidivis quoad absolutionem.

137. Quoad gravissimum hoc caput vix ulla dissensio apparet penes Doctores non admodum recentes. Qua de re proderit nosse, quae habet Lugo, auctor alioquin qui recensendus videtur inter severiores potius, quam inter benigniores.

Agens itaque de absolutione neganda aut differenda ob defectum propositi, postquam dixerat de occasionibus proximis, subdit (disp. 14. n. 166.): « Restat ergo nunc, ut dicamus aliquid de... ultimo capite cognoscendi defectum propositi efficacis, nempe ex frequenti reincidentia in eadem peccata post multas confessiones absque ulla emendatione.

« In quo puncto doctrina *communis et vera est,* si sacerdos hîc et nunc, non obstante consuetudine praeterita, iudicet, poenitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere; quia dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura, atque ita poterit absolvi, licet iudicetur relapsurus.

« Secundo certum est, quando sacerdos, attenta consuetudine praeterita et propensione *aliisque circumstantiis,* iudicat, poenitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque poenitens dicat, se dolere; quia si sacerdos id non credit, non habet iudicium requisitum ad conferendam absolutionem ». Et quoad hoc Lugo videri poterit, tantisper distare a communi doctrina circa fidem habendam testimonio poenitentis; nisi tamen quod dicit de cognita poenitentis *propensione* in illud peccatum et de *aliis circumstantiis,* intelligatur de positivis indiciis indispositionis. Sed de hoc infra.

« Denique aliquando utile erit differre absolutionem per aliquot dies, ut appareat correctio et observatio propositi. In hoc conveniunt Auctores communiter, quos refert et sequitur Sanchez etc. ». In qua do-

ctrina quamnam extensionem habeat illud *aliquando*, et quid sibi velit illud *ut appareat correctio,* inferius patebit ex doctrina Auctorum, quos Lugo allegat.

Ergo haec tria iuxta Lugo ex communi doctrina censebantur: 1° posse absolvi recidivum (intellige, qualem Lugo idem descripsit), si habeat verum dolorem et propositum: 2° non posse absolvi, si ex circumstantiis iudicetur indispositus: 3° utile aliquando esse absolutionem ad aliquot dies differre, ut correctio appareat.

138. Subdit dein Lugo (n. 167.) unicum caput, quod in controversiam veniebat, scilicet « an aliquando, cum confessarius posset credere probabiliter poenitenti dicenti, se hîc et nunc habere dolorem et propositum, possit tamen, ad melius probandum et confirmandum illud propositum, differre absolutionem per aliquot dies ».

De qua re ipse dein statuit, puncta aliqua certa esse, in quibus omnes conveniunt. « Primo (inquit) posse ex consensu poenitentis differri absolutionem; volenti enim non fit iniuria: atque adeo optime facturum confessarium, si poenitentem suaviter alliciat ad consentiendum.

« Secundo certum est, quando dilatio... necessaria est ad explorandum firmum propositum poenitentis, de quo non satis constat, posse et debere differri absolutionem ». Sed haec non sunt ad rem nostram; quia praeter positam quaestionem.

« Tertio non posse licite differri absolutionem, quando poenitens est sufficienter dispositus et ex dilatione timetur damnum potius spirituale, quam speretur utilitas poenitentis, ut puta, quod taedio affectus non redibit, vel in desperationem actus habenas vitiis laxabit etc.

« Quarto denique certum est, non debere absolutionem differri absque aliqua et rationabili causa, quae prudenter dictet, esse differendam.

« Difficultas ergo esse potest, an possit esse causa rationabilis *aliquando* ad differendam absolutionem absque consensu poenitentis, licet ipse aliunde credatur probabiliter esse tunc dispositus ».

En itaque unica, quae vertebatur, controversia, in qua Lugo (n. 169.) affirmativam sententiam sequitur contra Ioannem Sancium, qui (apud Lugo ibid. n. 167.) dicebat, « confessarium non posse non absolvere poenitentem habentem dispositionem requisitam doloris et propositi, cui parti favent (inquit Lugo) etiam alii Theologi ». Sed forte Lugo exaggerat in referendis hisce: vide verba (Sancii infr. n. seq.). Reipsa Card. De Lugo disputat de *probabiliter* cognito ut disposito, qua phrasi vult profecto indicare quidpiam diversum ab eo, quod supposuerat (sup. n. praec.), cum dicebat, absolvi posse poenitentem, quem confessarius *iudicat* habere verum dolorem etc., ubi non addit illud

probabiliter; ergo Lugo disputat de dubitante aliqualiter circa poenitentis dispositionem. Porro Sancius disputat de habente verum dolorem etc. Ergo inter eos vera oppositio non est.

Insuper nonne conveniunt omnes DD., et sufficere et non plus aliquid posse exigi et obtineri, nisi *iudicium probabile?*

Et nos in praesens hanc quaestionem omittimus: satis enim nobis modo est, quod constet, quaestionem, si qua fuit penes veteres de absolutione danda vel non danda recidivis, nihil pertinere ad quaestiones, quas deinde recentiores moverunt. Namque quaestio ab illis fiebat de homine, qui supponebatur dispositus, saltem probabiliter et quaerebatur, an posset ob *maiorem eiusdem utilitatem* differri absolutio; ab his vero quaestio movetur circa sufficientiam dispositionis.

139. Primi, quod sciam, confusionem in hanc rem induxerunt Salmanticenses, dum minus ordinata disputandi ratione et non satis fideli sententiarum relatione utuntur.

Nam posita quaestione (tract. 17. *de Iuramento* cap. 2. n. 167.) de eo « qui saepius admonitus in eodem semper statu permaneat, nihil ex parte sua curae apponendo, ut ad meliorem frugem redeat »: subdunt tres adesse sententias.

« Prima (inquiunt ibid. n. 168.) asserit, quod licet salubre sit consilium differre absolutionem, quando creditur profutura talis dilatio, ut vel sic confusione suffusus resipiscat et curet, pravam illam exstirpare consuetudinem; at si poenitens cum dolore et proposito firmo accedat (in quo Confessarius illi credere debet, sicut in aliis, inquit haec sententia), potest illum absolvere, etsi hactenus non curaverit per plures vices admonitus emendationem ». Et allegant pro hac Sanchez, Suarez, Palaum, Sayrum, Bonacinam, Hurtadum, Leandrum.

« Secunda (ibid. n. 169.) sententia dicit, quod non solum non tenetur confessarius differre absolutionem, sed neque id posset, si cum dolore et proposito accedat peccator: in quo poenitenti credere debet, nisi ex aliqua circumstantia eum *non* habere verum dolorem diiudicet et ob id differre absolutionem *utile* arbitretur (haec speciem calumniae habent; nemo enim unquam dixit, esse solum *utile* non absolvere subito, quando constet deesse dispositionem). Tum quia quando poenitens est dignus absolutione, tenetur confessarius eum absolvere... Et si de praeteritis doleat et concipiat propositum de futuro, nihil aliud est in sua manu. Ergo semper ei absolutio est impertienda ».

Dein afferunt haec verba Io. Sancii: « Caveat confessarius, ne absolutionem, quam inculpate poterat impendere, cum damno vel probabili periculo poenitentis neget, sive quia is valde animo deiiciatur, sive quia ad confessionem redire non audebit (et addendum est: *quia posset*

prius mori). Itaque communiter non faciat hoc sine ipsius poenitentis consensu ».

Ex quibus verbis inferri posset, Salmanticenses et Lugo sup. 227. non recte referre doctrinam Sancii, dum descriptam sententiam ipsi affingunt. Nam 1° Sancius supponit poenitentem dispositum: 2° differendam negat absolutionem, cum id cederet in damnum spirituale poenitentis: 3° dum dicit, *communiter* non differendam sine poenitentis consensu, innuit *aliquando* differri posse etiam sine huiusmodi consensu. Atqui haec recidunt in sententias, quas et Lugo, utut paulo rigidior, probat et sequitur et sequendas censet.

« Tertia sententia (ex Salmant... ibid. n. 170.), quam probabiliorem iudicamus, dicit, non solum ex consilio posse confessarium differre absolutionem in casu quaestionis, sed *ad id teneri,* nisi ex occurrentibus circumstantiis verum esse dolorem et firmum propositum poenitentis adiudicet; quia scilicet illum videt compunctum et contritum... et specialia signa doloris habentem. Nec in hoc credendum est ipsi poenitenti, quando nec ipse sibimet credere valet (haec ludentis potius quam serio loquentis animadversio est) qui toties proposuisse videt totiesque ad vomitum rediisse; quod signum est manifestum, absque vero dolore et proposito accedere. Haec falsa sunt e sententia s. Thomae (super n. 135.) et probarent potius contra confessiones praeteritas, quam contra praesentem nec remedium foret differre absolutionem, sed repetere confessiones.

Itaque, demptis falsis et inutilibus, Salmanticenses hoc sibi volunt ceu proprium, huiusmodi poenitentibus non esse credendum, dum affirmant se dolere et velle emendam curare. Dixi, *ceu proprium* hoc statuere; nam reipsa hoc est discrimen, quo sententia ab ipsis adoptata differt a prima: unde hisce doctoribus debemus hunc canonem, contra unanimem Scholae sententiam, poenitenti credendum non esse: de quo infra.

140. Nonnulla interim advertenda veniunt. Ac primo Salmanticenses haec non tradere, dum tractant de sacramento Poenitentiae, sed ubi de vitio iurandi seu potius peierandi itemque auctores, quos allegant, disserere de vitio vel blasphemandi vel temere ac falso iurandi. Porro ut suo loco dicemus, haec vitia habent rationes peculiares, quae transferri non debent ad alias pravas consuetudines. Ergo male quis hac doctrina Salmanticensium uteretur in generali quaestione de modo adhibendo cum consuetudinariis.

Deinde tolerari non debet, quod Salmanticenses (ibid. n. 170.) in rem suam afferant haec verba Isidori ex cap. *Inanis* 2. *De Poenit.* dist. 3. c. 3.: « Inanis est poenitentia, quam sequens culpa coinquinat: vulnus iteratum sanatur tardius: frequenter peccans et lugens, vix veniam me-

retur. Nihil prosunt lamenta, si multiplicantur peccata. Nihil valet veniam de malis poscere et mala denuo iterare ».

Nam heic aut mala fides intercedit aut insignis imprudentia in merce ista e ianseniano emporio accersenda. Sane sequuntur ibi haec verba: « Persiste ergo in confessione: esto in poenitentia fortiter confirmatus: vitam bonam, quam accepisti, tenere non desinas: propositum bonae vitae conserva iugiter ». Haec ergo sunt contra inconstantiam et ideo supponunt veram poenitentiam; et idcirco sunt contraria scopo Salmanticensium. Proferebantur porro a Iansenianis, ut evincerent, ad sinceram dispositionem pertinere emendationem vitae non in mero proposito, sed actu.

Sunt autem istae sententiae similes effatis evangelicis: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit — Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei — Tene, quod habes ut nemo accipiat coronam tuam.* Scilicet haec valent pro obtinenda perseverantia finali, non pro iustificatione praesenti.

141. Tolerari etiam non debet, quod duas priores sententias, quas Salmanticenses dixerunt probabiles, Auctor additionum ad ipsos Salmanticenses (l. c. n. 170.) qui est Carmelita posterior aetate, traducat quasi damnatas in Prop. proscripta 60. ab Innoc. XI.: nam adnotator affirmat, Salmanticenses in tertia sententia adoptanda obsecutos esse Supremo Pastori damnanti hanc propositionem: Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae et Ecclesiae, licet emendationis spes nulla appareat, non est deneganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponat emendationem ».

Insipientissime enim affertur haec propositio contra sententias, quae supponunt adesse verum dolorem et firmum propositum. Nam 1° stultum est putare, tunc abesse omnem emendationis spem; 2° absque causa asseritur, nisi alia adsint argumenta, quod huiusmodi homo, eo quod talis est, ore quidem se dolere proferat at non ex corde doleat. Et stultitia haec inde manifeste elucet, quod Auctores primae sententiae ab ipsis Salmanticensibus (sup. n. 139.) dicantur Suarez, Sanchez, Sayrus, Palaus, Bonacina, etc., quorum alioquin sententiam s. Alphonsus communem dicit et sequendam. Hinc patet, abs re etiam in Auct. nostro indigitari praedictam Prop. 60. et 61. quae est de occasione proxima.

Sententia s. Alphonsi expeditur.

142. Circa absolvendos recidivos etiam s. Alphonsus tres refert sententias (lib. 6. n. 459.). Aliter tamen, ac Salmanticenses, illas exponit.

Primam itaque dicit esse eorum, qui dicunt, hunc poenitentem absolvendum esse toties quoties confitetur, nisi ex aliqua circumstantia iudicetur indispositus: alias semper dispositus est censendus, utque talis ius habet ad absolutionem. Et subdit, hanc sententiam esse falsam.

Verum hac in re s. Alphonsus dicendus videtur deceptus ab aliquo calumniatore. Ipse quidem allegat Salmanticenses; sed isti non ita illam describunt, ut apparet ex secunda penes ipsos sententia (sup. n. 139.). Et quod peius est, inferius scribit: « Prima sententia dicit, quod recidivi debent absolvi semper ac ad sacramentum accedunt »: quod falso omnino illis doctoribus affingitur.

Proinde male adversus eos intorquet et ipse praedictam (n. praec.) propositionem damnatam, quae reipsa ad meram invidiam conficta a iansenianis fuit.

Et sane non modo alienissima est ab hac propositione et (adde) ab opinione, quam s. Alphonsus exponit, doctrina Sancii n. 139., sed aeque remotissima est doctrina Tanneri et Henriquez, quibus eam s. Alph. post Salmanticenses affingit.

Ita enim Tanner, qui et Henriquez allegat *de Poenit.* disp. 6. q. 9. dub. 5. n. 113. 114.: « Quaeritur, qua prudentia utendum Confessario in absolutionem impertienda vel deneganda, seu quos absolvere teneatur aut non absolvere ».

« Respondetur sequentibus pronunciatis. Primo. Tenetur Confessarius post auditam confessionem quemlibet absolvere, quem potest valide et licite absolvere. Ita ex communi Henriquez lib. 6. c. 26. n. 5. Ratio est quia alioquin gravis fieret iniuria poenitenti, qui non nisi sub spe absolutionis est confessus. Est autem recte dispositus, qui difficilem casum proponens, quem ob temporis angustias non licet discernere Confessario, paratus est Confessarii vel alterius sapientis quem Confessarius nominavit, iudicio stare et parere; qui proinde confessione audita omnino absolvendus est, ut recte docent Sylvester v. *Confessor* III. n. 12. Navarrus cap. 16. n. 5. et Henriquez l. c. cap. 26. n. 9. ». Cum hic sit locus Tanneri ab Salmanticensibus allegatus, videat lector eorum diligentiam in exquirendis sententiis, dum haec transtulerunt ad casum recidivi, qui *statim* sit absolvendus etc. Eadem porro diligentia hinc sumpserunt allegationem Henriquez et

Sylvestri, quorum postremus tamen non allegatur nisi pro sententia postrema, scil. posse quempiam absolvi, antequam difficile dubium solvatur, dummodo poenitens paratus sit exsequi id, quod iubebitur.

Sed incredibilem negligentiam Salmanticensium magis produnt Tanneri verba, quibus deinde affirmat, ex sua et Henriquez mente differri posse absolutionem. Ita enim pergit n. 114.: « Utiliter tamen nonnunquam et licite differtur absolutio etiam illius, qui licite posset absolvi. Ita Henriquez lib. 4. cap. 24. n. 5. et Sà v. *Absolutio* ex communi. Exemplum est in eo, qui in peculiari quidem peccandi occasione non haeret simulque propositum emendationis et satisfactionis prae se fert; sed tamen in poenitentiis ad peccati emendationem iniunctis negligens parum se emendat (nota, Tannerum dicere etiam: cum *parum* est emendationis; dum Salmanticenses loquuntur *de nulla emenda)* in consueto crimine. Sed in hac re caveat Confessarius, ne absolutionem, quam inculpate poterat impendere, cum damno vel probabili periculo poenitentis neget; sive quia is valde animo deiicietur, sive quia ad confessionem redire non audebit: itaque communiter id non faciet hoc casu sine ipsius poenitentis consensu, ut monet Henriquez l. c. ».

Dolenter ergo fatendum, s. Alphonsum in affigendo sententias his aliisve, deceptum ab aliis fuisse.

143. Incaute etiam adversus eam sententiam post Salmanticenses aut nescio quos alios urget verba Isidori: « Ille poenitentiam digne agit, qui sic praeterita mala deplorat, ut futura iterum non committat ». Haec enim et alia huiusmodi ab eo prolata, nimis probant et faciunt contra doctrinam ab eo quoque deinde inculcatam, dispositionem nempe consistere in dolore et proposito praesenti, non vero in emendatione temporis secuturi.

Faure *Dubit. Theol.* dub. 3. §. 4. pag. 28. scite monet, has sententias modernos ab impio Arnaldo exscripsisse: deinde ostendit, has sententias sibi olim obiecisse veteres Doctores et explanasse.

Et sane Petrus Lombardus lib. 4. dist. 14. ita responderat: « Illa verba praemissa = *Poenitere est anteacta deflere et flenda non committere* = RECTE sic accipi possunt, ut non ad diversa tempora, sed ad idem referantur; ut scilicet tempore, quod deflet commissa mala, non committat voluntate opera flenda; quod innuitur ex verbis consequentibus. Nam *qui sic alia deplorat*, pergit s. Gregorius, *ut alia tamen* committat, adhuc poenitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriae quis defleat, et adhuc luxuriae aestibus anhelat? » Quibus gemina habet et s. Raymundus lib. 4. dist. 14.

Et s. Thomas post Raymundum idem responsum usurpavit. Ita

enim 4. q. 84. art. 19. ad 4. habet: « Dicendum, quod poenitere sit anteacta deflere et flenda non committere, scilicet dum flet, actu vel proposito. Ille enim est irrisor et non poenitens, qui simul dum poenitet, agit quod poenitet, vel proponit, iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccet vel actu vel proposito, non excludit, quin prius poenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere poenituit, qui postea peccat ».

Alibi vero respondet (In 4. dist. 14. q. 1. art. 4. q. 4. n. 1.) id, quod obiicitur, frivolum esse. « Sed utrumque frivolum est. Primo quia quantumcumque aliqua virtus efficaciam habeat, flexibilitatem a libero arbitrio non tollit, dum est in statu viae. Similiter illud, quod futurum est, non potest esse de substantia vel de integritate alicuius virtutis, nisi secundum quod est praesens in apprehensione vel in voluntate; quia virtus quantum ad habitum non exspectat aliquid in futurum, habitus enim virtutis est de permanentibus, non de successivis: unde totam perfectionem suam habet simul in instanti, quae tota simul in unum actum potest effluere; quia actus sunt similes habentibus, ut dicitur 3° Ethic. cap. 2. Et sic quod futurum est, non est de integritate vel essentia ipsius. Unde cum poenitentia sit virtus et secundum quod est sacramentum, non se extendat ultra actum virtutis, non est de integritate poenitentiae essentiali futuri continuatio nisi ut sit in proposito : et ideo potest esse vera poenitentia et tamen ab ea postmodum aliquis excidet ».

144. Promit s. Alphonsus l. c. contra eam sententiam, doctrinam s. Caroli, cuius sensa paucis hisce verbis complectitur: « Proroganda est absolutio eis, qui a multis annis in iisdem peccatis perseverarunt nec, ut emendarentur, laborarunt ».

Ad quae modo advertemus duo, fusius infra de s. Caroli sententia dicturi: Ac primo doctrina haec s. Caroli non quadrat in opinionem s. Alphonsi ac recentiorum, qui recidivos censent eos, qui secunda vice peccata ex habitu commissa confiteantur; nam s. Carolus loquitur de iis, qui *multis annis* in eadem perversitate perseverarunt.

Deinde sententia s. Caroli nimis probaret (nisi congrue explicetur) et facit etiam contra sententiam s. Alphonsi, qui pluribus in casibus concedit, recidivos posse illico absolvi. Porro si s. Alphonso licet putare sententiam s. Caroli non habere locum in circumstantiis quibusdam, etiam alii eodem iure putabunt, eam sententiam non valere, quando censent, poenitentem sufficienter esse dispositum.

145. Secunda, quam s. Alph. refert (eod. n. 459.), sententia est Merbesii, Iuvenin, Gennette, Witasse, Concinae etc., qui dicunt, nunquam

poenitentem habendum esse uti dispositum ac nunquam absolvendum, nisi DIU per emendationem probaverit conversionem suam.

Hanc deinde s. Alph. reiicit utpote rigore suo intollerabilem.

Interim sedulo notandum, eum ibid. contra istos inculcare commune effatum. Dispositio *sufficiens* est dolor et propositum praesens, non emendatio futura; atque ita poenitens poterit absolvi, licet iudicetur relapsurus. Quod tamen effatum non constanter eum prae oculis habuisse dolendum est, dum scilicet subinde abripitur reiectae sententiae quibusdam laciniis.

Tertia demum iuxta s. Alphonsum sententia, quam (eod. n. 459.) s. Doctor dicit *communem*, docet (ut ipse ait) « quod peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo (quae verba explicatione indigent, iuxta praemissa), non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis ».

Sed sincere dicendum est, generatim hanc non esse doctrinam eorum Doctorum, quos ipse allegat, atque adeo non apparere, quomodo putari aut dici possit *communis*. Nam 1° alia est omnino notio recidivi secundum istos Doctores: 2° dilationem absolutionis hi non tanquam necessariam et ceu normam generalem, sed solum ceu utilem et *interdum* adhibendam proponunt: 3° idque non in cuiuslibet peccati consuetudine, sed solum in quibusdam linguae vitiis. Et haec facile probantur allatis eorum testimoniis.

146. Itaque Suarez, ubi quaerit, quomodo certus fieri Confessarius debeat de dispositione poenitentis, ne verbum quidem habet de difficultate circa hominem habituatum seu recidivum.

Sic ille *de Poenit.* disp. 32. sect. 2. n. 2.: « Observandum, hanc dispositionem poenitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia praeteritorum et proposito in futurum. Et quidem quoad displicentiam attinet, facile potest sibi satisfacere Confessor; quia si poenitens in ipso modo confessionis et accusationis suae praebet signa doloris (non dicit *extraordinaria* signa) vel certe si est homo non valde rudis et apparet moratus, nullam in hoc diligentiam tenetur Confessor adhibere; bene tamen semper faciet, proponendo et consulendo detestationem peccati et quando non habet sufficientia signa doloris potest et debet interrogare poenitentem, an ex animo detestetur peccatum; cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de cetero. In quo observant, non debere Confessorem proponere poenitenti omnes difficultates quae in vitandis peccatis occurrere possunt; quia constituet illum in

manifesto periculo non solum non habendi propositum efficax in futurum, sed etiam denuo peccandi. Satis ergo est, ut proposita in genere foeditate peccati, Dei bonitate et periculo damnationis etc., poenitens concipiat generale propositum, nunquam iterum peccandi *mortaliter*. Neque oportet, ut Confessor sibi persuadeat et *iudicet etiam probabiliter*, ita esse futurum, ut poenitens a peccando abstineat; sed satis est, ut existimet, nunc habere tale propositum, quamvis post breve tempus illud sit mutaturus. *Ita docent omnes auctores.* Et ratio est *clara* ex iis, quae dicta sunt supra in materia de contritione ». Quae postrema faciunt pro recidivis.

147. Quod si Suarez alibi consulit dilationem absolutionis; attamen 1° non movet difficultatem de dolore, sed de proposito *adhibendi remedia* contra pravam consuetudinem: 2° id dicit solummodo de consuetudine iurandi vel blasphemandi, quando scilicet habetur specialis obligatio corrigendi consuetudinem tum ut vitentur blasphemiae etiam indeliberatae, quae secus censentur voluntariae in causa, nempe in negligentia correctionis, tum etiam ut vitetur *scandalum;* unde dicunt DD., hunc consuetudinarium, qui tali voluntate careat, esse *in statu peccati:* 3° id proponit mere, uti *aliquando utile.*

Ita ille *de Relig.* tom. 2. tract. 5. lib. 3. c. 8. n. 7.: « Quod ad dispositionem spectat, *tota* difficultas est in proposito et *remedio* contra talem consuetudinem. Nam sine dubio necessarium est propositum tollendi (consuetudinem) illam et vitandi tale periculum (scil. peierandi temere); quia pertinet *ad statum peccati mortalis.* Quia vero propositum hoc solet esse valde instabile et consuetudo *quodam modo transiit in naturam* (vide notionem consuetudinis aliam ab ea, quam recentiores statuunt in eo sitam, quod quis rursus peccet, postquam quinquies in mense aut duodecies in anno peccaverat) et ita periculum est intrinsecum et quasi naturale, ideo difficile est iudicare, quando sit sufficiens. Veruntamen difficultas generalis est ad alias consuetudines peccandi, quae difficillimam reddunt peccati correctionem, maxime quando non pendet lapsus ex occasione extrinseca, sed quasi ex innata fragilitate et infirmitate ».

« Primum ergo supponendum est propositum absolutum et de se efficax emendandi consuetudinem et non iurandi nisi magna consideratione et veritate. De quo proposito credendum est poenitenti, *non obstante* QUACUMQUE *praecedenti frequentia et incostantia eius;* quia sicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum et ipse est sui accusator, defensor et testis. Supposito autem tali proposito, observandum est, ut si homo habeat aliquas externas occasiones moraliter inducentes illum ad temere iurandum, illas auferat; alioquin, non

sufficienter disponetur si proximae sint et sine magno incommodo auferri possint. Deinde si SAEPIUS proposuit emendari et non fecit, adhibenda sunt remedia convenientia, quae ipse tenebitur acceptare iudicio Confessoris, qualia sunt frequentius confiteri, aliquam eleemosynam vel orationem *brevem* facere pro singulis iuramentis temere prolatis, vel similia. Denique si haec non sufficerent (ergo haec antea praemittenda), *interdum* (N. B. non semper nec saepe) *utile erit* (N. B. non *necessarium*, sed *utile*) differre absolutionem *per aliquot dies*, in quibus *cogatur vigilare* (non est ergo ratio absentia dispositionis; quoniam ut dixit, iam supponitur propositum absolutum et *de se efficax* sed pro remedio afferendo inconstantiae) et contrariam consuetudinem *aliquo modo inchoare*. Et in his non est scrupulose procedendum; sed facta morali diligentia, illa cum proposito censeri debet sufficiens. Quia non oportet, ut Confessarius iudicet, alium amplius non peccaturum; sed satis est, quod iudicet, illum in praesenti habere tale propositum et facere quod moraliter potest, ut efficax sit. NEC HUIUSMODI HUMANAE INFIRMITATES EFFICACIUS CURARI AB HOMINE POSSUNT ».

148. Quae de Suarez doctrina adnotata sunt, eadem occurrunt etiam in doctrina Sanchez: 1° quia agit de vitiis periurii et blasphemiae tantum: 2° quia absolute docet posse absolvi; 3° quia dilationem ceu *consilium* proponit.

Ita ille ad quaestionem, an habens consuetudinem blasphemandi sit absolvendus, respondet *in Praec. Decal.* lib. 2. cap. 32. n. 45.: « Dico secundo » quando nihil curae apposuit ad emendam admonitusque est *saepe* in aliis confessionibus, posse adhuc hunc in rigore statim absolvi, si vere dolet de praeteritis ac in posterum emendam firmiter proponat: quia nullam occasionem extrinsecam habet, ut vel sic necessario impediatur absolutio, sed ex fragilitate cadit, sicut et in alia vitia (N. B. non excludi consuetudinem aliorum peccatorum, quamvis ea non laborent difficultate, qua vitia loquelae).

« Tertio dico: An sit *consilium* differre absolutionem, pendere ex Confessoris prudentia. Si enim poenitens id non multum aegre ferat et speretur, non ob id retrahendum a confessione (quod non curant imprudentes Confessarii, qui intra se dicunt: faciat, quod ei libet) sed potius id fore medicinam, erit *consilium* differre absolutionem, *maiori suavitate possibili adhibita:* si autem oppositum speretur, *non erit consilium*, nisi quando ille iis blasphemiis ingens praeberet scandalum et ita Confessarius iudicaret, postponendum privatum illius solatium et ad gloriam divinam expedire, illum non absolvi, donec scandalo publico satisfaciat, nitendo vitae emendam ». Ubi vides omnia plena discretionis esse, nec causari defectum dispositionis, sed specialem rationem scandali ob blasphemias.

Haec eadem repetit Sanchez ibid. lib. 3. cap. 5. n. 18., ubi de consuetudine iurandi: « At in hoc (ait) est omnino dicendum, quod de habente blasphemandi consuetudinem diximus... Imo *mitius* se debet in hoc habere Confessarius, cum minus iniqua sit haec consuetudo, quam blasphemandi ».

149. Etiam Bonacina, qui alioquin a s. Alph. pro sua theoria allegatur, vix distat hilum a doctrina Sanchez quam compendiose sic exhibet ubi de specialibus illis linguae vitiis agit *de* 2. *Praec. Dec.* disp. 4. q. 1. punct. 14. n. 7.: « Dubium est, an habens consuetudinem *iurandi* et mentiendi (scil. peierandi), possit absolvi. Respondeo, in rigore et per se loquendo absolvi posse (ecce responsio opposita theoriae s. Alphonsi), si firmum habeat propositum abstinendi in futurum ab huiusmodi iuramentis. Ratio est, tum quia haec consuetudo non dicitur occasio extrinseca, ob quam sit deneganda illi absolutio; tum quia occasio interrumpitur et retractatur per dolorem et propositum contrarium; consequenter non videtur esse in occasione proxima peccandi et sic non videtur deneganda absolutio poenitenti, qui firmum habeat propositum abstinendi in futurum ab huiusmodi iuramentis. Dixi *in rigore et per se loquendo:* quia *ratione vitandi scandali*, quod peierans aliis praebere solet, deneganda est absolutio iuxta prudentis Confessarii iudicium; scandalum enim praecavendum est. Addo denegari et differri *posse* absolutionem (N. B. *posse*, non autem *debere*) quoties Confessarius iudicaverit, hoc expedire saluti poenitentis » et dein allegat Suarez et Filliuccium. In quibus adverte, differendi rationem nunquam repeti ex defectu dispositionis.

Ceterum Suarez doctrina sup. allata est n. 147.: alterius autem quem Bonacina allegat, doctrina, nempe Filliuccii, haec est, tract. 25. cap. 10. n. 320., ubi *de Iuramento* loquitur: « Omnino necessarium est in poenitente propositum tollendi consuetudinem et vitandi tale periculum, praesertim si proximum esset. Remedia sunt frequens confessio, eleemosyna pro singulis iuramentis temere prolatis. Si haec non prodessent, *utilis* esset dilatio absolutionis per aliquot dies et similia ». Ubi dilatio 1° solum uti utilis et 2° post alia remedia proponitur et 3° non ob defectum dispositionis, sed causa remedii.

150. Frustra quoque Sayrum et Hurtadum invocari a s. Alph. facile patet.

Et Sayrus quidem *Clavis Reg.* lib. 5. cap. 5. n. 8. mere loquitur, non secus ac reliqui, de obligatione tollendi consuetudinem *iurandi;* quippe quae cum antevertat rationis usum, defert periculum saepe saepius peierandi: de his autem statuit, ALIQUANDO *salubre esse consilium* differre absolutionem, ut consuetudinem mutent; quin et negan-

dam quoque absolutionem, si neque exstirpandi pravam consuetudinem neque illi resistendi animum ullum gerant. Quae quidem nobis breviter exhibent doctrinam communem Suarez aliisque supra allatis, nec habet quidpiam cum theoria recenti commune.

Nec aliter Hurtadus aeque a s. Alph. citatus. Nam Thomas Hurtadus *Tract. var.* tr. 1. cap. 6. n. 206. nihil aliud dicit, nisi *salubre consilium esse* idque ita statuit, non quasi consuetudo faciat poenitentem indispositum, sed ut iste pudore suffusus, diligentior evadat in consuetudine corrigenda, *iurandi* nempe vel *blasphemandi*, de qua se loqui expresse significat et subdit, se sequi Suarez ac Sanchez licet reipsa vehementiori ratione hoc remedium inculcet.

Nec a praemissis DD. dissentit Palaus. Quippe *de Iuram.* disp. 1. punct. 9. n. 6. ita scribit: « mihi probabilius est, quod tradit Sanchez loquens de consueto blasphemare... *Ex consilio* poterit sacerdos absolutionem differre, si iudicat, dilationem profuturam. Quod non est facile iudicandum, nisi casu quo illis iuramentis grave scandalum praeberet ».

Ubi 1° ut merum remedium et 2° solum ob extrinsecam scandali rationem ac 3° ex consilio dilatio proponitur.

Quid quod et Viva, a s. Alph. citatus, cum his cohaeret? Etenim ubi de iurandi seu peierandi consuetudine loquitur, in dilationem absolutionis expresse hac conditione consentit: « Si nullum adhibet remedium ad consuetudinem evellendam ». Et nihilominus etiam eiusmodi poenitentem secunda, tertia, quarta vice absolvi posse censet *de Praec. Decal.* q. 7. art. 7. n. 4.

Et ex his intelligi debet sensus eorum, quos Salmanticenses sup. n. 139. 3. sentent. allegabant pro sua sententia, quae, si demas diversam recidivi notionem coincidit cum s. Alph. opinione de *necessitate* differendi absolutionem, nisi appareant in poenitente specialia seu extraordinaria doloris signa. Isti sunt Medina Bertol., Lopez, Ludov. Emmanuel Rodericus, et Aegidius Trullench. Atqui praemittimus, hosce Auctores tractare de consuetudine iurandi atque adeo ob disparem rationem materiae non posse eorum dicta transferri ad alias consuetudines.

151. Deinde trahi non possunt haec ad s. Alph. theoriam, licet et illos Doctor pro se alleget.

Et sane haec scribit Bartol. Medina *Instruct. confess.* lib. 1. cap. 12. §. 5. (utimur versione italica ex hispanico idiomate): « Se chi viene a confessare, ha giurato molte volte, per la mala usanza che ha e si ha di ciò *diverse volte* confessato, ma non s'è mai emendato, non bisogna assolverlo, ma lasciare che per alcuni giorni attenda veramente

a por giù questo malvagio costume... Ma se ha confessato questo peccato (ex consuetudine) due o tre volte, e ne mostra gran dolore ed è apparecchiato a usar qualche rimedio, io sono di parere, che si DEBBA assolvere; perchè questo peccato è più nella lingua, che nel cuore e così si rimedia con qualche mezzana diligenza. Ma chi è tanto difettoso in questo mal costume, che anche nella medesima confessione giura ad ogni parola, non si deve assolvere per allora ». In quibus nihil de dispositione agitur; sed res est prudentis consilii ad inveniendum remedium. Sed vide, quomodo mox Medinam interpretatus sit Ludovic. Lopez.

Multo minus pro sententia recentiori facit Ludovicus Lopez. Etenim ad quaestionem: « An in *consuetudine iurandi perseverantes* (N. B.), sint absolvendi », sic respondet (*Instructorii Conscientiae* part. 1. cap. 25. post. med.): « Dicimus primo, quod Sotus videtur ei fecisse satis, dum sic ait: - Cum iurandi consuetudo neque per se sit peccatum ab actionibus ipsis iurandi distinctum, neque sit alia occasio iurandi, quaeque per solam cessationem amovebitur; non est ad sacramentum confessionis alia cautela adhibenda necessario, quam propositum non iurandi...: est tamen saluberrimum consilium per alias poenas et alia remedia cohibere se quemquam. - Hinc sententiae Soti videtur subscribere Medina, quod qui consuetudine iurandi passim tenetur absque delectu et consideratione, utrum verum falsumve iuret caretque vero proposito exstirpandi iniquam consuetudinem, non est absolvendus. Si autem emendam statuat bonoque animo remedia sibi indicta a Confessario amplexus, non est, cur ei prolatanda sit absolutio ». Quae doctrina, ut patet, e diametro opponitur theoriae tum Salmanticensium tum s. Alphonsi.

Veruntamen temperamenta Medinae Lopez dein memorat, quae tamen cuiusdam notat rigiditatis. Ita ille l. c.: « Secundo dicimus, quod quia Medina animadvertit, praedicta remedia ab adiurare assuetis negligi et interdum pergere in peius; iam in eadem Summula... *rigidius* medicamentum adhibens ait, quod certe si qui ad confessionem accedit in multa prorupit iuramenta et mala consuetudine, qua tenetur, ad id raptus, iamque *pluries* ante de hoc confessus cum fuerit *nunquam* praestitit emendam, non est absolvendus, sed mittendus est, ut per dies aliquot attentum se vere gerat ad exstirpandam tam perniciosam consuetudinem... ». Et dein subdit, quae ipsi iam e Medina transcripsimus n. praec.

Ex quibus patet, Lopez non respuere doctrinam communem Sanchez, Bonacinae, Soti, Medinae etc., quod eiusmodi consuetudinarius absolute possit absolvi, si habeat verum propositum etc.; addere tamen

rigidius illud documentum differendi sub *ratione remedii*, ut poenitens vigilare cogatur.

152. Quod vero adtinet ad Emmanuelem Rodriguez, hic mere describit monita Medinae quoad assuetos ad peierandum. Ita ille *Summ.* cap. 192. n. 11.: « Dicit Medina, quod si qui accedit ad confessionem, iuravit saepe et saepius ob consuetudinem pravam, quam habet et confessus est saepe et nunquam correctus est, non debet absolvi, sed mitti, ut per aliquot dies ambulet caute procurans eiicere a se hanc pravam consuetudinem... n. 13. Quod si bis aut ter confessus est peccator hoc peccatum et ostendit eius magnum dolorem et est paratus ad imponendum remedium, debet absolvi; quia hoc peccatum est magis in lingua, quam in corde et sic facile corrigitur, si adsit mediocris attentio. Qui vero est tam defectuosus in sua prava consuetudine, ut in ipsa confessione iuret ad singula verba, non debet pro tunc absolvi ». Et iam diximus, his mere agi de remedio.

Clarior est sententia Trullenchii, quippe manifestius promit rationem cur differri quandoque eiusmodi consuetudinariis absolutio debeat. Etenim *Expositio Decal.* lib. 2. cap. 1. dub. 20. nn. 6. 7., postquam statuit, omissionem diligentiae in exstirpanda prava consuetudine peierandi etiam inadvertenter, esse culpam letalem, deinde pergit n. 8.: « Ex dictis colligitur, iurantem ex consuetudine, quam sub mortali corrigere tenetur nec curat corrigere, peccare mortali omissionis peccato. Etenim qui advertit, se habere consuetudinem peierandi et non adhibet remedia ad illam tollendam, censetur eam velle. Potest autem se ab hoc statu et peccato, liberare, dolendo de peccatis et de mala consuetudine et proponendo, se amplius non male iuraturum atque adeo non habiturum talem consuetudinem ».

Deinde quaerit n. 10.: Quomodo se geret Confessarius cum assueto ad iurandum et num hic possit absolvi. Et reponit: « Si non habet firmum propositum eam (consuetudinem) exstirpandi, non potest absolvi sicut contingit in aliis peccatis mortalibus. Quod si firmiter proponat eam evellere et in futurum abstinere ab huiusmodi iuramentis et nunquam de hoc fuit admonitus, absolvi poterit; quia occasio interrumpitur et retractatur per dolorem et propositum contrarium. Poterit etiam ob eandem causam absolvi, si postquam admonitus fuit, adhibuit aliquid curae et laboris ad eam pravam consuetudinem expellendam. At si ter aut quater admonitus fuit, et nihil in ea operis posuit, absolvendus non est, sed differenda est absolutio, nisi scandalum adsit aut aliqua causa, ob quam statim debeat a peccatis absolvi. Azor part. 1. lib. 11. c. 3. q. 4. ».

Quae postrema verba aperiunt, quo Trullench spectet. Et sane si

censet, intercedente quapiam causa, poenitentem illum statim posse absolvi; ergo non censent eum indispositum, ergo semper agitur de remedio, quod in dilatione consistat. Fatendum tamen, huius hominis doctrinam minus sibi cohaerere; quia ratio primae partis non cohaeret cum ratione partis posterioris: nam si consuetudo interrumpitur et retractatur per dolorem et propositum in primo casu et hac de causa potest poenitens absolvi; curnam idipsum non fiet, etiam postquam pluries est admonitus? — Hinc certe initia quaedam confusionis, quae in transversum deinde alios egit et quae ex inordinata illa disputandi ratione sponte oritur.

Moderatius certe et clarius loquitur Azor, quem Trullench appellavit. Nam sic iste solvit quaestionem part. 1. lib. 11. cap. 3. q. 4.: « Si nunquam est admonitus, absolvi a peccatis iure potest ea conditione, ut statuat apud se, eam consuetudinem velle omnino deponere. Idem iuris est, si alioqui admonitus, studii, curae et laboris aliquid adhibuerit ad eam depellendam. Si tamen ter quaterve ac *saepius* (Trullench omisit hoc vocabulum) admonitus nihil in ea re studii et operae posuerit, etsi absolutio simpliciter deneganda non est, *videtur tamen,* ad tempus differenda (nota illud modestum *videtur* exclusum a Trullenchio, qui praeterea omisit finem dilationis, quem expressit Azor), ut operae aliquid interim in id conferat: nisi iusta alioquin causa subsit, qua statim a peccatis absolvi *debeat* ».

Et huc usque allati Doctores, ut patet, non de qualibet consuetudine, sed speciatim de consuetudine blasphemandi seu peierandi, disserunt.

153. Quibus addi debent alii nonnulli, quos ad tuendam praxim differendi absolutionem recidivis retulerunt Auctores quorundam articulorum de Theol. morali et Iur. Canonico cum titulo - Mélanges Théologiques - in Belgio an. 1847. fasc. 1. pag. 78.-94.

Tales sunt Reginaldus, Alphonsus Vega et Burghaber. E quibus Reginaldus lib. 18. n. 87. agens de iuramento concludit quoad consuetudinarios in hoc vitio: « *Saepe* salubre *consilium* est absolutionem differre tali; ut sic inducatur a recidivo (scil. relapsu) cavere, invigilando attentius ». Unde patet non agi de defectu dispositionis. Alius vero locus ibidem allegatus fascic. cit. pag. 87., nempe lib. 8. n. 19. nihil ad rem pertinet et incongrue producitur; quia ibi Reginaldus disserit de iis, qui in proxima occasione versantur.

Alphonsus autem Vega *Summ.* art. 2. cap. 16. cas. 14. paucis verbis rem absolvit, advertens, eum, qui talem consuetudinem habet, versari in *statu peccati mortalis:* unde necessitas urget tollendae consuetudinis.

Denique male allegatur Burghaber *Cent.* 1. cas. 3. Nam 1° ipse adeo

non adhaeret illi sententiae, ut postquam eam memoravit, subdat, *mitius et rectius* sensisse Sanchez etc. 2° falso exhibet illam doctrinam tanquam Suarez; nam Suarez nunquam dixit, eiusmodi consuetudinarium *non posse absolvi,* ut illum loquentem Burghaber inducit, sed solum *aliquando utile esse*, absolutionem ad aliquot dies differre.

154. Porro non recte ex iis, quae de blasphemandi vel peierandi consuetudine a Doctoribus disputantur, illatio ducitur quoad omnes consuetudines. Ratio est, quia eiusmodi linguae vitia habent quaepiam incommoda, non aliis vitiis communia; atque adeo dilatio absolutionis suadetur ob causam, quae non est cuilibet consuetudini communis.

Primum incommodum est *scandalum* illudque duplici ex capite, cui prospici debet. Scandalo enim est, quod ad sacram synaxim accedat sine ulla emendationis specie, qui impius publice innotescit, itemque scandalo est, tum quod blasphemare utut materialiter pergat, tum quod nulla exigi ab eo videatur correctio.

Secundum est, quod ex hisce linguae vitiis seu consuetudinibus profluant ut plurimum actus indeliberati, qui formalia peccata evadunt, quatenus nexum habent cum causa; causa autem est negligentia voluntaria tollendi pravam consuetudinem. Adest ergo quaedam species occasionis seu causae peccatorum, quam quis tenetur evellere. Est ergo specialis ratio, cur pigritiam et ignaviam hominis Confessarius exstimulet ad laborem hunc suscipiendum.

Tertium est, quod sublatio consuetudinis est quaedam obligatio ulterior, quae per se non necessario nectitur cum dolore peccatorum, quasi nempe consuetudo haec indicet affectum erga illa peccata. Exinde quae dicuntur a praemissis Doctoribus nihil suffragantur doctrinae recentiorum de arguenda indispositione ex lapsuum frequentia.

Perpenditur aliorum DD. sententia, qui a s. Alph. et aliis allegari solent.

155. Perpendenda nunc sunt aliorum DD. dicta, qui reipsa generatim de consuetudinariis disserunt et ostendendum est, eos longe distare a sententia s. Alph., qui alioquin pro se eos allegat.

Itaque Anacletus tract. 14. dist. 8. n. 48. haec habet: « Necesse est quod Confessarius magnam circa istos (recidivos scil. et consuetudinarios) adhibeat discretionem. Siquidem eiusmodi relapsus non est generaliter certum signum falsae poenitentiae, sed potius fragilitatis humanae » : quae plane sunt opposita iis, quae recens theoria s. Alphonsi tenet.

Allegat dein Reiffenstuel haec verba Croix: « Saepe putabit Confessarius, se cum recidivis frustra laborare; sed utiliter laborat, si vel semel unum peccatum impediat ».

Tum Anacletus pergit n. 50.: « Quod si (recidivus) augeat numerum peccatorum, aut saltem ita longo tempore sua peccata continuet, aliquoties quidem se vincendo, denuo iterum relabendo ac numerum augendo; tunc sollicite duo extrema erunt Confessario vitanda: 1° ne per nimiam severitatem poenitenti potius sit occasio ruinae spiritualis ac desperationis, quam salutis: 2° ne e contra per nimiam clementiam potius foveat peccata, quam minuat. Unde magna opus erit prudentia ac discretione, qua Confessarius ambo ista extrema devitando, hinc per graviora exhortationum motiva deterreat poenitentem a relapsu in peccatis, illinc vero dulciora divinae gratiae, Passionis Dominicae... lenimenta proponendo, erigat in fiduciam et spem christianam atque iteratam peccatorum detestationem et firmius emendationis propositum sicque cum evangelico Samaritano noverit opportune vulneribus sauciati oleum ac vinum infundere ». Ubi vides, Anacletum agere de recidivo imo et augente peccata, et quidem *longo tempore* et licet mentionem faciat *severitatis*, hanc tamen non reponere in absolutione differenda, sed in ratione corripiendi salubriter poenitentem.

Dilationem vero absolutionis suggerit utique postea adhiberi posse; at solum ubi nullum signum doloris adest: qui sane non est casus propositus a recentioribus. Ita ille l. c. n. 51.: « Denique si omnia huiusmodi remedia frustra hactenus *longo iam tempore* adhibita sint et NULLUM appareat verum signum doloris aut propositum emendandi vitam, eo quod poenitens saepius praescripta media negligat aut tepide persolvat, semper cum eodem numero vel etiam maiori ad confessionale redeat ac NULLUM serium conatum adhibeat, quo tentationibus ac occasionibus peccandi resistat, sed *fraena suis cupiditatibus relaxet:* tali post *crebras* admonitiones et minas affectuosas adhibitas, tandem, ita dictante prudentia, erit absolutio ad tempus deneganda...; quamvis *omnem lapidem prius oporteat movere,* quam poenitenti relapso absolutionem negare, praesertim si hic et nunc clariora det signa doloris ac propositi emendationis ». Quae quidem utut forte non sibi semper cohaerentia, remotissime distant a theoria recentiorum, qui certe nec *longum tempus* relapsus, nec *longum dein tempus* remedii neglecti nec *crebras* post haec *admonitiones et minas*, nec tandem *omnis lapidis motionem* prius praemittunt.

156. Sporer quoque pro sua theoria allegat s. Alphonsus. At in primis Sporer opposita plane principia ita profitetur *de Poenit.* n.330.: « Quando frequentes lapsus et recidivae peccati fiunt ex sola intrinseca

fragilitate poenitentis absque aliqua speciali extrinseca occasione impellente (uti sunt blasphemiae, odia, invidiae, delectationes morosae et singulariter mollities etc.), absolvendus erit poenitens toties quoties serio proponit in posterum emendare et omnino abstinere, dummodo confessarius prudenter credat, eum vere proponere et serio loqui. *Communissima Doctorum... et alii passim.* Ratio, quia redire cum iisdem peccatis de se non est signum, deesse verum dolorem et propositum emendationis..., sicut si rediret cum diversis peccatis... ».

De dilatae vero absolutionis remedio sic disserit ibid. n. 331.: « Quin etiam si nihil horum (scil. ponere media aut aliquid proficere) praestiterit, si tamen dicat, se modo serio dolere, quod divinam bonitatem toties tam foede offenderit ac promittere se seriam emendationem, ei plerumque Confessarius credere debebit; quia licet antea propositum inefficax habuerit (non quidem quoad praesentem voluntatem, cum aderat, sed quoad effectum futurum, qui adesse quidem poterat, sed actu abfuit), iam tamen verum et efficax concipere potest: idque affirmanti plerumque credendum erit, cum ipse sit sui accusator, defensor et testis... Et sane quando deinceps notatur aliquis profectus seu imminutio aliqua peccatorum, habenda est patientia. Ipsa enim imminutio peccatorum est signum propositi et praebet spem maioris emendationis, adeoque tandem perfectae. Simus ergo, omnino simus erga hos miseros misericordes, sicut et Pater noster caelestis misericors est ». Haec attuli ut magis appareret, quantum distet a recentiorum theoria; nam alioquin quae habet de *efficaci proposito*, *de imminutione peccatorum* et *de misericordia*, sunt parum consona methodo ratiocinandi ex certis principiis.

Subdit tamen, *interdum* (N. B. *interdum*) vehementem esse suspicionem de proposito inefficaci (consueta aequivocatio) et tunc differendam absolutionem: qua tamen de re haec addit: « Ego aliquoties, sed non nisi post sex vel octo confessiones sine ulla emendatione peractas, dixi ante datam absolutionem: Quandoquidem tecum nihil proficio, poteris quaerere alium Confessarium forte magis profuturum, aut non nisi post conatum et effectum aliquem ad me redire; et uno vel altero excepto redierunt cum aliquo profectu. Qua in re magna opus est prudentia et discretione Confessarii, ne poenitentem aut severitate avertat, aut lenitate seducat ». Et in his pariter desideratur rigor ratiocinandi ex principiis: at semper apparet, abs re hunc auctorem a recentioribus allegari pro nova illa theoria.

157. Etiam Laymann, quem s. Alph. pro sua theoria allegat, longe aliter rem totam circumscribit ac definit.

Et in primis generale hoc principium praemittit *de Poenit.* cap. 5.

n. 10.: « Hinc consequens est: etsi aliquis *saepius* eandem peccati speciem ad confessionem attulerit, denuo absolvendum esse (N. B. non dicit mere: *posse* absolvi), si iterum emendationis propositum concipiat; quia, ut s. Hieronym. ait... Non solum septies sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad poenitentiam, peccata condonantur ».

De remedio autem dilatae absolutionis sic temperatissime definit (ibid.): « Veruntamen Confessarius in tali homine, qui peccati genus, ad quod pronus solet esse relapsus, v. gr. fornicationem, voluntariam pollutionem, blasphemiam, *saepius* ad confessionem afferat, attendere debet, utrum ille conatum aliquem emendationis adhibuerit, quod his signis cognosci poterit. 1° Si post proximam confessionem rarius, quam ante solebat, lapsus fuit: 2° si mediis usus est, quae ipsi contra peccati recidivam a Confessario imperata erant: 3° si occasiones extrinsecas peccandi, quas removere debuerat et pollicitus erat, re ipsa amovit. Quod si talia praestitit, haud dubie absolvendus est. Sed etsi nihil horum praestiterit, nihilominus illi absolutio conferri potest, si rem secundum se et absolute consideremus; quia licet antea propositum inefficax habuerit, tunc tamen verum et efficax concipere potest idque affirmanti credi *plerumque* debet, cum ipse sit sui accusator, defensor et testis, ait Suarez, et clarius docet Sanchez. Veruntamen *interdum* vehemens est suspicio et iusta praesumptio, propositum emendandi simulatum aut non sufficiens esse, si videlicet poenitens vel maiore numero afferat et nullius emendationis conatus antecessisse videatur (utrumque fallax indicium praesentis dispositionis): hoc casu differenda erit absolutio nominato aliquo temporis spatio, intra quod poenitens conatum adhibeat ad criminis emendationem, absolutionem postea accepturus. Id vero limitari debet, nisi poenitens in praesenti confessione specialia, qualia antea nunquam, doloris signa ostendat, quibus praesumptio illa de mala poenitentis dispositione merito elidatur ».

Et haec quidem particula aliquid habet, quod s. Alph. assumpsit; at hoc Laymann *interdum* dixit contingere. Praeterea advertendum, Laymann (e quo deinde Sporer suas illas animadversiones mutuatus est) rem deducere ad coniecturas de statu praesenti e praecedentibus faciendas. At fallacissimum id esse genus regulae facile dein patebit.

158. Cardinalis De Lugo nullatenus rem ambagibus illis involvit, quibus recentiores solent nec caeca lege definit aut generatim statuit, relapsum esse signum indispositionis; sed varias facit hypotheses hoc pacto *de Poenit.* disp. 14. n. 166.: « Restat,... ut dicamus aliquid de... capite cognoscendi defectum propositi efficacis, nempe ex *frequenti* re-

incidentia in eadem peccata post *multas* confessiones *absque ulla emendatione*. In quo puncto doctrina *communis et vera est*, si Sacerdos hic et nunc, non obstante consuetudine praeterita, iudicet, poenitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere; quia dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura atque ita poterit absolvi, licet iudicetur relapsurus.

Secundo certum est, quando sacerdos, attenta consuetudine praeterita et propensione aliisque circumstantiis, iudicat poenitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque poenitens dicat, se dolere; quia si sacerdos id non credit (intellige, rationabiliter), non habet iudicium requisitum ad conferendam absolutionem.

Tertio ad iudicium ferendum de dispositione praesenti deservit (N. B. *deservit* non vero *requiritur*) si poenitens peculiaria signa doloris ostendit, idem si iam adhibuit curam aliquam ad consuetudinem exstirpandam, si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinem, nunc autem admonitus libenter ea suscipit et proponit adhibere ea media. Denique aliquando *utile erit differre absolutionem* per aliquot dies, ut appareat correctio et observatio propositi. In hoc conveniunt Auctores communiter, quos refert et sequitur Thomas Sanchez, Suarez etc. ».

In quibus 1° Lugo mere *utilem* et quidem *aliquando* dicit dilationem: 2° non ex sola consuetudine dicit arguendam indispositionem, sed simul ex propensione praesenti aliisque circumstantiis 3° signa ponit, non quasi illis deficientibus absolvi non possit, sed ut praesidium ad dispositionem cognoscendam. Ex Lugo ergo recentiores aliquas utique phrases seu ideas mutuati sunt, non vero genuinam eiusdem doctrinam.

159. Nihil opus foret de Wigandt dicere, utpote nullius nominis et ponderis: at utile erit; quippe cum Auctor hic, durus alioquin et novitatum sectator, longe aliter rem proponat, ac s. Alphonsus, patebit magis, quam nova sit recens huius theoria.

Sic ergo ille Tract. 13. Exam. 5. n. 97.: « *Probabilius* est (N. B. *probabilius*, scilicet ceu opinionem haec promit), quod peccatoribus nullum emendationis specimen praeseferentibus, sed in eadem mortalia *continuo* relabentibus, licet dicant, se habere verum emendationis propositum, absolutio non sit impertienda, sed differenda usque dum emendationem non solum verbo sed opere probent, sive ille relapsus proveniat ex occasione proxima retenta, sive ex consuetudine *inveterata* ». Ubi vides agi de *consuetudine inveterata tantum* et *continuo relapsu*. Quod vero Auctor talia proferat, nulla addita distinctione aut suae doctrinae ratione, ex qua appareat, cur aut quando ita agendum sit, hominis est non admodum in scientia theologica probati.

Veruntamen haec addit: « Observandum etiam, an poenitens brevi possit habere *aliam* (hoc durum est, obligare nempe poenitentem ad repetendam cum alio confessionem), vel eandem confitendi occasionem: an hoc tribunal, ea absolutionis denegatione, non sit ei futurum onerosum etc. ». Quae observationes, cum eo collineent, ut neganda non sit absolutio, si quod incommodum sequatur, ostendunt, ex mente auctoris, poenitentem *capacem esse* absolutionis, licet absolutionem tam dure et absolute dixerit denegandam.

Concludendum ergo est, doctrinam s. Alphonsi reipsa eam non esse quam docuerint Auctores ab eo allegati; tum quia 1° hi longe absunt a recenti principio, quod consuetudo sit signum indispositionis, tum 2° quia dilationem absolutionis non tamquam necessariam, sed ceu remedium *mere utile* innuerunt, tum 3° quia hoc remedio solum velut extremo et post diuturnam experientiam utendum esse autumarunt, seu melius quempiam *uti posse* dixerunt, tum 4° quia negarunt adhibendum, si minus utile aut poenitenti grave accideret; tum 5° denique quia conditio poenitentis, quocum hoc remedium adhiberi posse significarunt, infinito intervallo distat a conditione illius, qui a s. Alphonso *recidivus* appellatur.

Quocirca cum severae illius theoriae, quam proponit s. Alphonsus, nullum reipsa habeat patronum (quod deinde ipse fatetur, dum se a Sanchez, Laymann, Lugo, Sporer etc. discedere dicit n. 459. *dicunt vero*), patet, non recte ab eo dici *communem:* nec satis intelligi potest quomodo s. Alph. tot patronos quaesiverit, quando Salmanticenses *de Voto* cap. 2. n. 170., praecipui huius novae theoriae ac praxis auctores vix quinque et quidem abs re allegarunt, licet et ipsi non ad eum rigorem pertingerent, ad quem se rapi s. Alphonsus passus est.

160. Praestat heic subiicere sententiam aliorum Doctorum, quos ad confirmandam praxim differendi absolutionem protulere Scriptores Belgae, de quibus diximus sup. n. 153. et patebit, inani conatu et istos proferri et subinde defuisse hisce scriptoribus candidam sinceritatem.

Et in primis perperam (pag. 90.) allegant Sà V. *Absolutio* n. 13., qui non de habituato, sed de eo agit, qui versatur in necessaria occasione proxima. Sic ille: « Absolvi potest, qui proponit abstinere a peccato, etiamsi credat se proposito non staturum, sed peccaturum. Item qui ex rationabili et iusta causa *non vult omittere peccandi occasionem*, modo proponat firmiter non peccare, etiamsi aliquoties sit relapsus: quamquam interdum *expedit* peccatum idem saepe committentibus differre absolutionem ». Ubi vides insuper, quod ex mero consilio id proponit, *expedit.*

Eadem de causa prorsus mala fide allegant Navarrum, cuius referunt (pag. 83.) cum magna pompa haec verba: « Veruntamen ipse, si essem Confessarius, non absolverem eos, si viderem quod vicibus praeteritis nulla emendatio neque inchoatio eius exstitisset... » et heic obtruncant textum et punctulis supplent verba omissa, quae fraudem detexissent.

Navarrus ibi cap. 3. n. 21. quaestionem facit: « An possint absolvi praedictae (nempe cognatae, ancillae) ac famulae quae rem habuerunt cum suis consanguineis, dominis vel heris, in quorum domo degunt... quod non possunt sine magno incommodo et detrimento separari, iterum absque separatione, si reciderint... ». Ergo agit de iis, qui versantur in proxima occasione peccati..., non vero de meris consuetudinariis.

Pari modo abutuntur (pag. 83. 84.) auctoritate Aegidii Coninck, ubi afferunt haec eiusdem verba (disp. 8. n. 134.): « Si tamen saepius reincideret, *aliquoties* differenda erit absolutio, donec advertatur aliqua emendatio ».

Atqui ipsi fatentur, Coninck, eo loco sermonem habere de *quapiam*, quae « habitat in aliqua domo, in qua ab aliquo ex domesticis continuo sollicitatur ad turpia, cum eo saepe peccat nec sine gravissimo incommodo potest inde discedere ». Agitur ergo de proxima occasione.

At (inquiunt), Coninck disp. 2. n. 130. dicit, Confessarium « facilius posse absolvere saepe relabentes in eadem peccata venialia, quam relabentes in eadem mortalia; quia hic relapsus saepius est signum defectus necessarii propositi peccata in posterum vitandi ». Resp. Coninck, nihil dicere de differenda absolutione (et reipsa deficiente proposito, non differretur, sed negaretur absolutio omnino), secus differenda, licet difficilius, esset etiam relabentibus in venialia. Ergo monetur Confessarius, ut de dispositione ac sincero proposito poenitentis sit sollicitus non autem ut differat absolutionem.

161. Quod vero Bonacina *de Matrim.* q. 4. punct. 14. n. 14. regulam praemissam Coninckii trahat ad merum consuetudinarium, tribuemus memoriae lapsui. Sic enim Bonacina: « Colligi potest, non cogi Confessarium ad denegandam absolutionem adolescenti, qui saepius in mollitiem incidit ex carnis fragilitate; nam huiusmodi occasio non censetur voluntaria, cum adolescens non possit illam expellere. Verum tamen est, Confessarium debere salutares poenitentias iniungere; praeterea debere *aliquando* differre absolutionem, ut poenitens cum maiore proposito proponat evitare huiusmodi turpia peccata. Ita Coninck... ». Quod verum non est.

Lessium allegant (pag. 82.) Belgae illi (*Auct. cas.* V. *Confessarius* cas. 7.); sed illum obtruncant et licet obtruncatus, merum praebet consilium. Ita ille: « Qui ita crebro relabuntur in eadem peccata, si post tres vel quatuor confessiones certis intervallis factas non apparet ulla emendatio aut conatus resistendi, EXPEDIT ordinarie eos remittere sine absolutione (explicato periculo, in quo versentur et absolutionem ipsis fore noxiam, cum non videantur habere sincerum propositum), ut conentur resistere et adhibere remedia, quae praescribuntur. Si non redierint, committat illos Deo nec se ob id cruciet ».

Belgae vero omittunt sequentia: « Dico *expedit ordinarie;* quia absolute non est necessarium, si dicant, se valde dolere et promittant emendationem. Quod autem saepe cadant, ut ante, id infirmitati humanae, quae sane maxima est, adscribendum. Unde etiam Dominus septuagies septies peccatum in fratrem vult ignosci. Fieri enim potest, ut expediat saepius absolvi, si putetur, id eis fore magis salutare. Haec enim est regula, qua Confessarius uti debet circa poenitentem in absolvendo vel remittendo, in magnis vel parvis poenitentiis iniungendis, ut *spectata conditione poenitentis faciat id, quod iudicat ei fore magis salutare.* Si dubitet, utatur nunc hoc nunc illo modo. Saepe haec repulsio est illi saluti, quia sic magis imprimunt animo rei momentum ». Et haec vides infinito intervallo distare a theoria recentiorum; nam hi indispositum volunt et ideo necessariam habent dilationem; Lessius vero mere opportunitatem remedii in eo, qui dispositus censetur, prudentiae Confessarii remittit.

162. Idem dicito de Toleto, quem Belgae pag. 92. citant. Ita enim hic habet lib. 3. cap. 18. n. 3.: « Si sunt peccata nimia consuetudine *inveterata* (hic non est recidivus s. Alph.) et praesertim carnalia, debet Confessarius tempus illius peccati petere et frequentiam considerare, an *tempore aliquo ante confessionem abstinuerit.* In his enim UTILE CONSILIUM est (cum necessitas non urget, vel periculum non amplius confitendi) differre absolutionem, integra audita confessione, donec appareat emendatio ALIQUA ».

Subdit dein: « Universaliter debet Confessarius uti *uno* generalissimo remedio pro his omnibus, scil. frequenti confessione et communione: non quod imponat poenitenti nec obliget ipsum; sed aperiat etc. ». Quod certe supponit, hunc absolvi et accedere ad Eucharistiam.

Non absimilis est sententia Henriquez a Belgis pag. 90. item allegati. Nam lib. 4. c. 24. n. 4. sic disserit: « Consuetudo, qua saepius absolutus relabitur in mollitiem, cuius occasio expelli non potest, non cogit negare, sed *aliquando* differre absolutionem, ut *firmiori* proposito *melius* disponatur. Propter fragiles enim et male habentes curandos

septuagies septies instituta est medicina poenitentiae ». Ubi vides mere *remedium* et quidem *aliquando* adhibendum et non pro necessitate, sed ad *melius* disponendum.

163. Promuntur demum a Belgis pag. 82. et 91. Martinus Fornarius et Emericus De Bonis, qui breves instructiones pro Confessariis scripserunt. At animadvertere debuissent, aliud esse quod disputatur ratione theologica utpote necessario servandum, aliud, quod zelus et industria potuit excogitare non quidem ad poenitentem disponendum, sed ad perfectam emendationem consequendam. Sunt enim v. gr. qui poenitentem non modo volunt non esse statim absolvendum, sed prius spiritualibus Exercitiis curandum et generalem confessionem anteactae vitae praemittendam methodumque vitae statuendam esse etc. At quis sanae mentis haec exiget a communi poenitentium? quis haec ut normam agendi proponat?

Itaque Fornarius sic inchoat cap. 14. tract. 2. *de Recidivis:* « Ut *utiliter* recidivos iuvet Confessarius, penetret primum necesse est in animos, ita ut non solum intelligat qualitatem peccati, sed etiam causas recidendi, quae sunt debilitas etc. »... Deinde finem sibi praefigat nempe sanare infirmum et liberare a peccato atque huc omnia remedia referat quae sunt huiusmodi:

1° Omnem diligentiam adhibeat, ut poenitens cognoscat gravitatem peccati: 2° Imponat graves poenitentias... frequentiam sacramentorum, orationis et aliorum bonorum operum: 3° Ut alios peritiores consulat de remedio: 4° Suspendat aliquando absolutionem... ».

At enim nonne apparet, haec proponi uti exquisitas industrias, non vero, ceu normas ad effectum sacramenti necessarias? Et quidem industrias esse tales, quas durissimum foret communiter exigi, sed committi prudentiae Confessarii, ut illis utatur? si de defectu dispositionis ageretur, cur solum *aliquando* differretur absolutio? Aut quid prodest dilatio ad dispositionem accersendam?

164. Quod vero attinet ad Emericum De Bonis, satis sit advertisse, verba afferri ex libello *de ss. Sacramento Altaris*, ubi suggerit media ad sanandos homines *utilia*. Afferunt autem pag. 91. ex cap. 19. (librum italice scriptum non potuit reperire: versio a Belgis exhibita satis inculta est) sequentia: « Utilissimum remedium relapsuum est et frequenti experientia confirmatum, ut in aliquod tempus absolutio differatur... (quid heic praeteritur? an de recidivis heic sermo est?)... Eadem quoque agendi ratione erga illos homines utendum est, qui tam saepe ad sua peccata recurrunt. Subeant post exposita expensaque (!) flagitia, poenarum et laborum genera, quibus sentiant, doleant et detestentur praeteritas culpas; quod quia ab illis non exigitur, cito

suum vomitum resorbent. Multi Confessarii pii prudentesque testantur, innumeros homines, qui prius peccatis obstricti erant, quod eam rationem tenuissent, dilataque absolutione SAEPIUS ad tribunal, ut animi statum identidem aperirent, illos redire iussissent, imposita interim delictorum poena, pristinos mores in melius mutasse... Durum equidem et grave ipsis videbatur, *toties sine absolutione et particularibus poenis oneratos remitti;* verum *multi* (et alii quid fecerunt?) postea severitatis illius fructum et utilitatem experti redierunt... ».

Quis autem desipiat eo usque, ut haec ceu normam theologicam sectanda censeat? fuerint hae opiniones pii missionarii; qui tamen si industriis capitis sui adeo addictus fuerit, ut quempiam, alioquin satis dispositum, per illa experimenta arcuerit et non absolutum coegerit alium quaerere Confessarium, non potuisset non haberi reus gravis peccati, nisi ignorantia eum excusasset.

165. Belgae pag. 30. allegant ex vita s. Francisci a Tursellino conscripta haec verba lib. 6. cap. 17.: « *Solutioris vitae* non statim absolvas; biduum vel triduum impendant in praeparandis animis... impuras consuetudines flagitiaque, quibus detinentur, dimittant: ea denique praestent ante absolutionem quae absoluti efficere debent; nam istiusmodi in ipsa confessione promittunt multa, quae post absolutionem non efficiunt ».

Quae verba sic obtruncata, et insuper proposita quasi ad litteram exsecutioni necessario mandanda, abnorme quid resonant, praesertim si vox quoque *consuetudines* pro vitio accipiatur et non (uti revera intelligenda est) pro complice criminis.

Dixi obtruncata. Et reipsa s. Franciscus ea non de recidivis dicebat, sed docebat, *quomodo excipiendi ad confessionem homines implicati negotiis* (notatur ad marginem loci allegati *Vit. s. Franc.* lib. 6. cap. 17. pag. 549.) et homines negotiis implicatissimi reperiebantur Arimuriae, ubi laborabat Gaspar Berzaeus, cui haec monita diriguntur.

Monita itaque ex historico Tursellino sunt eiusmodi: « Si quando locupletes atque opulenti negotiatores, Magistratus aut Praesides *vitae solutioris* (ecce unde Belgae duas eas voces traxerunt) ad confessionem accederent, ante omnia censebat, eos sedulo admonendos, ut *sumpto spatio bidui triduive*, intentius in anteactam vitam inquirentes delicta omnia (si diffiderent memoriae) mandarent litteris dolorisque sensum contritionemque a Deo suppliciter peterent... Confessionibus deinde eorum exceptis, mentes monitis quibusdam ac remediis curandas. Neque tamen a confessione absolvendos illico, sed posteaquam ea, quae deberent, persolverent. Quocirca p. Gaspari de talibus hominibus praecipit in hunc modum: « *Confessionem* non continuo sequetur ab-

solutio, sed *biduum triduumve* dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione praeparandis, ut interim animorum maculas lacrymis ac voluntariis eluant poenis. Si quid cui debent, restituant: simultatibus, si quas habent, depositis, redeant cum inimicis in gratiam: a libidinis consuetudine ceterisque, quibus impliciti sunt, flagitiis expediantur. Haec omnia absolutionem praecurrunt *rectius* quam sequuntur. Namque *istiusmodi* homines in ipsa confessione promittunt, se cuncta facturos; post absolutionem fidei datae immemores irrita cadere patiuntur. Quocirca elaborandum est, ut hi absolvendi repraesentent, quod praestare debent absoluti ».

Agitur non tantum de necessaria dispositione pro absolutione recipienda, sed de procuranda praeterea perseverantia efficaciter.

166. S. Alph. sententiam s. Caroli refert hisce verbis lib. 6. n. 459.: « Proroganda est absolutio eis, qui a *multis annis* in iisdem peccatis perseverarunt nec, ut emendarentur, laborarunt ».

Et p. Andreucci dissert. *de Recidivis* (Busem. tom. 2. pag. 546.) quasi ex s. Carolo allegat haec verba: « *Consultum* est differre absolutionem, donec appareat emendatio, in iis, qui tametsi dicant et polliceantur, quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem metum faciant, ut contrarium contingat ».

Sed reipsa neuter locus genuinam s. Caroli sententiam exhibet et sententia ab Andreuccio descripta hoc quoque incommodum habet, quod probabilem metum relapsus habet uti causam differendae absolutionis; quod sane dicitur contra unanimem DD. sententiam (vid. sup. *de relapsu praeviso*).

Tria itaque doctrinae capita ex s. Caroli sensibus depromi possunt, quae tamen nihil adiuvant causam recentiorum.

Primum est *ex Instruct. Poenit. Act.* part. 4. col. 521.: « In eo maxime cautus sit absolvendo, qui, cum facultas adsit aliena restituendi vel legata pia persolvendi, idque iam alias in confessione promiserit, praestare tamen neglexit ». Et hoc caput in rem nostram non facit.

Secundum versatur circa inefficax propositum eorum, qui non admittunt remedia. Ita *In Instruct. Confess.* pag. 766. ille italice: « Avvertisca ancora, che non solo non si possono assolvere quelli, che veramente non hanno ferma deliberazione di lasciare il peccato mortale, ma nè anche quelli, che sebbene dicono di desiderare di lasciarlo, nondimeno affermano, che gli pare, che non lo lascieranno, se questi tali non vogliono pigliare quelli rimedii, senza li quali il Confessore giudica, che torneranno al peccato ».

Denique tertium est de Confessario iudicante, poenitenti deesse voluntatem deserendi occasiones seu vitia: quem locum Belgici scriptores

perbelle adulterarunt. Ita s. Carolus *Instr. cit.:* « Si differisca anco l'assoluzione, finchè si vegga *qualche* emendazione, a quelli, che quantunque dichino e promettino di lasciare il peccato, nondimeno il *confessore giudica* (Belgici vertunt: le confesseur *jugera probablement:* unde hauserunt illud *probablement?*) che non lo lascieranno (idest non habent voluntatem deserendi) come sono alcuni uomini, specialmente giovani oziosi, che il più del tempo stanno in *professione* di giuochi, crapule, amori, peccati carnali, bestemmie, parole disoneste, mormorazioni, odii, detrazioni e vengono solamente gli ultimi giorni della quaresima a confessarsi; e a quelli, che molti anni hanno perseverato e sono ricaduti nelli medesimi peccati, nè hanno fatto diligenza alcuna per emendarsi ».

Quae quidem nihil imprimis commune habent cum theoria recentiorum, qui ne secunda quidem vice relabentem cum s. Alph. absolvi volunt.

Deinde vero aperte de iis sermo est, quos Confessarius non potest iudicare dispositos: neque enim verba illa - *che... il confessore giudica, che non lo lascieranno* - ita possunt accipi, ut Confessarius absolutionem deneget ideo solum, quia praevidet, poenitentem esse relapsurum; id enim foret contra communem Doctorum sententiam ut diximus superius de hac ipsa re disputantes. Accipi ergo debent de defectu sinceri et efficacis propositi.

167. Belgici scriptores iidem pag. 85. duplicem locum allegant s. Francisci Salesii, desumptum alterum ex *Constit. et Instruct. Synodal.* tit. IX. cap. 5., alterum ex cap. 5. §. 6. *Instructiones pro Confessariis.*

Porro, ut primo expediamus quod allegatur ex hoc altero, id ita se habet: « Concubinarii, adulteri, ebriosi non debent absolvi, nisi firmum propositum expresse emittant (s'ils ne temoignent un ferme propos. - Belgici vertunt - nisi *summum* concipiant et faciant propositum: nimium est illud *summum*) non solum sua peccata relinquendi, verum etiam eorundem occasiones, prouti sunt concubinariis et adulteris pellices eorum quos debent a se removere, ebriosis tabernae, blasphemis lusus: quod de iis intelligendum est, qui horum peccatorum consuetudinem habent ».

Sed haec abs re afferuntur; quia sermo est de proxima occasione removenda. Nimis inepte autem huc revocares ultima verba, ubi fit mentio consuetudinis; quia ea verba ad proximae occasionis notionem designandam necessaria ibi erant.

Alium locum adducunt ex *Constit. et Instruct. Synod.* tit. IX. cap. 5. in haec verba: « Eapropter ut hi tollantur abusus (scil. ex nimia fa-

cilitate absolutionis orti) Confessarii differant absolutionem illis, quos hac gratia indignos iudicabunt; cuiusmodi sunt... qui vitiosis habitibus, puta blasphemiae, luxuriae etc. eradicandis omnes nervos non intenderint, in confessione alias moniti et correpti ».

Sed usque dum genuinum et integrum locum detur legere, suspendere praestat iudicium (a).

Itemque cum pag. 90. afferant isti Belgici sententiam nescio quam s. Bonaventurae, extractam ab opusculo Gallico edito an. 1695.; locum s. Bonaventurae allegent et credemus. Quisquis ea verba protulit (P. D'Avorigny tom. 4. pag. 16. Memoires Dogm. et chron. du 17. Siecle), si locum non designavit, nimis vehementem imposturae suspicionem iniicit.

Supputatis ergo rationibus ne isti quidem scriptores quidpiam protulerunt, quod recentiorum theoriae subsidium idoneum ferat.

Rationes s. Alphonsi pro sua theoria de recidivis perpenduntur.

168. In primis itaque noscens s. Doctor, allegatos a se Doctores, Sanchez, Laymann, Lugo, Palaum, Viva, Sporer CUM ALIIS ex parte a propria theoria distare, quatenus statuunt, *pluries* (et melius dixisset, *semper*, si sint dispositi) posse poenitentes absolvi post relapsum, quando ipse statim negandam absolutionem censet, sic suam tuetur causam: « Veneror inquit n. 459. in fin. tantorum Doctorum auctoritatem; sed ego eorum *opinioni* nunquam acquiescere potui. Etenim cum poenitens iam *fuerit in alia confessione admonitus* et eodem modo reinciderit nullumque ad se emendandum conatum adhibuerit, eadem suspicio utique recurrit; qua fit ut Confessarius non habeat moralem certitudinem, sufficientem respective ad hoc sacramentum, ut infra explicabitur ». Ita s. Doctor.

At enim 1° Salmanticenses, e quibus haec ratio haud bene est exscripta (vid. sup. n. 139. 3ª. sent.) loquuntur de eo, qui nimirum (vid. sup. l. c.) SAEPIUS fuerit admonitus. Liquet autem diversimode iudicandum de eo, qui *saepius*, ac de eo, qui ex theoria s. Alphonsi vel semel *admonitus* sit, de obligatione scil. corrigendi pravam consuetudinem. Praeterea specialis quaedam ratio inerat Salmanticensibus (qui agebant de consuetudine blasphemandi aut peierandi), ut curam quampiam emendae exigerent; quae ratio non militat aeque pro qualibet consuetudine. Cur ergo rationem usurpat eorum, quorum sententiae se acquiescere non posse dicit?

(a) Nobis quoque quaerentibus haud contigit reperire. — E.

Insuper 2° vix reddi apta ratio potest eorum verborum - *Ego eorum opinioni nunquam potui acquiescere* -.

Et sane quisquis rem totam tranquille consideret, is deprehendet, eam, cui s. Doctor nomen *opinionis* tribuit, sententiam esse quae universim veteribus Doctoribus communis fuit nec habebis profecto, quos illis opponas, nisi forte addictos novitatibus seculi XVII. e Belgio oriundis, quos ipse s. Doctor sup. n. 145. reiicit. At vero quorsum isti deinde praemittunt etiam theologiae moralis Tractatum de Locis theologicis, huius scientiae propriis? Consentiuntne regulae in eo tractatu traditae, ut respuatur communis DD. sententia in re tam gravi?

169. Quod vero ad rationes attinet: nunquid *quod quis fuerit admonitus*, hoc tribuit impeccabilitatem, ut non possit eodem modo relabi? Aut idcirco non poterit nunc esse contritus et dispositus? Imo DD., a quibus recedit, cum *saepius* supponant admonitum, ostendunt, ex sententia eorum etiam illum, qui admonitus et quidem pluries fuerit, iudicari posse dispositum.

Eadem (inquit cum Salmant.) *recurrit suspicio.* At quaenam haec erit suspicio et quidem *eadem?* An deficientis dispositionis? Atqui 1° si eadem suspicio recurrebat in praecedenti confessione, tunc fuerat dimittendus. Et sane 2° relapsus de praeterita potius confessione suspicionem debet iniicere, quam de praesenti. Quinam enim novus hic canon est, quod quis censeatur nunc non dolere nec habere propositum, quia prius peccavit multum nec conatum pro emenda adhibuit? Scilicet perinde est, ac si dicas: *ille peccavit; ergo, dum accedit ad veniam quaerendam, non poenitet.* 3° Ceterum si alia vice potuit confessarius iudicare dispositum, quaenam nova nunc ratio adest, cur modo dispositum non possit credere?

Si vero suspicio est, poenitentem relapsurum esse, non erit ergo absolvendus? atqui ipse (vid. sup. n. 145.) statuebat *cum communi*, dispositionem ad rite absolvendum esse dolorem ac propositum *praesens*, non autem futuram emendationem atque idcirco absolvi posse poenitentem, licet Confessarius iudicet, eum cito relapsurum.

Dicit dein n. 459. s. Alph., non posse haberi *moralem certitudinem de dispositione.*

Atqui iste modus loquendi non est ex penu Scholarum catholicarum et unice aptus videtur ad vanum terrorem imperitis iniiciendum.

Et ipse quidem, dum vult rationem reddere, cur *moralem* certitudinem requirit, sic rem explanat: Cum materia (inquit) huius sacramenti non sit physica, sed moralis, sufficit certitudo moralis seu respectiva.

Et in hanc rem subiicit s. Doctor duo loca s. Thomae, quae (ut sincere loquamur) nihil ad rem faciunt ac transcripta videntur ex

Auctoribus, quibus propositum fuit omnia sus deque vertere. Etenim s. Thomas citatis locis nihil habet, nisi *prudentiam* in agendo non infallibili norma duci, sed ea certitudine, quae in contingentibus possibilis est.

170. Ceterum et ipse demum s. Alph. concludit, sufficere, quod Confessarius habeat *prudentem probabilitatem* de dispositione poenitentis et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis: alias vix ullus posset absolvi, dum quaecumque signa poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis, UT RECTE DOCET SUAREZ ». Quae sententia prae oculis habeatur oportet, ut eximantur inania terriculamenta iniecta ex theoria *moralis certitudinis,* a male feriatis scriptoribus recentioris aevi invecta.

Et in eam rem s. Alph. affert verba Catechismi Romani *de Sacr. Poenit.* n. 60., quae tamen advertas velim dicta fuisse de hominibus propriae salutis negligentissimis: « Si audita confessione iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam nec in detestandis dolorem omnino defuisse, absolvi potest ». Quibus s. Doctor haec continuo subdit: « Ergo SEMPER ac Confessario *positive* non innotescat, poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest ». Quae quidem continent ipsissimam illam doctrinam, quam prius reiecerat et in quam imo intorquebat damnatam propositionem, uti superius vidimus n. 142.

Subdit denique s. Alph. sententiam Auctoris (Giordanini) Opusculi: *Instruzione per li novelli Confessori,* part. 1. cap. 15. n. 360., quae itidem ab illa absona theoria praemissa sunt alienissima: « Fermiamo per ultimo la conclusione, che *è la chiave di tutta questa materia:* non ricercarsi altro per amministrare la penitenza, che un giudizio prudente *probabile* della disposizione del Penitente. Onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, che egli non sia sufficientemente disposto, non dee il Confessore inquietare sè stesso nè il penitente per averne l'evidenza, che non è possibile ». Et nos afferendis aliis Doctoribus (nam communis omnibus est haec doctrina) ultro parcemus et illud unum ex hisce rursus concludemus, lectionem huius partis operum s. Alphonsi indigere iudicio et discretione, ne occasione cuiuspiam sententiae quis in transversum agatur.

171. Verum heic controversiae cardo: quandonam hoc iudicium *prudens* seu *probabile* habeatur. Nam cum s. Alph. in hac norma admittenda consentire aliis Doctoribus videatur; tamen sicut in praecedentibus ita locutus erat, ut doctrina inde exsurgat incerta, potius apta ad angustias et confusiones iniiciendas, quam ad dirigendam conscientiam: ita modo abiecta doctrina Catechismi Romani signum dispositionis

quaerit in praecedentibus poenitentis actibus; quando e contrario (velint, nolint recentiores DD.), in iudicando de praesenti dispositione, omitti non debeant ea, quae praesentem statum aperire possunt. De praesenti autem statu poenitentis iudicium ferendum esse, ipse quoque s. Doctor iam contenderat sup. n. 145.

Duo porro sunt, quae praesentem poenitentis dispositionem possunt aperire, scil. *modus confessionis et confessio* seu testimonium poenitentis. Ita Doctores universim et quidem tolerari vix potest, quod in re tam gravi adeo spernatur doctrina, quae omnium Doctorum fuit et quae sola rationabilis videri potest.

Mirum porro videri debet, quod s. Alphonsus quasi volens de hac re doctrinam s. Thomae exhibere (n. 461.), duo loca s. Doctoris promit, in quorum altero (1. 2. q. 91. art. 3.) quaerit, *an sit aliqua lex humana* et affert ex resp. ad 3^{m} verba, quibus s. Thomas diluit obiectionem inde petitam, quod dictamen rationis de rebus gerendis sit incertum; in altero vero (2. 2. q. 47. art. 9.) quaerit, *an sollicitudo pertineat ad prudentiam* et verba affert ex resp. ad 2^{m} contra obiectionem, quod sollicitudo videatur opponi certitudini veritatis.

Verum cum s. Thomas plus semel disserat de certitudine, quam adipisci Confessarius potest in tribunali Poenitentiae, quorsum recurritur ad ea loca, ubi ex materiis plane diversis deductiones imperfectae vix trahi possunt?

172. S. Thomas itaque censet nec alio modo resciri dispositionem poenitentis, nec maiorem de ipsa certitudinem atquiri posse, quam ut ipsi poenitenti credatur.

Ita s. Doctor in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 5. ad 2.: « Rector Ecclesiae debet vultum pecoris sui agnoscere dupliciter. Uno modo per sollicitam exterioris conversationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissum et in hac cognitione non oportet, quod credat subdito sed certitudinem facti, in quantum potest, inquirat. Alio modo per confessionis manifestationem et quantum ad hanc cognitionem NON POTEST MAIOREM CERTITUDINEM ACCIPERE, *quam ut subdito credat;* QUIA HOC EST AD SUBVENIENDUM CONSCIENTIAE IPSIUS: *unde in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se*, non autem in foro exterioris iudicii ».

Et rursus in Opusc. 7. al. 12. cui tit. *Responsio ad Lectorem Bisuntinum de sex articulis* q. 6. « *In confessione est credendum peccatori confitenti et pro se et contra se:* sed contra alium nullo modo est ei credendum: alioquin daretur multis occasio fictae confessionis et fraudulentae informationis ». Quae quidem postrema verba aperiunt vim verborum praeced. textus: *quia hoc est ad subveniendum conscientiae*

ipsius; scilicet fraus non debet ullatenus supponi, ubi fraudis nulla foret ratio, imo fraus in poenitentis tantummodo perniciem cederet.

Denique in Quodl. 1. art. 12.: « In foro iudiciali creditur homini contra se, sed non pro se: *in foro autem poenitentiae creditur homini pro se et contra se.* Est ergo distinguendum, quod dupliciter sit impedimentum quod aliquis perceptione Eucharistiae impediatur. Si enim sit impedimentum ad forum iudiciale pertinens puta excommunicatio, non tenetur Sacerdos suo subdito credere, quem excommunicatum novit, nisi sibi de absolutione constet. Si autem sit impedimentum, quod ad forum poenitentiae pertineat, scil. peccatum, tenetur ei credere ET INIUSTE AGIT, si deneget Eucharistiam ei, qui perhibet, se confessum et absolutum ab eo, qui absolvere potuit... ».

Et ibid. ad 2.: « Spiritualis Pastor vultum pecoris sui debet *diligenter* agnoscere, considerando exterius vitam eius: *sed per modum confessionis non potest diligentius scrutari, sed oportet, quod credat ea, quae sibi a suo subdito dicuntur* ».

173. Similia habet s. Vincentius Ferrerius (Serm. unic. in Sabato post *Laetere*) ad illa verba Iudaeorum: *Tu testimonium de teipso perhibes:* « Hoc argumentum fundatur in iudicio humano, in quo non creditur homini loquenti pro se, sed bene loquenti contra se, ut quando reus dicit: Ego occidi eum etc. Tunc iudex dicit: Ex ore tuo te iudico, serve nequam... Sed in iudicio divino, scilicet confessione, iudex, scilicet *confessor*, TENETUR *credere peccatori loquenti pro se et contra se*, quod non fit in iudicio humano, nisi solum loquenti contra se ».

Nec aliter s. Antoninus *Summ.* part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 19.: « Sacerdos parochialis *debet* credere parochiano suo dicenti sibi, se alteri fuisse confessum; quia *in foro poenitentiali creditur unicuique pro se et contra se* ».

Et eximia plane sunt ea quae s. Antoninus ibid. ad fin. §. 14. subdit de Confessario dubitante circa sincerum poenitentis propositum: « Quod si sacerdos *credit vel dubitat*, quod confitens non aget poenitentiam vel istud, ad quod tenetur, ut restituere vel huiusmodi, dicit Guillelmus, quod non debet propter hoc confessor exigere promissionem vel votum vel iuramentum; sed sufficit, si dicat, se habere propositum faciendi et sic debet absolvere simpliciter et sine conditione, facta tamen protestatione, quod si non faciat illud, evacuabit sibi fructum confessionis. Haec Guillelmus. Sed quia multi decipiunt se ipsos, in omni confessione promittentes restituere et huiusmodi et semper differunt; postquam confessor perpendit, tales *pluries* hoc fecisse, FORTE ESSET *bona cautela* talibus dicere, quod prius restituant et postea veniant ad confessionem seu pro absolutione, VEL assignare

eis aliquod congruum tempus, infra quod illud debeant expedire ». Cui postremae particulae FF. Ballerini opponunt (in not. ad h. l. s. Antonini), quod s. Carolus (*Instruct. pro Confess.*) Confessarios monet, ne absolvant qui habet obligationem dandi seu restituendi, antequam id opere praestet — At 1° si verba illa crude accipiantur, absurda sunt et exigere id, quando nulla est suspicio de futura solutionis omissione, esset insipiens ex aequo ac iniquum. 2° Si quis contenderet, conciliari non posse sententiam s. Antonini cum instructione s. Caroli (conciliatio autem in eo erit, ut verba s. Caroli accipiantur de consilio et quidem prudenter, scil. opportuno loco et tempore, adhibendo), nihil nos cogeret, ut opinionem posterioris praeferamus antiquioris sententiae.

174. Et Summa Tabiena, scripta a Ioanne Tabiensi Ord. Praed., quae et *Summa Summarum* appellatur ad. v. *Absolutio* n. 45. ad quaestionem utrum credendum sit dicenti, se habere licentiam sui Praelati confitendi alteri, vel utrum parochialis debeat credere dicenti, se confessum alteri: Respondet: « Ad hoc respondet s. Thomas » etc.: affert scil. duo ex locis s. Thomae, quae et nos superius attulimus. Tum addit, ita sentire etiam Petrum (scil. de Tarantasia), Hostiensem et Richardum...

Utque alios omittamus, satis fuerit adnotasse, Caietanum (v. *Absolutio* prop. fin.) haec ceu doctrinam Ecclesiae tradere Agens quippe de absolutione, an scil. tribui possit sub conditione, sic disserit: « Tertio si referatur ad conditionem praesentem, puta, si vere promittis restituere aut praesentare te Superiori, absolvo te. Et huiusmodi conditionalis absolutio cum praecisa similiter intentione, si fiat, facta tenet, stante tunc conditione. Errat tamen sacerdos sic faciens; quia praesumit sub forma dubia tradere, quod Christus mandavit sub forma certa ministrari. De nullo enim magis debet curare absolvens, quam de contritione et satisfactione poenitentis et tamen *Ecclesia* absque conditione aliqua *credit poenitenti dicenti se esse contritum et habere propositum satisfaciendi* et absolutionis beneficium impertitur absque conditionali nota ».

Quibus genuina habet et Card. Ioann. de Turrecremata (in Can. *Quem poenitet* 88. *de Poenitentia* dis. I. ad artic. sextum n. 29.): « Quinta conclusio: Sacerdos parochialis *tenetur credere subdito suo dicenti, se esse confessum* ad hoc ut ei det Eucharistiam. Ista conclusio est d. Thomae in Quodlib. 8., ubi sic dicit: « In foro iudiciali creditur homini contra se, sed non pro se: *in foro autem poenitentiali creditur homini et pro se et contra se* ». Concordat Petrus de Tarantasia et Hostiensis. Magister vero Richardus de alta Villa (in Quartum) concordans

dicit sic: « Cognitio, quam potest habere Sacerdos in foro poenitentiae de conscientia subditi sui, dependet de subditi voluntate et ideo debet eum reputare idoneum ad suscipiendam Eucharistiam, si asserit se esse poenitentem et legitime confessum ei, qui potuit eum absolvere. Si tamen sacerdos aliqua signa probabilia haberet, quod ipse non diceret verum, non tenetur sic Eucharistiam ministrare, nisi ille sibi faceret sufficientem fidem: *non dico de hoc, quod est vere poenitens, nec de hoc quod est vere confessus; quia illa non cadunt sub probatione*, sed de hoc quod est confessus vere illi, qui ipsum poterat absolvere, nisi impedimentum fuisset ex parte sui ipsius ».

175. Caietano consentit Bartholomeus Fumus in Summa Aurea Armilla, qui praeterea rationem reddit, non secus ac s. Thomas sup. n. 386., quod agatur nempe de bono spirituali subditi. Ita ille v. *Absolutio* n. 21.: « Parochialis sacerdos dicenti, se fuisse alteri confessum et absolutum, *quoad forum poenitentiale tenetur credere*, nec potest ei Eucharistiam negare secundum Thomam... Secus in foro iudiciali; ut si constabat de excommunicatione et dicat se absolutum, non creditur, nisi probet et iuste Eucharistia negatur. Credere etiam tenetur dicenti se habere licentiam confitendi et recipiendi communionem ; *quia nemo debet censeri immemor propriae salutis, nisi de opposito constet.* »

Et ne plures recensendo immoremur, Leander (Apud Francolini *Praesens Eccles. benignit.* l. 2. disp. X. n. 6.) sic testatur: « Poenitenti fides habenda est de vero proposito emendae, sicut de aliis, quae contra se et pro se dicit, ut notat s. Thomas *et communiter Doctores.*

Subdit autem hisce Francolinus ibid.: « Nec ullum legi, qui contrarium docuerit, exceptis vestris doctoribus (scil. rigoristis seculi XVII. et XVIII.).

Et sic revera vidimus sentire Doctores, quos in antecessum allegavimus, Suarez, Sporer, Laymann etc. cf. nn. 146. seqq.

De signis extraordinariis doloris, quae recentiores requirunt.

176. S. Alphonsus, postquam novum illum canonem (sup. n. 145.) statuit, nempe absolvi recidivum (et quidem nova illa notione depictum) non posse, nisi afferat extraordinaria signa doloris, quaerit deinde lib. 6. n. 460., quaenam sint eiusmodi signa extraordinaria, quae si recidivus afferat, statim absolvi queat.

Et nos haec eadem signa post ipsum recensebimus duplici de causa. 1° Ut appareat, quandonam absolvi recidivus etiam ex ipsius sententia possit: 2° deinde ut palam fiat, quot quantisque difficultatibus se implicent et quot quantisque angustiis poenitentes vexent illi, qui obliti

naturam huius fori poenitentialis et communem, quam mox exposuimus, praxim ac doctrinam, non satis a novis pseudo-doctoribus caverunt.

Et quidem s. Alph. n. 460. hanc doctrinam quasi communi DD. adscribere videtur, ubi scribit: « Plura huiusmodi signa traduntur ab Auctoribus supra allatis », scil. iis, quos false tanquam suae sententiae patronos descripserat.

At enim adverte, haec signa ab Auctoribus utique subinde memorari; at ab illis non proponi uti necessaria. Ad summum dicunt, haec signa deservire ad cognoscendam certius dispositionem. Ita v. gr. Lugo disp. 14. n. 166.: « Ad iudicium ferendum de dispositione praesenti deservit, si peculiaria signa doloris ostendit; item si iam adhibuit curam aliquam ad consuetudinem exstirpandam. Si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis, ad tollendam consuetudinem; nunc autem admonitus libenter ea suscipit et proponit adhibere ea media ». At aliud est *deservire,* aliud est *esse necessaria.*

177. Haec ergo exhibet signa s. Alph. « 1° Maior dolor patefactus per lacrymas, suspiria et cordialia verba ».

Ubi adverte obiter, *maiorem* dolorem, certe ex mente s. Alphonsi, intelligi debere comparative ad dolorem *insufficientem.* Ratio est, quia doctrina de *maiori intensitate* doloris ab omnibus sanae mentis doctoribus reiecta fuit et ab ipso s. Alphonso reiicitur, dum doctrinam Auctoris de hac re sup. §. XV. admittit. Sensus ergo verborum s. Alphonsi erit = *quando* DOLOR *patefit per lacrymas, suspiria et cordialia verba.* =

Verum Gonet subdit (ut dicit s. Alph. eodem n. 460.), *non esse saepe* credendum lacrymis, quae proveniunt saepe ab humano affectu.

Quae verba s. Alph. ibid. corrigit sic: « Vice *non esse saepe*, melius hic Auctor dixisse *non esse semper*, praesertim in mulieribus et rudibus: nam quandoque proveniunt ex aliqua passione, quam poenitentes exponunt, vel ex motivo negatae absolutionis, vel damni passi aut imminentis. Ceterum lacrymae poenitentium ut plurimum oriuntur ex compunctione cordis etc. »: in quam rem affert auctoritatem Chrysostomi ac s. Leonis.

Veruntamen mittamus nunc inanem quaestionem, an lacrymae possint oriri a damno quopiam vel passione; quod nunc interest, istud est: vel supponis poenitentem agere sincere, vel non. Atqui si supponis sincere eum agere, profecto certius indicium est tibi aperta ac disserta testatio ipsius, quam merae lacrymae. Etenim de poenitente, qui licet sincere agat, non tamen luget, ideo dubitare iuxta hos doctores poteris an sit dispositus, quia suspicaris, *eum se decipere* sibique illudere ac

falso existimare se dolere, cum tamen nec satis reipsa doleat nec sinceram habeat voluntatem cavendi peccata in posterum. Atqui huiusmodi illusio et deceptio nihilo minus locum habere potest, etiam cum lacrymae funduntur. Et sane quid facilius aut frequentius, quam ut inter concionem de Christi passione ac B. Virgine, cruci inter insultus adstante, lacrymas a populo universo extorqueas? Quid magis obvium, quam ut lacrymas exprimas, cum ostensa Christi crucifixi mortui imagine, hoc facinus a peccatoribus perpetratum clamites? Attamen nunquid universum populum, utut sincero affectu flentem, iam satis dispositum ad absolutionem putares?

Si vero supponis, ficte poenitentem respondere ac de suo dolore testari et de sincero proposito; nonne ficte etiam tundet pectus et cordialia verba effundet cum lacrymis?

Ergo nisi abiiciatur ista theoria de necessitate certitudinis illius, quae haberi non potest, in iisdem semper angustiis Confessarius versabitur nec magis certa cognitio ex hoc lacrymarum indicio habebitur, quam ex poenitentis testimonio.

178. Alterum signum extraordinarium dicitur *minor numerus*, peccatorum post praecedentem confessionem, cum tamen poenitens versatus fuerit in iisdem tentationibus et occasionibus. Ita s. Alphons. n. 450. II.

Item si post ultimam confessionem diu se continuerit, v. gr. per triginta aut viginti dies, cum antea assuetus fuerit pluries in hebdomada prolabi.

Item si relapsus fuerit post magnum conflictum. Ita s. Alph. ex variis DD. l. c.

At enim 1° haec potiusquam de praesenti, testarentur de proposito praecedenti. Et sane finge, poenitentem post viginti aut triginta dies caeno suo se rursus volutasse; cuius dispositionis erit indicium (ad hominem dico) praeteritae an praesentis, constantia ea ante lapsum? Ergo et hoc indicium est fallax et ad summum ex studio antecedenti coniectura aliqua sumetur, quod et nunc id adsit.

2° Ea indicia testarentur, poenitentem non modo habuisse firmum propositum, sed insuper constantem in proposito fuisse; hoc autem posterius non pertinet per se ad propositi sinceritatem atque adeo etiamsi constans non fuisset, falsa foret illatio de defectu propositi praecedentis, ac multo magis de defectu praesenti. Ratio, quia agimus de homine libero, qui suam mutare potest voluntatem ac reipsa saepe ex inconstantia et fragilitate mutat, prouti et discipuli in proposito v. gr. certas horas quotidie tribuendi studio linguae hebraicae, iuri canonico, Theol. morali, meditationi sanctae aut piae lectioni etc. aut in

proposito cavendi a cuiuspiam socii conversatione post aliquam offensam, inconstantes sunt.

3° Ad haec, nonne heic supponunt, poenitentem fuisse constantem post confessionem, ante quam tamen constans non fuerat? secus enim non haberetur imminutio peccatorum. Porro ista constantia post inconstantiam nonne redarguit falsitatem doctrinae, quae negat, fidendum esse verbis poenitentis, si constantia ista defuerit?

179. Tertium signum ex s. Alphonso est — studium adhibitum ad emendationem n. 460. III.

Huc spectat 1° fuga spontanea occasionum, 2° implevisse media praescripta a Confessario, 3° si poenitens adhibuerit ieiunia, eleemosynas, preces, Missas etc. ut bonam confessionem faceret et ad absolutionem se disponeret. Ita s. Alph. l. c.

Et haec quidem egregie dicuntur. At 1° quid valerent ista, si de eo ageretur, qui vehementi alioqui costringitur et illigatur affectione seu cupiditate? Quid si inter haec eadem opera laberetur?

2° Sed deinde recurrunt ea, quae praecedenti num. adnotavimus. Nam studia haec adhibere poenitens supponitur, qui prius non adhibuit. Ergo falsum est, non esse fidendum verbis eius, quando haec studia non praecesserunt: siquidem bona et efficax voluntas adesse potuit, imo affuit ante praemissa illa studia.

Quarta indiciorum classis ex s. Alph. n. 460. IV. Si poenitens quaerat media ad se emendandum, vel si promittat media adhibere aut antea ipsi indicata melius exsequi, maxime (ait Lugo) si nunquam admonitus fuerit de mediis adhibendis.

Ad quae subdit l. c. s. Alph.: « Sed his promissionibus puto non omnino fidendum, cum poenitentes facile promittant, ad absolutionem obtinendam, omnia exsequi, quae Confessarius imponit; sed non raro postea negligunt ».

Quibus verbis s. Doctor paulatim declinat ad eam doctrinam, iuxta quam *emendatio et exsecutio* sit de essentia propositi. At cur non revocavit huc sententiam, quam ipse contra rigoristas inculcaverat (sup. n. 145.) nempe: « Dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura atque ita poenitens poterit absolvi, licet iudicetur relapsurus »? Et sane si suspicaris, poenitentem haec *ficte* promittere, an non ficte in antecessum praemittitur etiam fuga occasionum, Missae, orationes, media etc.? Praxis profecto et ista contingere docet, v. gr. per quadragesimam, quando quidam de paschali praecepto cogitant et a longe res suas disponunt, ne minus bene a Confessariis excipiantur. Praeterea nonne aeque timere Confessarius potest, ne poenitens praescripta impleat ante absolutionem, mere ut absolutionem obtineat, ad suos dein mores reversurus?

180. Quinta classis ex s. Alph. n. 460. V.: « Spontanea confessio, ut dicunt Laymann, Segneri, Tamburini, Mazzotta; dummodo poenitens non confiteatur ex obligatione praecepti paschalis, vel impulsus a parentibus, paedagogo aut domino; nec propter quendam usum confitendi in aliquibus festis, nempe Nativitatis Domini, Assumptionis Mariae etc., sed accedat omnino sponte et vere a lumine divino inspiratus ad solum finem adipiscendi Dei gratiam. Praecise haec spontanea confessio signum esset dispositionis, si poenitens ut accederet ad sacramentum, notabilem conatum adhibuit, scil. longum iter est aggressus, abstinuit a lucro illius diei, magnum conflictum internum sive externum superavit et similia ».

Et nos quidem non negamus, in his haberi signum dispositionis; at dicimus, haec esse potius *certius* signum dispositionis: ea autem exigere durum est.

Et quod spontanea non censeatur confessio illius, qui praecepto aut Ecclesiae aut Superiorum adigitur, transeat. Ceterum nonne ipsi suademus fidelibus, ut quorundam festorum B. V. occasionem captent accedendi ad sacramenta? Num, ut confessio sit voluntaria, accedere debebit quispiam post duas hebdomadas? Voluntarium est, quod poterat omitti. Dixi autem, *transeat;* quorsum enim indispositus censebitur, si quis ad confitendum externo impulsu urgeatur? An quia ad Missam audiendam die festo cogimur praecepto, ideo censeri debent indevoti qui audiunt? Erit ergo indicium, si sponte veniat quispiam; at non est indicium defectus, si veniet impulsus.

Et idem dicito de iis, qui aliquam subierunt difficultatem, ut confiterentur. Secus quisquis habeat hanc calamitatem, ut non sit illi necessarium longum iter, quo veniat ad Ecclesiam, aut nihil lucri amittat, aut demum non patiatur conflictum a diabolo, num hic idcirco non veniet, ut adipiscatur gratiam Dei?

181. Aliud indicium (sextum) enumerat s. Alph. n. 460. VI. « Si accedit ductus ab aliquo extraordinario motivo, nempe concionis auditae, mortis alicuius amici, vel ex timore illuvionis, pestis, terraemotus etc. ».

Ad quae revoca in mentem, quod est in proverbio, *propositum nautarum* (il proposito dei marinari). Unde in oratione edita ab Urbano VIII. (ad calcem Breviarii Romani): « Confitemur in correctione quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus. Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus. Si ferias, clamamus, ut parcas: si peperceris, iterum provocamus, ut ferias ». Proinde valor huius indicii vix cohaeret cum horum recentiorum doctrinis.

Admittatur tamen hoc indicium, quatenus praesens animus inquiri

debet, non futura effectus constantia. At defectus huius motivi probatne indispositum, ut absolvi non debeat?

Septimum indicium ex s. Alph. n. 460. VII. « Si poenitens confiteatur peccata prius culpabiliter omissa ».

Et hoc admittendum erit; quamquam interdum merito angitur Confessarius, an etiamnum poenitens sincerus sit et integre confiteatur. Et insuper haec contingunt, quin poenitens quidpiam praeferat maioris doloris, quam alias soleret.

Quidquid sit, censebiturne minus dispositus quispiam; quia nulla habet peccata, quae sacrilege prius tacuerit?

Octavum indicium ex s. Alph. n. 460. VIII. est: « Si poenitens, priusquam accedat, restituat ablatum, vel reparet famam proximi laesam ».

Et nos concedemus, licet fallax indicium esse possit, quando v. gr. poenitenti iam innotuerit secus se dimissum iri sine absolutione, aut quando indispositionis suspicio ex alia causa seu vitio profluat, quam ex appetitu rei alienae. Ceterum redit praemissa animadversio, non eiusmodi hoc esse indicium, cuius defectus arguat indispositionem.

182. Nonum indicium ex s. Alph. n. 460. IX. est: « Si post peccata poenitens ad monitionem Confessarii significet, adeptum se fuisse novam cognitionem suae iniquitatis, vel periculi damnationis suae etc. ».

At enim et ista fingi a poenitente possunt; quod si sincere eum agere putas, haec nullo modo sunt necessaria.

Decimum denique ex Croix affert s. Alph. l. c.: « Si poenitens dicat, se poenituisse statim post peccatum, si cupiat satisfacere, si magnam poenitentiam bono animo acceptet, si protestetur ex seipso, malle se mori, quam relabi ».

At enim mox subdit s. Alph. l. c.: « Haec signa (hoc scilicet et praecedens), dico saltem deservire posse ad alia signa dispositionis iuvanda ». Quibus manifeste s. Doctor prodit, se cum recentioribus, quos alioquin prius reiecerat (sup. 145.) duo plane confundere, nempe iudicium de praesenti dispositione et iudicium de stabili emendatione; quae doctrina, ipso non diffitente, falsa prorsus est, licet habeat speciem magni zeli. Et sane si de sola praesenti dispositione iudicium est ferendum, cur non sufficiant indicia, quae duobus postremis locis continentur?

Concludamus ergo, hisce indiciis utique utendum esse; at neque iis insistendum adeo esse, ut alia, quae insita sunt ipsius sacramenti naturae, negligantur neque propter eorum defectum debere Confessarium desperare de cognoscenda poenitentis dispositione ac multo minus certum de defectu dispositionis inde iudicium ferre.

183. Etenim haud aegre Confessarius intelliget, an poenitens recensendus sit inter recidivos, non quidem qualescumque (nam recidivi sunt

omnes, qui confitentur), nec tales, quales s. Alphonsus notione sibi soli propria describit (de quibus exposcere praedicta dispositionis signa prorsus indiscretum est), sed quales exhibent communiter Doctores, qui nempe diu in iisdem vitiis emarcuerint, nullo habitualiter adhibito ad sui emendationem conatu et qui animo libenti iacent in peccato ac peccati affectu; qui quidem plane distinguendi sunt ab aliis multis, qui licet saepius peccent, onus tamen peccati sentiunt, mox eis displicet quod egerint, tentationi pluries resistunt, licet misere rursus cadant: de quorum dispositione nihil dubitandum est, licet ex falsa illa *recidivi* notione isti quoque tum habituati tum recidivi dicendi forent.

Porro cum Confessarius certior factus fuerit de statu poenitentis et recidivum veri nominis eum noverit, non putet, suas partes tantum istas esse, ut dicat poenitenti, se non posse illum absolvere, vel certe non posse id modo ac proinde iubeat, ut redeat. Sed efficiat, ut poenitens statum suum noscat idque magna caritate, ne poenitens Confessarium loco adversarii aut mere iudicis habeat, sed *patris;* quippe reipsa Confessarius personam gerit patris evangelici erga filium prodigum, qui perierat.

Tum vero necessitatem ostendat remedii, rationibus adhibitis, quae dolorem praeteritorum necessariumque in posterum emendationis studium suadeant; tum periculum clare proponat, ne si minus sincere agat poenitens, pharmacum vertatur in venenum: de sua autem re unice agi.

Haec si magna ac paterna caritate ac sincerissima patientia fiant, melius sane constabit de poenitentis dispositione, quae facile se prodet, quam signis illis omnibus, quae supra sunt enumerata quaeque non impediunt, quominus poenitens cum praeiudiciis et affectibus dispositioni opportunae contrariis accedat.

184. Nec multum confert distinctio huiusmodi signorum in *ordinaria* et *extraordinaria* sive in *communia* et *specialia;* nam limites divisionis inter ordinarium et extraordinarium in hac re nemo hactenus definivit: ut idcirco quaedam sint aliis ex. gr. Gury Vol. 2. §. 639. ordinaria, quae s. Alph. censet extraordinaria et praeterea quod in Petro ordinarium est, in Ioanne extraordinarium videbitur: imo pro diverso Confessariorum ingenio, erit alicui extraordinarium, quod alter ne ordinarium quidem censebit. Praestat ergo in illud animum intendere, quod tandem per huiusmodi signa, quocumque vocentur nomine, quaeritur, ut constet scilicet probabiliter de idonea dispositione poenitentis; id enim si constet, nec s. Alph. negat, posse poenitentem absolvi.

De poenitente minus disposito iuvando.

185. Quod, excepto casu necessitatis, absolvi licite non possit poenitens *dubie dispositus*, quem scilicet sufficienter dispositum esse ad gratiam in sacramento recipiendam, nulla prudens ratio suadet, extra controversiam esse debet. Et hinc petenda ratio est, cur subinde Theologi sic agendum moneant cum iis recidivis esse, qui aut nullum aut certe ambiguum bonae voluntatis indicium praeferunt, adeo ut eos opportunis dispositionibus heic et nunc forte carere haud imprudens subsit suspicio. At aliud est quod poenitens in ea conditione non possit absolvi, aliud est, quod in aliud tempus absolvendus dimitti debeat; quasi vero aut dilatio ista virtutem arcessendi dispositionem habeat, aut revertendi patientia in poenitente melioris dispositionis certius indicium sit, aut contra non magis expediat imo officium Confessarii sit, omnem tunc ipsum curam adhibere, ut quantum fieri cum gratia Dei possit, ad beneficium absolutionis rite accipiendum poenitentem disponat.

Utinam sacerdotum omnium menti infigerentur verba, quibus s. m. Leo PP. XII. Iubilaeum orbi universo indicens (Const. *Caritate Christi* 25. Dec. 1825. §. 5.) Confessarios monebat: *Sistunt se quidem* (inquit) *multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati sed persaepe tamen huiusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Iesu, qui non venit vocare iustos sed peccatores, sciat studiose, patienter, mansuete cum ipsis agere.* Quod vero heic *imparati* dicantur ii et quidem soli, qui essentiali carent dispositione, patet ex sequentibus: *Imparati enim illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione; misericordiae enim Domini non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, vel qui rudes conditione aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine Sacerdotis ipsius opera assecuturi: sed qui adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis... exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam* (quae sunt verba Tridentini de attritione) *disponantur, carere prudenter iudicantur.* Ex quibus patet, absolvi posse eos quoque, qui nedum *dubie dispositi,* sed manifeste accedunt *indispositi;* siquidem patientia, mansuetudo et industrii sacerdotis caritas id consequi hoc ipsum potest, ut ex imparatis parati fiant, idque prudenter Confessarius iudicare queat.

Idcirco ss. Pontifex non praetermittit insuper eos notare, qui potiusquam hanc in se curam suscipiant, ut sollicita caritate peccatores Deo reconcilient, facilem se ab hoc onere expediendi viam ineunt, remittendo poenitentes in aliud tempus absolvendos. Postquam igitur indicavit, quinam beneficii absolutionis iudicandi sint *incapaces, quales* (inquit) *sunt, qui* NULLA *dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere aut aliena, si possunt, restituere aut proximam peccandi occasionem deserere aut alio modo peccata derelinquere et vitam in melius emendare nolunt aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant;* mox graviter monet, quam *longe a more periti medici, qui similiter infundit vinum et oleum vulneribus sauciati, distet eorum ratio, qui ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronunciant, se non posse absolvere: iis nempe ipsis* (pergit ss. Pontifex) *mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti, qui ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Quocirca merito pronunciat, magis *indispositum* ad audiendas confessiones huiusmodi sacerdotem esse, quam peccator ad confessionem accedat imparatus: *Quod si praestare* (ait) *praetermittat, profecto non magis ipse (Sacerdos) dicendus est paratus ad audiendum, quam ceteri ad confitendum accedere.*

186. Ex quibus illud etiam colligitur, timendum non esse, ne sufficiens dispositionis signum haberi nequeat, etiamsi nulla adhibeatur absolutionis dilatio, saepe alioquin fallacissima dispositionis probatio. Hoc ipsum monuit et s. Alphonsus lib. 6. n. 459., ubi scribit: Nec verum est, quod sola temporis probatio unicum sit signum mutatae voluntatis; nam voluntatis mutatio pendet a divina gratia, quae tempore non indiget sed in instanti operatur et ideo non solum per experimentum temporis, sed etiam per alia quaedam signa patefieri potest. Imo aliquando alia signa praesentis dispositionis multo melius manifestant mutationem voluntatis, quam experientia temporis; nam signa illa directe indicant dispositionem poenitentis, experientia vero tantum indirecte: adeo ut NON RARO evenire possit, quod aliquis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi huius honestate *(v. g. ut absolutionem carpat, vel admittatur ad communionem paschalem)* contineat... et nihilominus non sit rite dispositus. Propterea quoties poenitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit ». Ad quae fac advertas, esse quidem aliqua peccata, in quae quis prolabitur ex affectu et cum affectu tenaciter inhaerente cuipiam obiecto illicito, v. gr. cum ex odio et vindictae appetitu quis proximo detrahit, mala imprecatur aut etiam infert, vel cum divitiis perdite inhians lucra illicita

sectatur, vel feminam quampiam deperit, quacum consuetudinem habet adulterii etc.: et cum his sane opportunus incidit sermo de *mutatione voluntatis*, quae detestari illud debeat, quod ardenter diligebat. At in pluribus aliis, etiamsi peccata ex quadam consuetudine perpetrentur, perperam hunc affectum erga peccati obiectum requires, uti v. gr. plerumque fit in vitiis linguae ac saepe etiam in mollitie; unde fit, ut homo utique relabatur iterum atque iterum, non tamen quasi se totum peccato dedens, sed potius ignavia quadam ac fragilitate victus, semet simul accusans ac mox facti poenitens ac modo vitio obluctans, modo ex infirmitate ipsi succumbens et iugum vitii semper quodammodo invitus ferens. Porro cum huiusmodi, uti patet, de voluntate agitur non tam mutanda, quam corroboranda, quo vigilare attentius, si de vitiis linguae sit sermo, et repugnare validius, si de aliis vitiis res est, diligentiusque praesidiis opportunis uti assuescat.

Ceterum cum s. Alphonsus, dum *signa dispositionis extraordinaria* exigit, nihil demum aliud intelligere videatur, quam quod in allato textu habet, nempe *verum aliquod signum doloris ac propositi*, adeo ut extraordinario aliquo carentem signo putet (*Prax. Conf.* n. 71.) designari in Propositione 60ª ab Innoc. XI. damnata de illo, qui tantum *ore proferat se dolere et proponere emendationem;* haud aegre quoad hoc conciliabitur cum communi DD. sententia cumque praxi, quam summus Pontifex et magistrorum Magister Leo XII. in allata Constitutione commendat. Neque enim ullus e DD. docuit, absolvendum eum esse, qui (ut ait Pontifex) *sensu doloris ac poenitentiae, quo ad gratiam in Sacramento impetrandam disponatur, prudenter carere iudicetur:* neque iterum s. Alphonsus, ut ex allato textu patet, contendit, necessariam esse dilationem absolutionis, ut dispositio etiam recidivi vel satis cognosci, si quando dubia primum appareat, vel etiam comparari possit, si penitus forte poenitenti accedenti deesse videatur; quinimo l. c. n. 460. inter signa, quae *extraordinaria* ipsemet appellat, hoc quoque enumerat: *Si poenitens ad monitionem Confessarii significet, se adeptum fuisse novam cognitionem suae iniquitatis, vel periculi suae damnationis.*

187. Methodum, qua citra dilatae absolutionis experimentum huiusmodi scopus attingi queat ac simul praxis a summo Pontifice Leone XII. commendata retineatur, dilucide iuxta ac breviter expositam habes a Philippo Maria Salvatori in Opuscolo pluries Romae edito cum titulo: *Istruzione pratica pei Confessori novelli;* quam quidem methodum sicut non sine labore servari, ita non sine culpa, ubi opus sit, a Confessario omitti merito ipse affirmat, confirmantque ea, quae ex Leonis XII. Constitutione superius attulimus. Ut itaque pius ac doctus et in mi-

nisterio audiendi confessiones istiusmodi hominum exercitatissimus Auctor advertit part. 2. §. 1., etiamsi nullum aliud indicium ex iis, quae alii *extraordinaria* dixerint, poenitens aut primo occursu aut etiam inter confitendum praebeat, quo Confessarius de dispositione satis iudicet; attamen si confessione, non sine opportuno sacerdotis patienter mansueti auxilio, expleta, hic ob poenitentis oculos efficaciter ponere instituat peccatorum vitiorumque suorum gravitatem, deformitatem, turpitudinem; tum si pessimos peccatorum effectus, damna, detrimentum animae salutisque aeternae discrimen ac thesaurum irae per inordinatam vitam cumulatum ac vanam quoque spem sibi consulendi, ubi hora iam instet mortis imminensque Dei iudicium, tum etiam facilem rationem suggerat, qua et malis hisce occurrere rectamque salutis viam inire possit; his insuper si adiiciat serio perpendendum cuilibet poenitenti esse, sacramentalem absolutionem effectum sortiri confitentium dispositionibus congruum atque adeo sicut sincere poenitentem solvit ac mundat, sic verae poenitentiae sensu carentes arctius ligare atque peccata reliqua addito sacrilegio cumulare: haec, inquam, omnia aliaque huiusmodi Confessarius si proponat, idque non zelo indignantis, sed magna potius caritate commiserantis ac poenitentium salutem sollicite concupientis praestet, merito laudatus Auctor concludit, fieri non posse, quin signum aliquod sufficiens animi sui poenitens exhibeat; proindeque affirmanti, se sincere agere atque ea, quae Confessarius exigat, praestare se velle, posse confessarium tuta conscientia absolutionem impertiri, etiamsi poenitens aliud conversionis suae signum nullum in antecessum dederit.

188. Ratio autem est, quia cum in hisce adiunctis neque ex ignorantia neque ex dolo repeti rationabiliter possit illud poenitentis testimonium, iam valet id, quod instar axiomatis est apud omnes Theologos *poenitenti credendum esse et pro se et contra se.* Dixi, *neque ex dolo;* quia in praesenti nullum scopum aut causam fraus habet, quae mere cederet in mentientis perniciem. Hinc discrimen, quod s. Thomas notat inter loquentem in confessione *de se* et *de aliis* ut vidimus superius num. 172.

Et sedulo adverte illa s. Doctoris verba gravissima: *Non potest maiorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat.* Et sane nonne uni huic canoni nititur, quod Confessarii tuta conscientia absolvant poenitentes quasi integre confessos, cum tamen experientia doceat, haud infrequenter accedere, qui sacrilege peccata reticent? Et licet sectari quis velit theoriam *signorum extraordinariorum*, nonne et ista simulari possunt? Imo nonne frequens est querela, quod Confessariis saepe saepius illudi contingat specie pietatis ac devotionis in alios fines

a quibusdam conficta? Et tamen quisnam idcirco Confessarios iure reprehendat? Aut quis a Confessariis exiget ut ad deceptiones cavendas nemini fidem habeant, etiam cum nulla negandi fidem prudens adest ratio? Nonne sic funditus subvertetur oeconomia, qua teste s. Thoma cum universis Theologis, tota regitur huius sacramenti administratio?

Exinde summus Pontifex Leo XII. dum in citata Constitutione praemissam praxim commendat, notare non omittit morosos illos Confessarios, *quibus* (ut ait) *vix ulla... doloris ac propositis satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint.*

189. Illud quosdam movere consuevit, quod facilitas absolvendi, quae per hanc praxim inducatur, facilitatem inferat relabendi in eadem peccata. Cui instantiae responderi profecto posset cum laudato *Salvatori* l. c., cuius haec sunt verba: *Rispondo primo: Così aveva sentito dire ancor io ed in speculativa ci credevo: ma la pratica mi ha disingannato. Non ho trovato ancora uno di vita perduta, che siasi messo allo sbaraglio della iniquità per la facilità trovata nei Confessori: molti ne ho trovati bensì, che l'abbian fatto per una durezza e difficoltà soverchia di assolvere.* Sed deinde negandum prorsus est, facilitatem adesse absolvendi et consequentem facilitatem relapsus, quando Confessarius potiusquam commoda ratione se expediat dicens non posse se absolvere (quo fit ut poenitens discedat in eodem statu ac forte deteriori utpote adversus et sacerdotem et sacramentum indignatus), non sine labore ingenti in se suscepto efficit, ut tunc poenitens absolvatur, cum sufficientia sincerae ac seriae poenitentiae signa exhibens prudentem spem facit, sacramentalem absolutionem ipsi salutarem fore.

190. Ceterum per haec haud excludi, quominus aliquando, ubi res postulet, absolutio differri possit, notavimus superius n. 147. deinceps. Illud tamen etiam quoad hoc prae oculis habendum est, quod in cit. Constitutione monet summus Pontifex Leo XII. *Quocumque* (inquit) *animo sint, qui accedant ad sacramentum Poenitentiae, nihil ei (Confessario) magis cavendum est, quam ne... quispiam... sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit..., humanissimis persuadeat confessis, necesse est, id et munus officiumque suum et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae caelestis dulcedine reficiantur.* Et sane quisquis aliquam in excipiendis confessionibus experientiam

habeat, verissimum esse id fatebitur, quod affirmavit laudatus Salvatori l. c. quodque suis ipsius verbis referre praestat: *E qui non posso a meno di non dire una cosa, la quale ogni volta che rammento, mi fa fremere lo spirito. Tra i moltissimi che mi sono capitati nel confessare negli spedali, o allontanatisi affatto per molti anni dalla confessione, o che per molti anni le hanno fatte dimidiate e sacrileghe, la maggior parte ho trovato (e lo stesso mi hanno detto d'avere osservato altri Confessori), che l'origine di ciò è nata dal cattivo ricevimento incontrato con qualche Confessore.*

De differenda absolutione poenitenti disposito.

191. Summopere interest perpendere originem rationemque huius praxis; cuius etsi vix ullum vestigium in scriptis antiquiorum Theologorum appareat, perperam tamen inde ansam cum nonnullis quis sumeret iansenianis illam ceu primis auctoribus tribuendi, utcumque isti tum eadem tum veteri canonicae poenitentiae disciplina ad arcendos fideles a Sacramentis insigniter abusi fuerint, fictaque zeli specie fucum facere nonnullis catholicis aliquando potuerint.

Originem itaque istius praxis si inquiras, facile reperies, eam deberi studio novas usquequaque industrias excogitandi, quibus fideles amplius iuvari posse quibusdam in adiunctis forte viderentur; rationem vero eiusdem ac finem in eo fere situm, ut poenitens, qui ob segnitiem in obligatione quapiam implenda novas in dies et menses atque etiam annos moras usque nectere soleret, demum excitaretur ad manum operi admovendam. Exemplum habes apud s. Antoninum part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 19., ubi de iis disserens, qui, ut alibi loquitur part. 2. tit. 2. cap. 8. §. 3., *semper procrastinant et annuatim reperiuntur promittere confessori restituere, postea non faciunt*, reiecta illorum opinione ibid. §. 2., qui putabant hos absolvendos esse sub conditione de futura restitutione et admittens sententiam Guillelmi, quod simpliciter et sine conditione absolvi debeant, dein subdit: *Postquam Confessor perpendit, tales pluries hoc fecisse,* FORTE ESSET BONA CAUTELA *talibus dicere, quod prius restituant et postea veniant ad confessionem seu pro absolutione.*

Frequentius autem hanc industriam insinuari cernes apud Theologos paulo minus antiquos, cum agunt de obligatione usurpandi media quaepiam ad emendandam pravam consuetudinem, eam praesertim, quae ad malum semideliberate aut etiam indeliberate propellit, qui tamen actus culpabiles in causa sint, in segnitie scilicet et emendationis negligentia, quae in his adiunctis hominem in iugi, ut aiunt, *peccati mortalis statu* constituit. Et hinc ratio, cur DD. hanc materiam fere attingant, non ubi *de Sacramento Poenitentiae*, sed ubi tractant de *Se-*

cundo Decalogi praecepto, atque adeo de pravo aut blasphemandi aut temere iurandi ac porro peierandi habitu. Ita Salmanticenses tract. 17. *de Iuramento* cap. 2. — Suarez *de Iuramento* lib. 3. cap. 8. n. 7. — Sanchez *in Decal.* lib. 2. cap. 32. ubi *de blasphemia,* et lib. 3. cap. 5. *ubi de consuetudine iurandi* Bonacina *de* 2° *Praecepto* disp. 4. q. 1. p. 14. — Filliuccii tract. 25. cap. 10. *de Blasphemia et iuramento.* — Sayrus *Clav. Reg.* lib. 5. cap. 5., *ubi de iuramento.* — Palaus *de Iuram.* disp. 1. punct. IX. — Viva *de Praec. Decalogi* q. 7. art. 7. *de Periurio.* Trullench *Exposit. Decal.* lib. 2. cap. 1. dub. 20. — Azor par. 1. lib. 11. cap. 3. *de Iuramento.* — Reginaldus lib. 18. *de* 2° *Praec. Decalogi.* — Idem dicito de Barthol. Medina, Emman. Roderico, Ludovico Lopez et aliis, quos longum foret enumerare, quorum doctrinam retulimus initio huius tractationis de modo agendi cum Recidivis.

192. Quod vero isti DD. disserant de poenitente *disposito,* inde manifeste patet, quod absolutionis dilationem insinuent non tanquam necessariam, sed ut *mere utilem* et ex *mero consilio* et solum *aliquando* adhibendam. Ita v. gr. Suarez l. c. (n. 239.) licet agat de consuetudine, quae, ut ait, *quodam modo transiit in naturam,* postquam dixit, *de proposito credendum esse poenitenti, non obstante quacumque praecedenti frequentia et inconstantia eius,* demum subdit: *Si saepius proposuit emendari et non facit, adhibenda sunt remedia convenientia... Denique si haec non sufficerent,* INTERDUM UTILE ERIT *differre absolutionem per aliquot dies,* IN QUIBUS VIGILARE COGATUR etc. Quod idem *de Poenit.* disp. 32. sect. 2. n. 4. repetit de homine, qui constitutus in proxima necessaria occasione peccandi, iterum iterumque relabitur: *Neque est illi* (inquit) *neganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat; maxime si aliquantulum se contineat et numerum peccatorum paulatim diminuat, ut notavit Navarrus* cap. 3. n. 21. INTERDUM *vero differri potest* (N. B. *potest,* non autem *debet*) *absolutio.*

Et Sanchez *in Decal.* lib. 2. cap. 32. n. 45.: *Si poenitens id non multum aegre ferat et speretur, non ob id retrahendum a confessione, sed potius id fore medicinam, erit* CONSILIUM *differre absolutionem, maiori suavitate possibili adhibita: si autem oppositum speretur, non erit consilium.*

Filliuccius l. c. q. 10. n. 320.: *Remedia sunt frequens confessio, eleemosyna... Si haec non prodessent,* UTILIS *esset dilatio absolutionis per aliquot dies.*

Gregorius Sayrus l. c. n. 8.: ALIQUANDO *tamen saluberrimum est* CONSILIUM, *ut recte notat Medina, Petrus de Aragon., Emman. Rodriguez et Ludovicus Lopez, non prius absolvere, quam* etc.

Palaus l. c. n. 6.: EX CONSILIO *poterit sacerdos absolutionem differre, si iudicat dilationen profuturam.*

Bonacina l. c. n. 7.: *Non videtur deneganda absolutio poenitenti, qui firmum habeat propositum abstinendi in futurum ab huiusmodi iuramentis... Addo... differri absolutionem posse, quoties confessarius iudicaverit, hoc expedire saluti poenitentis.*

Azorius l. c. q. 4.: *Etsi absolutio simpliciter deneganda non est, videtur tamen ad tempus differenda, ut operae aliquid interim in id conferat; nisi iusta alioquin causa subsit, qua statim a peccatis absolvi debeat.*

Reginaldus l. c. n. 87.: *Salubre* CONSILIUM *est absolutionem differre tali, ut sic inducatur a recidivo cavere, invigilando attentius.*

Card. de Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 166.: *Denique* ALIQUANDO UTILE *erit differre absolutionem per aliquot dies*, etc.

Card. Toletus lib. 3. cap. 18. n. 3.: *In his* UTILE CONSILIUM *est differri absolutionem, integra audita confessione, donec appareat emendatio aliqua.*

193. Et haec quidem praxis est, adversus quam tanto ardore dimicavit Ioan. Sancius (*Disput. Selectae* etc. disp. 9. a n. 11.), contendens, non quidem indiscriminatim absolvendos poenitentes, etiamsi de dispositione eorum dubitari possit, prouti quidam perperam ipsi affingunt, sed, generatim loquendo, inanem esse spem maioris fructus, qui ex dilata absolutione illius, qui est dispositus, exspectetur atque adeo consilium differendi huic poenitenti absolutionem communiter non esse salubre. Unde ulterius inferebat, quod cessante ista dilationis causa, praevalet ius poenitentis ad absolutionem, adeo ut cum sacerdos, adversariis fatentibus, immediate possit absolvere, eo ipso ad id non differendum teneatur. Verum haec non impugnant reipsa praemissum DD. principium; nam et hi ultro consentiunt unanimiter, non adhibendam esse eam medicinam, quando obfutura potius quam profutura videatur; utrum vero aliquando expediat ob fructum inde sperandum, quaestio est ad prudentiam pertinens. Veruntamen quandoque id prodesse posse, non videtur contra tot DD. sententiam esse negandum.

194. Paulo aliter hanc quaestionem expresse movit Lugo hisce verbis disp. 14. n. 167.: « An aliquando, cum Confessarius posset credere *probabiliter* poenitenti dicenti, se hîc et nunc habere dolorem et propositum, possit tamen, ad *melius probandum* et *confirmandum* illud propositum, differre absolutionem per aliquot dies ». Et postquam advertit (ibid. n. 168.) ex omnium sententia id licere ex consensu poenitentis, quia volenti non fit iniuria, subdit: « Difficultas ergo esse potest, an possit esse causa rationabilis aliquando ad differendam absolutionem absque consensu poenitentis, licet ipse aliunde credatur *probabiliter* esse nunc dispositus ».

In quibus adverte 1° agi de disposito *probabiliter* tantum; unde Lugo dilationis finem proponit, ut propositum *probetur melius,* scil. ut melius constet.

2° Alterum finem dilationis proponi, nempe ut propositum *confirmetur;* quod locum habet, etiamsi sincerum prorsus credatur, sed timeatur de eiusdem constantia et firmitate. Displicet porro, quod duos casus ita Lugo miscuerit, ubi oppugnandum sibi (ibid. n. 167.) assumit Io. Sancium, qui loquitur de poenitente *habente dispositionem requisitam doloris et propositi.* Cur enim miscet elementum alienum de dispositione *tantum probabili,* quae idcirco meliori probatione indigere videatur?

195. Croix lib. 6. part. 2. n. 1764. utroque pede viam hanc ingressus, una cum Lugo videtur loqui de dispositione *tantum probabili*, sed forte non est in hoc constans.

Singularia habet 1° quod dicat, Dianam habuisse uti improbabilem opinionem Ioan. Sancii: at hoc est falsum; Diana enim post relatam eius sententiam utique sic loquitur tom. 1. tr. 7. resol. 125. n. 5.: « Haec omnia desumpta sunt... ex... Sancio: adi illum et non pigebit; est enim vir acutissimi ingenii et hae... disputationes, quas nuper edidit, sunt immortalitate dignissimae. Utinam alios ingenii sui foetus in lucem emitteret! Sed an haec opinio sit tuta in praxi, remitto me iudicio aliorum ». Sed hoc (N. B.) non de dilatione absolutionis, sed de dissimulanda in confitendo consuetudine aut occasione proxima necessaria dicitur: nam de dilatione absolutionis nihil Diana iudicat sententiam Sancii.

Quoad differendam absolutionem Diana suam mentem aperit tom. 1. tr. 4. resol. 26. n. 2., ubi vel benignam Suarez doctrinam (scil. quod, aliis remediis frustra adhibitis, interdum utile sit differre absolutionem) deserens, sic loquitur: « Sed ego loquendo de rigore, affirmativae sententiae adhaereo, quam tuetur Sanchez in *Sum.* lib. 2. cap. 32. n. 45., et Palaus tract. 14. disp. 1. p. 9. n. 6. ubi ita asserit: Verum mihi probabilius est, quando nullam curam apposuisti ad emendam et admonitus fuisti saepe in aliis confessionibus, adhuc te posse in rigore statim absolvi, si vere doleas de praeteritis et de futuris emendationem proponas; quia ob peccata, quae non pendent ex occasione extrinseca, sed ex fragilitate peccatoris, non est differenda necessario absolutio poenitenti: quia eo ipso quod de peccatis dolet, removet omnem occasionem et periculum horum peccatorum, quod periculum situm erat in prava voluntate et affectu ».

Et rursus tom. 1. tr. 4. resol. 27. n. 2. probat haec, ex Fagundez transcripta: « Si autem ter vel quater admonitus fuit et aliquid curae

vel laboris in ea (prava consuetudine) evellenda posuit, statim etiam est absolvendus et non est ei differenda absolutio; quia ex parte sua aliquid contulit et si ei differatur, forte cadet animo et a confessione deterrebitur et labetur in peius. Si post admonitionem nihil curae apposuit: dico posse adhuc in rigore absolvi, si vere doleat de tali consuetudine ac in posterum firmiter emendationem proponat: quia nullam occasionem extrinsecam habet, propter quam necessario ei sit deneganda absolutio, sed ex fragilitate humana in hoc vitium, sicut et in alia, labitur ».

Ergo Croix falso eam opinionem seu Sancii censuram affingit Dianae.

Praeterea Croix addit rationem suae praxis, quam Lugo non tetigerat, nempe *incutiendi peccati horrorem*. « Ratio est, quia hoc potest esse utile poenitenti, tum ad *incutiendum maiorem horrorem peccati*, tum ad magis probandam firmandamque eius constantiam contra relapsus, tum ad concipiendum interim meliorem dolorem et solito firmius propositum, tum denique ad attinendum illum, ut mediis emendandi sibi suggestis diligentius utatur et hoc facit Confessarius, qua medicus ». Ita ille (ibid. n. 1764.).

196. Ioannes Cardenas *Crisis* part. 2. disp. 39. cap. 2. et 10. n. 6. acrius et idcirco etiam indiscretius doctrinam eandem statuit etiam quoad poenitentem, qui habeat *verum propositum emendationis cognitum a Confessario*. Ita ille n. 10.: « Dicendum ergo est, ei poenitenti habenti consuetudinem peccandi letaliter et *simul habenti dolorem de peccatis et verum propositum emendationis*, posse Confessarium differre absolutionem, dum videt id expedire ad eius emendationem et ad maiorem firmitatem propositi non peccandi de cetero; idque etiamsi poenitens renuat et sit invitus. Ita (addit falso) auctores supra citati (scil. ibid. n. 7. Suarez, Azor, Reginaldus, Villalobos, Sà, Delrius, Henriquez) et communis sententia theologorum ».

Sed et ulterius progreditur Roncaglia *de Poenit.* q. 6. cap. 4. q. 5. resp. 1. non modo asserens id posse Confessarium, sed imo debere. Sic ille: « Praeterea Confessarius, qua medicus, tenetur etiam futuros relapsus impedire, adeoque qua talis *debebit* differre absolutionem poenitenti etiam rite disposito, quando iudicet ita necessarium esse ad obtinendam emendationem ». Et allegat Cardenam sup. cit. Non aliter et forte durius Dominicus Viva in prop. 60. ex damnatis ab Innocentio XI. n. 8.: « Ex munere medici tenetur etiam, nedum potest, Confessarius absolutionem differre, quamvis prudenter iudicet, quod poenitens hîc et nunc vere doleat, si ipse existimet, facilitatem absolutionis antea collatae dedisse ansam relapsibus; ut proinde nulla appareat spes emendationis, si iterum statim absolvatur... Quare quando

Confessarius iudicat, dilationem absolutionis esse necessariam ad facilem relapsum impediendum, *tunc tenetur* illam differre; quando vero censet illam esse quidem utilem, sed non necessariam, tunc erit sanum consilium differre, prout in Domino iudicaverit ».

Cui addemus Concina, Iuvenin, Merbes apud s. Alph. n. 463. statuentes, « tale remedium esse ipsis necessarium, ut ipsi operibus suam conversionem comprobent »: quod quidem Iuvenin extendit ad eum, qui vel semel mortaliter peccaverit (ibid. apud s. Alph.).

197. S. Alphonsus fere Roncagliae et Vivae adhaeret, scribens lib. 3. n. 462.: « Certum est et commune apud omnes, quod possit Confessarius differre absolutionem poenitenti, etiam disposito et etiam sine eius consensu, semper ac prudenter iudicet, dilationem esse utilem eius emendationi ».

Et licet heic in thesi non dicat, Confessarium ad id teneri, subdit id tamen in reddenda thesis ratione, inquiens ibid.: « ratio, quia poenitens, quamvis habeat ius ad absolutionem ratione confessionis peractae, non tamen habet ius ut statim absolvatur; Confessarius enim, cui non solum iudicis, sed etiam medici competit munus, bene potest, imo *meo iudicio tenetur differre* absolutionem, quando iudicat, tale remedium esse *necessario utile* (!) saluti sui poenitentis ». Plures autem pro hac sua doctrina ibidem allegat.

198. Atqui falsum est, *communiter* a Doctoribus eam sententiam tradi eiusmodi limitibus circumscriptam. Nam

1° Doctores ut plurimum non de poenitente *absolute* disposito, sed de eo, quem Confessarius *probabiliter* iudicat dispositum, disserunt. Ita Card. de Lugo statum quaestionis exponens *de Poenit.* disp. 14. n. 167. sup. n. 194. Ita et Salmanticenses, a s. Alphonso allegati, *de Poenit.* cap. 5. n. 68.: « Tota iam controversia devolvitur, an absque poenitentis consensu, quamvis hîc et nunc *probabiliter* putetur dispositus, absolutionem differre liceat etc. ».

2° Quidam alii differri posse absolutionem concedunt non quando utcumque et quotiescumque videatur *mere utilis* dilatio, sed quando est quodammodo medium necessarium et extremum. Quod an multoties fiat, nunc non attinet disputare. Vid. supr. n. 159. et solum adverte, hoc remedium *aliquando utile* habitum fuisse, postquam alia media incassum prorsus, ut exigit vera recidivi notio, cecidissent.

3° Quidam alii vero id concedunt tantummodo, ubi de poenitente agatur, qui in proxima ac *necessaria* occasione versetur.

Ita Suarez, quem s. Alphonsus pro se allegat, *de Poenit.* disp. 32. sect. 2. n. 4.: « Oportet aliis mediis (scil. praeter fugam occasionis, quae non creditur possibilis) uti ad curandum hominem et probandum,

an eius propositum efficax sit: neque est illi deneganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat, *maxime* (ergo neque hoc necessarium est) si aliquantulum se contineat et numerum peccatorum *paulatim* (N. B. non prorsus statim) diminuat... Interdum vero differri potest absolutio, et maior aliqua poenitentia vel cautio adhiberi »: quae verba notanda veniunt pro iis, qui *statim* remedia *omnia,* media *quaelibet* adhibenda censent.

Ita et Salmanticenses cap. 5. n. 68., quos pariter allegat s. Alph.: nam n. 67. expresse dicunt, se loqui *de casu nuper posito*, scil. de eo, *qui non separatur ab occasione peccandi, quando occasio non potest relinqui* ibid. n. 75. Et quidem supponunt n. 68., fuisse adhibita alia remedia. Nec in alium scopum ipsi allegant n. 66. alios DD., quos proinde perperam pertraheres ad generalem thesim Vivae, Roncagliae et s. Alphonsi.

Idem dicito de Thoma Hurtado, qui disputationi, quam allegare solent, praefigit hunc titulum (*Resol*^{s}. *Moral*^{s}. part. 1. res. XXI. n. 204.): « An sit conveniens absolutionem differre exsistenti in occasione proxima ».

Conclude igitur, quod si DD. concesserunt, absolutionem posse aliquando differri, id ex eorum mente non est transferendum ad remedium commune et quotidianum: nec verum est, communem esse doctrinam, quae coloribus a Viva, Roncaglia etc. adhibitis exponitur.

199. Imo, quod mirum videri poterit, ipse s. Alphonsus dein se recipere videtur ad sententiam iisdem, ac notavimus penes veteres Doctores, finibus circumscriptam, ac proinde exaggeratas Roncagliae, Vivae etc. assertiones reiicere.

Etenim ad quaestionem, an saepe expediat eo remedio uti, negare scil. absolutionem poenitenti etiam disposito, primo quidem post allatas aliorum rigidorum opiniones, haec praemittit lib. 6. n. 463.: « Commune est apud Doctores, nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis creditur obfutura, quam profutura. Idem dicendum, cum ex dilatione absolutionis poenitens pateretur infamiae notam ».

Ad quae duo adverte: 1^{0} parum dici a s. Doctore, ubi dicit *non expedire, si obfutura sit* etc. Etenim si dilatio est obfutura, non solum non expedit, sed nullo pacto licet ac duo gravia peccata committeret Confessarius, scil. *iniustitiae* negando absolutionem contra strictum ius poenitentis et 2^{0} ruinae spiritualis prorsus Confessario tribuendae.

2^{0} Mirum, quod s. Doctor eos tantum casus excipiat et deinde alios casus omiserit, quando scil. dilatio forte cedat in grave aliquod incommodum poenitentis, ut si vel diu debeat carere sacramento, vel confiteri apud alios, vel longi itineris onus rursus subire, vel notam sin minus infamiae, saltem admirationis aut suspicionis etc. incurrere.

200. Sed praetermissis hisce aliisve eiusmodi casibus, in quibus causa aliqua vetat, ne absolutio differatur, s. Alphonsus dilationem demum reservat fere ad casum proximae occasionis.

Ita ille n. 463.: « Ut autem meum hic iudicium proferam, dico quod si poenitens relapsus sit ob causam seu fragilitatem intrinsecam, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae et similium, RARO puto differendam absolutionem recidivo sufficienter disposito. Et si videatur dilatio expedire, dicendum, absolutionem differri non debere plusquam ad octo vel decem dies... Si vero reinciderit ex occasione extrinseca, dico absolutionem esse differendam, usque dum tollatur occasio si est voluntaria; si vero necessaria, donec periculum reincidendi ex proximo fiat remotum... Dixi *raro* (pro priori casu); nam regulariter censeo non esse discedendum a *sententia communi*, nempe non esse differendam absolutionem poenitenti, qui relapsus est ex intrinseca fragilitate; quia in tali poenitente magis sperandum, profuturam fore gratiam sacramenti, quam dilationem absolutionis ».

Ita quidem s. Alphonsus, *ex communi*, ut fatetur, *sententia*. At 1° si communis sententia est, non differendam absolutionem relapsis ex intrinseca fragilitate, cur ipse exceptionem addit, sequendam scilicet hanc sententiam *regulariter?* Quo canone innixi eam aliquando, licet *raro* relinquemus? 2° Si ista est *communis sententia*, non differendam absolutionem relapsis ex intrinseca fragilitate, cur generalem ipse statuebat thesim, tanquam ex *communi sententia*, poenitenti disposito posse absolutionem differri? 3° Si *communis* est haec sententia, quo igitur recidunt tot ambages et inanes quaestiones, quae contra eandem sententiam fiunt. Nonne demum hoc est, quod de Doctoribus veteribus audire nolebant, nempe ex eorum sententia absolvi semper poenitentem posse, praeter casus vel occasionis deserendae vel famae aut substantiae restituendae etc.?

201. Maxime vero cessabunt terriculamenta, 1° si recidivi notionem non singularem illam adoptemus, quam sibi statuit s. Alphonsus, sed quam communiter tradi in scholis catholicis sup. vidimus.

2° Si falsa illa principia abiiciantur de dispositione poenitentis diiudicanda ex indiciis argumentisque, quae fallacissima sunt et rei naturae repugnantia, nempe ex lapsu praecedenti, ex praecedenti negligentia etc.

3° Si non negligatur sollemnis vetustiorum regula circa modum certiorem internoscendi poenitentium dispositiones.

4° Denique si huius dispositionis natura desumatur ex doctrina Concilii Tridentini et Catechismi Romani; in quibus mere attenditur, an *hic et nunc* poenitens vere doleat et voluntatem praesentem habeat vitandi peccata.

Sic profecto minus periculi aderit, ne Confessarius angustiis ac difficultatibus deterritus aut penitus a ministerio audiendi confessiones abhorreat ac refugiat, aut contra Christi verba: *Non indigent medico qui sani sunt, sed qui male habent*, saltem se exclusive dedens devotulis feminis, ab eorum qui in graviori sunt necessitate, utpote miseriores, confessionibus audiendis abhorreat.

Quod autem s. Alphonsus (qua de causa nescio) omisit, alia adest via, qua et prospiciatur necessitati poenitentis, qui ab aliis supponitur indigere dilatione absolutionis ceu remedio et simul non privetur gratia sacramenti.

Hanc proponit inter alios Ioannes de Dicastillo: primo quidem *de Poenit.* disp. 6. dub. 21. n. 374. cum Lugo concedit, iustam aliquando adesse causam posse, « ut etiam absque poenitentis consensu, licet is hic et nunc *probabiliter* putetur dispositus, absolutio differatur » et tamen concludit ibid. n. 275.: « Haec omnia, quae hucusque dixi, tantum eo tendunt, ut probem, posse esse causam *aliquando;* tamen quod hoc remedium ordinarie non expediat, nisi ad MELIUS instruendum et disponendum poenitentem, mihi facile persuadeo, propter ea, quae dicam etc. disp. 10. dub. 29. ubi ostendam, non facile hoc remedium esse adhibendum ».

202. Porro hoc loco disp. 10. dub. 29. casum proponit, in quo alioqui vidimus quosdam concessisse dilationem absolutionis, nempe habentis *proximam occasionem necessariam.*

Sic porro de hac re l. c. n. 573.: « Quid si aliis mediis tentatis adhuc misere reincidat? Hic profecto haerent non pauci et fateor me haesisse non raro. Quod enim dicunt aliqui differendam esse illis aliquoties absolutionem, donec aliqua appareat emendatio, id experientia compertum est, non raro nocere, nisi fiat *interim dum melius instruitur*... De cetero praecise dilatio raro prodest et saepe nocet... Sic enim multi Confessarium mutant, ut iam nova series remediorum incipiat et pro primis vicibus beneficium absolutionis accipiant; cum quo, si postea non succedat, mutant et pergunt ad alium redintegrando etiam ab initio causam et litem... Sed quidquid de hoc sit, quid faciendum, si, licet non adeat alium Confessarium nec confessionem per totum annum omittat, sed eundem iterum ac saepius consulat petatque absolvi, nulla tamen appareat emendatio? An iste sic est reiiciendus, an potius aliquando absolvendus? Sane si nunquam absolvatur per totum annum, ea non absolutio quid poterit prodesse, si alioquin ille capax est hic et nunc, quando accedit?

« Quod si capax est, quando accedit et *aliquoties* putetur pro medicina neganda absolutio, cur toties et non saepius? Aut cur si semper

est capax, non semper illi confertur, maxime si iam experimento notum sit, esse illi valde molestum *aliquoties* absolutione privari? Unde illud remedium non video, quid commodi possit nunc habere, imo potius incommodi, dum privatur gratia sacramenti et auxiliis, quae intuitu illius rite suscepti dari solent, alioquin non danda » n. 574.

« Propter haec et similia, raro (fateor) utendum iudico praedicto remedio negandae aut differendae absolutionis, durumque mihi semper videtur, poenitentem, *alioquin* capacem tantae gratiae, illa privare. Nec tantum aestimo prodesse illum sive metum sive molestiam negatae absolutionis, quantum auxilia gratiae et gratia ipsa absolutionis impensae, seclusa convenientia temporis accepti ad melius instruendum et disponendum, ut iam dixi n. 575.

« In hoc ergo negotio, quando iustae et rationabiles causae non tollendi praedictam occasionem subsistunt, etiamsi saepius reincidat poenitens, nec cogendus est illam tollere occasionem nec privandus absolutione, etiamsi saepissime recidivus; *quin potius hortandus, ut saepe veniat ad confessionem* aliaque media adhibenda, quae spectato personae statu et opportunitate... expedire videantur... » n. 576.

« Sicut ergo in peccatis, in quibus nec moraliter nec physice potest occasio penitus tolli, ut contingit in peccato mollitiei potius *Doctores et usus Confessariorum habet iniungere frequentiam confessionis apud eundem* Confessarium, quam venientem absolutione privare; sic in his peccatis, in quibus si non physica, saltem moralis impossibilitas avertendae occasionis reperitur, non videtur exigendum remedium separationis occasionis, nec remedium denegandae absolutionis, cum hoc Sacramentum Christus instituerit non solum ad delenda praeterita, sed ad praecavenda futura peccata. Negata vero absolutione, vel (quod idem est in praesenti) dilata, negatur Sacramentum atque adeo remedium a Christo institutum contra futura peccata. Quis autem unquam vidit, oportere privare aegrotum, alioquin capacem remedii, optimo et maximo remedio ad sanandum vulnus, ut vulnus sanetur? Itaque concludo vix oportere uti, quando poenitens est capax absolutionis huiusmodi remedio, nisi forte quando per breve tempus differatur absolutio, ut adhuc perfectius, SI ID SPERATUR, disponatur ad accipiendam illam ipsam illorum peccatorum absolutionem, quae tunc debebat conferri...; *raro enim* ex mera dilatione absolutionis potest sperari correctio. Et sane non video, cur melius sperandum sit de peccatore tantum attrito atque adeo non habente gratiam et amicitiam Dei..., quam de illo ipso iam constituto in amicitia Dei per collatam absolutionem. Quod si accesserit non iam attritus tantum, sed contritus; multo magis mihi videtur durum et absonum, amicum Dei et amantem eum super omnia,

non, iam propter peccata, praeterita, sed propter metum futurorum, beneficio Sacramenti et absolutione privare » n. 578.

203. Et haec quidem summatim ita transcribunt Salmanticenses ex Dicastillo, ut in eandem sententiam eos concedere plane appareat, utut non negent, aliquando differri absolutionem posse et solam opportunitatem negare videantur (vid. Salmantic. *de Poenit.* cap. 5. n. 68.).

Quocirca methodus differendi absolutionem in casu illuc spectabit, ut biduum aut triduum differatur, quo maiori cum diligentia, devotione ac fructu poenitens sacramenta tum Poenitentiae tum Eucharistiae accipiat, et interim bonis operibus piisque exercitiis det operam, ut vires spirituales augeantur: quanquam id servari interdum posset quoad sumendam Eucharistiam, ut praescripta interim exercitia peragat maiori cum efficacia et merito.

Quod si raro differenda videretur absolutio ob causas quas recentiores promunt, cur non potius utrumque poenitenti iniungis, nempe ut post octo dies utique sacramenta suscipiat, sed interim etiam nunc sumat?

Verum s. Alphonsus, nescio quomodo, efficacius putavit remedium absolutionem differre et viam terroris adhibere. Quocirca lib. 6. n. 464. hoc etiam monitum ponit: « *Semper* quidem proderit deterrere huiusmodi relapsos ex intrinseca fragilitate, negationem absolutionis minando ».

At enim nunquid non probabile est periculum, ne poenitens minis conterritus aut veritus absolutionis negationem seu graviores reprehensiones, *sacrilege* reticeat peccata? Nonne timendum, ne poenitens idcirco differat confessionem et interim pluribus culpis se coinquinet ac emendationis semitam, quam iniverat, deserat, vel certe rursus ab initio aggrediendam sibi paret? — Sed forte mores proprii regionis illius eiusmodi praxim requirere visi sunt s. Doctori. Nam rudes et maxime rudes sunt inibi rustici et agricolae et mente crassa potius phantasiae aestibus ducuntur. Quamquam et cum istis praedicta pericula sunt haud leviter extimescenda.

204. Si statim absolvis (inquiunt), poenitens postea non erit sollicitus de iis exsequendis, quae ad emendationem conferunt.

Resp. Non negandum, hoc periculum interdum subesse posse. At nonne idem continget post dilatam absolutionem et forte peius, quanto plus absolutio differtur? Imo nonne forte peius, quando poenitens experiatur onus impositum? Revoca huc quae diximus de non proponendis poenitenti gravioribus difficultatibus, cum agitur de proposito.

Insuper unicum adversus hoc periculum non est remedium dilatio absolutionis: iam enim diximus, iteratam confessionem suaderi posse.

Praeterea cum sincere rem agi supponamus, numquid non potest Confessarius de hoc ipso periculo poenitentem monere, eiusdem animum explorare ac ipsi etiam aperire, quale remedium adhibendum sibi foret, nisi ipse suppleat bona voluntate? Saepe sane sincera ac paterna caritas plus obtinebit hac methodo, quam dilatis absolutionibus. Summa haec est, ut Confessarius non ferri se sinat impatientia et iracundia, quasi qui ferula putet sibi coercendos ac reducendos esse protervos; sed induat Christum Dominum nec putet, efficaciam adesse solum in severitate, austeritate, reprehensionibus, minis, terroribus, sed noverit, maximam esse efficaciam in affectu, quo se sollicitum, amantissimum ostendat sincera caritate erga poenitentem ac salutem eius.

In omnibus hisce denique recolendum est, a Confessario exigi curam, non curationem. Et si ex inconstantia poenitentis caritas optatum finem non obtineat, graviora ex alia methodo exspectari posse incommoda, atque pericula ex caritatis ac patientiae benignitate semper minora esse, etiam quia liberum poenitenti accessum relinquunt, ut non aegre ad quaerendam medicinam redeat.

Ceterum prudentia et caeleste lumen, quod impense semper implorandum est, suggerent, quaenam via seligenda. Licet praestet semper rationem Deo de nimia caritate, quam de austeritate reddere. Ita exempla Christi Domini et Sanctorum suadent (a).

(a) Digna est in hanc rem quae legatur Instructio a s. C. P. F. data sacerdotibus Annamitis in Tongkino occidentali sacramenta administrantibus, anno 1756. Cuius praecipua recitabimus.

1° « Multi profecto dantur casus, in quibus denegatio et dilatio absolutionis medicamen est opportunum et subinde necessarium. *Videat,* inquit s. Carolus Borromaeus in Instruct. Poenit., *Confessarius, ne quem absolvat, qui vel odium inimicitiamque deponere nolit vel restituere pro facultate recuset alienum vel a statu peccati mortalis paratus non sit discedere occasionemve similis peccati vitare* (vides omnes casus esse, in quibus deest debita dispositio). Hinc Apostolica Sedes adversus mollem et praeposteram nonnullorum casuistarum in concedenda absolutione facilitatem (molles vocantur scilicet, qui absolvunt eos, quos vident carere voluntate relinquendi peccatum) miro zelo semper insurrexit, ut ex propp. ab Alexandro VII. et Innocentio XI. aliisque Romanis Pontificibus iure meritoque damnatis, cuique legenti exploratum est... ».

2° « Verum praemissis casibus exceptis, promiscua et passim adhibita cuiusque peccati mortalis retentio, causa concipiendi maiorem adversus crimina horrorem et acquirendi meliorem dispositionem ad beneficium absolutionis obtinendum, non est profecto medicina nec castigatio congrua unquam, invitis poenitentibus, adhibita ab Ecclesia, sed a solis rigidis et imprudentibus Confessariis contra omne fas usurpata et a tribus Romanis Pontificibus proscripta ». Citantur heic propos. 5. Petri Oxomensis damnata a Sixto IV. proposs. 16. et 17. damnatae ab Alexandro VIII. proposs. 87. 88. Quesnelli damnatae a Clemente XI. Subdit: « Profecto praxis ista severa plurimam animis affert perniciem... aeternae damnationis periculo manent expositi... nam qua hora non putamus, Filius hominis veniet ».

3° « Dilata his absolutione, manent illi Dei hostes, incapaces omnis meriti et satisfactionis; eorum enim opera, iuxta s. Thomam in 4. dist. 15., cum sine caritate fiant, non sunt satisfactoria ».

4° Missionarii igitur non sequantur praeposteros Ecclesiae reformatores. Adhaereant potius Conc. Trid. sess. 6. c. 14. *de lapsis et eorum reparatione,* ubi habemus absolutionem

Dub. III.

Qualis confessio requiratur.

Articulus I.

An debeat esse integra materialiter.

XXVI. Respond. Ad confessionem per se et ordinarie requiritur integritas materialis sita in eo, ut postquam diligentius et excusseris et conscientiae tuae sinus et latebras (ita loquitur Trid. sess. 14. c. 5.) exploraveris, confitearis omnia mortalia memoriae occurrentia, nondum confessa, eorumque numerum et circumstantias, quae speciem mutant: patet ex Trid. l. c. et est certum. Ratio est, quia alias nec iudicium sacramentale recte administrari nec aequitas in poenis statuendis servari potest.

Dicitur 1. *Per se et ordinarie;* quia per accidens et extraordinarie sufficit integritas formalis. v. dub. seq.

Dicitur 2. *Numerum*, intellige certum, qui si non constet, dic probabilem, addendo plus minus. Quod si deinde deprehendas te errasse, non teneris iterum confiteri, nisi notabiliter fuerit maior. Fagun. Sanch. Hurt. contra Regin. Fill. et Sà, qui dicunt, verba illa *plus minus,* tantum extendi ad unum vel duo supra numerum indicatum. Sed quamvis hoc sit verum in numero parvo et denario v. gr.: non tamen in aliis v. gr. centenario, millenario etc.; quia verba illa non habent sensum absolutum, sed respectivum ad numerum, cui adduntur, qui quanto fuerit maior, tanto etiam maior verbis illis intelligetur, dummodo tamen sit parvus respectu alterius, cui adiungitur, quod prudentis arbitrio aestimandum est. Ita Dian. p. 3. t. 3. R. 194. ex Navar. etc. Item Card. de Lugo d. 16. d. 94. Quod si autem nec probabilis haberi potest, dicenda est consuetudo peccandi, tempus et frequentia in die, septimana, mense vel anno. V. Fill. t. 7. c. 4. Dian. p. 3. t. 4. r. 94. Gasp. Hurt. d. 9. diff. 5. Lugo d. 16. n. 79.

Dicitur 3. *Quae speciem mutant* quia etsi probabile sit, quod docent Suar. Con. et alii, etiam eas, quae notabiliter in eadem specie aggravant (hoc est, quae iuxta cuiusque conscientiam excedunt ordinarium peccandi modum) esse explicandas, ob rationem allatam in responsione: contraria tamen sententia, quam ex d. Thom. Sylvest. Navar. docent Vasq. Regin. Bonac. Lugo d. 16. s. 3. etiam probabilis est et tuta, saltem si excipias

---

praeviam satisfactioni... Haec autem praxis prudens et benigna... est antiquissimus Ecclesiae usus, Scripturae et Patrum auctoritate comprobatus... Praxis ista prudens et benigna, absolvendi statim peccatores attritos vel contritos, viget in tota Ecclesia ».

5° « Modus igitur plenus sapientia et caritate est, animas peccatrices citissime ex peccati statu, iuxta praxim universalis Ecclesiae, in Christi Evangelio fundatam, erigere, ut cito accipiant stolam primam ».

Cum hac Instructione est alia iungenda, data ab eadem Congr. anno 1827. ad Vicarium Apost. Cocincinae. « S. Congr. approbare non potuit nimiam facilitatem in administratione Sacram. Poenit., quae de Confessariis Vicariatus tui narratur, qui dicuntur, nulla facta inter poenitentes distinctione, omnes, etiam recidivos et in habituali consuetudine peccati superstitionis morantes, indiscriminatim absolvunt. Profecto, cum ex ipsa institutione Sacr. Poenit. constet, aliis esse peccata remittenda, aliis retinenda Ioan. XX. 23; manifestum est, hanc consuetudinem tuorum Confessariorum opponi ipsi institutioni Sacramenti Poenitentiae; neque enim supponi potest, in omnibus poenitentibus Vicariatus tui dispositiones adesse, quae necessariae cognoscantur ».

« Doceantur igitur Confessarii tui... et absolutionem denegent iis, qui vel *nulla* vel *fictae* tantum poenitentiae indicia praebent: illis vero differant, quorum poenitentia (h. e. animi dolor) *incerta et suspecta* merito habetur. Ita docent cordatiores Theologi etc. — E.

1. gradus consanguinitatis in incestu, 2. quantitatem furti, iniuriae etc. quae egent satisfactione, 3. quando uno actu plures sunt occisi vel infamati vel apud plures, 4. odium diuturnum; quia tunc solent plures actus fieri (vid. Regin. loc. cit.) 5. peccatum inter confessarium et poenitentem (vid. Fill. *de imped. matr.* c. 5. q. 5.), 6. si circumstantia invehat censuram vel reservationem, vel ad necessariam poenitentis directionem a Confessario prudenter interrogetur.

205. * Integritas alia est *materialis*, alia *formalis*. Materialis sita est in accusatione omnium peccatorum mortalium nondum per absolutionem remissorum. Formalis sita est in accusatione ea peccatorum, quae, spectatis adiunctis, hîc et nunc fieri potest et debet.

Cum nulla causa est excusans a plena peccatorum confessione, integritas formalis coincidit cum materiali: si adest causa excusans, differet integritas materialis a formali et illa non requiritur. Integritas autem formalis semper postulatur.

Porro seposita causa excusante (cuius generis est etiam oblivio), de qua causa postea; integritas materialis quoad peccata mortalia necessaria est nec secus erit *formaliter* confessio sufficiens.

Cum dicimus, necessariam esse integram peccatorum mortalium nondum remissorum confessionem, dicimus, tum oportere haec omnia peccata confiteri, tum ea omnia oportere confiteri simul, ut haec scilicet confessio, quam nunc facis, complectatur omnia mortalia, nondum absolutione remissa. Ratio prioris est, quia divino certe praecepto imposita est necessitas subiiciendi omnia mortalia clavibus, ut eorum remissio obtineatur (cf. Theologos dogmaticos): ratio secundi est, quia uno peccato non remisso nequeunt alia remitti; cum remissio fiat per gratiae infusionem, quae nullum secum grave patitur peccatum.

Haec autem ratio valet pro iis peccatis mortalibus, quae nec directe nec indirecte remissa sunt: quid vero, si peccatum mortale fuerit in praecedente confessione indirecte remissum; quia, puta, omissum ex oblivione? Non est utique opus, illud quam primum confiteri; cum nulla lex id iubeat et status gratiae habeatur: oportet vero illud in proxima confessione, quae fiat vel sponte vel ex obligatione, manifestare; quia lex praecipiens integritatem confessionis, comprehendit, iuxta constantem in Ecclesia interpretationem legis, omnia peccata nondum per absolutionem iudicialiter remissa: nam ipsa confessio praecipitur, ut haec absolutio obtineatur. Atque hic est etiam sensus in damnatione propos. 11. Ab Alexandro VII: intentus: *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Haec profecto demonstrant necesse esse, ut peccata habenti potestatem clavium manifestentur: quod vero manifestatio per ipsam poenitentis confessionem facienda sit, demonstratur tum ex constanti sensu

et praxi Ecclesiae, tum ex ipsa materia manifestanda, quae sunt omnia peccata, quatenus a voluntate procedunt et quaelibet occultissima, soli delinquenti nota: tum ex speciali forma iudicii, quae secretum postulat.

Atque haec statuentes, quae omnes Theologi docent, praescindimus a quaestione, utrum confessio poenitentis postuletur ab ipsa essentia sacramenti: quae quaestio infra a n. 240. deinceps tractabitur *.

206. A. docet, non teneri te numerum peccatorum, quem dubitans intra certos limites *plus minus* confessus es, si deinceps certum numerum recorderis, verum confiteri, nisi hic numerus sit notabiliter maior iam dicto. Ratio huc redit; quia quando excessus non est notabilis, nempe est parvus, hic certus numerus in illo, quem confessus es, comprehendebatur et idcirco non mutatur iudicium Confessarii.

Haec est doctrina fere communis omnium, ait Lugo disp. 16. nn. 78. 81. Sic habet communis praxis fidelium, ait s. Alph. n. 478.

Quaerens Lugo l. c. ad quid se extendant illa verba *plus minusve*, quae addi solent, ait n. 94. sibi placere explicationem Ulpiani l. 192. Dig. *de Verbor. signif.*, ut modicum dumtaxat significent. Debet autem, subdit, in hoc iudicio formando servari haec regula, ut quo maior est numerus, qui nominatur, maior etiam numerus possit intelligi verbis illis *plus minus*. Non tamen acccipiendum hoc est, proportione, ut aiunt, arithmetica, sed geometrica.

Exempla dein subdit: « si dicas: peccavi ter plus minus, verum erit, si bis aut quater peccasti: si dicas peccavi centies plus minus, non erit verum, si centum triginta vicibus peccasti; quia triginta neque in se neque respective ad centum, sunt aliquid parvum. E contra vero si dicas: peccavi millies plus minus; verum erit, licet mille et quinquaginta vicibus peccaveris etc.

207. Ut quae certa sunt, heic addamus: s. Alph. n. 478. in fine affirmat, *probabilissime* et *communissime* dici, quod si quis confessus peccatum, quod nec ipse nec Confessarius sciebat esse mortale, postea cognoscat mortale esse ex genere suo, non tenetur rursus illud confiteri. Ratio est, quia Confessarius intendit absolvere quantum potuit et iam poenitens fecit satis suae obligationi exponens peccatum ut tunc erat in conscientia et nunc quoque est; in praesenti enim nihil novi occurrit nisi scientia de eius gravitate, quae speciem illius peccati non mutat.

S. Alphonsus n. 466. notat ex Sporer id, quod et alii DD. advertunt, Confessarium non nimis anxium esse debere in numero exquirendo quoad consuetudinarios, quia saepe nosse talem numerum certum impossibile est. Nec fidendum, cum poenitens ad importunas morosi Confessarii interrogationes respondet divinando: *Centies*, *millies* etc.

Melius igitur Confessarius noscet statum poenitentis, si inquirat, quot plus minus fuerint lapsus in die, hebdomada, mense etc. Satisque ei sit, quod sic rem in confuso noscat, nec putet iudicium certum faciendum quoad numerum; quod fallax erit.

Quod attinet ad species et numerum peccatorum, cf. dicta in tr. *de Peccatis* Vol. I. a n. 610. deinceps.

208. Quod spectat ad circumstantias notabiliter aggravantes, dissident Doctores. Quod non sint explicandae circumstantiae, quae non mutant speciem, sed solum aggravant intra eandem speciem, etiam fatente s. Alphonso n. 468. *communior est sententia et probabilior* ac pro se manifesto habet praeter alios s. Thomam, s. Bonaventuram, s. Antoninum etc. eamque probabilem fatentur quoque, qui aliam tenent.

S. Alph. recitat textum s. Thomae ex comm. in 4. *Sentent.:* addi potest hic alius textus ex opusc. 7. (al. 12.) q. 6.: « Sexta quaestio, ait, est, an circumstantias peccati trahentes in alterum genus, non notabiliter aggravantes, teneatur homo confiteri, etiam innotescendo personam, cum qua peccaverit. Ad hoc respondendum videtur, quod omnino debet has homo confiteri; non enim homo confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quae cognosci non potest nisi per circumstantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum specificatur. Circumstantias vero aggravantes, quae in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut nec peccata venialia; licet sit laudabile, quod homo eas confiteatur... Sic igitur huiusmodi circumstantias aggravantes, quae non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod aliquis teneatur confiteri... Quod autem dixi, circumstantias aggravantes, quae non trahunt in aliud genus peccati, non esse de necessitate confitendas, non est referendum ad numerum, quem aliquis confiteri tenetur, si potest; quia iam non est unum peccatum, sed multa ».

Probationibus non insisto, quas videre licet apud s. Alph. l. c., ubi etiam adversus Concina ostendit, s. Thomam non posse in aliam sententiam pertrahi. Cf. et Lugo disp. 16. sect. 3.

Et praescindendo ab aliis rationibus, haec certe sufficeret, quod patroni oppositae sententiae fateantur, legem confitendi eiusmodi circumstantias certam non haberi, ut saltem probabilis sit opposita sententia. Atqui ubi lex certa non est, nemo debet obligari. Ergo utcumque res spectetur, haec obligatio non adest. Quam consequentiam heic admittit etiam rigidus Cabassutius (apud s. Alph. l. c.).

209. Ceterum si oporteat identidem cognosci a Confessario tales circumstantias, is ius habet interrogandi et poenitens respondere debet (prop. 58. damnata ab Innocentio XI.). Idcirco ex ipsa Christi insti-

tutione aliqua sunt, quae ex se ipso poenitens confiteri debet, alia, quae interrogatus iure a Confessario. Et sic fit satis ordini iudiciali. Dixi: *iure interrogatus;* quia si nulla est ratio seu necessitas sciscitandi, nequit imponi poenitenti obligatio respondendi.

Afferunt quidam Catechism. Roman. *de Poenit.* n. 47. aientem: « Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quae unumquodque peccatum circumstant *et pravitatem valde augent vel minuunt* ». Sed 1° cathechismus addit: Quaedam enim circumstantiae adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio EX ILLIS TANTUM constet: quare haec omnia confiteri semper oportet ». Atqui ratio culpae letalis *ex circumstantia tantum* non habetur, nisi haec speciem mutet aut moralem aut theologicam. 2° Id patet ex eo, quod iubeat fatendas circumstantias *valde minuentes*, quod et adversari concedunt valere solum, quando immunitio mutat speciem theologicam: vid. s. Alph. n. 468. ad prob. 3. ex ratione. 3° Quia ita probant exempla a catechismo adducta de persona sacra, coniugata. 4° Si de furti gravitate loquitur, non potest probari, ibi non agi de circumstantia mutante speciem *theologicam.* Neque dicas exemplum afferri etiam furti diversarum quantitatum. Nam quod dicit de *uno aureo*, potest recipi ut exemplum circumstantiae, quae *levem* facit culpam atque adeo speciem diversam theologicam affert.

210. *De circumstantia consanguinitatis.* Auctor agit de solo *gradu.* Sed sciendum est disputatum fuisse 1° an exprimenda esset etiam qualitas incestus, num scilicet proveniat ex *affinitate* an ex *consanguinitate.* Qua in re communiter DD. censuere ex diversa qualitate non oriri diversam speciem (s. Alph. n. 469.) et ideo non necessario exprimendam: licet quidam exceperint incestum vel privigni cum noverca, vel soceri cum nuru: vid. s. Alph. n. 469. Quod tamen non excedit limites merae opinionis. Et ratio petitur non ex *qualitate* sed ex necessitate exprimendi *primum gradum in linea recta;* nam alioquin extra primum gradum ut habet s. Alph. l. c., communis est DD. sententia, alios affinitatis gradus specie non differre (cfr. tr. VI. sect. VI. n. 94.). 2° An in *gradu* habeatur diversa species pro diverso gradu, vel saltem an specie differat incestus *in primo gradu* ab aliis, et in ipso primo gradu an differat incestus in linea transversa, sc. cum sorore, ab incestu in linea recta, seu ascendente, disputatur et s. Alph. n. 470. refert sententias, quae vel omnes gradus specie distingui affirmant, vel solum primum gradum tum in recta tum in transversa linea, vel solum primum gradum in linea recta specie ab aliis differre.

S. Doctor statuit n. 470. esse *tenendum omnino* contra Tamburinum, incestum in primo gradu lineae tum rectae tum transversae differre

specie: id tamen non impedit, quominus sincere dicamus, hanc doctrinam non excedere fines probabilitatis et probabilem itidem esse sententiam, quae negat in his ullam speciei adesse diversitatem, atque adeo satis esse in confessione dicere; commisi semel vel bis etc. incestum. Qua de re videndus Diana tom. I. tract. 7. resp. 107. ubi prolixum exhibet catalogum DD., qui hoc tradiderunt ac satis esse potest meminisse haec verba Suarez *de Poenit.* disp. 22. sect. 3. n. 12.: « De gradibus consanguinitatis, quatenus sunt circumstantiae incestus.... *probabilius* est non mutare speciem peccati, ut late Caietanus, Soto, Cano etc. » et pro eadem sententia Diana refert et s. Thomam l. c.

Atque hinc rursus deduci potest, non esse certum, per eas circumstantias induci species diversas et eo ipso non adesse obligationem illas circumstantias explicandi, sive quoad qualitatem sive quoad gradum.

Et quoad praxim, cum haec sententia sit tuta et aliunde agatur de re gravissima et in qua graves sunt difficultates, tum quia pudor difficilem reddit confessionem, tum quia intercedit periculum revelandi *complicem;* idcirco nisi poenitens praeveniat aperte dicendo (ut fit saepe) gradum incestus, sed tantum dicat se peccasse cum persona *coniuncta*, Confessarius, nedum interroget, optime occurret dicens, satis esse et solum quaerens de numero et disserte monens, nihil ultra necessario explicandum, ne forte poenitens maneat cum scrupulo ac *mala fide.* Quod monitum servandum et in reliquis peccatis, in quibus pudor difficilem reddit confessionem, scil. in materia luxuriae.

211. Quoad *furti quantitatem* etiam quidam ex illis, qui negant exprimendas circumstantias aggravantes, exceptionem faciunt, propter duplicem causam: 1° ut Confessarius congruam poenitentiam imponat, 2° ut decernere quoad restitutionem possit.

Verum ex s. Thoma, ut Confessarius sufficienter iudicium ferre possit, non est opus nisi ut cognoscat speciem. Ita ille in 4. disp. 16. q. 3. art. 2. q. 5. ad 2.: « Dicendum, quod determinata quantitas peccati non potest sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit; unde sufficit, quod cognoscat quantitatem, quae ex specie peccati consurgit ».

Quoad poenitentiam vero congrue imponendam bene observat in hanc rem Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 120., quod « nec haec ratio procedit in his circumstantiis... Ratio, quia non semper requiritur tam exacta aequalitas in poenitentia imponenda ». Cf. allata ex eodem inferius n. seq.

Et quoad quantitatem furti disserta sunt verba s. Antonini part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 7.: « Tertiae sunt (circumstantiae) quae important disconvenientiam ex suppositione, uti *furari multum* et istas, quia pec-

catum aggravant, confiteri est perfectum...; sed quia non mutant speciem nec aggravant in infinitum, non est necessarium eas confiteri secundum Thomam. Sed Petrus (De Palude) dicit, quod quamvis *ista sit communis opinio*, tamen alia est tutior, scil. quod confiteatur eas, quum notabiliter aggravant, puta ut furari centum florenos multo gravius est, quam furari unum ». Hoc autem est exemplum potius mutationis quoad speciem theologicam.

N. B. Ballerini FF. in notis ad h. l. volunt, s. Antoninum aliter docere et allegant part. 3. tit. 17. cap. 17. §. 4., ubi s. Antoninus ex cap. *Omnis utriusque sexus* dicit interrogandum poenitentem de circumstantiis, *quae aggravant vel minuunt*. Sed ne sibi contrarius inducatur, accipienda eo sensu haec sunt, quo vera penes ipsum sunt, sc. cum aggravant in infinitum, vel vice versa, sicut et textus allatus ex iure Can. communiter intelligitur. Et quod dicit, explicandas circumstantias quoque, *quae minuunt*, id aperte indicat, agi de mutatione speciei saltem *theologicae*.

Subdit s. Alph. n. 468., revelandam « quantitatem furti, quando Confessarius interrogat, ut sciat, quomodo se gerere debeat circa absolutionem impertiendam et imponendam obligationem restitutionis et ideo ut *plurimum* exprimendam ».

Verum haec ad summum erunt per accidens. Nam mitto, quod quantitas per se nihil habet commune cum absolutione impertienda: ex schola scil. semiianseniana est, quod ex gravitate peccati decernendum sit, an differenda absolutio. Quod autem dicitur de obligatione restituendi, cum supponimus materiam gravem, obligatio semper adest; ad summum Confessario utile esse posset, ut consilio iuvet, si restitutio nondum facta sit nec in praesens fieri possit. Quamquam si poenitens diceret, omnia se composuisse, ut muneri suo satisfaciat paratumque esse restituere et poenitentiam quamlibet subire, nihil ulterius inquirendum esse videtur.

Et heic addam, interrogationes non necessarias etiam hac in re omittendas; quia inutiliter gravatur poenitens ac pudore suffunditur.

212. Certum est autem, haud nimis esse urgendam illam rationem aequae poenitentiae imponendae; si enim aequitas ista ad amussim exigitur, consequens erit, oportere confiteri tum circumstantias minuentes gravitatem peccati, ut si quis ex metu peccavit, si vehementer ab alio sollicitatus, tum tempus, quo duravit puta odium aut mala voluntas, tum quantitatem detractionis et similium peccatorum: haec autem nemo exigit (Lugo l. c.). Contenti ergo simus limitibus, quos Trid. Syn. statuit, ut numerus et species peccatorum mortalium ideoque et circumstantiae mutantes speciem a poenitente declarentur:

quod si identidem oporteat et circumstantias mere aggravantes nosse, satis est esse penes Confessarium ius interrogandi de his poenitentem: de quo iure sermo occurret, ubi de officio Confessarii.

E re erit praeterea meminisse doctrinae, quam tradit Lugo l. c. n. 134. et sequitur Tamburini *Method. Confess.* l. 2. c. 1. §. 9. n. 28., de qua iam in Tr. *de Peccatis* Vol. I. 631. locuti sumus. Nimirum aliud est, esse in uno actu plures malitias specie diversas, aliud plures malitias solo numero distinctas.

Porro ex Trid. Syn. constat quidem declarandas esse malitias specie diversas unius numero peccati: at non constat declarandas esse omnes malitias numero tantum distinctas in uno peccato, ut cum quis furto laesit iura plurium vel uno actu omnes Sanctos blasphemavit. Nam, etsi malitiae hae distincte non significentur, declarari potest sufficienter species peccati, quod Trid. Syn. requirit.

Quod n. 3. dicit A. de pluribus uno actu occisis, vel infamatis etc. pertinet ad Tract. *de Peccatis,* Vol. I. n. 629. seqq.

213. Quod dicitur *de peccato inter Confessarium et poenitentem*, non ideo statuit A., quasi mutet speciem peccati; neque enim nova heic species additur ratione alicuius cognationis spiritualis, quae nulla reipsa est: cf. s. Alph. lib. 3. n. 451. Filliuccius tamen, heic allegatus ab A., advertit, exprimendam hanc circumstantiam (si actu sit filia eius spiritualis et non fuerit solum in antecessum); quia speciali lege hoc crimen ab Ecclesia prohibetur et punitur in iure Canonico: vid. Filliuc. tract. 10. part. 2. cap. 5. n. 187. Verum hoc in casu (scilicet nisi ignorantia huius legis excuset Confessarium) videretur dicendum, novam accedere speciem; quia prohibitio procedit ex alia ratione, ac sit mera luxuriae turpitudo et consideratur turpitudo specialis peccati cum filia spirituali.

Ita et Lugo disp. 16. a n. 355. specialem malitiam accedere posse putat 1° ex irreverentia sacramenti, ex detrimento contra sacramentum ob aversionem in aliis adversus Confessarios et confessionem: 2° ratione scandali in eo, qui specialem habet obligationem procurandi bonum; sed hoc pertinet solum ad *pastorem*, non vero generatim ad Confessarios: 3° Si agatur de humana prohibitione, nulla nova species est nec obligatio fatendi; quia textus a Filliuccio allati probarent forte cognationem: sed haec sublata deinde sunt. Lugo n. 359.

Ceterum patet has rationes, si quid valent, valere pro Confessario, non vero pro filia spirituali.

Porro si Confessarius abutatur sacramento confessionis, adest species alia, scilicet sacrilegii in abusu Sacramenti: quod idem dicendum proportionate, si praetextu muneris sui et curae, quam habet, eam invisat et peccet.

Hisce sepositis restat solum quaestio, an sit spiritualis incestus et id negandum est. Cf. Tr. VI. sect. 6. n. 98.

Nota heic s. Alph. lib. 3. n. 45. enumerare Filliuccium inter Doctores, qui dicunt, non esse incestum et ideo non esse hanc circumstantiam in confessione exprimendam. Et utique Filliuccius tract. 30. n. 105. negat esse incestum; sed non dicit, non exprimendam circumstantiam in confessione atque alibi aliter docet, ut ex dictis apparet.

214. Sexto loco excipit A. circumstantiam, quae inducat censuram vel reservationem; quae idcirco dum a poenitente cognoscitur, manifestanda est, etsi Confessarius non sciscitetur: ut hic sciat, an absolvere possit et si a censura absolutio danda est, rite detur h. e. ante absolutionem a peccatis. Si ergo ex. gr. furtum in certa quantitate vel nocturnum, si fornicatio cum virgine, cum poenitente et huiusmodi reservata sint, hae circumstantiae prodendae erunt. Sic si percussio clerici fuerit ita gravis, ut Pontifici reservetur etc.

Unde resolves.

XXVII. 1. Ad integritatem confessionis praerequiritur diligens examen, pro capacitate poenitentis, temporis mora et ceteris circumstantiis. Ad id autem sufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, qualem moraliter loquendo docti et timorati adhibere solent, etiamsi quis putet, maiore diligentia plura se reperturum. Bon. t. 1. d. 5. q. 5. Laym. l. 5. t. 6. c. 8. Post mediocrem autem istam diligentiam non tenetur de anteacta vita ulterius cogitare et si quid occurrat, quod videatur non esse in confessione explicatum, potest sibi persuadere, cum ceteris id memoratum fuisse. Dian. p. 3. t. 4. r. 107. ex Sanchez *. Animadverte tamen proposit. 11. inter proscriptas ab Alex. VII.

215. Trid. Syn. sess. 14. c. 5. ait, recensenda esse a poenitentibus in confessione peccata, quorum, *post diligentem sui discussionem*, conscientiam habent. Diligens ergo examen requiritur: quae vero diligentia exigitur? ea, puto, cuius omissio in iure culpam latam constituit (tr. VIII. vol. III. 338.). Huc faciunt, quae ex communi doctrina habet Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 590.: « Certum est, poenitentem ipsum non obligari ad exactissimum examen suorum peccatorum, sed ad *humanum* h. e. tale, quo sacramentum istud non reddatur nimis grave et onerosum... Unde non est bona regula, si dicas... si hic homo cogitaret adhuc alia hora de suis peccatis, recordaretur alicuius peccati, cuius non recordatur vel posset melius computare numerum peccatorum: ergo tenetur cogitare alia adhuc hora. Ratio autem est eadem; quia scilicet non est attendendum solum ad exactam et integram confessionem peccatorum, sed etiam maxime attendendum ad conditionem humanam et ne ex eo capite sacramentum reddatur grave et

odiosum nec detur causa imprudentibus et ignaris haereticis vocandi illud conscientiae carnificinam ».

Humana diligentia, ratione habita circumstantiarum, maior aut minor esse potest et debet. Conditio enim poenitentis spectanda est, an rudis ex. gr. sit, an reflexioni assuetus, tum temporis habenda ratio, ad quod se porrigit examen atque praesertim consuetudinis peccandi etc. Porro *mediocris* diligentia, de qua loquitur A., ea est, quae medium tenet inter excessum (exactissimum examen dixit Lugo) et defectum, cum nempe nec pertingit ad eum diligentiae gradum, quam viri prudentes in negotiis alicuius gravis momenti adhibere solent. Auctor exemplo proponens diligentiam viri prudentis in negotiis *arduis* plus dicit, quam velit significare; tunc enim non mediocris sed maxima diligentia adhibetur et exactissimum examen instituitur.

216. Hinc regulae quaedam idoneae, quas tradit Gury Vol. 2. §. 508.

1° In defectu examinis dari potest parvitas materiae, etiamsi exinde grave peccatum omittatur, ex. gr. ob aliquam inadvertentiam et tunc confessio certe valida erit.

2° Qui certus est moraliter, se peccata mortalia non commisisse ab ultima confessione, non tenetur ad rigorosum examen ante confessionem, nisi quantum opus est, ut materia sufficiens sacramento subministretur.

3° Mediocris omnino examinis diligentia requiritur in viris timoratis; quia conscientia non sileret, si quid graviter culpabile intus lateret. A scrupulosis autem inquisitio (investigatio scilicet eorum, quae ipsis statim non occurrunt) est omittenda et aliquando ipsis interdicenda omnino; quia inutilis et nociva.

Cf. dicenda c. 2. dub. 5., ubi de obligatione Confessarii interrogandi poenitentem.

Adnotator patavinus provocat heic ad propositionem 11^{m} damnatam ab Alexandro VII. « Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere ». De qua Prop. inquit Viva n. 1.: « Vix aut ne vix quidem reperies aliquem ex AA., qui calamo in hanc propositionem iverit ».

Ceterum haec toto caelo differt a doctrina A. Nam in damnata prop. supponitur notitia peccati omissi, omissi scil. aut scienter aut cum scientia nullius examinis praemissi. A. vero solum dicit, supponendum, iam Confessario explicatum peccatum: quod quidem prudenter praesumitur, quando de opposito nulla gravis ratio suadet.

XXVIII. 2. Examen hoc a Confessario potest suppleri, quod tamen Suarez reprobat in confessionibus longis diligentiorum; eo quod impossibile fere sit, ut quis repente rogatus omnia recordetur et tantum admittit in rudibus: quos etiam monet Sà *verb. Confessio*, bona fide confessos non nimis rogandos de confessionibus praeteritis, nisi intelligatur aliquid necessarium defuisse. Vide Fagund. Dian. p. 3. t. 4. r. 89.

217. S. Alph. n. 471. ubi A. agit de rudibus, interserit haec: « Adverte id, quod habetur, circa hoc in Catechismo romano *de Poenit.* n. 50. Si sacerdos huiusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant ac deinde revertantur. Quod si forte affirmaverint, se in eam rem omne studium contulisse; quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audiendi erunt, praesertim si emendandae vitae studium aliquod praeseferant adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore accurata meditatione compensaturos promittant ».

Sed haec non satis explicant mentem Catechismi nec rem de qua agitur nec rationem dictorum. Nimirum ista alia ibi praecedunt. « Alii sunt qui, vel quod raro peccata sua confiteri solent vel quod nullam curam et cogitationem in investigandis suis sceleribus posuerunt, nec commissa confessione expedire nec unde eius officii initium ducendum sit, satis sciunt. Quos certe acrius obiurgare opus est atque in primis docere, priusquam sacerdotem aliquis adeat, omni studio curandum esse, ut peccatorum suorum contritione commoveatur; id vero praestari nullo modo posse, nisi ea reminiscendo singillatim recognoscere studeat ».

Et heic occurrunt verba a s. Alph. allata: post quae sequitur: « In quo tamen magna cautio adhibenda est. Si enim audita confessione, iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit; sin autem utrumque in eo desiderari animadverterit, auctor illi et suasor erit, ut maiorem curam, quod antea dictum est, in excutienda conscientia adhibeat, hominemque ut blandissime poterit tractatum dimittet ».

218. Itaque si diligentia in confitendo omnino non defuit, quam Confessarii industria suppleverit et adiuverit, etsi, cum accesserint, negligentiam praesetulerint, quam tamen accusent et alio tempore accurato examine compensaturos promittant poenitentes, hi iam tum absolvi possunt. Nihil sane prohibet, ope et industria accedente Confessarii, illud examen a poenitente institui, quod heic et nunc diligens satis dici possit et debeat.

Porro adverte, haec non proprie de rudibus dici, sed de illis qui ob negligentiam vix sciunt, unde initium sumant: quamquam saepe rudes

ad hanc classem spectare non negandum sit; utut ignorantiae potius, quam negligentiae id adscribendum videatur.

Quoad rudes autem raro expedit, ut ipsi dimittantur ad conscientiam ulterius excutiendam, etiamsi de confessione generali agatur necessario facienda. Vel saltem exigendum id, quod facile iis praestari a se posse videatur, promisso illis tali praesidio, quo difficultas, ipsis insuperabilis, evanescat. Nam plus extorquebit Confessarius nonnullis interrogationibus, quam ipsi sciant multis sermonibus promere.

Ad postremam partem Resolutionis, ubi monet Sà, non nimis rogandos poenitentes de confessionibus praeteritis etc., s. Alph. subiicit « vid. infr. n. 505. »: scilicet ad locum remittit, ubi docet, non esse imponendum onus iterandi confessiones, nisi certo moraliter constet, id esse necessarium.

XXIX. 3. Non est necessarium peccata scribere, ne memoria excidant, ut contra Bon. docent Suar. Vasq. et alii. Imo Sotus dicit, id non consulendum, ob periculum evulgationis. Melius tamen Laym. Conin. et alii asserunt, suadendum esse; dummodo vitetur anxietas nimia, propter quam scrupulosis prohiberi potest.

219. Bene notetur, eam diligentiam non esse *necessariam* atque adeo nunquam exigendam de necessitate, etiamsi credantur, plura oblivioni tradenda et omittenda. Et id inculcetur poenitenti de ea re anxio.

Quod dicit Soto apud A., non expedire scriptura uti, praeferendum videtur sententiae aliorum, qui id laudant. Cum enim diligentia haec non sit praecepta et aliunde (ut experientia constat in Colleg. Rom. vel in aliis Collegiis, ubi reperiuntur chartulae Confessionum) periculum sit revelationis, quod semper in detrimentum et irreverentiam Sacramenti cedit et in scandalum, cur quaeso laudatur? Quis finis quando nec Deus nec alii id exigunt?

XXX. 4. Invalida est confessio non integra, ex ignorantia vel negligentia moraliter culpabili, ut verius docent Suarez et alii communiter contra Sot.; quia Trident. requirit diligens examen.

220. Recole quae attulimus n. 217. ex Catechismo Rom.

Alibi Catech. Rom. n. 49. *de Poen.* ait.: « At vero si alia de causa (nempe non voluntariae reticentiae) confessioni aliquid defuisse videatur, vel quia poenitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conscientiae suae latebras *non ita accurate perquisierit, cum tamen illud in animo haberet*, ut integra omnia peccata confiteretur: nihil opus erit ei confessionem iterare; satis autem habebit, si quando peccata, quae oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea sacerdoti alio tempore confiteri. In quo tamen animadvertendum est, ne NIMIS dissolute et remisse conscientiam nostram scrutati simus, adeoque negligenter peccata admissa memoria repetere studuerimus, ut ea *ne recordari*

quidem voluisse merito videri possimus. Id enim si factum fuerit, confessionem iterare omnino oportebit ».

Intellige igitur Auctorem de negligentia, quam scienter poenitens admittit et gravem advertit.

XXXI. 5. Non officit integritati, per se loquendo, si quis subinde gravius lapsus, id alteri prius confiteatur et deinde ordinario suo venialia tantum (qui imprudenter id aegre feret, prohibebit aut reprehendet), nisi tamen ea occasione maneat in morali occasione peccandi aut ideo circumeat, ut liberius peccet; tunc enim graviter peccabit et ob defectum attritionis confessio erit nulla. Ita Fill. Laym. l. 5. t. 6. Card. de Lugo d. 16. n. 57.

221. Duae postremae exceptiones rectae sunt; sed non sunt exaggerandae h. e. non est, cur Confessarius putet, eas esse ordinarias caúsas mutati Confessarii.

Confessarius autem qui prohibeat vel utcumque deterreat a mutatione, non modo agit imprudenter, sed, nisi eum insignis stultitia excuset, a peccato excusari non potest; quia poenitentem in grave periculum iniicit peccandi graviter.

Imo laudare debet morem confitendi subinde apud alios, prouti et Religiosis indicitur. Hinc nos in regulis habemus, opportune abesse posse Confessarium, ut locus detur poenitentibus vel invitis adeundi extraordinarium.

XXXII. 6. Ex circumstantiis minuentibus illae tantum explicandae sunt, quae vel omnino tollunt malitiam, vel ex mortali faciunt veniale, ut parvitas materiae, indeliberatio etc. (v. gr. si die Veneris ignorans comedisset carnes) vel alioqui notabiliter mutant iudicium Confessarii, saltem quoad speciem.

222. Quod dicit A. *saltem quoad speciem*, adverte, quod etsi circumstantia mutet speciem, non opus est eam explicare, si non adsit in ea gravitas peccati: quae gravitas abesse potest etiam ob ignorantiam aut inadvertentiam specialis illius malitiae; hinc vane interdum interrogatur poenitens de specie, de qua ille peccans nullo modo cogitaverat nec maiorem reatum suspicabatur.

Si circumstantia imminuens mutat speciem, debes dicere: v. gr. volebas occidere bovem alterius et casu occidisti hominem: circumstantia ignorantiae transfert peccatum a specie homicidii in speciem furti. Item si quis occidit clericum, ignorans esse clericum, haec ignorantia tollit speciem sacrilegii. Vid. Suarez disp. 22. sect. 3. a n. 15.

Ex doctrina huius Resolutionis deduces, non nimis urgendos poenitentes, ut taceant ea, quae excusationis speciem habent. Nimius enim in hac re zelus habet sua incommoda, uti ex hoc casu patet.

XXXIII. 7. Ad servandam integritatem confessionis peccata mortalia dubia, ut dubia loquendo de dubio proprie dicto, sunt aperienda, ut docet Suarez in 3. part. t. 4. d. 2. sect. 9. n. 7. Sanchez, Dian. Card. de Lugo d. 16. n. 63. Bonac. d. 3. q. 5. sect. 2. par. 2.

diff. 4. et alii commun. contra Conin. Ratio est, tum quia peccata, quae sunt in conscientia, debent manifestari; at dubia ut dubia sunt in conscientia: tum quia in negotio salutis et medio ad hanc necessario, non tam habet locum illud axioma: Melior est conditio possidentis, quam hoc: In dubio tutior pars eligenda est. (Excipiuntur tamen scrupulosi et ii, quibus diu post patratum peccatum suboritur aliquod dubium; si alias soliti sint sollicite confessionem instituere; quia non est dubium prudens). Quod si postmodum accipiat notitiam certam: idem rursus esse confitendum, tanquam certum, docent Tur. et Sanchez 1. *Mor.* cap. 16. n. 69. dubitat tamen Card. de Lugo d. 16. sect. 2. n. 79. et 92. suadetque id ut securius. V. Dian. par. 3. t. 4. res. 60. et 107. Si vero peccatum confessus sit ut certum et postea de eo dubitet, an fecerit, non tenetur iterum confiteri, ut dubium. Lugo Tamb. *Exped. conf.* d. 1. c. 1. qui idem censent, etsi postmodum certo comperiat, se non fecisse. Monent autem Suar. et Tamb. l. c., si quis sola peccata dubia confiteatur, monendum, ut addat aliquod certum ex alias confessis; quod si id haberi non possit, absolvendum sub conditione.

223. Resolutio A. eatenus valet, quatenus peccata, quae sint dubia, non sunt confitenda, ut certa.

Ceterum quoad obligationem confitendi dubia, plures fieri debent quaestiones.

Prima quaestio, an necesse sit fateri mortalia positive dubia, quando dubium versatur, an commiseris illud necne et rationes sunt aeque probabiles hinc inde, quae sufficiunt ad iudicium probabile.

Et respondet s. Alph. n. 473. *communissimam* esse sententiam, quod non teneris; quia licet cuique se conformare opinioni vere probabili: probabile autem vere est, peccatum non esse admissum et sic probabile vere est, lege hominem non teneri confitendi.

Addit s. Doctor, quod in articulo mortis, si quis hoc pacto dubitet, an peccatum grave patraverit (vel an illud confessus sit) sciens, nunquam sacramentum Poenitentiae post talem actionem se suscepisse, tunc ad effugiendum damnationis periculum, non tenetur quidem peccatum illud positive dubium confiteri, sed vel sacramentalem absolutionem suscipere (quamvis illud peccatum reticeatur) vel saltem actum contritionis elicere. Quae contritio valeret sine voto confessionis de eo peccato; quia votum confessionis eatenus requiritur, quatenus ipsa est necessaria: in casu autem non est necessaria, prouti etiam quoad peccata venialia. Nec hac in parte dissentit aut Suarez aut Lugo: sed soli Merbes, Concina, Habert et alii huius farinae.

224. Secunda quaestio est, an teneamur confiteri mortalia negative dubia.

Et s. Alphonsus quidem n. 474. dicit communiorem sententiam affirmare: negare vero alios, quibus (mirum!) accedunt etiam Habert et Merbes. Sed forte minus clare sic quaestio proponitur et allegantur forte auctoritates, quae reipsa non suffragantur, cum quaestio indigeat distinctione.

Itaque certum est, si quando sint rationes in alterutram partem probabiles de facto aut de gravitate peccati, nulla vero probabilis ratio pro opposita, sed mera quaedam formido, hanc formidinem esse contemnendam et ideo peccatum confitendum vel viceversa. Ita etiam Lugo disp. 16. n. 58. Dummodo rationes illae probabiles pares sint ad iudicium probabile prudens. Ita et Suarez disp. 22. sect. 3. n. 5., qui rationem reddit, quia tunc est homo quodammodo certus moraliter, se peccasse; quippe in huiusmodi haec accipitur certitudo moralis, gravi nempe et prudenti motivo inducta persuasio. At hoc pacto iam alius evadit status quaestionis nec agitur de *dubiis*.

Si vero ex neutra parte sint rationes, quae ad iudicium prudens probabile sufficiant, heic est controversia.

Et *ex iudicio* s. Alphonsi n. 474. licet opinio affirmans obligationem confitendi sit valde probabilis, ipse tamen s. Alph. fatetur, oppositam non carere sua probabilitate: imo Croix ibi allegatus, disserte affirmat, hanc, spectatis intrinsecis argumentis, esse probabiliorem. Et sane argumenta allata pro affirmativa sententia ipse Lugo fatetur, rem non conficere disp. 16. nn. 62.-66. et potissimum fundamentum dicit cum Suarez petendum ex usu et praxi totius Ecclesiae ibid. n. 67. Sed merito reponunt alii apud Ligor. n. 474. in fin., hanc praxim servari quidem a timoratis ad levamen maius conscientiae et forte ex quodam errore. Haec autem non inducunt consuetudinem, quae obliget; quia haec exigit voluntatem se obligandi in eo, qui alioquin scit, obligationem alias non exsistere. Ceterum quomodo cum certitudine constare potest haec praxis universalis?

Quod autem dicunt, ex Conc. Tridentino aperienda esse peccata, *uti sunt in conscientia*, falsum est; Synodus enim dicit aperienda peccata quorum poenitens *habet conscientiam:* conscientia autem *dubia negative* non est conscientia, quae dicit aliquod *iudicium*, sed potius est suspensio iudicii. Ita monet s. Alph. n. 474.

In praxi tamen non solum non sunt fideles deterrendi a praxi confitendi dubia, sed potius suadendi, etiam ad avertenda gravia pericula ex hallucinatione; quod intellige praesertim de rudibus, qui praeterea difficilius sibi formabunt dictamen conscientiae. Utcumque sit, catechista non debet hac de causa veluti legem certam id proponere.

Quod vero A. dicit excipiendos scrupulosos, verum est et una cum his sunt accipiendi viri timoratae conscientiae, qui cum non soleant consentire peccato gravi, habent rationem cur positive possint iudicare, se graviter non peccasse. Secus de eo, qui facile solet consentire in mortalia: hic enim rationes habet praesumendi se consensisse, quoties non recordatur vere, se restitisse.

225. Tertia quaestio fit de peccato gravi certe commisso, oriente dubio, an confessus illud fueris.

Et respondet (Ligor. n. 477.), si dubium est negativum, scilicet non habes probabiles rationes credendi, te illud confessum fuisse, ex omnium sententia teneris confiteri; cuius rei ratio satis clara est.

Si vero dubium est positivum, scil. habes rationes probabiles credendi, te illud fuisse confessum, *communis est sententia*, te non teneri et s. Alph., quidem ex generali praeiudicio, quod originem habet ex perperam intellecta illa sententia de *principio possessionis*, nollet accedere: sed fateri cogitur, quod qui diligens fuit in peccatis confitendis, potest et debet acquiescere. Sed ut conciliet omnia, dicit, tunc esse certum moraliter.

Ceterum principium *possessionis*, scil. « *In dubiis melior est conditio possidentis* », intelligendum est de DUBIO non de *opinione probabili*, ut vidimus in tract. *de Conscientia* vol. I. 210. deinceps.

Et heic quoad scrupulosos statuendum, ipsos non teneri ad confitenda haec peccata dubia, nisi certissimi sint ac possint iurare, se nunquam ea confessos fuisse.

226. Reliqua spectantia ad Resol. 7., satis proposita sunt compendiatim in A. et unica quaestio tangenda est de peccato confesso ut dubio, quod dein certum comperitur. S. Alph. lib. 6. n. 478. dicit, se sequi affirmantem sententiam Sanchez, quam dicit *communem*, addit, oppositam a Cardenas disp. 51. cap. 2. vocari improbabilem et Card. Lugo, qui eam defendit disp. 16. n. 92., aliam consulere ut tutiorem.

Sed reipsa haec non excludunt id, quod visum est aliis doctis, ut ait Lugo disp. 16. n. 92., scilicet, valde probabilem esse Lugo sententiam non constare de obligatione confitendi.

Cardenas disp. 51. n. 4.: « Vix noster Lugo hanc rimulam aperuit, cum Recentiores, agmine facto, eam putarunt ostium amplissimum, per quam in eam sententiam tuto ingrederentur ». Et subdit catalogum, ubi septem sunt non memorati a s. Alph., qui alioquin nominat decem.

Et 1° nescio, cur s. Alph. dicat communem opinionem Sanchez, quando ipse s. Doctor multo plures allegat pro Lugo. Et quidem communior dici potuit aetate Lugo; quia, ut ait n. 92., pauci qui de ea scripserunt, stabant cum Sanchez; at posterius non videtur item dicendum, cum Lugo sententiae complures adhaeserint. Non est ergo ad rem afferre modo id, quod Diana dixit *sua aetate*, opinionem illam esse *communem*.

2° Quod attinet ad Cardenas, hic ad solvenda argumenta Lugo

coactus est affirmare *contra communem* et s. Alphonsi *sententiam*, etiam illum, qui incertus de numero confessus fuerat incerte « *decies circiter pl. min.* » teneri ad confitendum numerum certum, si deprehendantur v. gr. fuisse undecim.

3° Ratio Cardenae damnaret etiam doctrinam, quam s. Alph. n. 478. in fin. dicit *probabilissimam* et *communissimam*. Nam ratio Cardenae est, quod ex Tridentino necesse sit exprimere gravitatem illam, e qua diiudicetur de imponenda poena cum aequitate. Quam rationem cum s. Alph. n. 478. adoptet hoc loco, potuisset advertere, tunc corruere doctrinam, quam ibid. subiicit, scil. non teneri quempiam ad fatendum peccatum, quod deprehendit esse mortale, cum prius nec ipse nec Confessarius cognovissent uti mortale.

4° Quoad Lugo, 1° modestia eius non infirmat rationes: 2° ipse sibi solus videbatur; at modo accedente complurium suffragio, cessat ratio illius modestiae.

227. Quatuordecim columnis et ultra, lectorem circa ista detinent VV. pag. 472.-479., et duo contendunt: 1° *affirmativam sententiam s. Doctoris Alphonsi reapse communem esse dicendam* pag. 479.: 2° *validissimas rationes pro ipsa militare* pag. 478.

Quoad primum resp., duplicem heic distinguendam esse quaestionem, alteram nempe *iuris*, alteram vero *facti*. Et ad quaestionem quidem *iuris* pertinet advertisse sedulo, heic non agi de *valore Sacramenti*, sed solum *de integritate materiali*. Huc igitur revocentur s. Alphonsi verba *Hom. Ap.* tr. 16. n. 29.: *Nemo tenetur ad leges dubias... Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles: quia hoc procedit, cum agitur de valore Sacramenti; secus de integritate.* Hinc conclusio: cum ad eximendam in casu obligationem confessionis sufficiat probabilitas, ad hanc vero obligationem imponendam etiam maior prae opposita probabilitas non sufficiat: proinde contra affirmativam s. Alphonsi opinionem stant reipsa, non modo quicumque ab ea recedunt, sed etiam quicumque concedunt, saltem probabilem esse opinionem, quae praedictam obligationem negat; at contra eidem affirmativae opinioni non satis suffragantur, quicumque eam mere probabiliorem dicunt; quinimmo et isti dicendi erunt stare pro negativa, si quidem aliquid valeat argumentum, quo VV. alias, ut vidimus utuntur, nimirum quisquis sententiam aliquam mere probabiliorem fatetur, eo ipso concedere, oppositam esse probabilem; quod tamen non semper verum esse, dicimus.

228. Hisce praemissis, iam ad quaestionem *facti* accedamus. Recensitis Auctoribus, tum quos s. Doctor Alphonsus pro sua affirmativa opinione allegat, tum quos deinde VV. pag. 474.-478., addiderunt,

septem et triginta habemus. Recensitis rursus, qui pro opposita negativa referuntur a s. Alphonso, a Cardenas, a Mendo, a Giribaldi etc., habemus triginta et octo et quidem iis omissis, quos Lugo disp. 16. n. 92. consuluisse se affirmat. Porro etiamsi nulla habeatur ratio eorum, quos VV. pro se producunt, cum tamen eam sententiam nonnisi ceu probabiliorem censeant, atque adeo potius stent contra ipsos; iam quaerere liceat: Num communis dici potest opinio, quae pro se triginta septem habet, contra se autem octo et triginta? Nonne melius dicendum est cum Wagemann part. 3. tr. 2. cap. 5. n. 58.: *In utramque partem aeque probabiliter ventilatur?* Ingens tamen (quod oblivioni tradendum est nunquam) inter utramque sententiam eminet discrimen; scilicet probabilitas sententiae negativae ad negandam absolute obligationem confessionis in casu, etiam ex s. Alphonsi certo suffragio, sufficit; probabilitatem vero affirmativae ad asserendam obligationem sufficere, etiam s. Alphonsus absolute negat. Ergo si de hac controversia adhibito extrinseco auctoritatis argumento diiudicemus, concludamus oportet, iuxta certa s. Doctoris Alphonsi principia, *Lex dubia non obligat etc.* sententiam eiusdem s. Doctoris, quae in casu obligationem confessionis iniungendam dicit, non aliter esse tutam ac tutum sit, fideles ad servandas leges dubias obligare. Tutum erit praebere consilium, non tutum erit praeceptum indicere. At enim, inquies, quomodo igitur tam multi affirmativam sententiam dicunt *communem*, imo et *communissimam*, prouti habent v. gr. Voit, Scavini et Frassinetti?

Resp. Haud aegre hoc phaenomenon potest explicari. Etsi enim Lugo disp. 16. n. 52. scripserit; *paucos hanc quaestionem attigisse*, tamen hos paucos Cardenas disp. 51. n. 3. potuit dicere *omnes theologos* et exinde Illsung v. gr. potuit *de Sacr. Poenit.* q. 4. art 5. n. 116. eam opinionem dicere *communem*. Hoc deinde plures exscripserunt, minus id advertentes, quod Cardenas l. c. n. 4. monuerat, *Recentiores* nempe *velut agmine facto rimulam a Lugo apertam ingressos, quasi ostium esset amplissimum.* Nec rursus mirum, quod alii, postquam Cardenas dixerat, ita sentire *theologos omnes*, etiam *communissimam* eandem opinionem putaverint; quod deinde et ab aliis exscriptum cernimus.

229. Sed veniamus ad rationes intrinsecas. VV., secundo articulo pag. 478. hunc titulum praefigunt: *Perpenduntur validissimae rationes pro sententia affirmativa militantes.*

Resp. Istae validissimae rationes, si titulum istum omittas, ubinam sunt? Hanc demum unicam reperies: *Quemadmodum Cardenas, Billuart et Cuniliati urgent obligationem iterandae confessionis, quia ex praecepto concilii omnia peccata confiteri tenemur*, quorum conscien-

tiam habemus: *ita et s. Alphonsus. In casu proposito, poenitens nunc conscientiam peccati habet, quod antea pro dubio habuit. Ergo idem peccatum ut certum confiteri tenetur.* Atqui huic rationi responderat iam Lugo l. c. n. 87.: *Hoc argumentum vidimus probare, quod etiam peccatum vigesimum primum, cognitum postea ut certum debet confiteri poenitens, qui confessus est viginti plus minusve; quia iam illud peccatum est certum in conscientia poenitentis.*

Et reipsa iste est scopulus, in quem impingunt quotquot demum rationes in eandem rem afferri consueverunt. Proinde Dicastillus tr. 8. disp. 9. n. 141. post fusissime perpensa hinc inde argumenta, concludit; *Propter efficax argumentum, quo probatur esse eandem rationem de peccato dubio et de numero incerto, magis rationi consonum existimo, etiam talem numerum esse explicandum, si postea constet certo, quantus determinate fuerit etc.* Atqui, inquit Lugo l. c. n. 78., *quando poenitens non potest determinare numerum certum peccatorum, confitetur numerum verisimilem, v. gr. peieravi decies plus minusve: si postea recordetur, se peierasse duodecim vicibus, non oportere id confiteri... docent communiter plures et graves Auctores* et hanc doctrinam probat etiam s. Alphonsus *Hom. Ap.* tr. 16. n. 34. Et nihilominus ecce Gobat tr. 6. n. 443. obtestatur, disparitatem inter duos casus invenire se non potuisse: *Nec ego* (inquit), *et si diu multumque me fatigans in vestiganda disparitate, ullam reperio.* Itaque ratio ista, ut aiunt, *validissima* aut nimis aut nihil probat.

Subsumunt VV. l. c. iuxta s. Alphonsum esse disparem rationem, quia in altero casu *error non est circa substantiam* (sed circa numerum) *utique autem in altero* (est circa substantiam). — Respondet Lugo, cum dici, *peieravi decies plus minusve*, quod spectat ad *nonum, decimum* et *undecimum* primum, eodem plane modo errorem circa substantiam versari, nimirum circa *factum.* Cf. postrema verba s. Thomae allata n. 354.

230. Obiiciunt insuper VV. l. c., firmam esse rationem a Cardenas allatam, quia maior numerus peccatorum auget reatum et maiorem poenam exigit. — Resp. Id probaret, contra doctrinam s. Alphonsi, exprimendum in iterata confessione esse numerum quoque, quem quis plus verisimilem confessus est et dein certum deprehendit. Addit vero contra hanc Cardenae rationem Illsung tr. 6. disp. 6. q. 4. n. 116.: *Haec ratio mihi videtur supponere falsum, quod ideo tantum peccatum negative dubium diversae speciei, vel plura, quam unum aut duo eiusdem speciei, sub dubio negativo dicta, deinde cognita repetenda essent, quia pro illis maior poenitentia fuisset iniuncta. Qua ratione non obstante, multi negant et cum illis* (sicut et s. Doctor Alphonsus) *explicandas esse circumstantias mere aggravantes.*

Demum ad id quod nonnulli obiiciunt, negativam sententiam habere contra se tum doctrinam antiquorum, tum praxim fidelium, respondet Wagemann l. c.: *Antiqui ex professo non examinarunt sententiam, non habuerunt ante instructionem Tridentini, nitebantur falso principio:* in dubio tutior pars est eligenda, *Praxis est plerumque de dubio improprie tali vel ad melius esse, cum sic etiam scrupuli exponantur et vix potest detegi praxis universalis.*

231. Quaerunt DD.. an ad integritatem confessionis spectet manifestatio effectus peccati. Effectus peccati non dicitur actus externus peccati, qui actum interiorem complet unumque peccatum cum eo constituit, sed effectus peccati id est, quod causatur et sequitur ad totum peccatum interne et externe completum. Exemplum habes ex Lugo disp. 16. n. 437.: « Supponendum est, in peccato, quo alium ex. gr. veneno occidisti, intervenire in primis actum voluntatis internum, quo voluisti dare illi venenum, ut moreretur, deinde actionem externam, qua venenum praeparasti et dedisti, deinde effectum secutum, scilicet mortem illius, quae forte post aliquot dies contigit. Dubium est, ait, an satis sit, in confessione dicere te letale dedisse venenum, ut moreretur an vero necesse sit addere, reapse te eum interfecisse veneno ». Non opus est autem nunc hanc solvere quaestionem; quia de ea iam actum est ex Lugo Tr. *de Peccatis*, Vol. I. n. 510. seqq. Cf. et Croix lib. 6. p. 2. nn. 943. seqq. monentem manifestandum esse effectum peccati, si secus non intelligeretur peccatum commissum.

Articulus II.

De integritate formali.

232. * Cum plures hac in re quaestiones occurrere soleant, illud in primis tenendum, quod ex s. Alph. iam (n. 227.) audivimus ex *Hom. Apost.* tract. 16. n. 29. et quo iam usi sumus: non licere quidem sequi opiniones mere probabiles, cum agitur de valore sacramenti: at licere, cum agitur de integritate confessionis. Integra scilicet formaliter confessio postulatur, at haec obtinet, cum in ea peragenda sequeris normam sententiae certe probabilis, illud nempe confitens, quod vere scis esse confitendum nec proinde teneris sententias tutiores sequi. Sane 1° heic non agitur de sacramento conferendo, quo spectat prop. 1ª damnata ab Innocentio XI., sed suscipiendo: 2° confessio, ut iam vidimus, non est materia *ex qua* sacramenti: 3° etsi velis hoc affirmare; attamen usus probabilis opinionis, relicta tutiore, in conferendo et ex analogia, etiam in suscipiendo sacramento, ideo illicitus est, ne forte desit materia aut forma sacramenti, quarum exsistentia a nostra non

pendet opinione et sic dum intendimus conficere sacramentum, faciamus nihil: atqui, etsi circa integritatem confessionis sequaris sententiam solum probabilem, certa materia sacramento non deest: ut ergo ad amplius tenearis, oporteret id certo demonstrari, quae demonstratio, ut supponitur, non habetur. *

XXXIV. Respond. Etsi ad hoc Sacramentum requiratur semper aliqua confessio, non tamen semper opus est, ut ea sit integra materialiter, modo sit talis formaliter seu moraliter idest, quantum moraliter loquendo, hìc et nunc potest fieri; etsi postea debeas, si possis, supplere defectum, non statim, sed quando rursum confiteri obligaberis aut voles. Porro, quando talis confessio sufficiat, sequentes regulae docent.

Prima. Quandocumque quis ad materialiter integre confitendum physice est impotens, sufficit integritas formalis; quia praeceptum divinum non obligat ad impossibile. Unde possunt in sequentibus casibus absolvi. 1. Mutus, etsi unum tantum vel alterum peccatum per nutus significaverit: nisi tamen scripto possit confessario exhibere, ad quod tunc eum teneri probabilis est, ut communiter docetur contra Caietan. Navar. et alios. 2. Surdus, qui non potest omnia explicare Laym. l. 5. t. 6. c. 8. 3. Ignarus idiomatis, tempore praecepti vel alterius necessitatis, etsi non integre intelligatur, si neque Confessarius linguae gnarus neque interpres haberi possit; imo, etsi adsit interpres: non enim tenetur per eum confiteri, ut docent Suar. Vasq. Dian. nisi forte in periculo mortis, in quo aliqua minora confiteri sufficiet. Vide Card. de Lugo d. 15. n. 61. 4. Moribundus usu linguae subito destitutus, si petat absolvi ac det signa doloris vel ante dederit coram aliis: modo id fecerit in ordine ad Sacramentum, quod de quovis in eo statu praesumendum videtur. Quo casu, si (saltem coram ipso infirmo) sive ab uno sive pluribus, mediatis vel immediatis testibus detur testimonium, Sacerdotem non tantum posse, sed probabiliter etiam teneri absolvere (saltem sub conditione) docent Diana et Lugo d. 13. n. 84. etc. ex multis aliis: Item Bonac. citans declarationem Cardinalium pro se et Praep. q. 4. dub. 5. etc.; eo quod sic et aegri necessitati et reverentiae Sacramenti consulatur. Dixi *saltem;* quia Tambur. l. 2. *Exped. confess.* citans Conin. Praep. et Lugo docet, posse et debere absolvi absolute, etsi sit absens, qui de signo coram se dato testatus fuit. Denique, si nullum signum dederit, nullo modo absolvendus est, cum actus iudicialis non exerceatur, nisi praecesserit accusatio. Licet enim recentiores quidam, ut Tambur. *de Exped. conf.* lib. 2. cap. 10. citans Homobonum et Molfes. item Phil. Servius *In Amico fideli,* p. 1. c. 1. Anton. *de Litt.* Barth. de s. Fausto, etc. censeant posse, imo debere absolvi sub conditione, dummodo alias probe et christiane vixerit, eo quod praesumi possit interius elicuisse contritionem idque Dian. p. 4. t. 4. r. 92. et p. 9. t. 6. r. 20. ex aliis duodecim iudicet probabile: ab aliis tamen merito reiicitur, ut Suarez, Vasquez, Coninch. Mercer. Cardin. de Lugo d. 17. s. 3. Malder. etc. ipsoque Dian. loc. cit. et aliis 12. apud Aversam; quia deest omnis externa confessio, quam esse partem essentialem huius Sacramenti constat ex Trident. sess. 14. can. 9. et ex nullo signo rationabiliter praesumi potest, ut suppono. V. Card. de Lugo loc. cit. Aversam q. 10. sect. 18. ubi notat, absolutionem, quae iis, qui inscripti sunt in Societate Rosarii solet in infirmitate impendi sine omni confessione non dari tamquam sacramentalem, nec in ordine ad conficiendum Sacramentum, sed ad indulgentiam et remissionem poenae consequendam.

233. Doctrina Auctoris, quod semper requiratur aliqua confessio, difficultatem iniicit quoad absolvendum moribundum, qui nullum signum exterius potest dare. De hac difficultate inferius disputabitur.

Cum satis evidens sit, neminem ad impossibile teneri, constat ratio Responsionis etc. Nunc de singulis regulis.

1ª Impotentia physica. Et 1° *de Muto.* Merito Diana utramque sententiam dicit probabilem tom. 1. tract. 3. resol. 72., idque affirmari etiam ab iis, qui tenent mutum obligari ad scribendum, testantur cum Diana Salmanticenses *de Poenit.* cap. 7. n. 17.

S. Alph. quidem n. 479. sententiam affirmantem obligationem confitendi hoc in casu per scripturam, dicit probabiliorem et communiorem. Verum 1° inspiciendum foret, utrum iure quidam Auctores pro alterutra allegentur. Ita v. gr. pro affirmante vides citatum Toletum, qui tamen lib. 5. c. 6. n. 3. scribit: « Quarto potest esse scripto, ut poenitens scribat et confessor legat, quod in muto aut alio impedito posset contingere et est vera confessio: *quamvis ad hanc nec teneatur poenitens; quia ex se est publica:* nam quod scripto mandatur, ex se permanens est ».

2ª Cum sat longa Auctorum series pro utraque opinione afferri facile possit, nil mirum quod communiorem quidam affirmantem dixerint, quidam negantem, prout in eorum oculos hi potius quam illi Auctores incurrerent.

3ª Quod vero caput est, illi qui affirmantem sententiam tenent, hanc nonnisi ut probabiliorem seu veriorem (Lugo disp. 15. n. 87.) defendunt: ad praxim ergo quod attinet, ut obligatio imponatur talis confessionis, sententia affirmans nondum vim sufficientem habet.

4ª Nec verum est, quod quidam dicunt, *validissimam* pro affirmante stare rationem. Ratio est, quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media (s. Alph. l. c.) et quia in hoc modo confitendi nihil vel certe parum periculi est, quod non sit in confessione orali. Lugo l. c.

Atqui prius probaret, debere uti scriptura et eum qui labilis est memoriae, quod nemo dixit. Scilicet tenemur ad media ordinaria, non extraordinaria, si praesertim haec minus cohaereant cum iure, quod ei competit, cui talis obligatio imponenda esset; ius scilicet secretae confessionis. Sane secundo, aliud est, quod sacerdos auditam confessionem verbis revelare possit, aliud, quod prolato poenitentis scripto dicta probare queat et haec notitia ope scripti facile ad plurimos transire possit. Et ut audivimus a Toleto et habet Naldus apud Diana l. c. n. 2.: « Talis modus confessionis de se est publicus; est enim scriptura de se publica ». Et sane si morbo ille corripiatur, charta iam est in potestate cuiusvis.

Igitur obligatio incerta est ideoque nemini imponenda.

234. 2° *de Surdis.* Id dicendum et de *Surdastris.* Et si accedant in ecclesia, uti mulieres, semper in dubio consulendum potius sigillo

sacramentali, quam integritati ». Et ideo non interroget de numero nec de aliis et in imponenda poenitentia leve aliquid iniungat, ne sit suspicio gravis culpae.

Neque exigi debet, ut mulieres veniant hora intempestiva, qua nemo alius sit in Ecclesia; tum quia periculum non abest revelationis, tum etiam ob honestatem.

3° *De ignaro idiomatis.* Busembaum ait, *non teneri quempiam per interpretem confiteri, nisi forte in periculo mortis, in quo aliqua minora confiteri sufficit.* Quibus s. Alphonsus subiicit n. 479.: *sed etiam tempore mortis probabile est, eum non teneri.* Addit deinde ex Viva: *Nisi infirmus dubius sit de contritione, ut Viva* q. 4. art. 3. n. 10. *Sufficit tamen tunc dicere unum veniale, Salm... et Viva...* — Verum ista *Vivae* exceptio pertinet ad opinionem iam antiquatam, quae nempe dubium habet sacramenti valorem etiam in mortis articulo, nisi aliquod peccatum speciale clavibus subiiciatur; praesertim cum necessitas interpretis excludi penitus videatur illis verbis Conc. Lateran. C. *Omnis utriusque* 12. *De Poenit. et Remis.: Sua solus peccata... confiteatur* etc. itidemque verbis Concilii Tridentini sess. 14. cap. 5., *quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem:* quibus accedit Responsum s. Congr. 28. Febr. 1633. apud Scavini tr. 10. disp. 1. cap. 2. art. 2. declarans, *poenitentem, qui non vult uti interprete, posse et debere absolvi* (a).

235. 4° *De moribundo.* Quae A. dicit, indigent aliqua animadversione ad singulos casus.

1° Quod inquit de signis doloris exhibitis - *modo id fecerit in ordine ad sacramentum* -, nihil moveat quoad praxim: tum quia ipse A. addit, hoc semper praesumi, tum quia haec dicuntur ex falso principio, quod - *dolor ut sit validus, elici debeat in ordine ad sacramentum* - quam doctrinam licet posthabere. Vid. sup. ubi *de Contrit.* n. 76. seqq.

(a) « Utrum in regionibus longinquis, catholicus, multis annis inconfessus, signis dumtaxat, ob idiomatis defectum, petens absolutionem, possit absolvi absque ope interpretis ». Resp. « Non opus esse interprete in casu proposito, sicut etiam posse et debere absolutionem peccatorum impertiri exhibenti signa, quae potest... dummodo sufficiant ad exprimendum aliquod peccatum in specie. In casu vero, quo quis conatur, quantum potest, exhibere signa peccatorum in specie, nequeant autem omnino intelligi, absolvi posse per solam manifestationem peccatorum in genere ». C. S. O. 28. Febr. 1633.

Eadem S. C. O. 10. Febr. 1668.: « Missionarii, cum poenitentibus, quorum idioma ignorant, agentes, hortentur illos adhibere interpretem, per quem confiteantur omnia peccata: quod si hoc nollent, saltem confiteantur aliqua per interpretem et reliqua per nutus et signa, quantum possunt: quod si nulla velint per interpretem confiteri, confiteantur per signa, omni meliori modo, quo poterunt, sicut fit in mutis, sed Missionarii curent addiscere de unaquaque lingua inibi usuali, illa pauca verba, quae sunt necessaria ad explicanda praecipua peccata ». Ex Enchir. Bucceroni, pag. 160. — E.

2° Quoad A. subiungit - *de testimonio, quod saltem* CORAM INFIRMO *detur de signis doloris exhibitis* - itidem nihil movere debet quoad praxim. Haec enim dicta sunt mere ad cavendam quamlibet speciem confessionis factae sacerdoti absenti. Notum enim est, quid contigerit nostro Suarez. Hic scilicet disputans de confessione, quae non aliter fieri supponitur, nisi per signa illa doloris et loquens de hac ipsa hypothesi, quod nempe *testis* ea signa narraverit sacerdoti adhuc absenti et dein testis alio abierit, dixit, eam confessionem esse satis. Turbae proinde excitatae Romae (nam tunc fervebat quaestio de Auxiliis) contra Suarez, quasi validam censeret confessionem factam absenti, secus ac Clemens decreverat, et opus eximii Theologi damnatum fuit hac de causa. Verum Clemens VIII., ut narrat etiam s. Alph. n. 481., deinde declaravit, se, cum damnavit propositionem de confessione et absolutione absentis, noluisse comprehendere casum moribundi. Hinc Clemens VIII. et dein Paulus V., re comperta, iusserunt, ne locus ille Suaresii immutaretur seu emendaretur.

Quidquid sit, si minus deceat dicere, confessionem factam esse absenti, quaerant alii, qui aliquam confessionem volunt, ubi alia sit, si nullum amplius signum moribundus praebeat, aut quomodo illa confessio sit facta praesenti et non absenti per nuntium (supponimus enim, nuntium alio abire, postquam sacerdotem monuit ut ad moribundum accurrat).

Nobis satis sit hoc certe statuere, sacerdotem posse absolvere, sive testimonium detur coram infirmo, sive remote et longe ab infirmo.

3° Auctor dicit, Sacerdotem *non solum absolvere posse, sed probabiliter ad id teneri.*

Heic delendum foret illud *probabiliter.* Egregie enim ex doctrina certa s. Alphonsus inquit n. 482.: « Maxime hic advertendum est, quod sacerdos, quando potest, *tenetur* sub gravi absolvere infirmum, ut dicunt Suarez, Vasquez, Caietanus etc. *cum communi* ».

Ceterum nil mirum, si tota haec paragraphus Auctoris inter incertas ambages haeret. Terrores iniecti ab propositionibus damnatis et principia quaedam de necessitate materiae sacramenti etiam Auctorem nostrum ac multos alios ad absona quaedam vel invitos compulerunt. Nec pauci fuerunt, qui non obstantibus signis illis doloris, quorum adessent testes, negarunt posse moribundum absolvi. Vid. s. Alph. n. 481.

236. 4° A. dicit, absolvi hunc posse *saltem sub conditione* et adducit dein Tamburinum affirmantem cum aliis, posse absolvi *absolute.*

S. Alphonsus n. 481. dicit: « *Communius* censent Doctores, absolutionem dandam esse *absolute* ».

Et sane sufficere deberent ea, quae habentur in Rituali Romano quaeque servanda Pontifices toties decreverunt. « Quod si (inquit) inter confitendum vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis conetur (confessarius) quoad eius fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere; quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, sive per se, sive per alios (praesentes esse debere non dicit) ostenderit, *absolvendus est* ». Ubi nihil de *conditione*.

Ceterum tota ratio, quae quosdam vel ad dubitandum vel ad exigendam *conditionatam* absolutionem permovit, fuit doctrina de *materia Sacramenti*, quae forte heic non videatur *certa* (utpote, quae nullum particulare peccatum subiicit absolutioni, imo nulla est, quia nulla adest reipsa confessio), sed solum probabilis; cui deinde rationi respondebant alii, ad sacramenta absolute administranda sufficere *probabilem materiam*.

Sed istae difficultates non *sunt necessariae*, quia illa doctrina non est necessario tenenda. Imo angustiae, ad quas necessario illa doctrina adducit, poterant satis admonere de incerta eiusdem soliditate. Nulla enim certa doctrina deducit ad absurda.

237. 5° Auctor denique *negat*, absolvendum esse poenitentem, *si nullum signum dederit*.

S. Alph. proponit sic hanc quaestionem n. 482.: « Quid si nullus adsit testis de signo poenitentiae praestito ab aegroto et aeger sensibus destitutus nullum pariter det signum, an licite absolvi possit? »

Porro videbitis postea, haud leve discrimen esse inter duos istos modos proponendi quaestionem.

Interim s. Alphonsus relata eorum sententia, qui cum A. negant absolvendum, subdit: « Secunda vero sententia *communior* affirmat, posse et debere absolvi, dummodo infirmus christiane vixerit ».

Et eam in rem post longum catalogum AA. s. Alphonsus affert sententiam quandam s. Antonini et sententiam s. Augustini, quae nullatenus est obscura (*de adulter. Coniug.* lib. 1. c. 26. n. 33.): « Catechumenis in huius vitae ultimo constitutis, si morbo aut casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen baptismum vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quod eorum in fide christiana iam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit... Etiamsi voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet ». Et ibid. c. 28. n. 35.: « Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore non admit-

tamus ad baptismum, tamen si desperati (et intra se poenitentes) iacuerint nec pro se respondere potuerint, baptizandos, puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinae carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri?... Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha pacis exire velle debet mater Ecclesia ». In quo textu verba illa: *intra se poenitentes,* quae in quibusdam codicibus et editionibus leguntur, ad poenitentiam referuntur, quae coniicitur, non quae aliquo signo se prodat, ut contextus per se clamat (a).

238. Sed difficultas solvenda est, quae alios deterruit, ne auderent affirmare, absolvi hunc moribundum posse.

« Ubi (sic sibi obiicit n. 482. s. Alphonsus) heic habetur materia sacramenti (nempe contritio et confessio), *quae debet esse sensibilis?*

Ac primum reiicit responsum Gennetti, qui responderat, ex bona vita anteacta multo magis praesumi posse dispositionem, quam ex signo tantum doloris. Et ex his patet, cur in thesi dixerint: *dummodo infirmus christiane vixerit:* (quod iuxta istos non est ita intelligendum, ut solum professus sit christianam fidem, ex qua praesumatur velle, sibi nunc ferri opem omni meliori modo, sed intelligi deberet de bona vita, unde praesumatur dispositio.

« Sed haec responsio (inquit n. 482. s. Alph.) non satisfacit: quia ad absolutionem non sufficit praesumptio doloris, sed requiritur EXTERNA MANIFESTATIO PECCATORUM, *qua deficiente, deficit materia sacramenti* ».

Quam quidem rationem affert et Busembaum dicens: « quia deest omnis externa confessio, quam *esse partem essentialem huius sacramenti constat ex Tridentino* ».

Item reiicit s. Alph. n. 482. aliam responsionem *petitam ex doctrina Scoti*, quod scil. necesse non sit, ut dispositio sit sensibilis; quia, inquit, « hoc sacramentum (ex Trident.) a Christo Domino institutum fuit in modum iudicii; unde omnino requiritur aliqua peccatorum accusatio saltem generica, ut sententia absolutionis proferri possit ».

(a) Prior textus et prior pars alterius loquitur de baptismo conferendo catechumenis, qui nempe illum flagitaverint et in hoc nulla difficultas. Altera pars alterius textus loquitur de reconciliatione: sed danda non quibuslibet periculo mortis praeoccupatis, at *poenitentibus* (si forte *poenitentem*... praeoccupaverit), qui nempe stadium poenitentiae publicae peragebant quique, sicut catechumeni baptismum, ita ii reconciliationem postulaverant et quidem publice. Si reconciliatio, de qua Augustinus loquitur, est ea, quae per absolutionem sacramentalem confertur (de qua re, ut minimum dicamus, valde dubitamus cf. nostrum tr. *de Poenit.* Append. *de Indulg.* §. 2. n. 9. seqq.), casus hic par esset illi de quo B. in praeced. est locutus, non de quo loquitur modo. — E.

Quam itidem doctrinam habet A., ubi ait, « quod actus iudicialis non exercetur, nisi praecesserit accusatio ».

Proinde s. Alphonsus praeferendam putat responsionem Vivae, Salmanticensium aliorumque qui dicunt, prudenter coniici posse, quod moribundus vel ante sensuum destitutionem vel in aliquo lucido intervallo cognoverit periculum damnationis suae et quod praesumatur velle petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis ista signa Confessarius tunc non percipiat.

In tanta autem necessitate ista signa sufficiunt, quia succurrendum est meliori modo, quo fieri possit. Atque adeo ubi adsit tenuis aliqua probabilitas de materia idonea sacramenti, hac uti licet.

Atque ex his patet, cur quaestionem s. Alphonsus statuerit diverso modo, ac Busembaum. Hic enim dicit: *Si nullum signum dederit:* S. Alph. vero dicit, *si nullus de signo testetur et nullum infirmus signum det praesenti Confessario;* in qua formula relinquitur locus hypothesi de aliquo signo dato aut antecedenter, aut in praesens, licet Confessarius illud non percipiat.

Ex quibus patet, quod s. Alphonsus negasset dandam absolutionem, si quaestio proponeretur eo modo, quo proponit A.

Quamquam nec illud omittendum, quod non desint, qui negant absolvendum, etiamsi quaestio ponatur, quemadmodum s. Alph. proponit, uti v. gr. Roncaglia *de Poenit.* cap. 3. q. 7.

239. Pro re nostra in primis hoc statuemus, utcumque demum disputent inter se doctores, quo pacto praxis absolvendi eiusmodi moribundos conciliari queat cum principiis theoreticis, hanc tamen praxim certe tenendam omnes contendunt. Sic nemo putavit dimittendam praxim sacramenti matrimonii; quia Thh. non conveniebant in assignanda materia et forma.

Voit tom. 2. n. 700. allegans Gobat tr. 7. n. 602. et Burghaber Cent. 1. cas. 81. dicit, Superiores Soc. Iesu vetuisse, ne docerent nostri hanc propositionem: « Moribundus, etsi nullum signum det aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat nec prudenter putare possit, praecessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest ». 1° Explicabimus haec de absolutione danda *absolute*. 2° Post probatam doctrinam s. Alphonsi a Sede Apostolica, cessaret ratio prohibitionis: cum iam facta sit sententia communis Scholarum Catholicarum, quas sequi iubemur. Gobat autem advertit, interdictum tunc fuisse *solum ne doceretur* in scholis, non vero ne adhiberetur in praxi.

Deinde vero praxis hinc non est alliganda illis principiis, quae deficere possunt, adeo ut videatur quopiam in casu neganda morituro absolutio.

Et hoc plane incommodo laborat via, quam inivit s. Alphonsus cum Viva, Salmanticensibus etc.

Etenim si me praesente v. gr. vel morbus vel vis externa ita opprimat hominem, ut v. gr. ex motu cordis seu sanguinis per venas utique vivus cognoscatur, in reliquis tamen nullum vitae signum praebeat, uti fit in illis qui aquis submersi fuerint, qui solum post aliquid tempus incipiunt vitae signum praebere; quid aget quaeso Confessarius? Recurram ad anxiam respirationem, ad motus corporis, ad suspiria, ad oculorum motum, cum haec quoque incerta signa deesse possint ac deesse supponamus? Nonne prohibemur sepelire defunctum ante lapsas 24. horas *communiter*, et quoad certos quosdam morbos etiam ante longius spatium temporis, v. gr. si de muliere parturienti agatur, aut de epilepticis?

Poni ergo debet etiam hypothesis, qualem fingit A.: nullum esse nec praesumi signum neque praecedens neque praesens.

240. Principia vero, quibus uti possumus, ea sunt, quae alias iam tetigimus.

Cum enim innuerimus, confessionem ac contritionem non eo sensu esse materiam sacramenti, ut constituant signum illud gratiae efficax, quod sacramentum appellamus: in primis plane sequitur, ea omnia, quae dicuntur de necessitate *signi sensibilis*, falso laborare supposito. Nam etsi sensibile esse debeat, spectata sacramenti natura, id quod tenet locum materiae proprie dictae; non tamen id valet de omnibus, quae utcumque sunt materia. Ita v. gr. materia remota poenitentiae sunt peccata, etsi ista peccata sint prorsus interna et in animo consummata.

Ergo ex hac parte nihil officit valori sacramenti, si dispositio moribundi nullo signo prodeat et sensibilis non sit. Neque iterum ex hac parte officit defectus confessionis, quae non est materia proprie dicta.

Si quid ergo superest difficultatis, in eo erit (ut aiebat s. Alph. sup. n. 182.) 1° quod Tridentinum necessariam dicat, aliquam confessionem, 2° idque exigat natura sacramenti, quod, ut idem Tridentinum definit, exercetur per modum actus iudicialis, qui necessario accusationem praerequirit.

Cui difficultati occurrendum est per partes et incipiemus ab natura actus iudicialis.

Et quoad hunc actum iudicialem, dupliciter res considerari potest, nempe vel prouti de eo decernit Synodus Tridentina, vel 2° spectata generatim natura actus iudicialis.

Synodus Tridentina haec habet in can. 2. sess. 14.: « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis *non esse actum iudicialem*,

sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se absolutum etc... anathema sit ».

De eadem re in cap. 6.: « Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar *actus iudicialis,* quo ab ipso, velut a iudice, sententia pronunciatur ».

Verum in his nondum liquet, quid ex mente Tridentini ad actum ipsum iudicialem requiratur.

Est tamen quidpiam aliud in cap. 5., ubi dicitur: « Constat enim, sacerdotes *iudicium hoc* incognita causa exercere non potuisse ».

Ex quibus colligi potest, ex Concilio Tridentino saltem hoc necessarium esse ad actum iudicialem exercendum, ut non fiat causa incognita.

Si vero spectetur in se generatim natura actus seu sententiae iudicialis, hoc ipsum pariter videtur concludendum, ad rite imo valide eum exercendum aliquam requiri causae cognitionem; secus non posset dici *iudicium,* atque adeo vix haberet rationem actus humani seu rationabilis.

241. Veruntamen praecise ex natura actus iudicialis (et *praecise* nunc de actus iudicialis natura disserimus) non potest concludi necessitas confessionis, prouti est accusatio ab ipso nocente facienda. Aliud est enim quod requiratur in iudice aliqua causae cognitio, quae cognitio multiplici ratione haberi a Confessario seu naturaliter seu praeternaturaliter potest; aliud est, quod notitia habeatur per hunc determinatum modum, qui consistat in sui accusatione facta per poenitentem.

Cum ergo notitia multiplici ratione haberi possit praeter accusationem a reo factam, non recte ex necessitate cognitionis causae concluditur ad accusationem necessario a poenitente faciendam.

Et sane quotidie fit in iudiciis, ut sententia feratur vel damnationis vel absolutionis, etiamsi nulla praecesserit damnandi aut absolvendi accusatio seu cognitio causae ab eo porrecta: imo damnantur etiam absentes et contumaces.

Addiderim exemplum petitum e foro ecclesiastico. Nam Theologi docent (vid. Suarez *de Censuris* disp. 19. sect. 1.) excommunicationem non tolli nisi *per absolutionem*, seu per *actum iudicialem* sive *sententiam habentis iurisdictionem.* Attamen absolutio haec ferri potest etiam in ignarum absolutionis imo conferri potest etiam in invitum, ut docent iidem doctores.

Quod vero etiam in casu nostro inesse possit notitia seu cognitio causae citra poenitentis confessionem, consentiunt iidem doctores, seu potius fatentur, aut certe ex eorum disputationibus clare eruitur.

Etenim ubi quaerunt, an sufficiat generalis confessio, qua quis dicat se peccatorem, an vero requiratur explicita alicuius peccati confessio, cum instanti praelio v. gr. vel imminente naufragio plures absolutionem quaerunt, sunt qui negant, sufficere confessionem generalem, ideo quia Sacerdos ex ea confessione nullam novam notitiam, quam non habeat, acquirat, propterea quod iam notum sit, neminem esse, qui possit dicere se non peccasse: quam sententiam dum alii non admittunt, non negant quidem, nihil ulterius, quam quod sciret, a Confessario per confessionem nosci, sed addunt, id nosci ab eo alia ratione ac prius nosset, scil. confessione.

Convenit ergo inter DD., Confessario non deesse cognitionem illam, quae ex natura sua sufficiens sit causae cognitio ad sententiam ferendam, sed ad summum disputant de modo, quo acquiri haec notitia debeat.

Ergo, ut quoad hanc partem concludamus, prolatio sententiae, seu exercitium actus iudicialis exigit quidem aliquam causae cognitionem: verum non potest exinde concludi, necessarium esse, ut actualis aliqua adsit confessio: quippe confessio per se nec requiritur ad sententiam ferendam, nec requiritur ad notitiam necessariam habendam.

242. Illud ergo unum superesse potest, ut aliqua confessio dicatur necessaria, quia ex Christi institutione necessariam generatim illam pronunciat Tridentina Synodus et quia hanc specialem rationem, qua Confessarius causam cognoscat, ipsa Synodus determinat.

Quam in rem valent illa verba canonis 9. sess. 14.: « Si quis dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit ».

Huc spectat et canon 6. sess. 14.: « Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino...; anathema sit ».

Verum si ad casum nostrum hanc doctrinam dicemus spectare, profecto plus probaret, quam quod quisque admissurus sit.

Et sane canone 7. dicitur eodem modo: « Si quis dixerit, in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae speciem peccati mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erubescendum...; anathema sit ».

Dicendum ergo foret, adversari s. Concilio doctrinam in Ecclesia catholica communiter traditam, multiplici ex causa omitti posse peccata mortalia, quae sane confitentis memoriae occurrunt.

Quod quidem cum nefas sit suspicari; reliquum ergo est, ut Synodus loquatur non de necessitate sacramenti, sed de necessitate praecepti positivi, quod interdum cesset urgere (a).

243. Id vero multo magis ex eo elucet, quod dum Synodus exponit, unde necessitas confessionis exoriatur, negat disserte, sufficere confessionem in genere, qua quis se peccatorem profiteatur; ex quo sequeretur, in casu ne nunc quidem moribundum absolvi posse, etiamsi saltem signa doloris et desiderii absolutionis expresse praebeat.

Ita s. Synodus cap. 5. sess. 14.: « Ex institutione Sacramenti Poenitentiae iam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino *integram* peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam exsistere: quia Dominus noster Iesus Christus e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christifideles ceciderint; qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. *Constat enim sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere duntaxat et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri* ».

Atqui tamen doctores admittunt in casu necessitatis, administrari sacramentum poenitentiae posse, etiamsi solum in genere fiat accusatio. Ergo neque in potissima illa parte, qua Synodus declarat non modo necessitatem utcumque, sed necessitatem, quae proficiscitur ex institutione et natura iudicii, aliam proponit doctrinam, quam quae ad ius positivum revocari debet, ac propterea quae pertinet ad necessitatem utique praecepti, non vero ad necessitatem sacramenti.

Quod et Auctor indicat in prima regula, ubi sufficere dicit generatim integritatem formalem, quia *praeceptum divinum non obligat ad impossibile:* quod principium male applicatur, ubi praeceptum versatur circa veram materiam essentialem sacramenti.

Hinc est, quod ibidem Trid. Syn. hoc unice obstare effectui sacramenti docet, quod quis scienter peccata reticeat. Ita eodem cap. 5.: « Itaque dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata Christifideles confiteri *student*, procul dubio omnia divinae misericordiae ignoscenda exponunt; qui vero secus faciunt *et scienter aliqua reticent,* nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt ».

(a) Ita quidem, ut eius obligationis exsecutio suspendatur, cum non potest impleri at maneat obligatio implendi praecepti huius, si deinceps poterit. — E.

Concludatur ergo; doctrinam de necessitate Confessionis, quam Tridentina Synodus exponit, nullatenus ad praesentem casum spectare, sed ad obligationem, quae propria sit tantum praecepti positivi, a qua impotentia excusat (a).

Ergo difficultas, quae petebatur vel ex necessitate materiae sacramenti, quae debeat esse sensibilis, vel ex necessitate confessionis seu accusationis ad ferendam sententiam iudicialem aut denique confessionis ex Tridentinis decretis, non ea est, quae impediat, quominus absolvatur moribundus, qui nullum det aut dederit signum doloris ac voluntatis sacramenti habendi: neque necesse est, ut hac de causa ad signa quaerenda in suspiriis, in respiratione aut aliis eiusmodi nosmet conferamus.

244. Veruntamen si necessarium non est signum seu simulacrum quoddam sensibilis confessionis, ex ullo supradictorum titulorum: aliud tamen est, quo confessario innotescere debet, ut rite possit sacramentum administrare et iudicialem sententiam proferre. Nosse videlicet debet, an ille, qui in periculo versatur, dignus, ratione dispositionis, sit venia seu an capax sit absolutionis. Etenim sicut v. gr. non posset absolvere eum, quem sciret esse mortuum aut eum, quem sciret non esse christianum, ita absolvere eum non posset, quem sciret carere necessaria dispositione ad recipiendum absolutionis beneficium.

Cumque dispositio necessaria ad hoc sit attritio, non quasi haec debeat esse sensibilis ratione materiae, aut quasi exterius prolata locum teneat confessionis, sed quatenus est necessaria conversio in adulto ad reconciliationem cum Deo; exinde non potest Sacerdos absolvere, nisi ei constet aliquo modo, moribundum ita esse per attritionem dispositum, ut sit capax absolutionis seu sacramenti recipiendi.

(a) Profecto ex eo quod impotentia excuset a *distincta* confessione, haud bene videtur colligi, obligationem eius esse tantum ex aliquo praecepto positivo, quod veluti superadditum sit sacramento, non vero esse ex ipsa institutione sacramenti. Nam et ab iis, quae instituta sunt tanquam *media* necessaria ad salutem, excusat identidem impotentia: quidni ergo et a confessione distincta, quae instituta sit tanquam pars medii necessarii ad salutem, excusabit impotentia? Verum adhuc manet vis argumenti. Ball. Nam cum ex. gr. baptismus ab adulto suscipi nequit, id quod ipsum iustificat, non est merum desiderium seu votum baptismi; sed actus caritatis, qui et illud continet votum: qui actus caritatis est quid aliud prorsus a baptismo et ex se vim habet (posita divina ordinatione) consequendae iustificationis. Ac cum poenitens nequit distinctam et plenam confessionem peccatorum facere, etsi solum in genere confiteatur, non per aliud medium, sed per ipsum sacramentum, dum absolvitur, iustificationem acquirit. Ergo etiam in hoc casu nihil deest essentiae sacramenti. Ergo confessio *distincta* non exigitur ab ipsa institutione sacramenti, prout ab hac est id, quod ad essentiam sacramenti spectat.

Difficilior erit quaestio, an confessio aliqua saltem generalis sit de essentia sacramenti: sed haec quaestio est tandem ea, quam Ball. ab initio tractavit (bene an secus, iudicent doctiores), cum demonstrare contendit, haud certum esse, actus poenitentis esse materiam *ex qua* sacramenti, esse *partem intrinsecam signi efficacis gratiae*. — E.

Heic autem possunt omnino locum habere dubitationes illae, utrum et quando ille, qui nullum signum praebuit aut praebet, ita censeri possit attritus, ut capax sit absolutionis; quas quidem quaestiones perperam alii, ut vidimus, instituunt, quasi agatur de materia sacramenti: cum hoc tamen discrimine, quod illi iuxta sua principia non satis habeant, si prudenter possit praesumi attritio nisi aliquo modo sensibilis fiat; nos vero nihil quaerere debeamus, fiatne sensibilis necne, sed solum debeamus quaerere, an adesse ipsam, praesumi possit.

Porro ubi expresse aliquo signo aut desiderium confessionis aut dolor peccatorum ab infirmo proditur, manifesta res est et absolutio impertienda est et quidem sine conditione.

Qua in re angi non debet scrupulis Confessarius, num, si mere signa doloris ostendantur, haec ordinentur ad sacramentum. Iam enim alias adnotavimus, doctrinam illam de necessaria ordinatione illorum actuum ad sacramentum profluxisse ex praeconcepta opinione de sacramenti huius materia. Et mirum est, quosdam tantum detulisse hisce placitis, ut negarent posse absolvi sacerdotem, qui, post factam confessionem in Missae introitu, repentino morbo corriperetur ita, ut nullum aliud signum praebere posset.

In hac re ordinatio residet in ipsa rerum natura, eodem prope modo ac status gratiae ordinatur ad percipiendum fructum Eucharistiae aliorumque sacramentorum, quae secundam gratiam conferre dicuntur.

245. Ceterum cum praesens hypothesis versetur circa eum, qui sensibus destitutus nullum signum praebuerit aut praebeat, unice superest ut Confessarius de hac dispositione coniiciat praesumptione quadam.

Et heic quidem recte locum habent ea, quae apud DD. reperiuntur dicta, num christiane vixerit, num bona vita vixerit infirmus. Qui enim bonam vitam agit, si in aliquod peccatum labatur, solet mox ipsum detestari sive immediate post, sive cum ad consueta pietatis opera revertitur, ad orationem, ad Missam audiendam etc.

Sed praeter eam hypothesim, quando ita intelligitur, quod christiane quis vixerit, ut non omnem abiecerit suae salutis curam ac fidem retineat, locus superest alicui praesumptioni, quod attritionem aliquam desideriumque salutis suae conceperit sive dum corriperetur morbo, quo a sensibus distractus est, sive dum exterius quidem destitutus omni sensu videtur, sui tamen compos est et actualiter exercet actus requisitos, sive dum inter sensuum destitutionem lucido aliquo intervallo non caret, quo se ad Deum per illos actus convertat.

Cum tamen haec omnia certitudinem quamdam non praeseferant, hinc in hisce casibus absolutio conferri et sacramentum administrari

debet sub conditione, nempe si capax sit; quae quidem conditio non necessario est exprimenda, sed satis est, si animo et intentione concipiatur (a).

XXXV. Secunda. Quando vel poenitenti, vel Confessario imminet periculum vitae quod nec illum integre confiteri nec hunc audire patiatur, sufficit integritas formalis. Ratio est, quia tunc materialis non est possibilis moraliter: *quod valet seqq. cass.*

1° Si poenitens, v. g. infirmus, uno alterove peccato dicto, deficiat vel sit grave periculum, ne deficiat.

2° Si infirmus volens confiteri, dum ei fertur viaticum, deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas et gravitas morbi non patiatur dilationem absolutionis. Gran. Dia. p. 5. t. 3. r. 75.

3° Si ipse Sacerdos in periculo constitutus videatur ante moriturus, quam poenitens absolvatur.

4° Si tempore pestis; prudentum iudicio, moraliter certum periculum sit, ne Confessarius inficiatur, qui si tamen totam audire velit, tenebitur ad eam poenitens.

5° Si immineat conflictus, vel sit multitudo moribundorum, verbi gratia, in naufragio nec possint omnes audiri. In quo casu possent etiam omnes, simul, dicto uno peccato, quod minus infamat (vel etiam secundum quosdam, si aliter fieri non possit,

---

(a) Res eo adducta est, ut facile cuilibet desiderium suboriatur alicuius authenticae declarationis in hac quaestione. Nam qui censent (et etiamnum pauci non sunt), actus poenitentis esse materiam *ex qua, intrinsecam et essentialem* sacramento, dicent utique et ipsi, dandum sub conditione absolutionem in ultimo casu, de quo B. loquitur: sed ratio cur id dicant, potius ex eo erit, quod contraria sententia non destituatur omni probabilitate saltem extrinseca, quam quod haec ratio impertiendi absolutionem praesertim ei, qui male vixerit, bene cohaereat cum eorum sententia.

Ubi enim materia essentialis deest, qui potest esse sacramentum? An vita christiana (si talis fuit) praecedens est quaedam postulatio Sacramenti et subiectio clavibus pro articulo mortis? Verum, ut cum Lugo disp. 17. n. 39. loquamur, accusatio et imploratio officii iudicis debet esse post commissum peccatum: « ridiculum enim esset, quod hodie quis vellet se accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur in virtute huius accusationis ». Voluntas ergo ea habitualis, quam tota vita gerere christianus dicitur, ut ei in morte per sacramenta Ecclesiae provideatur, non admodum conferre videtur.

E contrario, aetate Cardinalis Lugo, antequam haec alia sententia vires accepisset, satis aperta erat huius refutatio deducta » ex perpetuo usu Ecclesiae, quem decreta Pontificum et Conciliorum clare ostendunt, *dum semper addiderunt, absolvendum quidem esse infirmum, qui loqui non potest, si tamen voluntatis praeteritae testimonium aliorum verbis habeat,* quam conditionem in nullius concilii aut Pontificis decreto praetermissam videmus. » Lugo l. c. n. 40 Unde facilis erat conclusio: « non ergo expedit, in re tanti momenti, sub pietatis specie, sapere plusquam omnes nostri ss. Patres sapuerunt, sed observare terminos, quos apposuerunt nobis » ibid.

Profecto si a parte rei verum est, talem esse naturam huius sacramenti, ut infirmo, qui nullum signum poenitentiae aut petitae absolutionis dedit, possit dari absolutio sub conditione exsistentis tantum interioris dispositionis: negandum est, actus poenitentis esse materiam *ex qua essentialem* sacramenti. At affirmare, actus poenitentis esse materiam ex qua essentialem sacramenti et simul affirmare, posse in iis adiunctis (atque exinde debere) absolvi moribundum, duae sunt affirmationes, quae speculative et scientifice non cohaerent imo repugnant: quo iure ergo illi, qui priorem certam habet, vitio verti potest, si eidem in praxi se conformet, ita se gerens, quemadmodum veteres egisse constat?

Quod si credimus, rem speculative quoque incertam esse, locus est flagitandae (cum debita reverentia) alicui authenticae declarationi circa ipsam doctrinam. Nam argumenta Ballerini quamvis idonea videantur et certe sint ingeniose deducta, sententiam eius nondum evidentem effecerunt, quod neque ipse forte contendit. — E.

dicendo in genere se esse peccatores) absolvi, dicendo: *Ego vos absolvo,* etc. V. Sà v. *Absolutio,* et Conin. *de Sacr.* d. 7. dub. 9. * Non erit autem impotentia sufficiens, si multus fuerit ad eundem Confessarium concursus, ut volebat proposit. 59. inter damnatas ab Innocentio XI. *

246. Clara res est; nam hic quidam casus est impotentiae physicae vel aequivalentis, nempe moralis.

Casus propositi ab A. nulla egent declaratione. Notetur tamen obligatio manens distincte confitendi, si convalescat infirmus aut commode id facere possit.

Perpende, gravem esse posse defatigationem infirmi in prolixa confessione. Item contingere potest, ut, delato viatico, non possit diu expectari.

In casu 3. finge quod sacerdos sit in carcere cum aliis et ducendus sit ad supplicium pro fide, vel sit periculum naufragii, vel in incendio.

Quod in casu 4. dicitur, idem dic de aliis morbis, in quibus periculum sit contagii.

Et pariter idem dicendum est respectu poenitentis, si sacerdos morbo contagioso laboraret.

In casu 5., quod dicitur de uno vel altero peccato exprimendo, innititur fundamento seu principio parum solido. Verebantur enim quidam, ne, si directe absolverentur omnia peccata generaliter confessa, cessaret obligatio confitendi eadem speciatim. Haec consequentia non est necessaria, ut paulo post declarabimus (n. 261.). Retineatur, satis esse generalem confessionem.

Prop. 59. ab Innocentio XI. damnata haec est: *licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis vel indulgentiae:* qua de re inferius.

XXXVI. Tertia. Quando ex confessione certi peccati vel circumstantiae timetur merito grave damnum proprium vel alienum, sive Confessarii sive alterius, corporale vel spirituale, potest id reticeri. Ratio est, quia praeceptum divinum de integritate non obligat cum tanto incommodo, quod tantum esse posset, ut peccares confitendo, verbi gratia, 1° si sacerdos certum peccatum sit revelaturus (intellige cum Con. Card. de Lugo d. 16. n. 527. quod poenitens ipse non teneatur revelare): 2° si sciat, v. g. mulier, ex certo peccato sibi vel Confessario fore periculum ruinae: 3° si poenitenti inde immineat grave damnum vel periculum vitae vel famae. In his tamen casibus videtur requiri necessitas confitendi, verbi gratia ob communionem annuam, vel si longo tempore alioqui esset differenda. Vid. Filliucc. t. 27. c. 6. Card. de Lugo loc. cit. Ubi monet, talia damna aut pericula non facile fingenda esse et quidem in Religioso vix posse locum habere.

247. Timetur grave damnum proprium temporale, si v. gr. incurrat poenitens odium et persecutionem Confessarii, vel hoc periculum im-

mineat alteri: spirituale, si vereri possit, ex confessione fieri posse, ut vel Confessarius poenitentem ad malum provocet, vel peccet ipse Confessarius etc.

Ad 1^m. Quod intra parenthesim est, ita declarat Lugo disp. 16. n. 525.: « Si peccati revelatio extra confessionem timeatur. Quod tamen intelligi debet de revelatione, ad quam ipse poenitens non teneatur (cf. Gobat *de Sacram.* tr. 6. n. 446.). Potest enim esse casus talis, ut poenitens debeat dare licentiam Confessario manifestandi illum extra confessionem (vel ipse poenitens revelare extra confessionem debeat, puta si iam parata esset internecio civium); quam licentiam si dare noluerit, Confessarius non posset eum absolvere. Quo casu poenitens certo timet revelationem illius peccati extra confessionem, si velit suae obligationi satisfacere et tamen non ideo excusatur ab eo peccato confitendo; quia illud damnum non est aliud, quam quod necessario consequitur ex obligatione ipsius poenitentis ». Quae ne ita accipias, quasi Confessario asseratur ius manifestandi peccatum extra confessionem, invito poenitente; revelatio enim, de qua sermo est, est revelatio facienda ab ipso poenitente vel eo annuente, a Confessario aut ab alio: quae tamen revelatio poenitenti non placet, etsi ad eam teneatur.

Coninck vero ab A. citatus disp. 9. dub. 2. n. 36. intelligit hoc alio quoque sensu, nempe etsi, invito poenitente, Confessarius peccatum esset manifestaturus; id non excusare ait ab integritate confessionis, quando poenitens tenetur peccatum manifestare. Cur enim, ait, qui suum peccatum etiam cum vitae periculo tenetur revelare, non tenetur id confiteri ei, qui hoc est revelaturus? nullum enim poenitens iniustum damnum inde est subiturus.

Utique poenitens, qui nollet huiusmodi suum crimen prodi, non esset dispositus ad absolutionem: habet tamen ius (cf. dicenda de sigillo), ut, ipso invito, Confessarius crimen non prodat et idcirco Confessario in his adiunctis reliquum erit quidem dimittere hominem haud absolutum, non vero pandere crimen. Quia vero poenitens tenetur manifestare crimen, ut publicum damnum avertatur, ita ut si nolit manifestari, non sit dispositus ad absolutionem, cessat in ipso ius confitendi, reticito eo crimine, si nolit is illud per se ipsum manifestare; quia cessat ius petendae absolutionis. Non enim est in bona fide; cum noscat obligationem aut revelandi aliis per se crimen, aut dandi veniam Confessario revelandi.

Pariter si sciat poenitens, Confessarium usurum notitia accepta ad alium infamandum (Suarez disp. 23. sect. 2. n. 2.), reticere potest.

248. 2° Si sciat poenitens, narratione alicuius peccati Confessarium excitatum iri ad prava desideria vel fore, ut ipsam invitet et sollicitet

ad eadem peccata secum facienda et femina timeat sibi ex illa sollicitatione periculum consentiendi vel certe importunas preces, aut ibi aut dein domi aut instantiam confessarii: quod non leve incommodum feminae affert (Lugo disp. 16. n. 534.), praesertim cum sibi aut suis alias molestias timere a Confessario posset, si desideriis eius non satisfaceret.

Duo tamen advertenda. 1° Monet Suarez l. c. id valere, quando scandalum sit ex fragilitate alterius; non vero, quando sit ex mera eius malitia et nihil pro se timere mulier possit ex supradictis. Quod idem advertit Lugo l. c. Tunc enim docent, si rationabilis causa sit accedendi ad confessionem, posse periculum illud Confessarii contemni, iuxta communes doctrinas de scandalo. Vix tamen in turpi materia non aderit motivum fragilitatis. Secus, si de alia materia agatur, si v. gr. scires, Confessarium audita excandescentia tua in principem, excitaturum te ad rebellionem ac vindictam.

2° Valde cavendum, ne de Confessario talis suspicio foveatur sine gravi admodum fundamento: quale esset, si sciret poenitens eum aliquando, propter in confessione audita, male tractasse (inquit Coninck disp. 7. n. 75.) aut aliquando audita revelasse aut ad flagitium sollicitasse aut tam proclivem esse in ea vitia, ut obvias quasque sibi familiares facile ad turpia sollicitet.

Huc etiam spectat aliud poenitentis periculum (Coninck l. c.), quando verendum sit, ne si poenitens diutius haereat in examine circa peccata carnalia, ad prava desideria aut delectationes excitetur. Tunc enim praestat ea leviter examinare, quam peccare delectatione aliqua; etsi inde fiat, ut aliqua oblivioni tradantur aut taceantur aliquae circumstantiae etc.

Eademque de causa Confessarii in similibus peccatis examinandis aut eorum circumstantiis valde caute se gerere debent etc.

Vix tamen haec de peccato tacendo ob periculum Confessarii ad praxim deducuntur. Etenim fidelibus haec palam tradi non possunt neque debent. Superest igitur casus, quo Confessarius excipiens confessionem alicuius animadvertat, eum in quopiam eiusmodi periculo versari.

Quemadmodum etiam fieri potest, ut Confessarius prohibere debeat poenitenti, ne ad quempiam Confessarium, etiam sine ipsius Confessarii culpa, accedat; quia v. gr. poenitens pravis desideriis peccat et detinere multis sermonibus ea de causa confessarium, rei non conscium, solet. Quod si feminae id contingat non cum peculiari aliquo Confessario, sed generatim cum omnibus, vix sciet Confessarius, quodnam remedium adhibeat, praeter remedia, quae adversus malam voluntatem proponi debent.

249. Quoad 3m. Circa periculum famae non omittendus casus duplex, quem sic proponit Roncaglia *de Poenit.* cap. 3. q. 1. resp. 2. et innuit s. Alph. n. 485. Adest pariter moralis impotentia, si ex integra confessione immineret poenitenti grave famae dispendium, vel quia ex. gr. sit in talibus circumstantiis, ut alii etiam audituri sint sua peccata (multiplex casus fingi potest, v. gr. de reo, qui vinculis cum alio colligatus est, de naufragantibus etc.); vel quia si integre confiteretur, confessio futura esset valde prolixa cum gravi ipsius nota, quod accidere potest, *si urgeat necessitas communicandi* vel celebrandi, atque adeo ex valde prolixa confessione necessario poenitens infamiae notam incurrat ». Ad quem casum merito notat s. Alph. n. 485. non esse confundendum cum casu generali prolixae Confessionis, quae suspicionem iniiciat multarum culparum. Quae suspicio nimis vaga est, uti patet ex multis rationibus longae morae cum Confessario, etiam ubi multae non sunt culpae.

Ceterum omnes doctores heic disserte notant, incommodum, quodcumque illud sit, quod ab integritate materiali excusare queat, eiusmodi esse debere, quod sit *extrinsecum* (alii dicunt *extraordinarium*) ac non per se connexum cum natura confessionis nec unquam excusare incommodum, quod intrinsecum sit ipsi confessioni peccatorum et per se adnexum huic confessioni; cuiusmodi e. gr. dispendium temporis pro audiendis singulis confessionibus in magno concursu.

Inde consequitur, ab integritate nunquam excusare aut confusionem seu pudorem in revelando aliquo peccato, aut timorem reprehensionis aut poenitentiae etc.

Ratio, quia cum Christus praecepit confessionem omnium peccatorum gravium, consequenter voluit, ut poenitens subiret ea omnia onera, quae cum eiusmodi confessione connexa sunt. Quamquam non idcirco prohibeatur poenitens, quominus quaerat eum Confessarium, apud quem non patiatur aut minus patiatur haec incommoda nec rursus prohibeatur, quominus statum suum celet, v. gr. si presbyter noctu, vel habitu laicali accedat, quia pudet presbyterum fateri v. gr. quod furta commiserit aut alia peccata, quibus extrinseca sit circumstantia personae sacrae.

250. Monet autem A., requiri aliquam necessitatem confitendi in his casibus.

Et duas causas enumerat Auctor, scilicet 1° necessitatem satisfaciendi praecepto annuae communionis: 2° Ne quis diu careat beneficio sacramentorum. Quibus addi debent non modo, 3° periculum mortis, sed etiam 4° necessitas sumendi Eucharistiam aut celebrandi, si praetermitti haec non possent sine nota aut scandalo. Imo 5°, ut addit

Suarez disp. 23. sect. 2. n. 7., etiam magna utilitas, quam per se affert sacramentum et augetur ob frequentiam eius.

Addit autem Suarez ibid. n. 6., casum necessitatis confitendi (diminute quidem) ad vitandum scandalum ob omissionem communionis vel ad implendum praeceptum annuae confessionis, hoc pacto esse limitandum, si nempe poenitens habeat aliud grave peccatum, non vero si habeat sola venialia, quia, inquit, ob sola venialia non obligaretur ad confessionem. At bene id, si agatur de praecepto annuae confessionis, quod tunc non urget. Verum quoad secundum casum de scandalo, nisi sumat Eucharistiam, id non valet, si poenitens posset dubitare, an habeat contritionem perfectam. Sic ergo limitate intelligendus Suarez.

Adde quod exstat in subiecta s. Alphonsi notula, nempe ex sententia Lugo ac Salmanticensium, quibus addi possunt Suarez, Viva et alii (vid. s. Alphons. n. 490. ad III.), sufficientem causam non confitendi integre esse, si quis deberet secus per duos dies manere in peccato mortali, ob periculum damnationis. Imo s. Alph. l. c. n. 490. addit: « Sed mihi videtur, durum esse ei, qui est in mortali, manere sine absolutione etiam per diem etc. ». Quam in rem affert auctoritatem etiam aliorum.

Hinc patet error p. De Caboneano, qui ad Antoine *de Poenit.* cap. 1. art. 2. q. 6., dicit, *poenitentem teneri per aliquod tempus, si commode potest, differre confessionem, ut habeat alium confessarium, cui complex ignotus sit, nisi urgeat praeceptum confitendi aut communicandi.*

At vero si res ita habet, ego non intelligo, cur hanc difficultatem s. Doctor spernat, quando agitur de differenda absolutione illi, qui est iam dispositus, ob aliquam eius utilitatem et quidem ipso poenitente invito. Nam si tam grave censetur manere in statu peccati, ut prae hoc malo nec ratio habeatur integritatis confessionis, quae est divini iuris nec peccati, quod perpetratur a malo Confessario absolvente nec scandali cuius occasio fiat confessio Confessario, nec etiam iuris naturae, quod vetat alterius infamationem (hoc enim s. Alph. dicit, ubi agit de casu revelandi complicem): profecto non video, quomodo non idem praevalere debeat cuipiam incertae utilitati, quam Confessarius speret ex dilatione et quidem utilitati, quam Confessarius non tenetur quaerere nec proficiscitur ex natura sacramenti, sed ex zelo, qui alio modo compensari posset, et quem Christus non exigit: cf. dicenda c. II. dub. 5. sub. init.

251. Postremo heic notandum cum DD. communiter, quod qui peccatum aliquod ex causis praedictis omittit, tenetur utique illud subii-

cere clavibus Ecclesiae; sed haec obligatio ex nulla lege urget statim. Sufficit, ut id fiat, cum prima vice suo tempore poenitens, vel ex obligatione vel sponte, confiteatur, ut dictum est n. 205.

Et idipsum puto dicendum, si de sacerdote agatur. Nam lex specialis pro sacerdote, qua iubetur confiteri *quamprimum,* refertur ad casum, quo celebrat non praemissa confessione. Ita vero confessionem iam praemisit. Ergo satis est, si et ipse peccatum illud confiteatur, cum suo tempore confitebitur et absit ratio reticendi. Vid. s. Alph. lib. 6. n. 267.

Qui oppositam tenent, iidem sunt qui obligationem imponunt laico confitendi peccata oblita, antequam communionem accipiat.

XXXVII. Quarta. Si quis aliquod peccatum vel circumstantiam non possit confiter sine violatione sigilli, verbi gratia, si invalide absolvisses simoniacum nec posses confiteri, nisi illi, qui facile inde posset coniicere, quisnam ille esset.

252. Nescio, cur A. selegerit hoc exemplum de absoluto invalide simoniaco: nec enim necessarium videtur ad integritatem, ut specialem hanc circumstantiam quis exprimat. Sed alia exempla sunt in promptu, si v. gr. constet, ipsum unius tantum confessionem audivisse et peccaverit requirens nomen complicis. Si hoc confiteretur, significaret, poenitentem suum graviter peccasse et cum interrogatio de complice sit contra ius famae alterius, non sufficeret dicere se sacrilegium patrasse. Posset tamen dicere, se 1° peccasse reali sacrilegio, 2° induxisse ad gravem infamationem.

XXXVIII. Ex omnibus supra dictis sequitur excusari etiam sequentes ab integritate materiali. 1° Qui habent casum reservatum, de quo infra, vid. Laymann l. 5. t. 6. c. 12. 2° Scrupulosum, qui perpetuo angitur de oblitis. 3° Quem Sacerdos absolvit ante finem, nolens omnia audire, ut habet Bon. hic. 4° Quem fallit memoria, ita ut dicat, se scire in genere, quod peccaverit mortaliter, non occurrere autem speciem peccati: etsi tunc veniale aliquod addere sit consultum. Ita Conin. et Laym. loc. cit. contra Sot. et Medinam. 5° Eum, qui extreme rudis vel simplex dicit se dolere de peccatis, nullum tamen in specie, ne veniale quidem, sciat dicere: qui etsi, speculative loquendo, posset absolvi, practice tamen non expedit, sed data benedictione permittatur communicare. Ita Laym. loc. cit. 6° Qui aliquod peccatum non potest confiteri sine complicis infamatione verbi gratia, si peccasses cum matre, vel sorore, quam Confessarius nosset; tunc enim, si alium Confessarium non potes habere quem alias adire tenereris, sufficeret, imo deberet dici, quod animo cum ea, vel in genere cum aliqua, fornicationem, vel incestum commisisses, reticendo gradum primum vel secundum, quoad licebit sine manifestatione complicis, cum proposito confitendi integre Sacerdoti alteri, proxima occasione. Ita probabiliter Navar. c. 7. Bon. Conin. Valent. Praep. *hic dub.* 6. Gomez. etc. Ratio est, quia quando duo praecepta divina concurrant, naturale et positivum, quae simul servari non possunt, praeferendum est naturale; quia strictius obligat. Etsi probabilius contrarium doceant Fill. Suarez, Vasquez, Less. Card. de Lugo disp. 16. n. 394. Hurt. Con. et alii commun. Unde talis saltem non tenebitur tacere id peccatum, ne complicem infamet, nisi commode possit (quod Cardin. de Lugo extendit etiam ad non

complicem, sine cuius manifestatione peccatum explicari non potest) ideoque Confessario curandum, ne nominentur personae, nisi ad poenitentis directionem opus esset; tunc enim infamia ista non tanti aestimatur eamque sibi imputet, qui peccavit. Conferendum tamen est commodum directionis cum infamia. Ratio supradictorum omnium est; quia in his casibus moraliter non potest fieri confessio materialiter integra. Laym. cap. 8. Fagund. p. 1. cap. 3. Vide Dian. p. 3. t. 4. res. 64. et 131. et p. 1. t. 7. res. 49. Less. lib. 2. cap. 11. d. 11. Tamb. *de Exped. conf.* d. 2. cap. 9. §. 2. ubi docet probabile esse, quod talis poenitens propter solam consolationem, quam sentit ab amico vel docto Confessario, possit ei confiteri, etsi alium habere possit.

253. Ad 1^m^ *De casu reservato.* Adverte, quod causae, quae enumeratae sunt n. 250. sufficere possunt, ut confitear apud eum, qui non habet peccati reservati absolvendi facultatem; quo casu probabile est, posse peccatum reservatum omitti, ut inferius videbitur, c. II. dub. 4.

Ad 2^m^ *De scrupulosis.* Superius iam vidimus, non permittendum scrupulosis, ut peccata, quemadmodum ipsi dicunt, oblita confiteantur; nisi certo sciant, imo iurare possint, se ea nunquam confessos fuisse.

Sed praeterea addunt DD., quod etiamsi scrupulosus sibi certe videatur omisisse quaedam peccata, tamen ad ea confitenda non tenetur. Seu, ut melius dicamus, interdicendum est scrupuloso, ne confessiones iteret, etiamsi aliqua peccata non fuisset confessus (ex oblivione). Ratio est, quia tam grave est damnum et periculum, dum animus scrupulosi in iis perplexitatibus et angustiis tenacius inhaeret, ut prae hoc incommodo contemni possit periculum deficiendi ab integritate confessionis. vid. Ligor. lib. 6. n. 488. et lib. 1. n. 16. Est scilicet haec sufficiens ratio excusans ab integritate materiali.

254. Ad 3^m^. Casus est, quando sacerdos subito contulit absolutionem, antequam poenitens integre fateretur peccata et dein alia audire non vult. Bonacina *de Poenit.* disp. 5. q. 5. sub 2. punt. 2. §. 4. n. 4. Et ratio clara est, adest enim impotentia nec poenitens teneretur repetere ea, quae iam confessus fuerat et a quibus valide absolutus fuit, etsi sacerdos peccaverit; nihil enim ex parte poenitentis defuit atque tum materia tum forma sacramenti exstiterunt. Cetera vero peccata, indirecte solum remissa, erunt in alia confessione manifestanda.

Ad 4^m^. Pro hac sententia allegatur et s. Thomas in 4^m^ d. 21. q. 2. a. 1. ad 1^m^ a Laymann *de Poenit.* cap. 8. n. 7. et casus esse potest: si quis, ut inquit Laymann, recordetur tantum in genere se mortaliter peccasse, in peccatum cogitatione consentiendo vel noxium aliquod loquendo etc.

Quod additur: *consultius esse veniale in specie addere*, non est necessarium; quia praedicta est materia sufficiens imo et necessaria: ut iam monuimus n. 241. atque ita idem Laymann et cf. dicenda n. 261.

255. Ad 5^m^ *De rudi.* Ut sincere fatear, rationes (vid. Laym. cap. 8. n. 8.), quae afferuntur pro illa praxi, scil. non absolvendi, extra mortis

periculum, sunt valde leves nec video, cur propter eas sit privandus fructu absolutionis ille, qui ponit materiam sufficientem, cuiusmodi est confessio illa generalis (et haec habet veritatem, quia nemo est qui saltem leviter non peccet) et impotens est ex hypothesi ad integritatem materialem servandam.

Rationes, quas videre est apud Laymann l. c. sunt: quia, quantumvis examinatus, materiam sacramento suppeditare nolit; quia haec est praxis bonorum confessariorum: quia periculum est, ne tales homines propter ruditatem suam, careant etiam vero dolore, sed solum dicant, se peccasse, quia audierunt omnes homines esse peccatores; quia si supernaturalem dolorem habeat, iustificabitur per Eucharistiae susceptionem.

Profecto hae rationes non cogunt; quia tandem ea confessio generalis in his adiunctis est materia sufficiens, teste ipso Laymann.

Addit vero scite Laymann *de Poenit.* cap. 8. n. 8., quod huic praxi negandae absolutionis locus raro erit; quia poenitens a Confessario adiutus et examinatus facile dabit expressam aliquam materiam. Nemo enim tam hebes videtur, qui apprehendere et recordari nequeat, se v. gr. in oratione negligentem fuisse, verbum otiosum aut noxium loquutum fuisse etc. Sed neque laborare valde de hoc Confessarius debet, quia non est necessarium et potest esse inopportunum.

256. Ad 6^m^ *De complicis manifestatione.* Casus, de quo in praesens vix in praxi locum habet; quia poenitentes communes nesciunt haec: occurrere tamen potest in personis, quae has materias norunt, v. gr. in presbytero. Proinde laici generatim aut statim dicunt circumstantiam complicis aut victi erubescentia tacent peccatum aut circumstantiam mala fide et ideo sacrilege confitentur.

Huc ergo potissimum haec doctrina conducet, ut Confessarius, qui cognoscat, poenitentem, ne complicem manifestaret, aut sacrilege confessum fuisse aut omisisse confessionem aut magno incommodo quaesivisse novum confessarium, valeat, si prudentia dictet et circumstantiae exigant, monere poenitentem, quod in his vel illis adiunctis liceat tacere circumstantiam illam, de qua postea cum alio confiteatur.

Ceterum exemplum, quod A. habet, minus facit ad rem; quia circumstantia diversi gradus in incestu, ut alias diximus, non est necessario exprimenda ex satis solida sententia.

Quidquid sit de hoc exemplo, plura alia sunt, v. gr. generalis circumstantia incestus, vel sacrilegii, peccati scil. carnalis cum persona sacra etc. quae sunt eiusmodi, ut habita ratione circumstantiarum necessarie complicem manifestent, quia unica noscitur persona, quacum peccari sic potuerit.

257. Quaestio ergo est, an sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod explicari nequit sine complicis revelatione. Ratio difficultatis ex una parte est, obligatio non laedendi famam proximi per criminis occulti manifestationem, quae obligatio non est tantum ex caritate sed ex iustitia : ex alia parte est obligatio integrae confessionis.

In primis illud inter omnes convenit, debere poenitentem, quando commode id fieri potest, quaerere alium Confessarium, cui complex sit ignotus, ut eius famae parcat et ipse integre confiteatur. Obligationem quaerendi alium Confessarium, cui complex sit ignotus, quando commode fieri id potest, communissime adstruunt DD. nec nisi pauci quidam id consilii esse affirmarunt, quorum sententia ab omnibus reiicitur, ut videre est apud s. Alphonsum lib. 6. n. 489. et Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 392. Non licet enim absque causa aliquem infamare. Controversia ergo inter DD. non eo spectat, utrum liceat confiteri peccatum cum infamia complicis, quando adhibito alio Confessario facile vitari hoc incommodum potest, sed potius utrum deficiente alio Confessario, cui complex sit ignotus, silentio premenda sit circumstantia, quae complicem detegeret, an non.

Duplex vero est sententia (s. Alph. n. 489.): plures affirmant, obligationem esse in hac hypothesi confitendi peccatum etsi complex reveletur atque hanc sequitur s. Alph.: alii negant licere talis peccati confessionem, sed tacendam esse aiunt circumstantiam saltem, unde complicis revelatio prodiret. Pro hac sententia citatur inter alios Navarrus, Valentia, Ludovicus Lopes, Bannez, Diana etc. Lugo disp. 16. n. 393.). Porro, si utraque sententia est probabilis, ut Gury §. 499. fatetur, sequitur in praxi tertia sententia, quod nempe in supradicta hypothesi possit poenitens, sed non teneatur eam confessionem facere, qua complicem prodat.

258. Iam vero ratio sententiae negantis una est, praeceptum nempe servandi famam proximi, utpote naturale, praeferendum est praecepto positivo integritatis confessionis; cum praesertim huius observatio non tollatur, sed solum differatur.

Quod spectat vero ad argumenta sententiae affirmantis, Lugo, postquam l. c. n. 395. ostendit minus firmam pro hac opinione esse rationem, *quod non sit grave damnum infamari apud unum Confessarium*, quod, inquit, *supponit aliam sententiam falsam, quam impugnavi in tractatu de Iustitia et Iure*, id ipsum et de rationibus ab A. allatis statuit ibid. n. 397. « Alii, *inquit*, probant, quia poenitens utitur iure suo confitendo peccatum suum et complex se exposuit huic manifestationis periculo, cum sciret obligationem, quam unusquisque habet con

fitendi integre peccatum suum. Sed haec omnia et similia continent petitionem principii et supponunt probandum. Nam de hoc ipso est quaestio, an poenitens habeat ius ad infamandum complicem et per consequens, an id faciens, utatur iure suo. Unde falso supponitur, quod complex se exposuit huic damno. Nam si poenitens non habet ius, vel id aliunde non probatur, non se exposuit ulli tali periculo.

Neque vero firmius videtur argumentum, quod, superioribus reiectis, sufficere Lugo conatus est l. c. n. 398., nimirum quod *cum bonum confessionis integrae tale ac tantum sit, ut propter illud Christus obliget poenitentem ad manifestanda sua crimina et subeundam infamiam, consequens sit, ut propter illud idem bonum permiserit manifestationem criminis alieni.* Adeo enim dispar est causa famae propriae et famae alienae, ut ex omnium atque adeo etiam ex eius sententia tenear, si possim, alium Confessarium quaerere, cui ignotus sit complex, nullatenus vero quaerere Confessarium, cui ipsemet ignotus sim.

Accedit, quod externae auctoritatis pondus, spectatis Doctorum tum numero tum insigni nomine (vid. apud eundem Lugo l. c. n. 393.), haud levius appareat pro opposita sententia, quae obligationem integrae confessionis, ex qua complex manifestaretur, disserte negat. Quocirca sufficiens ratio, qua quis ad eiusmodi circumstantiam confitendam adigatur, penitus deesse videtur.

259. At enim quamvis par utrique huic sententiae probabilitas suffragari videatur, non tamen par est utriusque causa. Mera enim probabilitas sententiae, quae integritatem exigit etiam cum complicis manifestatione, impar est ex generali canone ad certam obligationem inducendam. At vero nulla alia praeter hanc ipsam obligationem ratio adest, quae a servanda complicis fama excusare queat. Ergo, seclusis aliis incommodis, integra manere videtur obligatio circumstantiam illam tacendi, quando ex eiusdem confessione alterius infamia consequatur.

Dixi, *seclusis aliis incommodis;* nam (quod et alii indicant) si poenitens speciali de causa indigeat directione atque consiliis Confessarii, quia v. gr. in complice proximam habet occasionem peccandi, alius vero Confessarius non adsit, aut cui complicis persona sit ignota aut qui idoneus ad apta consilia suppeditanda par sit ob incompertas poenitentis circumstantias; hic certe non tenebitur grave aliquod animae suae discrimen subire, quo alterius famae consulat. Veruntamen raro sane continget, ut eiusmodi directio ita sit necessaria et adeo urgeat, ut nulla exquirendo consilio mora interiici possit.

Perinde erit, si quis, ut ait s. Alph. n. 490., difficulter alteri quam consueto Confessario, aperiret conscientiam suam, ut periculum foret,

ne alii confitens sacrilege confiteretur; esset enim magnum incommodum, quod poenitens subire non tenetur, ut alienae famae parcat.

Itaque cum conveniat, ut diximus, inter omnes, quaerendum esse alium confessarium, cum commode fieri potest; ii, qui negant, complicis circumstantiam taceri unquam posse, causas plures admittunt, quae excusant poenitentem a quaerendo alio confessario. Quas quidem causas, etsi forte non omnes, alii quoque, qui obligationem negant peccatum confitendi cum revelatione complicis, admittunt ceu sufficientes, non quidem, ut revelari proximi crimen licite possit, sed quatenus in iis adiunctis liceat ad sacramentum poenitentiae accedere etiam non servata confessionis integritate, complicis nimirum circumstantiam servando confessioni, in qua laedendi famam alterius periculum absit.

260. Hae autem causae sunt, quas enumeravimus supr. n. 250. Quibus addi possunt ex DD. iudicio sequentes:

1° Si alicui solito celebrare vel communicare quotidie grave esset omittere confessionem vel celebrationem.

2° Si alias privaretur beneficio iubilaei vel indulgentiae.

3° Addit s. Alph. n. 490. ex Roncaglia: « Si credatur complex cessisse iuri suae famae, puta si frater peccavit cum sorore, quam scit, seiungi non posse a comitatu matris, ut alium adeat confessarium ». Verum 1° forte frater non cogitavit de hoc; 2° heic supponitur quod est in quaestione, scil. teneri poenitentem revelare circumstantiam. Quocirca in sententia, quae hanc obligationem negat, haec ratio non habet locum. Verum, ut monui sup. n. 256. haec in praxi vix ullum usum habent.

Porro si ex probabili DD. sententia poenitens excusatur a confitenda circumstantia, alias necessario exprimenda, ideo ne prodat peccati complicem; patet, multo minus licere Confessariis, ut nomen complicis exquirant a poenitente.

Qua de re infra, cum de obligationibus Confessarii.

261. * Loquentes de integritate formali, incidimus in eam sententiam, quod identidem ad formalem integritatem satis sit confessio quaedam generalis: *accuso omnia peccata a me hactenus admissa*, a qua secundum sensum non distat haec alia: *accuso me peccatorem*. Difficultas contra usum huius confessionis proponitur a Lugo disp. 17. n. 13. Scilicet absolutio sacramentalis debet ad aliquid directe terminari: iam vero in casu hoc nihil directe remitteretur per absolutionem; nam quod directe est remissum, non est amplius opus subiicere clavibus, constat autem obligationem manere confessionis distinctae mortalium. An directe remittitur peccatum in genere, retinetur in individuo? Sed cum sit idem tandem peccatum, haberemus idem simul retineri et remitti, quod implicat.

Responsio a Lugo allata l. c. n. 15. quam cf. sis, difficilis est et, ut verum fatear, eius vim non assequor. Salvo meliori iudicio, cur haec duo non possunt componi: propter istantem necessitatem peccata in genere confessa remitti directe: manere tamen obligationem, distincte ea confitendi, cum fieri poterit? Idem sane dicere debent, qui dicunt, peccata ut dubia confessa et absoluta, si deinde eorum certitudo obtineatur, rursus ut certa manifestanda esse; negare enim non possunt ea fuisse prius directe remissa. Idem valet in confessione generali moribundi, qui postea convalescat. Et certe res, quae a positiva tandem lege pendet, per se non repugnat. *

Articulus III.

De reliquis Confessionis Conditionibus.

XXXIX. Resp. Praeter integritatem sunt hae tres.

Prima, *ut sit vocalis,* scilicet ordinarie idque propter usum et praxim Ecclesiae graviter obligantem, nisi subsit iusta causa, ut impotentia, sive physica sive moralis quae si adsit, potest fieri nutu, scripto aliove signo: verbi gratia si quis ob anxietatem loqui non possit, aut puella supra modum verecunda aliter se non possit explicare, quam scripto, quo a Confessario lecto, addat voce: de his me accuso, Suarez, Vasquez, Card. de Lugo, Laym. lib. 5. t. 6. cap. 6. n. 3. Imo qui aliter non potest, tenetur iuxta communem sententiam confiteri per nutus aut scriptum tempore praecepti: etsi id quoad scripturam non admittant Navar. Tol. Sot. Valent. Dian. extra articulum mortis. Vid. Card. de Lugo d. 15. n. 87. Similiter suadendum esse surdis, ut confiteantur scripto (licet ad id non teneantur) ne ab aliis audiantur: eandemque ob causam eos non interrogandos, nisi de plane necessariis, ex Possev. docet Dian. p. 3. t. 4. r. 127. et p. 5. t. 6. r. 5.

262. De prima conditione, ut sit *vocalis*. Rationem huius conditionis affert s. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. ql. 3. « Quamvis ad confessionem, secundum quod est actus virtutis, sufficeret, qualitercumque fieret... ; tamen secundum quod est pars sacramenti, habet determinatum actum, sicut et alia sacramenta habent determinatam materiam. Et sicut in baptismo, ad significandam interiorem ablutionem, assumitur illud elementum, cuius est maximus usus in abluendo, ita in actu sacramentali, ad manifestandum ordinato, assumitur ille actus, quo maxime consuevimus manifestare, scilicet per proprium verbum ».

Hinc Eugenius IV. in decreto pro Armenis non confessionem solum sed *oris confessionem* dicit. Legem confessionis vocalis esse graviter obligantem, nisi adsit iusta causa aliter agendi, docet A. Obligatio haec eiusque gravitas nequit colligi ex sola institutione sacramenti aut aliquo positivo praecepto Ecclesiae, quod se invenisse negat Suarez, sed colligitur, aiunt, ex Ecclesiae constanti consuetudine in re per se spectante ad convenientem modum suscipiendi sacramenti ideoque in re gravi: cf. resol. seq.

Sufficiens autem ratio aliter confitendi est quaevis gravis difficultas aut nimia verecundia. Cf. Suarez disp. 21. sect. 3.

In casu autem impotentiae loquendi, en doctrina s. Thomae, qui l. c. ait ad 2^{m}: « In eo, qui usum linguae non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguae, sufficit quod per scriptum aut nutum aut interpretem confiteatur; quia non exigitur ab homine plus quam possit... Et ideo quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri ».

Hanc autem conclusionem, quod, quando aliter fieri, nequit, obligatio sit confitendi scripto, alii quidem admittunt, ut Lugo, alios citans disp. 15. n. 87., alii negant. Sed de hac re iam locuti sumus sub §. XXXIV. sicut et de obligatione confitendi per interpretem n. 234. cf. ibid.

Ex ibi dictis haec in praxi teneri possunt, 1^{0} neque in articulo mortis necesse esse uti scripto: 2^{0} neque de necessariis interrogandos esse surdos, si periculum sit violandi secretum.

Unde resolves hunc casum.

XL. Is, qui extra necessitatem totam confessionem facit nutu vel scripto, mortaliter peccat ac consequenter non absolvitur. Dian. par. 3. t. 4. r. 127. ex Sylvio. Vid. Fill. t. 1. t. 7. c. 1. Con. d. 6. dub. 1. Suar. d. 21. sect. 2. n. 5.

263. Quod peccatum grave sit fateri scripto, rationes sunt valde leves. Fatentur enim doctores (vid. Suarez l. c. ab A. n. 6. Lugo disp. 15. n. 77.), nullum exstare praeceptum aut divinum aut ecclesiasticum, nec colligi necessitatem vocis ex institutione ac natura Sacramenti. Addunt tamen, quod videatur inducta obligatio ex consuetudine. Sed non video, quomodo sibi obligationem voluerint imponere *exclusive* utendi hoc medio. Consuetudo repetenda est potius ex eo, quod modus commodior sit et remotior a periculo revelationis.

Ceterum, ut vidimus, Suarez fatetur, nullum esse peccatum, si rationabilis sit causa: porro rationabilis est, si magna quis verecundia afficiatur etc., vel si quis non alio modo putet, se integre posse conscientiam suam aperire sive ob scrupulos, sive ob tentationem tacendi etc.

XLI. Secunda conditio, *ut sit secreta,* id est, ut fiat soli Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed usu Ecclesiae. Publica autem, qualis in naufragio, praelio, hospitali, ubi alii adiacent, vel per interpretem fit, non obligat (saltem respectu peccatorum occultorum), nisi ex caritate sui, eum, qui in articulo mortis dubitat de contritione ac tum adhuc sufficit ea confiteri, quae minorem pariunt infamiam. Ita Suarez, Fagund. Dian. p. 3. tr. 4. r. 29. etc.

264. Quod confessio sit secreta, non est tantum ex usu Ecclesiae sed ex iure divinitus concesso poenitenti. Cf. dicenda de Sigillo.

Si publice in articulo mortis confitendum sit, sufficit generalis confessio ut alibi diximus.

Unde resolves.

XLII. Si quis peccata in prioribus confessionibus oblitus esset, non tenetur etiam in articulo mortis ea confiteri publice vel per interpretem; quia peccatorum oblitorum confessio tantum obligat ex praecepto positivo divino, quod hoc in casu cessat. Vid. Laym. c. 6. Dian. p. 3. t. 4. Resp. 128. et 129.

265. Idem dicendum ergo est de non oblitis; quia *specialis* confessio *publica* nec in articulo mortis iniungi potest.

XLIII. Tertia conditio, *ut sit vera:* Quod requiritur essentialiter in materia substantiali et necessaria; quia alias in re gravi deciperetur iudex, neque esset confessio integra ideoque irrita. Non tamen in materia libera: tum quia falsitas signi in accusatione circa materiam accessoriam non facit sententiam irritam: tum quia talis tantum peccat venialiter, cum non sit graviter iniurius Sacerdoti nec Sacramento. Ita Navar. Suar. etc.

Nihil addendum.

Unde resolves.

XLIV. 1. Non est mortale nec irritat Sacramentum. 1. si in confessione mentiaris leviter circa res non pertinentes aut non necessarias ad Sacramentum: verbi gratia, si historiam falsam narres, vel si neges veniale vel mortale, quod non teneris confiteri: 2. si falso te accuses de veniali: quod tamen mortale grave erit, si id facias non dando aliam materiam, cum sic formam reddas irritam et Sacramentum; nisi tamen facias ex scrupulo, perturbatione. Ita Suarez, Fill. tom 1. tract. 7. cap. 4. Laym. lib. 4. t. 6. cap. 8. Dian. p. 3. t. 4. res. 96.

266. Contra sententiam, quam communiorem dicit s. Alph. n. 496. quod nempe leve sit peccatum mentiri in re non necessaria, allegat Concina verba s. Thomae 2. 2. q. 69. art. 1.

Sed abs re. S. Thomas quaerit de iudicio civili: Utrum absque peccato mortali possit accusatus veritatem negare, *per quam condemnaretur*. Et allegat verba: « Si confiteri (reus) noluerit veritatem, quam dicere *tenetur*, vel si *eam* (quam dicere *tenetur*) mendaciter negaverit, mortaliter peccat ». Sed debuit non omittere sequentia: « Si vero iudex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem iuris, non tenetur ei accusatus respondere: sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere ». Doctrinam ergo s. Thomae, quae ceteroquin nunc a multis negatur (cf. dicta in Tr. praeced. *de Iudiciis, de Reo* sub §. LXXIV.), si velimus accipere et applicare ad iudicium sacramentale, integre saltem accipiamus: ideoque negemus mortale esse mendacium in re, cuius notitia in iudicio necessaria non est et cuius negatio ordinem iuris non pervertit.

Quod in fine monet A. de poenitentibus, qui ex perturbatione mentiuntur, scil. affirmant, se revera peccasse, id non raro contingit; quia non putant se securos, nisi dicant, se consensisse. Nesciunt quid faciant et patienter sunt ferendi.

XLV. 2. Sacrilegium est et absolutio nulla, 1. si mortale, quod confiteri teneris et putas esse, negas aut tegas, ne intelligatur: 2. ut communiter docetur contra Sylv. si mortale tibi falso imponas, nisi tamen fiat ex simplicitate et scrupulo etc.: 3. si neges vel mentiaris circa peccata alias rite absoluta, quando Confessarius, ut iudex vel medicus de iis aliquid, ut necessarium ad praesentem confessionem, interrogat. Card. de Lugo d. 14. s. 10. Tambur. l. 2. c. 12. §. 2, secus si ad praesentem confessionem non faciat. Ibid.

267. Doctrinam A. in 2° casu recipit s. Alph. n. 497.; qui imo addit: sive quis affirmet peccatum mortale quod non fecit, sive neget quod fecit, duplex committere peccatum, unum sacrilegii contra virtutem Religionis, ob reverentiam sacramento debitam, alterum mendacii sibi graviter perniciosi contra virtutem veracitatis idque ait alios passim docere.

Difficultas est, ubinam sit mendacium perniciosum poenitenti contra virtutem veracitatis. Nocet utique sibi, quia reddit sibi inutile sacramentum; sed hoc est ipsum peccatum sacrilegii: secus in qualibet sacrilega confessione duplex esset peccatum, quatenus est contra reverentiam sacramenti et quatenus nocet poenitenti. Seposito autem sacrilegio: negans peccatum admissum non nocet famae suae: nocet, affirmans quod non fecit; sed famam suam proiicere non est per se peccatum grave.

Alii loquentes de huiusmodi mentientibus, affirmant simpliciter tale mendacium esse peccatum grave; quia variatur in re gravi iudicium Confessarii, secus ac fiat, si veniale tantum peccatum neget poenitens aut falso sibi imponat. Cf. Suarez disp. 22. sect. 10. n. 11. Lugo disp. 16. n. 100.

Quod spectat ad 3^{m} casum, Lugo disp. 14. n. 174. loquitur de sententia Ioannis Sancii, nimirum poenitentem interrogatum a Confessario de consuetudine praeterita, non debere respondere, sed posse eam occultare et cum aliqua aequivocatione negare, ait autem: hoc esse contra omnes theologos, contra praxim Ecclesiae et contra finem huius sacramenti. Et sane iam attulimus propos. 58. inter damnatas ab Innocentio XI. Ratio vero exigens verum responsum tali interrogationi generalis est; quia nimirum Confessarius, cum sit iudex et medicus, habet ius ad interroganda ea, quorum notitia necessaria est ad utilem correctionem vel poenitentiam imponendam. Lugo l. c. n. 175. Eadem ratio valet pro doctrina A. in hoc 3° casu, qui idcirco ita accipiendus est, ut poenitens interrogetur de re gravis momenti et necessaria scitu, ut Confessarius munus suum valeat rite exercere.

Articulus IV.

Quando Confessio sit invalida et reiteranda.

XLVI. Resp. 1. Id contingit ex duplici capite. Primo ex parte Confessarii, si iurisdictionem non habuit, vel certe impeditam per censuram, vel si formam substantialiter vitiavit, vel non intendit absolvere, vel peccatum nullum intellexit.

Dico *nullum;* quia si ob surditatem, somnum vel distractionem, aliqua, licet mortalia, non intellexerit, sine culpa poenitentis, probabilius est, valuisse absolutionem ac postea tantum repetenda esse non audita ut contra Sylv. Anton. Navarr. et alios, docent Henriq. Laymann lib. 5. tr. 6. c. 9. Dian. p. 4. t. 4. r. 198. Addo, *sine culpa;* quia si semidormienti mala fide confitearis, peccas et confessio est invalida ideoque repetenda, Tamb. l. 2. c. 10. §. 3. Denique addunt aliqui cum Tol., si Confessarius indoctus non potuit discernere mortale et veniale, invalidam esse. Verum id Suarez, Laym. et alii passim reiiciunt et quidem etiamsi Confessarius putasset esse veniale, quod fuit mortale; ideoque confessionem bona fide tali factam non esse opus repetere. Ita Henriq. Sanch. 1. *Mor.* cap. 10. n. 69. Dian. par. 3. t. 4. r. 121. contra Vasq. Dixi, *bona fide;* quia si mala fide, verbi gratia, quaesivisti talem Confessarium, qui tibi mederi non possit, debes repetere; cum enim actu peccaveris, dum confitereris, non fuisti rite dispositus ideoque nec absolutus. Tamb. l. 2. c. 10. §. 3. Denique si finita confessione intelligas Confessarium aliqua non percepisse, sive propter somnum sive distractionem, nescias autem, quae sint illa, teneris repetere confessionem, si brevis fuerit; quia de singulis prudenter potes dubitare: si autem longa fuerit, ait Tamb. l. c. non teneris ob rationem contrariam et satis esse confiteri, quod dubites an aliquod ex tuis peccatis Confessor perceperit.

268. Confessio invalida heic ab A. dicitur ea quae sive vitio Confessarii sive poenitentis, effectum non obtinet propter quem fit, ut idcirco sit denuo aliquo modo repetenda pro eius effectus consecutione. Ex parte sacerdotis, confessio, quamvis optime facta, inutilis est, si ii defectus, quos notat A., in sacerdote locum habeant.

Primum evidens est: quoad secundum, adverte, censuram impedire, si sacerdos sit excommunicatus vitandus: secus, si sit toleratus. V. Suarez *de Censur.* disp. 11. sect. 2. nn. 12.-15.

Quoad intentionem absolvendi, satis est, si sacerdos serio formam protulit, intendens conficere sacramentum seu facere quod Christus instituit, seu quod perinde est, facere secundum potestatem sibi collatam: haec enim est intentio per se efficax. Quam intentionem habens sacerdos, etsi ex errore vel malitia nolit effectum sacramenti, nolit remissa esse poenitenti vel omnia vel aliqua peccata, ipse sibi, non poenitenti nocebit. Cf. Suarez *de Poenit.* disp. 31. sect. 3. n. 4. Si autem sacerdos nolit remitti peccata: ut absolutio nihilominus valeat, oportet remissionem accipi passive tanquam effectum sacramenti, quod sacerdos velit conferre; nam alioquin remissio activa ipsa est absolutio sacramentalis, quam sacerdos impedit; quam idcirco si dare non vult, facit nihil.

Quoad cetera, haec breviter notamus.

269. Non solum si quaesiveris Confessarium, qui incapax sit, sed si incapacem advertas, cessat bona fides.

Notat s. Alph. n. 499., non solum Tamburini, sed *communiter* aliorum quoque esse doctrinam de confessione non necessario repetenda, si ob surditatem, distractionem, Confessarius quaedam non intellexit, quando confessio fuit prolixa, h. e. non pauca manifestata peccata. Esset enim onus nimis grave, confessionem integram repetere, quod non praesumendum a Christo impositum, ait s. Doctor. Quae ratio aliquo fulcro eget, ut subsistat; non enim sufficit gravitas oneris, ut libereris ab obligatione. Nimirum in hac hypothesi, habetur quoad singula peccata opinio probabilis, ea fuisse a Confessario intellecta et sic iam probabile est de quolibet, non debere poenitentem, illud repetere.

Merito proinde dicitur grave futurum onus obligatio repetendi, quod rationabiliter praesumitur a Christo non impositum. « Si in confessione generali, ait Lugo disp. 16. n. 609., scires, unum peccatum non fuisse a Confessario auditum propter somnum et nescires, quodnam peccatum esset: non deberes repetere omnia peccata; quia non potes in tanta multitudine de singulis prudenter dubitare. Secus esset, si in confessione brevi scires id evenisse; qui iam tunc posses de singulis peccatis in ea confessione dictis prudenter dubitare, an fuerint a Confessario audita etc. ».

Quid ergo restat poenitenti faciendum? Supponimus, dubium esse, non de aliquo determinato peccato, an auditum fuerit, sed circa aliquod peccatum in communi ex tot, quae confessus est; si enim illud dubitas, nisi probabili sententia opinari possis, peccatum auditum fuisse, debes denuo dicere, ut certae legi confessionis facias satis.

Si autem certum est vel dubium, aliquod peccatum in communi non fuisse auditum a Confessario: satis erit confiteri hoc ipsum, dicendo, scire te vel dubitare, an aliquod peccatum Confessarius perceperit; quod est, confiteri peccatum aliquod in communi, ad quod quis tenetur, cum determinatae speciei, puta, non amplius recordatur.

270. Ex communi sententia Confessarius non tenetur certum formare iudicium de singulis peccatis, sed tantum de obviis et claris: s. Alph. n. 500.

Addit s. Alph. ibid. ex pluribus DD., non teneri poenitentem rursus confiteri peccatum, quod nec ipse nec Confessarius noverit esse mortale, etiamsi postea id noscat fuisse mortale cf. n. 207. Tamen hypothesis forte est chimaerica. Quia tandem desumi debet gravitas peccati a dictamine conscientiae poenitentis: hoc autem quale fuerit, constabit potius ea prima vice, qua confiteris peccatum, quam alia sequente; cum rei memoria plus minus evanuerit.

Communiter addunt DD., validam esse confessionem factam bona fide, licet Confessarius discernere non valeret gravitatem, speciem, numerum etiam in casibus obviis. Quia ex utraque parte concurrunt requisita necessaria ad sacramentum, confessio integra formaliter et absolutio (s. Alph. n. 500.) et ita credendus est Christus hoc sacramentum instituisse, ut talis confessio sufficiat; quia tales defectus passim contingunt.

Veruntamen, si poenitens adverteret postea, se non integre confessum quoad numerum vel species; regula tenenda est, quae valet quoad peccata oblita Ligor. n. 500.

XLVII. Secundo. Invalida est ex parte poenitentis, si fuit excommunicatus de quo infra: si mortale tacuit vel de eo se falso accusavit: si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia: item si non fuit attritus (quod patere solet inde, si sponte quaesierit Confessarium surdum, indoctum, caecum etc.) vide Sanchez l. c.: si nolit tollere occasiones etc. V. Dian. p. 4. t. 4. r. 201. quibus addi potest ut plurimum, si peccatum carnale confessus sit suo complici.

271. Quando est excommunicatus quis, prohibetur accedere ad sacramenta et hac de causa caret bona fide, si sciens accedat ad Confessarium, qui nequeat eum absolvere a censura. Identidem tamen licet excommunicato confiteri apud eum, qui nequeat ipsum absolvere a censura: qua de re certe in Tr. *de Censuris.*

Tunc habetur certum indicium deficientis doloris ac propositi, dum quis ex fraude quaerit confessarium indoctum, surdum seu surdastrum ut nempe peccata sua eorumve malitiam non prodat, quemadmodum lex Christi praecipit. Secus, si tantum ex rubore quaereret talem Confessarium, ne periclitaretur, confessionem facere sacrilegam; ex hoc non certe argueres, eum non esse attritum. Et falsissimum est indicium aliquem non esse, ut par est, contritum, quia quaerit Confessarium caecum. De confessione facta complici dicemus paulo post.

XLVIII. Resp. 2. Si confessio apud eundem confessarium iteretur, sufficit uno verbo in communi se accusare de peccatis ante illi cognitis, dummodo is eorum recordetur, saltem in confuso, aut status ac vitae hominis in commune aut poenitentiae a se impositae, ut docent Vasq. Tol. Laym. Sà, Dian. p. 3. t. 4. r. 123. Imo si nihil horum, sed tantum quod sibi confessus fuerit, recordaretur, valide, etsi illicite, absoluturum putant Laym. et Dian. l. c. Idem absolute docet Granad. et Mercerus in 3. p. q. 9. n. 1. cum quibus Dian. p. 5. t. 14. r. 51. se retractans, probabile censet, quod etiam licite possit absolvere.

272. Ex dictis in 1ª Resp. A. reliquit subinferendum, confessiones invalidas esse iterandas; confessio enim invalida, re per se spectata, perinde est ac nulla.

Verum, quia non unus est modus iteratae confessionis et quod invalidum est, potest identidem validari; quaerit et docet heic A. quomodo sit iteranda confessio invalida.

Hae autem regulae proponuntur a DD.

Et 1° quidem, quando absolutio fuit dilata et Confessarius recordatur saltem in confuso status poenitentis et confessio est prolixa (huius conditionis ratio non apparet), non esse repetendam confessionem est sententia communis. Ligor. n. 502.

2° Ex *communiori* sententia non est repetenda confessio, etiamsi non ob dilatam absolutionem, sed ob absolutionem collatam invalide prius fuerit absolutus, sive defectus fuerit ex parte iurisdictionis aut intentionis Confessarii, sive ex defectu integrae confessionis aut dispositionis poenitentis: quia ratificatio praecedentis confessionis cum notitia antecedenti habita a Confessario (qui supponitur idem) sufficiens reputatur confessio. Vid. Ligor. n. 506. dub. 1.

3° S. Alph. ibid. non admittit cum Croix sententiam Lugo, quod sufficiat, si Confessario poenitens extra confessionem dixerit peccata quaedam, v. gr. ad petendum consilium et dein in communi sacramentaliter de iis se accuset. Ratio s. Alphonsi, quia Tridentinum dicit, explicanda omnia et singula peccata in *confessione sacramentali*.

Verum nullibi haec formula invenitur in Tridentino. Ceterum Lugo disp. 16. n. 638. exhibet eam sententiam ut *communiter receptam* et nulli obnoxiam difficultati; cum ea utitur ad ostendendum esse sufficientem notitiam confusam. Et ad rationem, qua permoveri se s. Alphonsus lib. 6. n. 502. dub. 1. in fin. indicat, nempe quod « cum confessio praecedens non fuerit fata iudici, non videatur habenda esse eius ratio, sed denuo facienda sit confessio sacramentalis distincta, cum prior illa non fuerit sacramentalis », respondet: « In contrarium tamen est auctoritas et praxis communis. Nam Doctores fere omnes universaliter dicunt, sufficere postea eam memoriam confusam undecumque processerit defectus confessionis prioris... Idem usus apparet, quando aliquis extra confessionem narravit sacerdoti amico consilii petendi gratia aliqua peccata et postea confitetur eidem accusans se breviter de iis omnibus, quae extra confessionem dixerat; quo etiam casu non adest nunc in sacerdote tam exacta et distincta notitia, qualis essst, si nunc se distincte poenitens accusaret; et quidem prior illa narratio non fuerat ullo modo sacramentalis nec accusatio facta iudici, sed narratio facta amico. Fatendum est ergo confessionem etiam non sacramentalem priorem perseverantem in memoria non omnino distincta posse aliquo modo fieri sacramentalem per accusationem subsequentem taliter, ut possit ad sacramentum deservire. Non quod illa prior narratio vere fiat accusatio sacramentalis, sed quatenus posterior accusatio relata ad memoriam, quam habet Confessarius de illis peccatis prius distincte auditis, sit sufficiens notitia, qualis in Confes-

sario desideratur ». Ita ex communi sententia Lugo, qui deinde aliter opinantium dubia apte dissolvit.

273. Per decem columnas (pag. 480.-484.) VV. non modo haec reprehendunt, sed simul impugnandum assumunt Card. De Lugo, quem insuper tantum non ceu mendacem aut certe inanibus phantasiis abductum exhibent. Paucis rem expediamus.

Quod itaque ad praesentem quaestionem et Lugo sententiam attinet ita scribunt VV. (pag. 483.): « Sententia, quam Lugo tuetur, nec antea nec postea communis dicenda est. Non antea, quia primus eam proposuit; non postea, quia nemo, quod sciamus, praeter Aversam, eam secutus est et si forte alii quoque, pauci certe sunt ». Quae verba ad id referuntur, quod ex Lugo describitur: *Idem usus apparet, quando aliquis extra confessionem narravit sacerdoti amico etc.*

Resp. Suarez *de Poenit.* disp. 22. sect. 6. n. 5. haec habet: « Si repetitio confessionis fit eidem sacerdoti, qui adhuc retinet memoriam sufficientem peccatorum, non erit necessarium singula dicere sed omnia uno verbo subiicere, supplendo defectum. Ratio est, quia supposita priori narratione, illud unicum verbum aequivalet distinctae confessioni, quia sufficienter faciet praesentia peccata omnia in notitia Confessoris. Sicut si sacerdos novit extra confessionem omnia peccata, uno verbo dici ei possunt in confessione, scilicet, se accusando de omnibus, quae alter novit. Et in his conveniunt Auctores ». Atqui 1° Suarez praecessit Lugo; ergo non primus hanc sententiam Lugo proposuit. 2° Addit Suarez, *in his auctores convenire;* ergo non false, sed verissime Lugo dixit: *Idem usus*, idest *usus communis habet* etc.

Item Aegidius Coninck disp. 4. n. 45.: « Confessio facta sine dolore sufficienti... ad hoc valet, ut Confessarius accipiat perfectam cognitionem status poenitentis: ita ut hic postea omnia sua peccata possit paucis verbis sufficienter confiteri, dicendo se dolere de peccatis iam narratis et cupere ab iis absolvi: et haec sola verba tunc habent veram rationem confessionis, quae sit pars Sacramenti. Sicut si quis consilii petendi causa narrasset omnia peccata sua et postea de iis dolens vellet confiteri, sufficeret eum dicere, se dolere de peccatis iam dictis et petere ab iis absolvi ». Porro etiam Coninck est Lugo anterior.

Quod vero et post Lugo haec doctrina communis exstiterit, habemus v. gr. ex Illsung *de Poenit.* disp. 6. n. 152. haec scribente: In secundo casu (quando Confessarius nempe non est ita peccatorum oblitus, quin saltem confusam memoriam retineat) negant *communiter* Doctores, quidquam repetitionis faciendum vel exigendum esse adduntt-

que sufficere, modo poenitens in genere se accuset de peccatis ante dictis, si prior confessio non fuit iudicialis accusatio, sed v. gr. *solummodo petitio consilii*, vel si fuit facta non habenti debitam iurisdictionem; tunc enim illa peccata, in quae non dabatur iurisdictio, similiter in genere repetenda essent. *Ita Doctores communiter*, quos referunt et sequuntur Vasquez, Palao, Tannerus, Lugo; quia per genericam repetitionem et approbationem specificae confessionis prior distincta narratio peccatorum fit iudicialis et sacramentalis. Ergo alii praeter *Aversam* iique non pauci sed plerique Doctores eamdem, ac Lugo, doctrinam tradiderunt.

Idipsum habemus ex Dicastillo, qui itidem ad communem sententiam appellat tr. 8. disp. 8. n. 120. Ita ille: *Usus communis habet et plerique Doctores admittunt*, satis esse postea illam memoriam confusam, undecumque provenerit defectus prioris confessionis. Et allato exemplo illius, qui confessus fuerat sacerdoti non habenti iurisdictionem, subdit: Sic etiam si quis amico sacerdoti non confitendi, sed consilii petendi causa peccata sua exposuit et subinde illa vel altera die placeat ab illis absolvi, satis est, ut se breviter accuset de iis, quae exposuerat, licet non adhuc omnino distincta in sacerdote notitia seu memoria perseveret. In iis ergo et similibus casibus illa notitia prior, ut denuo approbata et relata a poenitente ad confessionem sacramentalem, censetur aliquo modo sacramentalis.

Et haec, quin plura afferamus, satis sint, ut constet non inaniter hanc doctrinam dici *communem* et gratis a VV. redargui Cardinalem de Lugo, quasi *communem* dixerit eam sententiam, quam alioquin (ut VV. aiunt) *primus ipse proposuerit* et vix *pauci aliqui sequuti fuerint.*

274. Instant VV. (pag. 482.-483.), « nimium esse, quod dicit Lugo, nempe Doctores fere universaliter docere, quod recordatio confusa peccatorum sufficiat, quando confessio invalida fuit propter defectum iurisdictionis ex parte Confessarii; cum non tantum Suarez, sed et Coninchius et alii graves DD. sententiam negativam propugnaverint ».

Respondeo, non hunc esse casum, in quo Suarez aliique negant, confusam peccatorum recordationem sufficere. Et sane Suarez verba superius allata referuntur ad *confusam* huiusmodi *peccatorum recordationem* quam dicit sufficere. Atqui ea amplectuntur etiam casum confessionis factae sacerdoti iurisdictionem non habenti. Ergo.

Prob. Maior. Etenim Suarez (ibid.) ista ibi praemittit: Superest, ut explicemus, quomodo sit iteranda confessio peccatorum *in his casibus*, an scilicet necesse sit distincte et ex professo ea iterum narrare, an

uno verbo dicere defectum prioris confessionis et quod ea omnia, quae aliquis male confessus est, iterum subiicit clavibus. Et responsum sup. vidimus, *distinctam* confessionem requiri, si fiat *alteri sacerdoti*, non requiri, *si fiat eidem sacerdoti.*

Prob. Min., scilicet in iis casibus comprehendi confessionem factam sacerdoti iurisdictionem non habenti. Nam (ibid. n. 4.) enumerans hosce casus ait: *Quintum caput est ex defectu iurisdictionis in ministro.* Ergo non iste est casus, de quo Suarez confusam recordationem negat sufficere.

Casus itaque, in quo Suarez negat confusam sufficere recordationem, est, *quando,* ut ait (ibid. n. 6.), *sacerdos est idem; peccata vero* IAM MEMORIA EXCIDERUNT. Post allatas enim tres aliorum opiniones, suam sic (ibid. n. 7.) exponit: « mihi vero... aliter distinguendum occurrit. Aut enim confessio fuit invalida ratione sui, scilicet quia ex parte sua habuit essentialem defectum vel doloris, vel integritatis, vel iurisdictionis ex parte confessoris; et tunc censeo confessionem esse omnino et distincte repetendam, SI MEMORIA EXCIDIT. Ratio est, quia prior non fuit materia confessionis, nec vera accusatio sacramentalis;... cum autem non possit fieri uno confuso verbo propter rationem factam, distincte fieri necesse est ». At vero quaenam est ista *ratio facta,* propter quam non potest confessio *uno verbo confuso* fieri? *Quia,* ut habet praeced. n. 6., prior (confessio) nihil operari potest, cum neque in se neque in memoria maneat; unde nullum verbum confuse dictum potest tunc aequivalere distinctae confessioni, quia nihil iuvatur ex praecedenti. Suarez itaque in priori casu affirmat, verbum unum confusum sufficere, quia in Confessarii memoria aliquam saltem confusam peccatorum recordationem supponit: negat vero sufficere in casu posteriori; quia supponit, nullam in Confessario peccatorum notitiam seu memoriam, ne confusam quidem, superesse. Cum ergo diversa sit hypothesis apud Suarez, ac sit apud Lugo, non est, cur altera alteri opponatur.

275. Diffitendum tamen non videtur, allata verba Suarez, quibus distinctam exigit confessionem, paulo latius accepta a Lugo fuisse, quasi valeant etiam cum Confessarius peccatorum memoriam aliquam retinet; quocirca Lugo l. c. n. 633. *communem praxim* opponit tum poenitentis, qui tacuerit peccatum et mox redeat suumque defectum confiteatur, tum Confessarii, qui carens iurisdictione in quaedam reservata, suspendit in sequentem diem absolutionem; in utroque enim casu nequaquam distincta confessio rursus imponitur.

At non recte inde VV. concludere possunt, aliam reipsa Suarez, aliam Lugo esse doctrinam. In hypothesi enim alicuius Confessarii, qui nullam peccatorum memoriam retineat, in idem, ac Suarez, iudicium Lugo

convenit. Ita enim (l. c. n. 641.) ille: « Non ergo sufficit, Confessarium habuisse aliquando notitiam distinctam de peccatis, si illa distincta notitia praeterita postea nullo modo dirigit, nec mediate nec immediate, ad iudicium faciendum: sed requiritur cognitio distincta, quae saltem per sui memoriam confusam dirigat Confessarium ad iudicandum. Si ergo cognitio illa distincta praeterita nullo modo dirigit, quia Confessarius iam est omnino oblitus et solum dirigitur a notitia confusa, quam modo poenitens dat, ad nihil prorsus deservit, quod praecesserit notitia distincta. Unde in eo casu... si prior illa notitia non fuerat data iudici, quia vel nondum erat sacerdos vel non erat legitimus iudex et tamen postea absolvat cum illa confusa notitia, quam denuo accipit, iudicandum erit de illa absolutione, sicut de illa, quae datur moribundo non confitenti distincte sua peccata, sed danti similem notitiam confusam, qui certe obligatus manet ad confitenda postea distincte sua peccata. Sic erit in illo casu, quia vere Confessarius non accepit notitiam distinctam, ex qua exerceret suum munus; atque adeo licet valide absolvat, debet postea repeti confessio distincta ».

Et ex his satis patet, frustra VV. ad enervandam Lugo doctrinam, in Suarez cum Coninck aliisve quaesivisse adversarios, quos illi opponerent.

276. 4° Si confessarius recordetur solum poenitentiae impositae, s. Alph. n. 502. dub. 2., dicit sufficere et rationem dat; quia ex notitia poenitentiae a se impositae potest Confessarius iudicium formare de statu poenitentis.

Sed generatim haec ratio non arridet; quia per se poenitentia est signum valde aequivocum. Attamen quidam Confessarii solent in hunc finem quasdam certas poenitentias determinate iniungere, ut inde possint recordari aliquo modo status poenitentis.

Verum ubi multae confessiones audiuntur generales v. gr. in Missionibus, nescio an finis obtineatur.

Verior ratio esse videtur, quod iudicium iam formatum fuerit et quando Sacerdos hoc certe scit, poenitentem implesse quae iniuncta fuerant, satis est si sciat, se iudicasse absolvendum.

5° Itemque s. Alph. n. 502. dub. 3. non admittit, posse Confessarium absolvere, si nec poenitentiae meminerit, contra ac teneant s. Antoninus, Lugo, Palaus etc.; ratio quia debet efformare iudicium.

Sed haec non urgent; nam satis est, ut modo diximus, si cognoscat se iudicium iam formasse et iudicasse absolvendum.

XLIX. Resp. 3. Raro obest defectus ex parte Confessarii, si poenitens eum inculpabiliter ignorat: quia in confessione sequenti absolvetur etiam ab iis, a quibus se bona fide absolutum putabat.

277. Absolvetur indirecte, quod eius saluti sufficit vel etiam directe, si peccata omnia vitae praeteritae in genere accuset.

Unde resolves.

L. Is, qui a puero peccatum aliquod grave, verbi gratia mollitiem, inculpabiliter omisit, vel quia putavit leve esse vel nullum, non ideo tenetur repetere alia peccata vel confessiones intermedias, sed hoc tantum, ut docent Bon. Sanch. t. 1. l. 1. c. 16. Vasq. in 1. p. t. 4. q. 92. Sanchius, Laym. hic c. 9. addens, si simplex rusticus, qui tota vita tantum fecit confessiones generales, nihil confitens in specie, nec aliter instructus sit, etsi valide is sit absolutus, cum onere, ut cum melius cognoverit, omnia subiiciat clavibus: si tamen veniat, quando ingens est copia poenitentium, ut tunc disponi non possit ad omnia repetenda, posse eum absolvi, auditis tamen peccatis ab ultima confessione factis, cum obligatione, ut melius faciat. Ita Laym. loc. cit. cap. 9. n. 4. V. Dian. p. 3. t. 4. r. 108. ubi addit ex Nav. Sylv. Becan. Vasq. Regin. c. 1. t. 6. c. 5. sect. 4. n. 153. et Ioan. Sancio, quod etsi ex errore culpabili mortaliter, peccatum tale v. gr. mollitiei, vel numerum aliamve circumstantiam necessariam omiseris, non ideo teneris repetere confessiones intermedias bona fide et legitime factas, in quibus ex naturali oblivione defectum illum non fueris confessus; cum validae fuerint et maneant validae.

278. Quod A. dicit de puero, quod is teneatur fateri illud, quod ideo omisit, quia vel putavit leve vel nullum peccatum, falsum est per se nec Sanchez id habet l. c. Et sane ut hoc asseras, oportet, ut ponas non posse pueros laborare ignorantia invincibili in lege etiam naturali, quod gratis supponitur. Cf. Vol. I. n. 48. in fine.

S. Alph. n. 503. ita scribit: « Opinio supra enunciata apud Busembaum, nempe quod possit dimidiari confessio ob copiam poenitentium, quamvis Laymann *de Poenit.* cap. 9. n. 4. hanc non absolute teneat, est proscripta ab Innocentio XI. in Prop. 59., quae dicebat: « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae ».

Verum 1° nescio in primis, cur dicat, Laymann eam doctrinam *non absolute* docere. Nam eodem modo, ac A., tradit.

2° Casus propositus ab A. est longe diversus a casu propositionis damnatae. In hac enim supponitur, poenitentem nosse peccata, quae necessario fateri debet eaque omittere apposito studio. In casu A. supponitur rusticus, qui ignorans obligationem, ea non est confessus et absolutus fuerit bona fide. Confessarius si noscat rem, dum eius confessionem audit, quaestio est, an monere statim poenitentem debeat et adiuvare ac disponere, ut possit defectum supplere, an vero possit id opus in aliud tempus reiicere. Laymann cum aliis dicit, posse prius absolvere et dein monere, ut curet integritatem materialem, cum primum confitebitur. Agitur scil. de monendo poenitente de obligatione; cur monere debeo prius et non postea, si mederi ipsi tunc non possum? Et haec praxis consona est cum iis, quae superius n. 217., proponi in Catechismo Romano vidimus, nec quippiam habet commune cum damnata propositione.

279. S. Alphonsus heic n. 504. reprobare videtur doctrinam eorum, qui dicunt, rusticos non esse cogendos ad repetendas confessiones, ideo quia confessi sint in confuso et non explicaverint bene species et numerum, dum indoctis parochis confitebantur. Hanc tamen doctrinam profitentur et Salmantic. *de Poenit.* cap. 12. n. 27. ob rationem, quam et Lugo heic affert.

Et certe sunt qui advertunt (vid. Lugo disp. 16. n. 577.), ideo excusari ab iterandis confessionibus eiusmodi rusticos; quia prudens Confessarius ex confessione praesenti v. gr. unius mensis vel semestris, vel anni facile colligit, quid egerit per reliquam vitam. Lugo disp. 16. n. 578. advertit, hoc iudicium potuisse sibi formare etiam indoctum illum parochum, propter maiorem notitiam, quam habebat illius poenitentis.

Concludit Lugo n. 585., quod « in praxi posset aliquis hanc obligationem *(supplendi)* in praesenti casu negare; quia saltem per principia extrinseca et propter auctoritatem horum Doctorum posset amplecti hanc conclusionem practicam ». Sed quando sufficienter ex praesenti confessione praecedentem vitam cognoscit, iam finita videtur quaestio.

Heic tamen s. Alph. dubitare videtur, an id valeat, quando Confessarius deprehendit post audita peccata heic et nunc, non autem id ab initio patefecit ipse poenitens; se nempe per reliquos antecedentes annos perinde vixisse. Nihilominus subdit, quod, si Confessarius heic et nunc acquisiverit distinctam cognitionem conscientiae poenitentis, e qua argui possit ad reliquam vitam; poterit, ait, quin repetantur priores confessiones, formare simul distinctum iudicium de annis praeteritis. Tunc ergo admonitus poenitens, ut de omnibus praeteritis peccatis se accuset, nisi id iam implicite saltem praestiterit, absque alia inquisitione absolvi poterit.

280. Heic advertendum monet s. Alph. n. 505., non repetendas confessiones, nisi moraliter constet de invaliditate. Ratio, quia heic valet principium: standum pro valore actus.

Quod vero ibid s. Alph. de iudicio faciendo circa recidivorum confessiones describit *ex Habert,* nos probare non possumus: videlicet moraliter certam esse invaliditatem confessionum, si non sequuta sit emendatio, dignos poenitentiae fructus fecerit, strenue adversus tentationes et peccandi occasiones pugnaverit etc. Cf. dicta superius de recidivis.

Et etiam quoad recidivos valere debet, quod ex s. Alph. retulimus nunc, non posse scilicet ipsis imponi necessitatem repetendi confessiones, nisi moraliter certo constet de ipsarum invaliditate.

Neque exinde dicendi sunt periclitari salute aeterna; quoniam, si nunc rite confitentur, praecedentia peccata, forte non remissa, eis remittuntur.

Dub. IV.

De satisfactione.

LI. Resp. 1. Satisfactio seu Poenitentia a Confessario data est necessaria necessitate non Sacramenti, sed praecepti: ideoque a Confessario regulariter imponenda est, secundum Suarez et Reg. t. 1. lib. 7. n. 17. sub mortali; tamen Card. de Lugo concedit, ex parvitate materiae posse venialiter peccari, ut (v. d. 25. n. 47.) v. gr. si ob peccata venialia levis poenitentia esset iniungenda; eius enim voluntariam omissionem venialem tantum esse. Ita etiam Dian. p. 6. t. 6. res. 44. Et quidem proportionata tum peccatis, tum facultati poenitentis. Ratio prioris est, quia est pars Sacramenti non essentialis, sed integralis tantum, habens effectum ex opere operato et maiorem vi Sacramenti, quam sine eo. Ratio posterioris est tum ex Trid. sess. 14. can. 3. tum quia Sacerdos tenetur curare integritatem Sacramenti et tam vindicare, quam mederi. Bonac. t. 1. d. 5. q. 5. §. 3. p. 2.

281. * Obligatio Confessarii imponendi satisfactionem est ex genere suo gravis ne relinquatur nempe sacramentum imperfectum ut sic Deo aliqua satisfactio offeratur et poenitentium utilitati consulatur. Quocirca Trid. Syn. sess. 14. ep. 8. postquam demonstravit, non omnem poenam sacramentali absolutione remitti, concludit: « *Debent* ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserint, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes poenitentias iniungere ».

Lugo disp. 25. n. 49. ait: « verius se existimare, licet haec obligatio sit ex genere suo gravis, posse tamen aliquando *ex parvitate materiae* peccari solum venialiter contra ipsam: ut si poenitentia levis deberet imponi ob peccata aliqua venialia vel saepe iam confessa; tunc enim non credo, ait, sacerdotem peccare mortaliter, si, secluso contemptu, non imponat ullam poenitentiam ». Cuius ratio est 1° quia nequit plus peccare Confessarius, poenitentiam non iniungens, quam poenitens eam non exsequens: atqui in hac hypothesi, negant omnes poenitentem mortaliter peccare, si non exsequatur poenitentiam; ergo: 2° et a priori; quia iudicium potest esse completum, etsi nulla satisfactio imponatur: quando nempe reus non iudicatur poena dignus.

282. Quemadmodum obligatio est imponendi satisfactionem, ita et obligatio est (nisi aliqua causa excuset, de qua in Resolutionibus) imponendi satisfactionem proportionatam seu convenientem pro qualitate criminum, ut ait Trid. Syn. Est tamen aliquod discrimen, si originem spectes obligationis. Nam quatenus obligatio oritur ex perfectione seu integritate sacramenti, illi per se fit satis, quavis vel levi imposita poenitentia. Obligatio vero imponendae proportionatae poenitentiae ideoque gravis pro gravibus peccatis, oritur ex debito satisfaciendi divinae iustitiae et ex utilitate poenitentis, qui sic se liberat

a debito poenae. Quamvis enim homo possit, citra satisfactionem sacramentalem, divinae iustitiae satisfacere, constat tamen ex Ecclesiae sensu, quem Trid. Syn. expressit, voluisse Deum, ut sibi per sacramentalem quoque satisfactionem fieret satis. Sed causa excusans esse potest, cur alia potius via Deo vindici fiat satis.

Illud non ita est accipiendum, ut tanta poenitentia sit iniungenda, quanta respondeat debito poenae, cum, praeter alia incommoda, id fieri nequeat, eo quod debiti quantitas ignoretur; sed ut pro gravibus delictis, gravis, secundum prudentum existimationem, satisfactio imponatur, expiaturo homine quod reliquum est, per alia pia opera vel per indulgentias vel in purgatorio. *

283. Cum quidam exciperent ab hac obligatione imponendi poenitentiam occasionem Iubilaei, aut etiam cuiusvis plenariae indulgentiae, quasi haec ab obligatione satisfactionis praestandae eximeret, Benedictus XIV. Encycl. *Inter praeteritos* §. 65. haec monenda censuit: *Unum tantummodo reliquum erat, ut super impositione poenitentiae a Confessario non omittenda diceremus, quoniam poenitens, qui indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eam implendam. Cum autem nobis huiusmodi ratio laxior visa esset, in Instructione, de qua* n. XXVI., *mentem nostram declaravimus, statuentes, salutarem poenitentiam a Confessario iniungendam esse poenitenti, etiamsi hic ad recipiendum iubilaeum praeparatus sit, ex quo sane poenitentis obligatio exoritur eandem adimplendi.*

* Atque ita Leo XII. in Bulla Iubilaei *Caritate Christi* monet, se nolle auferre obligationem poenitentiae imponendae a Confessario rationemque reddit: quia satisfactio est pars sacramenti, quod non est relinquendum incompletum.

Quo posito, si reipsa Pontifices, concedentes indulgentiam plenariam contritis et confessis, nolunt ea suppleri satisfactionem, quam sacramentum exigit imponi poenitenti, huic profecto est iniungenda poenitentia eamque is exsequi debet, etiamsi certa foret consecutio eius indulgentiae plenariae. Est enim indulgentia totius poenae praeter eam quam ex obligatione sacramenti debes.

Communis quidem erat sententia Theologg., per indulgentias etiam partiales, praesertim si darentur *de poenitentiis iniunctis*, liberari poenitentem ab obligatione implendi poenitentiam iis aequivalentem. Qua de re cf. Lugo disp. 27. n. 22. seq. Vera per se est doctrina; sed limitanda est 1° nisi qui indulgentias concedunt, declarent, nolle se prorsus tollere obligationem alicuius poenitentiae sacramentalis: quam quidem declarationem exstare colligi potest ex Bulla Leonis XII. et Encycl. Benedicti XIV. 2° Si partialis solum indulgentia obtineatur,

cum nesciat poenitens, an ea respondeat toti debito poenae, quam ipse debet vel pro illis peccatis, pro quibus ei imposita est poenitentia sacramentalis; ratio non est, cur is ab hac se liberum putet. Lugo ibid. n. 31.

Sed si probabilis vere sit consecutio indulgentiae plenariae, levis poenitentia et pro gravibus imponi poterit; restat enim unice faciendum satis integritati sacramenti. Cf. s. Alph. n. 519. in fine. Lugo ibid. n. 30.

284. Poenitentiae finis proprius est expiatio peccatorum seu satisfactio exhibita divinae iustitiae: quocirca, etsi curandum sit, ut sit etiam in medicinam et sic conducat ad cavenda peccata in posterum, illud tamen est advertendum, quod medicina afferri potest, etsi loco poenitentiae non imponatur; castigatio autem peccatorum admissorum prae oculis semper habenda est. Ita Rituale Rom. *de Sacram. Poenit.* n. 18.: « Id vero ante oculos habeat (Confessarius), ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem ».

Adverte praeterea doctrinam Lugo disp. 27. n. 24., imponi quidem frequenter poenitentias ut medicinas, Confessarium tamen non posse ad eas obligare, nisi quatenus eas imponit, ut poenam peccati; quia medicus, ut medicus, non obligat, sed consulit; obligat vero iudex decernens poenam. *

Unde resolves.

LII. 1. Excusatur aliquando Confessarius, si levissimam (vel etiam nullam) poenitentiam iniungat, verbi gratia 1° si poenitentem vehementissime contritum, aut aliter satisfecisse advertat. Caiet. Nav. Suar. Reg. Bon. *de Poenit.* d. 3. q. 5. sect. 3. par. 1. n. 1. et 2. Esc. c. 6. n. 41. Cum vero raro vel nunquam constare id satis possit, tutius est aliquam semper iniungere, ut recte monet Card. de Lugo d. 23. sect. 4. n. 48. 2° Si poenitens sit mentis impos aut aliter impotens aut morti proximus aut valde debilis; cui tamen prudenter iniungi levem saltem poenitentiam, verbi gratia, percussionem pectoris, invocationem nominis IESU (saltem corde) aliosve pios motus vel ut per heredes sacrificia, eleemosynas et similia opera pia curet, monent Suarez, Laym. et Bon. l. c. et Navarr., qui addit, posse iniungi ut patienter ferat infirmitatem, quod tamen Bonac. l. c. non probat; cum fieri possit, ut id valde angat infirmum, timentem se non rite satisfacere. 3° Quando scrupulosus saepius intra eandem horam redit cum novis culpis: quia supponitur satis imposita in praecedentibus. Tam. l. 4. c. 1. ex Fagund.

285. Ubi A. n. 1. dicit, *tutius* esse, addit intra parenthesim s. Alph. imo *necessarium*, quod intelligendum putamus secundum dicta sub §. LI.

Idem s. Doctor n. 2. notat, quod habetur in Rituali Rom. *Ord. ministr. Sacr. Poenit.* n. 25., non esse aegris iniungendam gravem

poenitentiam, sed indicandam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim aliqua oratio aut levis satisfactio imponatur. Poterit et eleemosyna iniungi, si fieri potest.

Cf. Lugo l. c. nn. 41.-48. referentem alios casus, quibus non tenetur sub mortali Confessarius poenitentiam imponere: si nempe videat poenitentem iam integre satisfecisse, quod raro sane continget: si instet martyrium: si indulgentia plenaria lucranda sit, saltem si id sit moraliter certum (cf. dicta n. 283.): si poenitens, ob suam fragilitatem, nullam credatur acceptaturus poenitentiam. Cf. dicenda sub §. LX.

LIII. 2. Etsi Confessarius peccet ex communi, si pro magnis peccatis valde parvam poenitentiam imponat: excusari tamen eum posse putat Diana par. 3. t. 4. res. 92. si addat illud: *Quidquid boni feceris* etc. Verum haec regula universaliter admitti non potest, ut bene notat Cardin. de Lugo d. 25. n. 57. Conin. Tanner. Palaus etc. contra quos Diana pro se citat Bann. et Leand. par. 6. t. 7. res. 3. et par. 9. t. 9. res. 54. et ab aliis non immerito reiicitur, eo quod verba, utpote mere deprecatoria, non habeant vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam sacramentalem. Aversa q. 13. sect. 7.

286. * Duplex est quaestio: 1° an per ea verba Sacerdotis eleventur opera bona poenitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis: 2° an hoc dato, liceat confessario etiam pro gravibus criminibus leves praecipere poenitentias.

A. negative respondens priori quaestioni, hoc alterum quoque consequenter negat. Vix vero intelligi potest ratio, cur illud prius negetur. Quia ait, verba, utpote mere deprecativa, non habent vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam sacramentalem. Quasi vero, pro poenitentia imponenda aliqua certa forma verborum requireretur et non esset satis manifestata voluntas Confessarii, ut omnia opera bona, quae libere quidem facturus est poenitens, sint etiam in satisfactionem sacramentalem. Quod si negas, negas id ipsum, quod est in quaestione, cuius proinde negationis ratio quaeritur.

Lugo ait disp. 25. n. 56.: « ex se videri parum credibile, quod per illa verba generalia, omnia opera poenitentis evadant sacramentalia ».

Sane difficultas esse potest 1° quia pariter dicitur: *quidquid boni feceris, sit tibi... in augmentum gratiae*, atqui pro hoc augmento gratiae, nulla per haec verba dignitas additur operibus bonis: sed desiderium exprimitur et deprecatio ad Deum nihilque aliud: ergo a pari. 2° Ut poenitentia pars sit sacramenti, videtur iniungenda esse a Confessario, utente potestate ligandi: atqui per ea verba: *Quidquid boni* etc. nihil iniungitur seu nulla obligatio imponitur.

Verum hoc alterum non admittit s. Thomas, qui *Quodl.* 3. a. 28. ait: « Et haec, quae *praeter iniunctionem expressam* (poenitens) facit,

accipiunt maiorem vim expiationis culpae praeteritae ex illa *generali iniunctione*, qua Sacerdos dicit: « quidquid boni feceris etc. ». Et quantum ad hoc talis satisfactio est *sacramentalis*, in quantum *virtute clavium* est culpae commissae expiativa ». Duplex est scilicet iniunctio satisfactionis, quae potestate clavium fit: altera *expressa* et *determinata*, qua certa poenitentia praecipitur, altera *generalis*, qua operibus satisfactoriis futuris vis sacramentalis satisfactionis confertur; eo quod sacerdos decernit, ut si quod opus bonum et satisfactorium a poenitente deinceps fiat, illud rationem quoque habeat sacramentalis satisfactionis. Nihil est autem quod demonstret, id esse alienum a potestate sacerdotis: quemadmodum enim hic potest imponere certam poenitentiam, si ipse poenitens libere acceptet, ita videtur statuere posse, ut poenitentia sit quidquid boni deinceps libere est facturus poenitens. Et moris est, puto, confessariorum dicere poenitenti: si hoc vel illud feceris (absque ulla quidem imposita obligatione), valeat in satisfactionem sacramentalem.

Quamvis autem in verbis quae sequuntur: *sit tibi in augmentum gratiae* desiderium tantum et deprecatio ad Deum significetur; non sequitur tantundem et in prioribus significari. Nam Sacerdos ea verba proferens illud omne intendit facere quod potest: potest autem elevare opera poenalia ad dignitatem satisfactionis sacramentalis, non vero operibus meritoriis maius meritum addere.

Certe s. Alphonsus n. 507. dicit longe probabilius et communius, ex s. Thoma (cf. l. ante c.), affirmari, quod eleventur, per ea verba, omnia bona opera poenitentis ad effectum satisfactionis sacramentalis, licet non imposita.

287. Ergone licebit confessario leves praecipere satisfactiones etiam pro gravibus criminibus?

Id profecto non sequitur per se. Nam 1° poenitentia debet esse certa: at talis generalis iniunctio est de re tandem hypothetica et dubia: 2° poenitentia debet esse proportionata crimini et etiam idonea afferendo remedio; id vero non quaelibet ordinaria opera praestabunt. 3° Tridentina Synodus bene noverat ea verba a Confessariis pronunciari, noverat doctrinam s. Thomae et nihilominus iubet Confessarios iniungere salutares et convenientes poenitentias, pro qualitate criminum et poenitentium facultate.

Ceterum sententia s. Thomae et s. Alphonsi identidem proderit, ut minus difficilem se exhibeat Confessarius in minuendis poenitentiis pro gravibus peccatis imponendis: cum nempe rationabiliter timet, ne poenitens nimis terreatur nec aliter videt ei, licet disposito, succurri posse.

Nota. Quoniam in potestate est Confessarii eam imponere satisfactionem, quam velit, in eius quoque potestate erit situm per ea verba alterutrum efficere, aut elevare scilicet opera bona poenitentis ad satisfactionem sacramentalem aut tantum deprecari. Aliis verbis, ut ea elevatio obtineat, opus est ut Sacerdos id intendat; sufficere vero putamus intentionem implicitam, cum Sacerdos intendit facere quidquid per ea verba potest in favorem poenitentis. *

In hanc rem Benedictus XIV. Encyclica *Apostolica Constitutio* §. 25. certa poenitentium vivendi ratione exposita, qui post confessionem rursus ad peccata redeunt atque « nulla aut fere nulla bona opera eliciunt nec, ut par est, aequo animo ferunt aerumnas, quibus aliquando premuntur »; istam subiicit animadversionem: « Ex quo fit, ut uberiori fructu fraudentur, quem Ecclesiae preces, sacerdotis ore in poenitentes prolatae, a Deo postulant hisce verbis: *ut quidquid boni feceris* etc. ». Ubi habes deprecationem utique sed efficacem, afferentem nempe operibus bonis fructum uberiorem, quam per se ipsa ferrent.

LIV. 3. Minor iusto licite datur ex causa, qualis, verbi gratia, est 1. magna contritio, 2. fragilitas animi, vel corporis, ob quam timetur maiorem non impleturum. 3. tempus iubilaei vel indulgentiae Plenariae. Ita Suar. Henriq. Laym.

288. Agitur de causis minuendae poenitentiae, seu minoris imponendae quam per se, attenta etiam rationabili consuetudine, res postularet. Haec imminutio fieri potest, quamvis adhuc absolute gravis poenitentia iniungatur, si e. gr. ingentia sint et plurima crimina. An speciatim possit et quando possit levis poenitentia imponi pro gravibus peccatis disputabimus paulo post sub Resp. 2.

Iam vero magnam contritionem causam esse legitimam minuendae poenitentiae, ex eo principio pendet, quod contritio tanta esse potest ut deleat quoque omne debitum poenae. Et quidem si tantus effectus contritionis merito crederetur, ut fere totum debitum poenae videretur sublatum, satis esset, eam iniungere poenitentiam, qua integritati sacramenti consuleretur. S. Alph. heic addit: *nisi poenitentia sit necessaria ad medicinam:* sed medicinam non semper oportet et interdum non expedit iniungi loco poenitentiae.

289. Quod spectat ad alteram causam ab A. indicatam, constat, omnes DD. cuiusvis aetatis et scholae mira concordia in hanc sententiam convenire. Recolantur ex. gr. verba s. Antonini ex 3. p. tit. 16. c. 21. apud s. Alph. n. 510. « Debet Confessarius dare talem poenitentiam, quam credat verisimiliter poenitentem implere, ne ipsam violando deterius ei contingat ». Et Conc. Trid. licet dicat poenitentiam imponendam pro qualitate criminum, addit tamen: « quantum prudentia

suggesserit pro qualitate criminum et poenitentium *facultate*, *salutares* et *convenientes* ». Ex quo patet, decere, ut cum satisfactio aliqua paulum extraordinaria imponenda foret, interrogetur poenitens, an eam ferre valeat. Et s. Alph. in hanc rem citat verba Ritualis Parisiensis: « Confessarius poenitentem interroget, an possit poenitentiam sibi iniunctam peragere : alioquin eam pro sua prudentia immutet aut minuat ».

Tum ad idem demonstrandum s. Alph. producit auctoritates s. Caroli Borromaei, s. Ioannis Chrys. et s. Thomae, qui, inter alia, Quodlib. 3. a. 38. ait: « Videtur satis conveniens, quod Sacerdos non oneret poenitentem gravi onere satisfactionis; quia... posset contingere, quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. » Concludit s. Alph.: « Ex his omnibus colligitur, quam imprudenter se gerant Confessarii, qui magnas imponunt poenitentias, quas praevident poenitentes non impleturos ».

290. Tertiam causam minuendae poenitentiae, quam A. recenset, audivimus quoque a Lugo eamque et Scavini admittit *de Sacr. Poenit.* c. 2. n. 382.; quia et hoc pacto, acquisita indulgentia plenaria, bene solvitur poena vindicativa. Imo hic casus est, quo alii, teste Lugo nec improbante, dicebant, confessarium non teneri sub mortali ullam poenitentiam imponere, disp. 25. n. 48. Cf. n. 283.

Quoniam vero non est opus, ut per poenitentiam sacramentalem omne debitum poenae deleatur: si licet Confessario minuere poenitentiam, propter indulgentiam plenariam a poenitente acquirendam, cur non licebit quoque occasione indulgentiarum partialium, quibus magna pars debitae poenae solvatur? Utique habenda semper est prae oculis castigatio praeteritorum peccatorum (n. 281.); sed haec eo tandem spectat, ut debitum poenae solvatur.

291. Si quaeras, quaenam poenitentia sit censenda gravis, responderi solet, eam saltem ex praxi hodierna Ecclesiae, gravem esse, quae respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia iniungitur vel sub gravi obligaret, si praeciperetur. Ita poenitentia gravis est auditio Missae, ieiunium, litaniae sanctorum cum precibus et orationibus, corona b. V., eleemosyna pro conditione status haud levis, flagellatio etc. Quemadmodum vero non quaelibet poenitentia per se gravis iam est proportionata cuilibet numero et gravitati criminum, ita non opus est, ut pro numero peccatorum poenitentiae supradictae arithmetica proportione multiplicentur: prudentia opus est nec alia melior norma in genere suppeditari potest quam tradita a Trid. verbis citatis n. 281.

LV. 4. Non potest iniungi. 1. Ingressus religionis ut docet Sà v. *Satisfactio;* quia id nimis durum videtur. 2. Poenitentia publica, si sit periculum revelandae confessionis, alias interdum pro publico peccato potest et expedit.

292. De ingressu in Religionem satis sit quod habet A.

Quoad publicam poenitentiam, sunt qui negant imponi posse, quia est manifestatio confessionis. Quam rationem non esse efficacem alii contendunt, quia id accidit ex consensu poenitentis. Quae pariter responsio non satis est firma; quia consensus poenitentis, si adest praeceptum Confessarii, non est liber. Praeterea inquirendum superest, an prudenter id fiat; ob invidiam in Confessarios et sacramentum.

Hoc igitur concludi debet, tunc solum hanc quaestionem habere locum, quando ingens aliquod scandalum reparari non posset nisi per publicam poenitentiam, v. gr. (inquiunt) publice restituendo honorem publice dehonorato: quod tamen exemplum minus ad rem facit, quia ad id poenitens posset aliunde obligari, nec liberum esset Confessario hoc illi iniungere vel non iniungere. Ceterum scandalum reparari aliter potest, v. gr. publice adeundo sacramenta, visitando ecclesias, audiendo Missas, dando nomen alicui confraternitati, ubi pietatis opera exerceantur etc. Haec igitur iniungi ad reparationem scandali possent. Et generatim notoria resipiscentia est reparatio scandali. Universim ergo concluditur, extra casum necessitatis nunquam publicam poenitentiam reluctanti esse imponendam. Ligor. n. 512. Necessitas autem non est, nisi quando obligationem hanc reparandi scandalum (intellige *proprie dictum*) poenitens habet, etiamsi nec iniungatur ceu satisfactio.

LVI. 5. Etsi possit et aliquando ob fragilitatem poenitentis etiam expediat, iniungi opus alias debitum, seu praeceptum, verbi gratia Missae auditionem die festo etc., ut docent Suarez, Vasquèz, Laymann l. 5. tr. 6. c. 15. et alii (unde si scrupulosus saepius redeat ad Confessarium, intra breve tempus semper nova confitendo non semper necesse est imponere poenitentiam novam, cum opus ante debitum possit iniungi. Bon. Henriq. Card. de Lugo, Dian. p. 6. t. 7. r. 6. contra Suarez. Regin. et Bauny). Si tamen Confessarius non exprimat, censetur imperasse opus liberum, ut docent iidem et Dian. p. 3. tr. 4. r. 84. Vide Con. d. 10. dub. 3. et Dian. p. 4. t. 4. r. 241.

293. Quod possit imponi opus praeceptum, communis est sententia DD.: qui tamen addunt, id faciendum solum, spectata fragilitate, ut sic liceat minuere poenitentiam (288. seqq.): verum alia est iusta causa, illa quoque seposita, v. gr. quod poenitens iuvetur ad satisfaciendum, cum opera iniuncta elevantur ad meritum satisfactionis sacramentalis.

Dissentit Antoine *de Poenit.* art. 3. q. 3., qui solum id concedit licite fieri, ut opus iam praeceptum imponatur, cum poenitens alia praeterea non potest: sed quis est, qui nihil aliud possit? Dein sibi contradicit q. 5., dicendo, quod potest imponere fugam a domo etc.,

etiamsi sequeretur manifestatio peccati: in quo habes non solum obligationem operis alias praecepti, sed absurdam iniunctionem manifestandi proprium crimen!

Quoad iniungendam pro novo peccato iam iniunctam poenitentiam, Ligor. n. 513. negativam amplectitur, quia opus non debet esse iam debitum *ex eodem titulo.*

Verum erit quaestio non de re, sed de ratione afferenda. Videlicet Confessarius censebitur mutare poenitentiam (quod utique potest), detrahendo quidpiam praecedenti, ut extendatur ad novum peccatum. Ita v. gr. quando imposita poenitentia, vel etiam post absolutionem poenitens addit aliud peccatum.

LVII. 6. Etsi etiam possit iniungi opus internum, uti contra Merat. et alios docent Con. Hurt. et Dian. p. 4. t. 4. res. 24., communiter tamen debet esse externum et afflictivum, verbi gratia, oratio, ieiunium, eleemosyna. Nam avaris eleemosyna, luxuriosis afflictio corporis convenit. Utrum vero licite imponantur preces recitandae pro defunctis, dubitari potest. Vega t. 2. c. 64. et Ioan. Sanc. d. 16. n. 1. negant. Affirmant probabilius Turr. *de Poen.* d. 37. dub. 4. Card. de Lugo d. 35. sect. 5. Vide Dian. t. 4. p. 3. res. 54.

294. Quoad opus afflictivum notandum est, eiusmodi censeri etiam preces. Quam in rem s. Alph. allegat haec verba s. Thomae (Suppl. q. 15. art. 3. ad. 1.): « Dicendum, quod quaelibet oratio habet rationem satisfactionis; quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis ».

Ita et meditatio iuxta Eccli. XII. 12. *Frequens meditatio carnis afflictio est.*

Quoad opus internum, quidam haerebant, quia, inquiunt, satisfactio est pars sacramenti et idcirco debet esse sensibilis. Et s. Alph. n. 514. respondet, satis esse sensibile per impositionem sacerdotis et acceptationem poenitentis: quasi vero satisfactio esset pars sacramenti ut est *actio sacerdotis imponentis* et non valeret, si poenitens solo corde acceptat. Melius respondetur negando suppositum.

Quod vero attinet ad orationem pro defunctis, haec habentur in catechismo Romano (n. 79.): « Sed ex omni satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent ac pro omnibus et praesertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant ». Ergo abiiciatur dubitatio scrupulosa. Et sane cur amittit rationem operis afflictivi, quia fit pro defunctis? Quid si ieiunares aut flagris te affligeres pro defunctis? Vid. Lugo disp. 25. a. n. 62... qui plures affert rationes, 1° quia haec est praxis fidelium et Confessariorum: 2° quia poenitenti manet satisfactio procedens ex actu voluntatis, qua vult suscipere

opus et qua vult applicare defuncto: 3° quia licet applicet defuncto satisfactionem ex opere operantis, manet satisfactio ex opere operato; non tenemur autem procurare satisfactionem ex opere operantis, secus peccaret, qui implet extra statum gratiae: 4° quia sicut praecipitur oratio vel ieiunium pro defunctis ad lucrandam indulgentiam, ita potest idipsum et Confessarius. Unde merito Turrianus (apud Lugo n. 62.) habet oppositam ut parum probabilem.

LVIII. 7. Potest etiam aliquando iniungi cessatio ab aliquo bono opere (verbi gratia, nimia corporis afflictione) vel abstinentia aliqua vice a communione, ad promovendum maius bonum poenitentis, si prudens Confessarius ad eum finem expedire iudicet. Sal., Card. de Lugo, Dia. etc. cum Aversa q. 13. sect. 4. contra Ioannem Sancium.

295. Recte, inquit s. Alph. n. 514., advertit Lugo, « regulariter non expedire, huiusmodi poenitentiam imponere: imo nec posse imponi, si omissio operis (v. gr. communionis quae coram pluribus fiat) iniiciat suspicionem, quod a Confessario in poenitentiam fuerit iniuncta ». Cum vero imponitur, poenitentia erit sita in actu obedientiae, humilitatis etc.

Frequenter eiusmodi iniunctiones sunt indicia impatientiae aut capitis male sani: sectanda est via ordinaria, prudens, pacifica, non molesta, non importuna.

LIX. 8. Etsi possit immediate post absolutionem adhuc iniungi, debet tamen fieri ante, ut servetur ordo iudicii. V. Dian. par. 3. t. 4. res. 136. et p. 5. t. 13. res. 36. ubi ex cap. finali 5. *Statuimus, de Sepulturis, Clementin.* et Ochagav. docet, etsi consuetudo habeat, ut ita fiat, illam tamen non induxisse obligationem.

296. S. Alph. heic, intra parenth., ait praxim iniungendi poenitentiam post absolutionem, communissime probatam dici a Salmanticensibus. Id unum advertimus, posse Confessarium mutare post absolutionem poenitentiam antea iniunctam: si enim tunc potest iniungere poterit et iniunctam mutare; cum idem sit exercitium potestatis. Intra quodnam vero spatium temporis mutatio fieri possit, dicemus paulo post suo loco.

LX. Resp. 2. Poenitens communiter tenetur sub gravi obligatione poenitentiam, si rationabilis sit, acceptare et implere, ut habet communis contra Caiet. Sylv. Nav. Quorum sententia ad hoc saltem serviet, ut neminem non absolutum dimittas, si vel levissimam subire velit, ut notat Sotus et Reg. l. 7. c. 2. Dian. p. 3. t. 4. r. 51. et p. 2. t. 15. r. 52.

297. S. Alph. n. 516. ait, Suarez, Bonacina vocare post Tridentinum temerariam opinionem Caietani, Navarri etc., qui dicebant poenitentem posse poenitentiam, quam Confessarius imponeret, recusare, paratum Deo vindici facere satis in purgatorio. Quae et Scoti sententia fuisse videtur in 4. dist. 15. q. 1. a. 3.

Verum Caietanus *(Summa* V. *Satisfactio)* loquitur in hypothesi, quam in praxi vix possibilem ipse putat; *quia saltem semel se signare signo crucis nemo refutaret.*

Nec aliter habet Navarrus, qui (*Manuali*, c. 26. n. 20.) scribit: « Sed de veritate huius limitationis inutile prorsus duco disputare; cum nemo sit tam saxeus poenitens, qui bona fide confiteatur et nolit vel tantillam poenitentiam acceptare ».

Atque hoc idem legitur apud Sporer, qui insuper non aliam esse mentem Scoti docet: « Dummodo (inquit l. 3. c. 3. n. 548.) aliquam vel levissimam poenitentiam subire velit, v. gr. aliquot Pater et Ave, tunsionem pectoris etc. Eiusmodi enim levissimam poenitentiam recusans pro peccatis praesertim gravibus, merito censeretur non recte dispositus nec serio dolens de peccatis commissis ideoque simpliciter repellendus a beneficio absolutionis: prout notat etiam Scotus in 4. dist. 19.

Quocirca hi doctores, potius quam negare obligationem poenitentis acceptandae satisfactionis, dicendi sunt affirmare, quod identidem, ratione habita dispositionis poenitentis, sufficiat vel levissimam imponere pro gravibus quoque peccatis: de qua re mox.

Obligatur sane poenitens confessus, qui absolutionem velit, poenitentiam iniunctam acceptare, nisi haec sit irrationabilis. Si enim satisfactio est pars quaedam sacramenti, voluit ergo Christus, ut a sacerdote iudice aequa poenitentia imponeretur et idcirco a poenitente acceptaretur. Diximus *nisi sit irrationabilis*; ad huiusmodi enim nemo obligatur. Porro, supposita fragilitate hominum et consuetudine rationabili, quae, propter illam fragilitatem, iam est introducta, non esset rationabilis ea ex. gr. poenitentia, quae reapse ex se sola posset extinguere debitum multorum ingentium peccatorum. Lugo disp. 25. n. 73.

298. Cum A. dicat, sententiam Caietani ad hoc posse inservire, ut non dimittas sine absolutione eum, qui levissimam saltem poenitentiam acceptet, ait intra parenthesim s. Alph., se huic doctrinae non acquiescere, iuxta dicta a se n. 510. Iam vero ibi solum s. Doctor dicit, non bene agere confessarium, qui pro gravibus peccatis levem poenitentiam iniungat *sub levi obligatione:* « licet enim, ait, si expedierit, imponatur opus, quod respective ad peccata sit leve, tamen *regulariter* semper iniungenda est aliqua poenitentia gravis, quae gravem inducat obligationem ». Verum haec doctrina non opponitur proprie sententiae A.; qui de praxi quadam extraordinaria loquitur, quae non derogat normae *regulariter* tenendae.

At clarius mentem suam s. Alphonsus explicat (n. 516. in fin.) dicens, quod non videtur posse a gravi excusari poenitens, qui ex *mera*

desidia nolit acceptare gravem poenitentiam non irrationabilem, quam facile posset implere et *absolvi velit* cum poenitentia levi.

Et haec sententia plane est communis, quam Lugo disp. 25. n. 68. *certam et veram* dicit et cuius oppositam alii *improbabilem* alii *temerariam* vocant et contrariam Concilio Tridentino. Ratio est, quia claves datae sunt non solum ad solvendum sed et ad ligandum et si, ut Trid. docet, sacerdos debet poenitentiam imponere, consequens est debere eam a poenitente acceptari et si gravis sit, acceptari sub gravi. Ista autem s. Alphonsus *videtur* opponere sententiae Auctoris voluisse, quando hic memorat, ad quid deservire possit sententia Caietani et Scoti, cum tamen non sint opposita, ut diximus et insuper, ibi de Confessario imponente quaestio est, heic autem de poenitente acceptante.

299. Quidquid sit, haec doctrina *de gravi peccato* poenitentis nolentis acceptare etc. vix aut ne vix quidem ad praxim confert.

Nam 1°. Si poenitens acceptare renuit poenitentiam et Confessarius eam moderari non vult, eo res adducetur, ut sine absolutione dimittatur. Porro ex sententia Lugo disp. 25. n. 77., Suarez disp. 38. sect. 7. n. 4. etc. potest poenitens *sine gravi culpa* nolle acceptare, sed alium Confessarium adire. Quod et s. Alph. n. 516. in fine concedit; licet non bene addat, quod hoc valeat solum, quando poenitentia est impar debilibus viribus poenitentis; nam tunc non esset rationabilis et irrationabilem poenitentiam non tantum infirmus viribus, sed quilibet potest non acceptare.

2° Hoc peccatum grave in casu alia ratione vitabitur ex Confessarii prudenti discretione. Nam, ut Suarez inquit (l. c.): « Confessores in hoc non debent esse nimis difficiles, sed accommodari oportet fragilitati poenitentis et leviores illis poenitentias imponere, si graviores acceptare illi nolint, praesertim quando non est aperta eorum malitia et medicinae necessitas in futurum non urget et ita fiet, ut moraliter vix possit fieri magna dissensio inter Confessarium et poenitentem, si uterque licite et iuste suo munere fungatur ».

Neque in hoc verendum est, ne Confessarius iuxta sententiam Tridentini sess. 14. cap. 8. videatur connivere peccatis et ita particeps fieri peccatorum alienorum: quod s. Alph. heic tantopere inculcat.

Ipse s. Alphonsus antea n. 510. dum describeret haec Tridentini verba: « Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere »; subdit: « Nota τὸ *pro poenitentium facultate*, idest spectata illorum infirmitate corporis et animae et nota τὸ *salutares et convenientes* ». Exinde affert verba

Antoine, quamvis (inquit) *hic auctor* MERITO *enumeratur inter scriptores rigidiores nostri temporis:* « Ut salutares sint et convenientes. debent esse proportionatae non solum multitudini et gravitati peccatorum, sed etiam facultati et dispositionibus poenitentis.. In hoc autem sacramento magis intenditur emendatio et salus poenitentis, quam satisfactio pro poena. Si ergo expediat ad bonum spirituale poenitentis, potest imponi levior poena quam mereatur ». Ita Antoine.

Affert s. Alphonsus etiam verba ritualis Romani: « Postremo Confessarius salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, iniungat, habita ratione *status, conditionis, sexus, et aetatis et dispositionis poenitentis* » et subdit: « Nota τὸ *dispositionis* ».

Affert et verba Gersonis: « Tutius est cum parva poenitentia, quae sponte suscipitur et verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda praecipitare in infernum ».

Affert et verba s. Caroli Borromaei: « Talem imponat poenitentiam qualem a poenitente praestari posse iudicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit (et hic est casus noster), illum interroget, an possit *anve dubitet*, poenitentiam sibi iniunctam peragere; alioquin eam mutabit aut minuet ».

Ex quibus omnibus hoc evidenter elucet, habendam esse rationem infirmitatis moralis poenitentis et potius minuendam poenitentiam, quam dimittendum hominem, dummodo sit dispositus, absque absolutione.

Ergo conciliari possunt cum decreto Tridentino iniunctiones leves, quippe commensurandae cum dispositione poenitentium, neque sic Confessarius erit particeps peccatorum alienorum.

300. Multo magis autem longe aberit a suspicione connivendi Sacerdos, si, ut docet s. Thomas, indicet poenitenti, *qua de causa* leviorem illi poenitentiam imponat.

Ita s. Thom. quod lib. 3. art. 28.: « Videtur satis conveniens, quod Sacerdos non oneret poenitentem gravi onere satisfactionis; quia sicut parvus ignis a multis lignis suppositis de facili exstinguitur, ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus propter grave onus satisfactionis exstingueretur, peccatore totaliter desperante; unde melius est, quod sacerdos *poenitenti indicet, quanta poenitentia esset sibi pro peccatis iniungenda* et iniungat sibi nihilominus aliquid, quod poenitens tolerabiliter ferat; ex cuius impletione assuefiat, ut maiora impleat, quae etiam sacerdos iniungere non attentasset ».

Quod et Catechismus Romanus monet n. 79.: « Ut poenitentes suo-

rum scelerum gravitatem magis agnoscant, operae pretium erit eis INTERDUM significare, quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescriptione constitutae sint ».

Placet heic referre similitudinem medici, quam s. Thomas habet Suppl. q. 18. art. 4.: « Sicut medicus aliquando non dat medicinam ita efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita sacerdos *divino instinctu motus* non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus ex magnitudine poenae desperet et a poenitentia totaliter recedat ».

Placet referre sententiam ex opusculo 65. olim inter opera s. Thom. apud s. Alph. n. 510.: « Tutius est imponere minorem debito, quam maiorem; quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam propter nimiam severitatem, quia talis defectus in purgatorio supplebitur ».

Cui consonant illa s. Ioan. Chrysost. apud s. Alph. ibid.: « Etsi erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? »

Absolvat haec omnia consideratio indolis huius tribunalis, quod est *misericordiae* et cui non convenit zelus proprius illius, qui externum regimen habet. Quod si cum oleo vinum adhibetur, adhibeatur tanquam ab ea manu medica, quae misericordiam unice praefert et desiderium salutis, non zelum vindictae, non impetum impatientiae.

LXI. Dixi 1. *Communiter;* quia probabile est, quod docent Laym. l. 4. t. 6. d. 15. Suar. et Dian. p. 3. t. 4. r. 136. contra Con. Henriq. et alios, poenitentiam sub veniali tantum obligare sequentibus casibus, 1. Si imposita sit pro solis venialibus. Ita citati contra Henr. Fagund. 2. Si pro mortalibus alias confessis. 3. Omissionem partis non gravis, in confessione mortalium, vel etiam omissionem totius, si levis sit, v. gr. unum Miserere. Con. Fagund. cum Dian. p. 3. t. 4. r. 102. et p. 6. t. 8. r. 54. 4. Si confessarius noluit obligare sub mortali; quia, cum possit imponere poenitentiam libere et sine omni obligatione, ut probat Suar. hic d. 38. s. 7. Henriq. Fill. Fagund. Tan. Conin. *de Sacr.* d. 10. dub. 8. n. 65. contra Turr. et Vasq., potest etiam sub levi tantum imponere. Vide Dian. p. 3. t. 4. et p. 4. t. 6. r. 83. 5. Eum, qui lucratur indulgentiam plenariam, liberari ab onere poenitentiae (nisi sit medicinalis), docet Dian. par. 5. t. 12. r. 3. et p. 9. t. 6. r. 36. ex Tann. Gran. Card. de Lugo etc. contra Val. Marc. et Avers.

301. *De gravi poenitentia imposita pro venialibus vel pro alias iam confessis mortalibus.* Si pro his iniungatur poenitentia *gravis*, sunt qui obligationem gravem putant.

Ita Lugo disp. 25. n. 74., qui duo affirmat: levem poenitentiam impositam, non nisi levem obligationem inducere, etsi ob mortalia crimina imponatur idque ob generale principium, quod allatum est tr. *de Legibus* vol. I. § XIX.: gravem vero poenitentiam, quamvis pro solis

venialibus iniunctam, obligare sub gravi, verius videri. Quia gravitas obligationis videtur desumenda non ex peccato, pro quo imponitur; quia poenitentia levis imposita pro mortali non obligat sub gravi: sed ex materia praecepta. Si ergo pro venialibus gravis poenitentia imponatur, cur non obligabit graviter? cum obligatio oriatur a potestate iudicis et res praecepta sit gravis et capax praecepti gravis. Nec refert quod poenitens non tenebatur sub mortali confiteri ea peccata; nam nec tenebatur sub levi; unde esset consequens, nec sub levi teneri ad ullam poenitentiam implendam; quod tu tamen negas.

Neque haec obligatio succedit peccato veniali, sed obligationi poenae debitae iis peccatis, quae identidem potest esse maior ea, quae debeatur pro mortalibus remissis. Locus est ergo poenitentiae gravi etiam cum agitur de venialibus: si ergo a legitima auctoritate imponatur, cur non obligabit sub gravi?

Contrarium affirmare non paucos testatur idem Lugo, inter quos Suarez, disp. 38. sect. 7. n. 5. qui et suam sententiam vocat communem. Ceterum Lugo et qui cum eo sentiunt non negant vel concedunt probabilitatem adversae sententiae atque ita s. Alph. n. 517.

Sane, aiunt, ex Trid. poenitentia iniungenda est *pro qualitate criminum*, non poenae; ubi ergo crimina non sunt gravia, nequit imponi, saltem sub gravi, poenitentia gravis. Si autem eam Confessarius nequit imponere, nec poenitens sub gravi tenebitur implere.

Quamvis vero, obligatione exsistente sub veniali tantum, contingat desidia hominis integritatem sacramenti non servari: id tamen habet locum in re valde extrinseca et secundaria, ait Suarez l. c.

Ceterum pro praxi parum ista valent; nisi interdum docendus foret poenitens. Interim tamen id valeat contra eos, qui ceu sacrilegos illos traducunt, qui ex aliqua negligentia in his peccant, etsi alias pie vivant.

302. S. Alph. n. 517. affert et probat doctrinam Roncaglia de gravi obligatione poenitentiae impositae pro levibus, sed disponentibus ad grave; « tunc enim posset Confessarius gravem ei imponere poenitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter et tunc tenebitur poenitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere », ait s. Doctor.

Sed multo melius et accuratius de huiusmodi casu ita scripserat Suarez *de Poenit.* disp. 38. sect. 7. n. 7.: « Si propter curationem et medicinam iudicet Confessor id expedire, poterit facere et poenitens tenebitur obedire; quia tunc potius agitur de condigna dispositione ad remissionem peccatorum, quam de satisfactione pro temporali poena. Unde illud praeceptum a Confessore positum, non tam est nova impositio, quam declaratio alicuius obligationis, quam poenitens de se habet,

ut possit de illius dispositione et proposito vitandi peccata moraliter constare et ad summum videtur sacerdos tunc modum seu medium determinare: in quo, si sint plura et sufficientia (scil. media), potest se voluntati poenitentis accommodare, ut medicinam eligat; quia hoc satis est *ad illius curationem, ad quam solam* sacerdos ius habet et potestatem in eo actu, ut declaratum est ». Quocirca id, quod sententiae Roncagliae addit s. Alphonsus, nempe quod tenebitur poenitens, si velit absolvi, illam (gravem satisfactionem) acceptare, et adimplere, utique tenendum est, si hoc sit unicum medium curationis: secus, si plura eaque sufficientia media in promptu sint; quippe ad solam curationem, ut ait Suarez, sacerdos ius et potestatem habet. Quae animadversio eo accidit opportunior, quia etiam s. Alphonsus doctrinam reprobat Roncagliae, qui *de Sacr. Poenit.* q. 4. cap. 2. r. 2., potestatem generatim imponendi gravem pro venialibus poenitentiam ex alio falso principio deducit.

303. *De omissione partis non gravis.* Ad partem gravis poenitentiae pertinere potest circumstantia, quae per se importet magnam afflictionem carnis, v. gr. quod longa oratio fiat genibus flexis, brachiis extentis. Id tamen valet, si pro gravibus et sub obligatione gravi iniungatur, ut patet.

Monet Gury §. 534. non teneri quempiam ad peragendam poenitentiam, si confessio non fuit valida aut non absolvat sacerdos. Excipit, si poenitentia sit *medicinalis*, adeoque necessaria ratione medicinae.

Verum tunc necessarium erit opus, non quia a confessario iniunctum, sed quia lege naturali impositum. Ad hoc tamen insuper requiritur, ut opus illud sit medium unicum, quo quis vitare peccatum possit.

De poenitentia non iniuncta sub gravi. S. Alph. mallet n. 518., ut saltem aliquid sub gravi iniungeretur, quocum aliud deinde etiam gravius posset imponi sub levi. At non diffitetur s. Doctor, sententiam A. esse communiorem et valde probabilem et ex hoc ipso praesumere licet, minus firmum esse argumentum, quod ipse pro sua sententia a Trid. Syn. conatur elicere.

Nec s. Doctor ibid. probat quod poenitentia imponatur sine ulla obligatione; nam potest quidem, ait, legislator ferre vel non ferre legem, at nequit ferens nullam imponere obligationem; nam lex non obligans non est lex, sed consilium: porro Confessarius imponens poenitentiam est quidam legislator particularis. Verum paritas non constat; quod certum est, illud est, actum imponendi poenitentiam esse actum iurisdictionis; at iurisdictio exerceri potest, solo designato opere et elevato, si fiat, ad dignitatem poenitentiae sacramentalis, quin praecipiatur: sicut indulgentiae concessio est actus iurisdictionis, licet praeceptum non includat. Ita Suarez disp. 38. sect. 3. n. 3.

Porro haec est quoque doctrina s. Thomae, qui docet (cf. sup. n. 286.) per ea verba: *quidquid boni feceris* etc. evadere opera bona, quae fiant, quamvis non imposita, poenitentiam sacramentalem.

De iubilaeo. Quod minui possit poenitentia ratione indulgentiae consequendae, nulla difficultas est etiam s. Alphonso n. 519. in fin. cf. heic n. 290.

Verum quod nulla imponatur, hoc reprobari dicit in Encyclica Benedicti XIV. *Inter praeteritos* §. 65. Bullar. tom. 3. p. 221., veluti laxiorem: quod iam monuimus n. 283.

Reipsa nil facit ad praxim haec quaestio, quia nemo prorsus sine aliqua poenitentia dimittit poenitentem.

LXII. Dixi 2. *Si rationabilis sit;* quia si iusto sit gravior ac difficilior nec Confessarius eam moderari velit, non peccabit graviter poenitens, si sine absolutione discedens, alterius Sacerdotis iudicio peccata submittat, ut docent Suar. Conin. Laym. Imo ad eam non obligabitur, si omnino iniustam esse constet, aut si poenitens eam non possit implere vel illius sit oblitus. Nec tunc ad aliud quicquam tenetur, etsi expediat, ut is, qui sive culpabiliter sive sine culpa oblitus est, in sequenti confessione similem sibi iniungi petat. Ita Conin. Laym. Dian. p. 4. t. 4. r. 241. Contra Richard. et Sylv. qui putant talem confessionem esse repetendam: quod praeter citatos negat etiam card. de Lugo, n. 78. ex Vasq. docens, talem satisfacere, si confiteaur illud peccatum oblivionis culpabilis.

304. Duo A. statuit, 1° in hypothesi poenitentiae iusto gravioris aut difficilioris, quam Confessarius nolit moderari aut mutare in aliam, posse poenitentem, non accepta absolutione, alium adire Confessarium, cui rursus confiteatur, ut aequiorem poenitentiam obtineat. Id probabile dicit s. Alph. n. 516. posse saltem sine culpa gravi fieri: quod intelligendum dicit, si poenitentia sit *vere irrationabilis.* At in hac hypothesi difficilius potius foret, invenire culpam vel levem.

Putamus nec culpam gravem fore, si poenitens a quadam speciali poenitentia etsi rationabili abhorrens alium adeat, a quo sperat, aliam rationabilem quidem, sed minus a suo ingenio, alienam imponendam poenitentiam. Nihil enim facit, quod sit contra reverentiam debitam sacramento: e contrario onus grave subit repetendae confessionis. Nec est irreverens in sacerdotem, apud quem facile se excusare potest.

Quocirca id omni quoque culpa vacare potest. Nam peccatum dicitur esse situm in desidia poenitentis: at opus non est, hanc esse causam, cur certa poenitentia detrectetur.

305. Statuit 2° A. non obligari poenitentem ad poenitentiam, cuius sit oblitus. Qua de re quaedam notanda occurrunt.

Quod praecedens confessio non sit repetenda, ut denuo iniungatur poenitentia (etiam culpabiliter oblita), *communis est sententia* et debet

utique poenitens dolere de negligentia (quae tamen ut plurimum ob inadvertentiam non erit peccatum grave) et se de ea accusare: sed tamen cum impossibile sit eam adimplere, sic ad ipsam non potest amplius obligari. Ita Lugo v. n. 520.

Sunt autem, apud s. Alph. ibid., qui monent, teneri poenitentem priorem adire Confessarium, ut suppleat. Sed et ipsi advertunt 1° ad id requiri, ut *commode* possit; 2° ut prudenter putet, Confessarium memorem esse poenitentiae. At melius dicendum erat, si recordetur in confuso *status poenitentis;* nam ceterum facilius Confessarius oblitus censeri debet, quam poenitens, si longum tempus intercessit. Quod si revocandus est in memoriam status poenitentis, id facile foret etiam cum alio Confessario.

Namque etiam alius Confessarius, cum audivit confessionem, satis, ut plurimum, notitiam habet (saltem confuse) praecedentis confessionis ut poenitentiam iniungere queat, praesertim si una vel altera interrogatione exploret, an quid extraordinarium in ea occurrerit.

Verum haec non sunt necessaria.

306. A. dicit etiam, hominem non obligari ad poenitentiam implendam, si omnino iniustam esse constat, cuiusmodi esset poenitentia publica pro occultis peccatis. Sed si poenitentia est divisibilis ut si 30. rosaria imposueris puero studioso pro levibus peccatis, obligatio nulla erit solum quoad excessum.

Ceterum in hac re iudex non est poenitens, sed Confessarius, sive qui poenitentiam imposuit sive alius quem adeas, secundum dicenda mox in seq. quaestione et si poenitens sponte acceptavit poenitentiam sciens quid ageret, non est cur deinceps conqueratur. Nihilominus 1° nunquam obligatio erit sub gravi: 2° si damnum vere poenitenti sequatur, nulla erit obligatio, ut si aegroto ieiunia statim agenda imponas, vel occulte peccanti publicam poenitentiam.

Unde resolves.

LXIII. 1. Is, qui poenitentiam implet in statu peccati mortalis, probabiliter quidem satisfacit praecepto, cum impleat eius substantiam, peccat tamen, sed venialiter, ut docet Suarez, Laym. Dian. l. c.; quia Sacramenti partem suscipit indigne et obicem ponit affectui, scilicet remissioni poenae (quam tamen, obice remoto, recuperari docent Nav. Tol. Cai. Dian. n. 3. t. 4. r. 85. Fagund. Suarez etc.): unde quamprimum est implenda, potestque graviter etiam peccari nimium differendo, quod ex variis circumstantiis iudicandum. V. Dian. part. 2. t. 15. res. 53. et par. 5. l. 13. r. 39. Non esse autem grave seu mortale, si non differat ultra octiduum, docet Hurt. apud Dian. Imo posse differri per annum (hoc est quandiu non tenetur ad novum Sacramentum poenitentiae) vult ipse Dian. par. 9. t. 7. res. 57. ex Amico, Leand. etc. nisi tamen poenitens dubitet, an postea possit implere; eo enim casu teneri, quamprimum commode potest. Similiter non esse

mortale, si obligatus ieiunare feria 6. differat in diem sequentem vel obligatus communicare singulis mensibus differat ad 6. vel 8. dies, affirmat Dian. l. c. ex Palao, praesertim ex causa aliqua, tametsi levi.

307. Quod satisfactionis praecepto satisfaciat, qui eam implet in mortali, communis est sententia et probabilior, ut dicit s. Alphonsus n. 522. Ratio, quia ad implendum praeceptum, sufficit ponere opus praeceptum, licet careat hic actus merito, quod non habetur sine statu gratiae et sic respondetur obiectioni, quae petitur ex s. Thoma in 4. dist. 15. a. 3. q. 2. aiente, illa opera *non esse satisfactoria:* intellige quoad *effectum*, non vero quoad implendam obligationem (a).

Quod A. dicit, peccare TANTUM venialiter qui implet poenitentiam in statu peccati, consentiunt plures doctores.

Ratio memorata ab A., quod suscipiatur indigne pars sacramenti innititur opinioni incertae, quod actus poenitentis constituant Sacramentum. Ratio s. Alph. n. 523. est, quia ponere obicem effectui partiali sacramenti (quod rursus eam opinionem supponit) non potest ab aliqua culpa excusari.

Imo sunt multi alii (vid. Laymann 523.), qui cum Lugo disp. 25. n. 32. ne venialiter quidem peccari autumant; quia nulla culpa est, obicem ponere remissioni poenae et hanc sententiam probabilem habent Salmanticenses apud s. Alph. l. c. Praesertim si imponatur poenitentia ad plures dies; quis enim dixit, poenitentem teneri ad gratiam recuperandam si peccaverit, ut possit poenitentiam implere in statu gratiae? Vid. Diana, t. 1. tr. 6. res. 28. Quid si pro poenitentia imponatur ut statim ac poenitens relapsus fuerit, dicat Ave Maria vel actum eliciat attritionis?

Quod eo magis verisimile est in eorum sententia, qui dicunt, satisfactionis effectum in casu haberi, cum obex removetur (b).

(a) S. Thomas ibid. q. 3. ad 3m distinguit inter satisfactiones, « ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transiit, sicut in ieiunio manet corporis debilitatio, ex eleemosynis largitis diminutio substantiae » et eas satisfactiones « quae non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transiit, ut oratio ». Porro de prioribus affirmat: « tales satisfactiones in peccatis actae non oportet quod iterentur; quia quantum ad id, quod de eis manet, per poenitentiam Deo acceptae sunt ». At de aliis affirmat: « oportet quod iterentur ». Idcirco quoad huiusmodi s. Thomas neque impleri obligationem eas peragendi censuit, si in statu peccati fiant; secus non dixisset, eas esse iterandas. Sed sententia deinceps Theologorum communior, ut ait s. Alph., aliter censuit, considerans satisfactiones, a confessario iniunctas, sub ratione operis praecepti et sic advocato principio: quod finis praecepti non cadit sub praecepto. Ceterum si poenitentia reviviscit, desinit omnis ratio eius iterationis. — E.

(b) « Communior et probabilior, ait Lugo disp. 25. n. 40., sententia docet, satisfactionem sacramentalem in statu peccati, non habere tunc suum effectum, sed postea, recedente obice ». Supponitur opus recte factum atque ex gratia actuali et idcirco supernaturale. Licet vero, ait Suarez, disp. 38. sect. 8. n. 5., opus illud satisfactorium non sit

Praeterea (Salmantic. cap. 10. n. 70.) poenitens peccaret implendo et non implendo. Implendo, quia implet in statu peccati, non implendo, quia omitteret.

308. Ait A., in nimia dilatione poenitentiae posse graviter peccari. Notetur in primis, agi de poenitentia, quae sub gravi obliget: secus cum leve sit omittere, non potest esse grave differre.

Deinde advertatur, magnam esse opinionum diversitatem in definienda quantitate dilationis.

Cur porro tanta sententiarum varietas? Quia scilicet non adest ratio quaepiam solida, ad aliquid certe concludendum; unde ad opinionem Renzii de sex mensibus, s. Alphonsus in notula opponit tantum « videri *nimis benignum* », quod tamen Renzio non videbatur.

Hoc porro ex omnium doctrina certissimum est, non damnandum quid *de mortali*, nisi manifesta ratio et evidens id postulet. Hoc autem plane heic deest. Ergo quidquid dicitur de octiduo, 15. diebus, mense etc. sunt privatae opiniones, quae non possunt movere ad assensum: vid. Diana tom. 1. tract. 6. resol. 44.-45., ubi ad annum differri posse, sustinet esse probabile cum aliis.

Quando Confessarius non determinat tempus neque ex circumstantiis colligitur eius intentio determinandi, censet Lugo disp. 25. n. 92. satis probabile videri, dilationem non esse mortalem, nisi sit nimia et ad longum tempus: quod s. Alph. referens videtur probare. Ceterum, si res per se spectetur, cum tantum praecipitur opus, non designato tempore, quocumque tempore ipsum fiat, fit satis praecepto, nisi ipsa dilatio minuat graviter ipsum opus: quod heic non supponitur. Dummodo ergo poenitens, per liberam dilationem non se coniiciat in statum impotentiae exsequendi poenitentiam, non apparet gravitas peccati in dilatione qualibet.

Certe opus non est, ut talis poenitentia impleatur, antequam quis rursus ad sacramentum Poenitentiae accedat sive reiiciendi non sunt poenitentes, donec poenitentiam impleverint; quis enim censens, posse poenitentem per annum aut semestre differre poenitentiam, dixit non posse eundem intra illud tempus rursus confiteri? Item si imponatur ieiunium singulis sabbatis per integrum annum, non prohibetur certe poenitens hoc tempore confiteri, manente semper obligatione illius poenitentiae.

---

vivum, quia ab homine adhuc in statu peccati factum: tamen ut est sacramentale et applicatio satisfactionum Christi, est opus ex se vivum, sed mortificatum ratione subiecti: opera autem mortificata, remoto obice, reviviscunt.

Haec doctrina certa non est, cf. Suarez ibid.: sed certe nequit defendi ab iis, qui negant actus poenitentis esse partem sacramenti. — E.

309. Cum Confessarius tempus determinat, dupliciter id facere potest, 1° si alliget opus ad certum tempus, ut sit onus diei aut mensis immediate sequentium, iubens e. gr. intra annum singulis sabbatis ieiunare aut singulis mensibus confiteri: 2° si tempus constituat ut terminum obligationis, h. e. ut non differatur ulterius. In priore hypothesi censet Lugo l. c. nn. 90. 91. non posse sine gravi peccato mutari diem aut differri ultra mensem; quia aliter non fit satis praecepto, quod in re gravi grave est. In altera hypothesi adhuc praeceptum urget et dilatio ultra tempus constitutum, si sit modica, non videtur Lugo mortalis. Sed ecce tibi Salmanticenses apud s. Alph. n. 521., qui damnant de mortali, si praeceptam communionem differat ad 4. dies: quibus s. Alph. opponit *communiorem* sententiam, quae levem putat dilationem ad sex vel octo dies.

Satius igitur in his putarem, non esse praesumendum Confessarium voluisse hos laqueos iniicere poenitenti, ut sub gravi cadat quaevis dilatio, etiam ex mera socordia et non nisi imprudentissime ageret Confessarius, qui ex indole poenitentis dignoscens probabilem fore eiusmodi negligentiam, sub gravi haec vincula imponeret. Non enim salutares, sed mortiferae sunt eiusmodi iniunctiones.

LXIV. 2. Poenitentiam (etiam medicinalem) impositam sub conditione hac, si iterum labatur, nec teneri acceptare nec implere, eo quod Confessarius nec iudex sit nec medicus peccatorum committendorum, docet Diana par. 6. t. 7. res. 49. ex Palao, Trul. etc. Sed contrarium probabilius cum Suarez tenet Aversa q. 13. sect. 4.; quia non imponit eam pro peccatis committendis, sed commissis sub conditione reincidentiae.

310. Poenitentia sub conditione relapsus imposita tanquam medicina iniungi solet: porro si sola iniungatur, evadit poenitentia disiunctiva: nimirum iniungitur, ut poenitens vel loco poenitentiae conatum adhibeat, quo tentationi resistat, vel certe quandam poenam secus exsolvat. Unde patet, falsum esse, quod nulla sit pro praeteritis satisfactio, si non relabatur homo; nam adest conatus ad perseverandum; potest ergo talis poenitentia imponi. Monet autem s. Alph. n. 524., multam, quae imponitur, proportionatam esse debere peccatis iam confessis; quod intellige, si sola ea poenitentia imponatur. Videatur de hoc argumento Diana tom. 1. tr. 6. res. 19., qui affert Sanchez negantem, poenitentes ad eam acceptandam teneri; quia Confessarius non est iudex de peccatis futuris, Suarez contra id affirmantem et sane vidimus talem poenitentiam, cum disiunctiva sit, opus poenale esse quoque pro praeteritis peccatis: alios denique aientes, Confessarium non posse ad id obligare, poenitentem tamen, si acceptet, debere eam implere. Sed haec sententia, ut patet ex dictis, seponi potest.

LXV. 3. Qui non implevit intra tempus praescriptum, non ideo deobligatur.

311. Difficultas apparens est, quando v. gr. ieiunium imponitur pro vigilia alicuius festi sollemnis.

Sed bene s. Alph. n. 525. notat, a Confessario principaliter intendi substantiam operis, quae poni utique potest alia die et debet. Excipe, nisi opus solum ea die praestari possit, v. gr. quod quis comitetur Processionem B. V.

LXVI. 4. Potest satisfacere per alium, cui Confessor id concedit: vel qui per se non potest, ut docent Regin. Fagun. Dian. p. 4. t. 4. res. 141. * Considera tamen hac in re Prop. 15. inter damnatas ab Alex. VII. * hic tamen non tenetur, nisi Confessor voluerit. An vero satisfaciens pro alio simul pro se possit, alii aiunt, alii probabilius negant, ut habet Sà.

312. Differt doctrina a prop. 15. damnata ab Alex. VII., quia haec propria auctoritate fieri id permittit. Sic enim habet: « Poenitens *propria auctoritate* substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat ».

Ceterum nihil repugnat, a Confessario poenitenti iniungi ut reperiat, qui preces vel alia bona opera Deo offerant pro se et quidem ad satisfactionem. Quemadmodum absonum non est, ut aliquid cedens in Dei honorem vel proximi utilitatem a Confessario iniungatur procurandum poenitenti vel per se vel per alium. Diana t. 1. tr. 6. res. 11. n. 3. Fagundez *de 2. Praec.* lib. 9. c. 4. n. 12. et 13. (a).

(a) Multi dicunt, ait Lugo disp. 25. n. 82., posse sacerdotem permittere vel disiunctive imponere ieiunium vel aliud opus implendum a poenitente vel ab alio illudque opus impletum quoque ab alio esse partem sacramenti et conferre fructum poenitenti ex opere operato. Hos sequitur Suarez disp. 36. sect. 9. n. 1. citans s. Thomam in 4m disp. 20. q. 1. a. 2. ql. 3. et communem asserens sententiam, dummodo auctoritate confessarii fiat et non agatur de poenitentia medicinali. Sermo est de operibus, quae sunt illius solum, qui ea exercet, ut ieiunium, oratio, non de iis quae alius, ut causa solum ministerialis, ponit, ex. gr. eleemosyna.

Si habeatur ratio actus poenitentis, qui alium quaerit, pro se satisfacturum eumque movet ad opus bonum praestandum, nulla difficultas est: ille actus potest esse sacramentalis poenitentia, sicut quilibet alius actus bonus poenitentis. Illud vero aegre intelligitur, quomodo poenitentia impleta ab alio evadat pars sacramenti suscepti ab eo, pro quo poenitentia peragitur et sic valeat ad satisfaciendum pro illo ex opere operato. Nam ex Trid. partes sacramenti sunt ipsius poenitentis actus. Cf. Lugo l. c.

Refert idem Lugo ibid. n. 98. sententiam Bonacina (*de Poenit.* disp. 5. q. 5. sect. 3. p. 4. n. 8.) docentis, obligationem implendae poenitentiae cessare, non solum per indulgentiam, verum etiam per remissionem poenae alia via obtentam nimirum per alia pia opera satisfactoria propria vel aliena sibi applicata; nam eaedem rationes militant in indulgentiis ac in aliis operibus piis satisfactoriis. Ubi (advertit Lugo) non dicit ille auctor, subrogari posse unum opus pro alio, ita ut id, quod subrogatur, fiat satisfactio sacramentalis: sed solum dicit, quod, si per alia opera integre satisfactum sit debito poenae, desinat necessitas rursus satisfaciendi et sic liberetur poenitens ab obligatione adimplendae poenitentiae sibi impositae. Sed haec dicuntur hypothetice: idcirco concludit Lugo: « Quae tamen doctrina in ordine ad praxim inutilis est; quomodo enim constare potest poenitenti, se iam sufficienter per bona opera satisfecisse toti debito poenae, quam debebat? » Cf. dicta n. 283. — E.

LXVII. 5. Non necessario impletur ante communionem.

313. Citat heic s. Alph. quatuor propositiones damnatas ab Alexandro VIII.

Propositio 16. ita habet: «Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante ».

Prop. 17.: « Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus ».

Prop. 18.: « Consuetudo moderna quoad admistrationem sacramenti poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia habetur non pro usu, sed pro abusu ».

Prop. 22.: « Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint ».

Ex quibus huc proprie spectat postrema. Et sane pro digna susceptione communionis requiritur quidem status gratiae, non vero exemptio a debito poenae temporalis. Imo sacrificium Missae, cuius participatio est communio, huc spectat quoque, ut vidimus, ut poenam temporalem remittat.

Doctrina, contenta propositionibus illis, eorum erat, qui arcere homines volebant a sacramentis.

Quod vero absolutio possit dari imo frequentissime conveniat ante poenitentiae exsecutionem, vide apud dogmaticos. Illud satis sit advertere: ut opus bonum valeat immediate pro satisfactione debitae poenae temporalis, requirere statum gratiae in satisfaciente : opus vero peractum adhuc in statu peccati a poenitente, eatenus assequi remissionem poenae temporalis, quatenus dispositio est conducens ad maiorem gratiam in iustificatione acquirendam et sic etiam ampliorem remissionem poenae temporalis reliquae.

LXVIII. Quaeres: quis poenitentiam possit commutare et quomodo?

Respond. 1. Ex iusta causa quivis Sacerdos id potest, si de novo ei confiteatur, ut habet communis sententia contra Sotum et Vasquez, saltem si peccata non sint reservata: imo etiam probabiliter, etiamsi talia fuerint, ut habet Fernand.

314. * Praemittendum cum Lugo disp. 25. n. 95. seqq. 1. poenitentem non posse proprio arbitrio commutare poenitentiam sacramentalem; quia rem praeceptam a superiore nequit subditus in aliam commutare, etsi haec forte sit melior et quia poenitentia nequit esse sacramentalis nisi per auctoritatem clavium exercitam in tribunali Poenitentiae. Si autem poenitentia irrationalis appareat, potest poenitens, qui satis doctus sit, quemadmodum aliis ita et sibi declarare, quod nulla sit

eius obligatio: talis porro declaratio actus est scientiae, non iurisdictionis.

Praesupponit 2. Lugo, posse Pontificem, indulgentiis concessis, liberare poenitentem a debito implendi poenitentiam eidem iniunctas, ita et Suarez disp. 38. sect. 10. n. 10.: qua de re uberius disputabimus in Appendice seq. de Indulgentiis.

315. His positis occurrit prima quaestio, quam heic agit A.: an alius Confessarius, audita rursus confessione eorundem peccatorum, possit commutare vel minuere poenitentiam ab alio impositam. Etsi quidam negent, quia, aiunt, secus prius sacramentum maneret incompletum, non peracta poenitentia in eo imposita; communior tamen est sententia affirmans. Nam certe idem Confessarius posset commutare aut minuere poenitentiam a se impositam, cum eadem peccata rursus ei poenitens confiteretur: atqui tantundem potest alius Confessarius: nam par est huius auctoritas ac prioris, cui succedit in eodem tribunali et munere.

Ad argumentum contrariae sententiae negantis respondet Lugo, sacramentum quidem prius manere absque complemento: hoc autem non esse semper inconveniens. Inconveniens scilicet est, cum aliquid deest requisitum ad integritatem iudicii; istud autem non deest, quando ex auctoritate superiori (quod fit concessa indulgentia) vel aequali (ut in nostro casu) tollitur obligatio solvendi poenam impositam a priore iudice. Nihil enim tunc amplius prior sententia exigit; ergo nullum est inconveniens, si illa prior poena non solvatur.

Censet Lugo, ut haec commutatio valide fiat, oportere a secundo sacerdote revocari sententiam prioris; nisi enim in eodem tribunali (vel superiore) revocetur prior sententia iuridice lata, haec manet semper in suo robore. Ut autem revocet secundus Confessarius sententiam prioris, oportet ut illam noscat et intendat revocare. Ita et Gury §. 534. 8.

Suarez e contrario disp. 38. sect. 10. n. 7. affirmat, posteriorem sacerdotem non revocare sententiam prioris (sententia enim valida in hoc tribunali lata, Dei nomine, non subest appellationi aut revocationi), sed suam proferre sententiam et poenitenti integrum esse, quam voluerit poenam eligere. Quia haec est natura huius iudicii, ordinati in bonum solius rei, ut super eandem causam possit iterari, non quidem per modum appellationis, quae heic non habet locum, sed per modum novi iudicii aequalis praecedenti, cuius antecessio per accidens se habet nec minuit vim seu potestatem sequentis iudicis.

316. Ait A. *saltem si peccata non sint reservata;* nam heic occurrit statim quaestio, an sacerdos inferior possit hoc ipsum, quod diximus,

circa poenitentiam impositam a superiore. Iam vero si peccata, pro quibus superior, puta Episcopus, imposuit poenitentiam, talia sint, ut ea etiam inferior ab initio potuisset absolutione remittere facile conceditur, inferiorem in hoc casu illud idem posse quod potest respectu sui aequalis; quia quoad ea peccata, uterque est iudex aequalis *.

Si autem peccata sunt reservata, a quibus priore vice inferior non potuisset absolvere: dissentiunt DD. Et pro parte negante, quae communior est, magnam vim sane habet ratio, ducta ex certo principio: nihil posse inferiorem in legem latam a superiore. Nec iuvat forte dicere, sublata reservatione, posse inferiorem iudicium ea de causa ferre (vid. Ligor. n. 529. dub. 2.); nam reponi posset, reservationem sublatam esse cum eo onere et poenitentiam impositam pendere ab auctoritate tribunalis superioris ideoque circa illam inferiorem carere potestate, non posse scilicet eam revocare; nam sententia iudicis revocari non potest nisi a superiore vel saltem aequali. Ita Lugo n. 105. et Suarez disp. 38. sect. 10. n. 14. et est communior sententia.

Veruntamen sunt, qui probabile putant et in hoc casu mutari posse. Ita Navarrus citatus a Suarez, Vasquez a Lugo aliique atque ipse Lugo sententiam suam non dicit certam, sed ait videri veriorem.

Nam, ut diximus, in hoc tribunali non habet proprie locum revocatio sententiae latae ab aliquo inferiori, per auctoritatem alicuius superioris: oportet quidem inferiores iurisdictionem a superioribus accipere, ut eorum sententia sit valida; sed cum valida est, tantum valet et immutabilis est sententia inferioris sacerdotis in hoc tribunali, quantum sententia Papae, nec est sententia ab ullo reformabilis, ut fit in foro externo: sed solum eadem causa ab alio rursus institui potest eadem auctoritate. Si ita est, cum per ablatam reservationem, facta sit inferiori facultas instituendi iudicii de peccato olim reservato, hic poterit circa hoc peccatum, illud quod poterat reservans.

Id profecto probabile est et erit magis probabile (ita s. Alph. l. c.), si gravis accedat mutationis causa et Superior adiri non facile possit; quia sic intercedit praesumpta Superioris conniventia seu consensus. Ita et Gury §. 551.

Ego vero addiderim, hanc Superioris veniam praesumi posse etiam quando causa mutationis esset solum fragilitas et infirmitas poenitentis idque etiamsi adiri superior posset. Ratio est, quia bene sentiendum est de prudentia superioris: hic autem si comperisset poenitentis imbecillitatem, id ipse fecisset et idcirco non renuit, ut (quod rei natura postulat) ab alio fiat, etiam se non consulto. Cf. Suarez l. c. n. 15.

317. A. dicit alium Confessarium posse commutare poenitentiam si poenitens *de novo ei confiteatur* et in seq. resp. dicit, quod *solus* sa-

cerdos, qui poenitentiam iniunxit, potest eam commutare *sine nova sacramenti administratione;* ergo alius Confessarius debet de novo administrare sacramentum: administratio autem sacramenti fit proprie a Confessario per absolutionem. Igitur A. requirere videtur, in hypothesi quod alius Confessarius commutet, non solum novam confessionem sed et novam absolutionem. At de his in seq. Resp.

LXIX. Resp. 2. Sine nova Sacramenti administratione potest id solus Sacerdos, qui iniunxit, si adhuc recordetur statum poenitentis et hic ad eum recurrat tempore tam brevi, ut moraliter idem iudicium censeri possit, v. gr. intra hebdomadam Henr. et alii 4., imo etsi post longius intervallum Card. de Lugo, Aversa et Dian. par. 7. t. 6. res. 46. et p. 9. t. 6. r. 57. contra Pal. etc. Ratio, quia iudex incognita causa non potest ferre sententiam. Ita Sylv. Suar. Con. Laym. Fill. Reg. Fag. et Card. de Lugo contra Nav. Henr. Tol. Sà; Rodr. Beiam, Val. Dian. par. 3. t. 4. res. 53. et p. 2. t. 1. misc. r. 53. qui dicunt, etiam alium posse, non repetitis peccatis. Quae sententia, etsi non ex ratione, ex principio tamen extrinseco videtur esse in praxi probabilis (Dian. enim l. c. pro ea adducit 14. Auctores, dicitque esse usum sive praxim Confessariorum) et Confessariis posse servire, quando poenitens difficulter adduci potest ad repetenda peccata, vel tempus id non fert; praesertim si ex confessione (nam in ea et non extra, debet fieri) aliorum peccatorum, ex praesenti statu poenitentis ipsiusque testimonio, habeant aliquam confusam notitiam peccatorum praeteritae confessionis. Ita Fag. par. 2. l. 9. c. 4. n. 22. Card. de Lugo d. 25. s. 6. n. 107. et 109.

318. Apud omnes generatim certum est, commutationem faciendam esse in iudicio sacramentali, s. Alph. n. 529. Gury §. 533. cf. Lugo disp. 25. n. 110.; ut enim poenitentia sit sacramentalis, imponenda est a sacerdote exercente potestatem clavium.

Porro commutatio facienda est vel ab eodem Confessario, a quo imposita fuit poenitentia vel ab alio. 1° Si ab eodem et hic recordatur status poenitentis, commutatio fiet in iudicio sacramentali, etsi rursus poenitens non confiteatur; quia pendet reapse ex illo iudicio, ex quo primum imposita fuit poenitentia. Quaestio quidem fit, quantum spatium temporis intercedere possit inter praecedentem confessionem et commutationem, si rursus poenitens non confiteatur: at s. Alph. n. 529. dub. 3. probat doctrinam Suarez (disp. 38. sect. 10. n. 3.) dicentis, brevi id esse faciendum idemque s. Doctor verius putat, fieri tantum posse statim post absolutionem, antequam poenitens discedat; quia tunc tantum videtur moraliter perseverare idem iudicium.

Sed de hac re melius omnino decernunt alii cum Lugo disp. 25. n. 112., qui postquam dixerit, censere se, oportere, ut hic Confessarius recordetur, saltem memoria aliqua confusa, peccatorum, pro quibus imposuit poenitentiam; quia commutatio est actus iurisdictionis, qui fit a iudice, ut iudex est ideoque procedere debet cum notitia causae, subdit: « Existimo non requiri novam confessionem; sed quod haec actio referatur ad confessionem et absolutionem praeteritam et cum

illa componat unum integrum iudicium. Certum est enim, in hoc sacramento partes tempore distantes posse uniri moraliter ad integrandum unum sacramentum: nam absolutio hodierna potest uniri cum confessione facta ante octo dies: ergo similiter additio vel limitatio sententiae poterit uniri cum confessione et sententia praeterita. Denique addo, me non invenire sufficientem rationem, cur additio vel limitatio illa post longum tempus facta non possit uniri moraliter sufficienter cum partibus praecedentibus ad faciendum unum integrum iudicium; nam ipsa satisfactio impleta post longum tempus integrat unum iudicium cum partibus praecedentibus, ut constat; ergo quandiu satisfactio non est posita, adhuc intelligitur iudicium illud incompletum et quasi suspensum et adhuc iudex ius habet ad urgendum pro exsecutione sententiae; ergo adhuc poterit ex consensu poenitentis mutare vel diminuere priorem sententiam, ut melius possit exsecutioni mandari. Confirmatur; quia, si Confessarius imponens poenitentiam, expresse sibi retineret facultatem moderandi vel mutandi postea illam; non videtur dubitandum, quin posset hoc facere: ergo praesumi potest, quod semper virtualiter habeat illam intentionem relinquendi sibi talem facultatem; semper enim intendit se obligare quam minimum possit et retinere totam potestatem, quam potest ».

Consentit et Aversa *de Poenit.* quaest. 13. sect. 8. in fin., ubi plures alios allegat.

Si autem Confessarius hic non amplius ullo modo recordetur status poenitentis, quid facere tunc possit, dicemus 3° loco.

319. 2° Si alius confessarius commutaturus est poenitentiam, quaestio est, an ei poenitens confiteri rursus debeat peccata, pro quibus imposita fuit poenitentia, quae commutanda est. Sententia affirmans obligationem repetendi confessionem plures habet et doctos Auctores, citatos a s. Alph. n. 529. dub. 1., tum quia commutatio facienda est in iudicio sacramentali, quod absque notitia peccatorum exerceri nequit, tum quia poenitentia debet esse etiam medicinalis et haec nequit imponi absque notitia status poenitentis.

Nihilominus qui exigunt repetitionem confessionis, concedunt satis esse, ut eorum quaedam confusa notitia Confessario suppeditetur a poenitente; nam, cum peccata iam sunt rite confessa, ut rursus rite subiiciantur clavibus, satis est eorum confessio quaedam generalis (cf. n. 261.) atque haec eadem confessio generalis seu confusa satis est ad ingerendam notitiam sufficientem pro commutatione. Quocirca sufficere quoque videtur notitia hausta ex ipsa gravitate poenitentiae impositae. Atque ex ipsa qualitate poenitentiae impositae noscere non raro licebit, saltem generice, quo ea spectaret tanquam medicina. Quod

si hoc lateat, advertendum est, quod ea medicina vel necessaria erat, vel non. Si necessaria, iam ad eam poenitens iure naturae obligatur nec ab ea Confessarius dispensare potest, qui idcirco, si merito quid suspicetur, monebit poenitentem. Si necessaria non est, tum propter rationabilem causam omitti poterit, tum fini per eam consequendo et alia analoga poenitentia plus minus conducet.

Sunt ergo alii nec pauci, qui affirmant, posse alium Confessarium poenitentiam commutare, non repetita confessione poenitentis, quos DD. refert A. heic; quamvis ab initio huius Resp. videatur loqui solum de eodem Confessario. Isti Auctores, si negant tantum necessitatem repetitionis distinctae peccatorum, non adversantur prioribus: imo, quoniam posita sufficientia notitiae confusae, haec vel ex sola notitia poenitentiae impositae hauriri potest, haec autem notitia poenitentiae in quavis sententia exigitur; dicendum videtur, omnes tandem in idem convenire nullamque esse inter DD. oppositionem.

320. Quod si quis aliquam saltem confusam notitiam suppeditandam esse novo Confessario negaret, illum errare non dubitamus. Nam certa est doctrina, quam tradit Lugo l. c. n. 110.: potestatem circa poenitentiam sacramentalem imponendam pertinere omnino ad iudicium sacramentale nec posse extra illud ab aliquo exerceri. « Scilicet, ut idem ait paulo ante n. 108., poenitentia, quam secundus Confessarius imponit, est sacramentalis, ideoque pars sacramenti: nequit autem esse pars praecedentis sacramenti, quia non est imposita a priore sacerdote: ergo nunc administrandum est sacramentum et idcirco commutatio est facienda vi absolutionis, quacum, sive haec nunc detur, sive postea danda sit, nectatur poenitentia, ut fiat sacramentalis. Atqui ut absolutio peccatorum dari possit, aliqua eorundem confessio postulatur: ergo.

Hinc 3° concludimus, quod, ut idem Confessarius commutet poenitentiam, necessarium non est, eum prioris anteactae confessionis vel in confuso recordari; sed satis ei esse debet quod et alii Confessario satis est, ut nempe ex gravitate et qualitate poenitentiae impositae colligat confusam notitiam peccatorum.

321. Commutatio poenitentiae ex rationabili causa fieri debet: quae est impotentia seu imbecillitas poenitentis. Quocirca opus haud est, ut poenitentia commutetur in aequivalentem; nam ratio mutationis exiget potius, ut minuatur.

Merito tandem, cum iusta exsistit causa commutationis, probabile dicit l. c. s. Alph. quod, etiam non petente poenitente, si Confessarius advertat, poenitentem non implevisse poenitentiam ab alio impositam nec facile impleturum, possit eam commutare. Atque ita sane recte se geret.

LXX. Resp. 3. Ipse poenitens non potest commutare poenitentiam etiam in evidenter meliorem, ut docent Sanchez, 5. *Mor.* Conin. d. 10 a. 12. n. 1. Regin. et alii: etsi contrarium probabile dicat. Dian. p. 3. t. 4. r. 53. et t. 2. tr. 4. res. 55. ex Porc. et Villal. Sed hoc Turr. temerarium, card. de Lugo communi Theologorum et fidelium sensui repugnare dicit d. 23. sect. 6. n. 75.

Iam dictum est.

322. * Solet heic a recentioribus addi catalogus poenitentiarum, quae, pro opportunitate, communiter possunt iniungi.

Poenitentiae salutares. 1° *Opera pietatis.* 1° Orationes vocales, Pater, Ave, Litaniae b. V., Rosarium b. V. vel eius tertia pars, Psalmi Poenitentiales, litaniae SS., Officium parvum b. V.: preces matutinae et vespertinae.

2° Oratio mentalis, pro captu poenitentis, recogitatio de Novissimis, de passione Domini, adspirationes iaculatoriae ad Deum etc.

3° Actus fidei, spei, caritatis, contritionis, qui certo tempore, puta mane et vespere, ex concepta formula vel prout animus suggerit, eliciantur.

4° Auditio Missae, concionis, catechismi: visitatio ss. Sacramenti, Imaginis b. V.: assistentia divinis officiis.

5° Exercitium Viae Crucis: preces novendiales in honorem b. V. Sanctorum.

6° Pia lectio: secessus spiritualis per aliquot dies.

7° Frequentia Confessionis.

II° *Opera mortificationis.* 1° Abstinentia quaedam in cibo aut in potu.

2° Ieiunium plus minus rigorosum.

3° Subtractio aliqua somni.

4° Privari aliquo honesto solatio, spectaculo ex. gr. recreatione.

5° Orare genibus flexis, brachiis in modum crucis extentis, terram deosculari.

6° Corporis maceratio per cilicia, flagella.

7° Visitare captivos, infirmos iisque inservire.

Sed haec et similia cum discretione imponenda et habenda ratio sanitatis et adolescentibus studiosis generatim parcissime iniungenda (si 1^{m} et 4^{m} excipias).

Poenitentiae medicinales. Contraria contrariis curentur. Luxuriosis imponenda mortificatio carnis, sensuum, abstinentia a licitis. Avaris eleemosyna: gulosis temperantia et abstinentia: accidiosis exercitia pietatis, auditio sacri etc. superbis actus quidam humilitatis etc.

Generatim oratio ex fide et fervens est medicina vel obtinet medicinam cuilibet malo morali, tum occasionum fuga. *

Nota. Inter ea, quae *rarissime* iniungi oportet, Lugo recenset etiam abstinentiam a sumenda ss. Eucharistia, insuper addens, tunc solum id consentaneum esse, cum propter defectum reverentiae et dispositionis praestat quempiam ab ipsa removeri. Ita ille: « Ostendimus, frequentem usum communionis non esse rem ita determinate bonam, ut non possit aliquando et in aliquibus circumstantiis melius esse abstinere, quam accedere, etiamsi non sit conscientia peccati mortalis... Cum ergo Confessarius possit praecipere opera honesta et virtutum in poenitentiam, non videtur dubium, in genere et de possibili loquendo, quod possit aliquando praecipere poenitenti, ut abstineat a Communione tali die: quando scilicet constat, melius esse tunc abstinere, quam accedere, quod ex statu poenitentis et defectu reverentiae et dispositionis colligi prudenter potest. Dum tamen illa omissio Communionis non sit occasio aliis iudicandi, quod a Confessario fuerit in poenitentiam imposita, ne forte hac via cogeretur poenitens suam confessionem manifestare. Regulariter tamen non expedit talem poenitentiam imponere, licet in casu rarissimo negandum non sit, quod possit utiliter imponi ». Disp. 25. n. 65.

Monendus lector, Tractationem de Indulgentiis cum textu A. reiici a nobis in Appendicem, post absolutam praesentem tractationem de Sacr. Poenit.

CAPUT II.

DE MINISTRO POENITENTIAE.

Dub. I.

Quis sit minister.

LXXI. Respondeo. Est Sacerdos approbatus ab Episcopo, saltem respectu secularium et habens iurisdictionem. Est certum. Ratio primae partis sumitur ex Ioann. 1. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis etc.* Ratio secundae sumitur ex Trident. sess. 23. c. 15. *de Refor.* ubi decernit, nullum posse audire confessiones secularium, nisi habeat Beneficium Parochiale, vel approbationem ab Episcopo. * Hanc ad rem facit damnatio inflicta ab Alexand. VII. duabus Proposit. scil. 13. et 16. * Addidi respectu secularium ; quia circa confessiones regularium Concilium nihil videtur notasse: unde ii cuivis, etiam non approbato, quem Praelatus praefecerit, possunt confiteri, intellige, quantum est ex vi Concilii; quia Gregorius XV. statuit, ut monialium Confessarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiae partis ex Florentino et Tridentino l. c.; quia absolutio est actus iudicialis, qui requirit subditos.

323. Solum sacerdotem h. e. neminem infra sacerdotium esse ministrum huius sacramenti, demonstratur in Theologia dogmatica.

Necessitas approbationis patet ex Trident. sess. 23. cap. 15. *de Re-*

form.: « Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen s. Synodus, nullum, *etiam Regularem*, posse confessiones secularium, *etiam sacerdotum*, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur et approbationem, quae gratis detur, obtineat: privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus ». De hac re apud A. memorantur duae propositiones damnatae ab Alex. VII. 13ª est: « Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato » et 16ª: « Qui beneficium curatum habet, potest sibi eligere in Confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario ».

Vides approbationem Episcopi postulari pro excipiendis confessionibus *secularium;* regularium confessiones excipiendae sunt ab iis, qui a praelatis regularium iurisdictionem obtinent: de his sermo redibit dub. 3. resol. 9.

Cum confessarius dicitur approbandus pro monialibus, intelligendum, quod *specialem* approbationem pro illis habeat; quia non omnis, qui approbatur ab Episcopo ad audiendas confessiones, est approbatus etiam pro monialibus.

Unde resolves.

LXXII. 1. Nullo casu vel dispensatione hoc Sacramentum valide administratur a non sacerdote.

324. Morem inductum aetate media confitendi laico, si abesset Sacerdos, non supponere in laicis potestatem absolvendi, docent disserte ipsi Scriptores eius aetatis: cf. s. Thom. q. 8. a. 2. *Supplem.* et Opus Iacobi Passavanti, *Lo specchio della vera penitenza* dist. 5. c. 4. Id iam vetus auctor libri *De vera et falsa poenitentia* (inter opera Augustini) c. 10. testatus erat. cf. s. Alph. n. 540.

Vid. ibid. et quorundam DD. opinionem, quod valeat laicus aut clericus in articulo mortis, ex praesumpta concessione Ecclesiae, absolvere ab excommunicatione, ut possit moriens habere suffragia et sepulturam: quod alii negant; quia non est necessarium et fieri id potest etiam post mortem. Cf. de hac re Lugo disp. 18. nn. 6.-11., qui merito advertit, quod si Ecclesia noluisset, aliquem fidelem rite dispositum mori cum censura, non opus fuisset, ut facultatem a censuris absolvendi faceret cuilibet clerico vel laico: sed quemadmodum ipso iure plures feruntur censurae, ita potuisset decernere, ut ipso iure in mortis articulo cessent (revicturae utique si infirmus convalescat). Cum ergo id Ecclesia

non fecerit, quod tamen consentaneum magis foret ecclesiasticae potestati, indicium est, non hanc esse Ecclesiae voluntatem, ut in mortis articulo absolutio a censuris a quolibet detur. Certe ea non est necessaria pro reconciliatione cum Deo obtinenda: pro suffragiis vero et sepultura ecclesiastica, dari absolutio potest post mortem.

LXXIII. 2. Ubi Trid. est receptum, secus alibi, nullus Sacerdos, etiam Regularis, valide absolvit, nisi sit approbatus vel parochus: cui non solum intra, sed etiam extra dioecesim suam, valide delegatur iurisdictio potestque eligi in confessarium ab omni habente potestatem eligendi, quandiu tamen retinet Parochiam. Ita Fill. t. 1. t. 7. Fagund. Suar. Dian. p. 3. t. 4. r. 146.

325. 1° Dicitur *secus alibi,* idest quo Tridentinae leges non se porrigunt; quia quoad ecclesias, quae ritu latino non utuntur, in iis, quae disciplinaria sunt, Ecclesia nihil immutavit.

Non recte tamen quidam, ut Verricelli *de Apost. Miss.* tit. 15. q. 223. monent Missionarios latini ritus pro audiendis confessionibus non indigere licentia Episcopi graeci catholici, eo quod nec sacerdotes graeci ea indigeant. Hoc enim falsum est: imo Episcopi graeci hac in re non minus severi, quam latini esse solent. Sic v. gr. metropolita graecus leopoliensis expresse prohibuit, ne Confessarii latini graecos absolvant a casibus in archidioecesi graeci ritus reservatis, licet ii casus in dioecesi latina ad quam pertinent Confessarii, non sint reservati.

2° Quod dicit A. valide extra Dioecesim Parocho delegari iurisdictionem intelligi potest hoc sensu, quod Episcopus alterius Dioecesis, *si eum iudicet idoneum*, potest sine alio examine ipsum approbare pro sua quoque dioecesi et iurisdictionem illi delegare, prouti et aliis sacerdotibus.

3° Quod dicit, Parochum posse eligi in Confessarium ab omni habente facultatem eligendi Confessarium (cf. dub. seq. sub resol. 5.), intelligendum est restricte, idest *in Dioecesi*, in qua titulo parochiae potest audire confessiones, et in alia Dioecesi, si ab huius quoque Ordinario approbatus fuerit. Haec certa sunt.

Sed reipsa sensum ita circumscriptum (2°, 3°) non habent verba Auctoris, qui scripsit iuxta sententias sua aetate vigentes et ante decreta seu declarationes Sedis Apostolicae, de quibus in sequenti dubio agemus. Scilicet haec pendent ab opinione, quod approbatio non requiritur pro iis, qui beneficium parochiale habent, quatenus obtinentes parochiale beneficium censentur approbati non solum pro tota dioecesi, sed et pro tota Ecclesia (de qua opinione cf. s. Alph. n. 544.): sed requiratur solum delegatio iurisdictionis, quae dein utrum a parocho alterius dioecesis delegari huic possit, controvertitur. Cf. dicenda dub. seq. sub resol. 4.

326. Illud quoque certum est, parochos (idem dic de Episcopis) posse subditum suum ubique terrarum absolvere; quia alia approbatione non egent et iurisdictionem habent ordinariam: cum vero actus audiendi confessiones sit iurisdictionis voluntariae, potest in alieno territorio exerceri (Fagnanus in c. *Ne pro, de Poenit. et Remiss.* n. 29.).

Quidam id et de delegatis ab Episcopo ad audiendas confessiones voluerunt accipere, ut ii possent subditos Episcopi delegantis absolvere quovis in loco, non secus ac in dioecesi delegantis. Sed obstat in his defectus approbationis, quam Tridentina Synodus in omnibus requirit, qui parochi non sint, quam approbationem Episcopus loci dare debet, ubi confessiones audiuntur, ut docemus dub. seq. sub resp. 2. Cf. sub dub. 3. resol. 2.

* Nota, iure parochorum non gaudere canonicos capituli, penes quod est ius habituale parochi; hi enim non dicuntur parochi nec eorum beneficium dicitur parochiale. Hi ergo indigent approbatione et iurisdictione accepta ab Episcopo, s. C. C. 10. Febr. 1889. Card. de Luca *de Parochis* disc. 45. n. 5. *

Ceterum adverte non pauca ex iis, quae heic et in seq. dub. de approbatione dicuntur, spectare quoque ad dub. 3. de iurisdictione; quia approbatio, nostra praesertim aetate, simul dari solet cum iurisdictione.

Dub. II.

Quid sit approbatio et a quo petenda.

LXXIV. Resp. 1. Approbatio non est collatio iurisdictionis, sed tantum publicum iudicium de aptitudine personae, ad audiendas confessiones, essentialiter praerequisitum, supposito iure Tridentini, ad iurisdictionem recipiendam. Ita Sanch. l. 6. *de Matr.* d. 28. et alii.

327. Ut advertit Fagnanus in c. *Omnis utriusque sexus* n. 75., ante Concilium Trid., unicum erat impedimentum, quatenus nemo poterat alieno sacerdoti confiteri sine proprii sacerdotis licentia, ut patet ex decretali citata: sed hodie ex Conc. sess. 13. c. 15. additum est alterum, idest ut nemo presbyter sit idoneus ad confessiones secularium audiendas, nisi vel parochiale beneficium habeat, vel sit approbatus ab Episcopo. Ita et Suarez disp. 28. sect. 4. n. 1. novum ius in hac re conditum dicit a Tridentino, Verba Trid. dedimus n. 323.

Perpende 1° Trid. decretum loqui tantum de confessionibus *saecularium* tum laicorum tum sacerdotum: ut pro his audiendis presbyteri confessarii idonei censeantur, sive seculares sint sive Regulares, exigit Synodus vel parochiale beneficium vel approbationem Episcopi; secus, etsi iurisdictio aliunde habeatur, absolutio nulla erit.

2° Ibi sermo est tantum de approbatione h. e. authentica declaratione idoneitatis, quae utique ut sit rationalis, praevertens iudicium vel examini vel alii motivo innixum requirit: ut idcirco non bene inferres in verbis decreti Trid. *nisi idoneus iudicetur, et approbationem obtineat*, per priora iam quam dicimus approbationem significari, per postrema iurisdictionem. De iurisdictione vero, vel ordinaria vel delegata, necessaria ad valide absolvendum, locuta est Trid. Syn. clarissime iam in sess. 14. c. 7., ut opus non esset idem rursus repetere. Quocirca ad approbationem tantum quod spectat, pares voluit esse Trid. Syn. in audiendis confessionibus secularium, confessarios regulares et seculares: quoad originem vero iurisdictionis nihil immutavit.

328. Itaque differunt inter se et longe distant approbatio et iurisdictio. Approbatio authentice declarat et hoc ipso facit legitime idoneum ad accipiendam iurisdictionem: iurisdictio est potestas in subditum, qui solvi et ligari potest. Approbatio ex notitia pendet tum personae approbandae, spectata non tantum scientia, sed et aliis dotibus, prudentia, probitate etc. tum eorum, pro quibus approbanda est; ut idcirco haec ad singulorum locorum Episcopos spectet: iurisdictio a voluntate eius pendet, qui est pastor proprius eorum, super quos iurisdictionem concedit. Hinc approbatio non est gratia aut privilegium dependens ex sola libera voluntate concedentis; est enim authentica sive auctoritativa declaratio ac testificatio, quod persona quaepiam instructa sit dotibus necessariis ad Confessarii munus exercendum et cui propterea a legitimo Superiori conferri queat iurisdictio, qua iudex constituatur in foro sacramentali. Approbationis necessitas inducta est a Trid. Syn.: iurisdictionis necessitas est ex iure divino.

Iurisdictio vero, seu potestas ferendi sententiam in subditos, respectu Sacerdotum, qui alias nullum munus gerunt coniunctum cum cura animarum, non ex iustitia confertur, sed ex gratia, utut alias scientia sufficienti instructi sint.

Hinc licet saepius et regulariter ab eodem Superiore utrumque detur, scil. approbatio et iurisdictio (ut fere fit in Sacerdotibus secularibus), aliquando tamen ab uno Superiore approbatio, ab altero iurisdictio habetur, uti fit cum Regularibus, qui iurisdictionem habent a Pontifice, approbationem vero ab Ordinariis, in quorum dioecesi confessiones audituri sunt (Salmant. *de Privil.* c. 4. nn. 83.-85.). Ita approbatio pro monialibus confertur ab Ordinario: iurisdictio in exemptas a praelato earum.

329. Privilegium utique *exemptionis* per se non infert iurisdictionis delegationem immediate a summo Pontifice; alterum enim sine altero

subsistere potest. De facto tamen Religiosi omnes mendicantes et qui privilegiorum communicationem cum iis ex Apostolicae Sedis indulto habent, iurisdictionem a Romano Pontifice per Ordinis proprii praelatos accipere solent. Qua de re cuiusque Ordinis religiosus constitutiones suas suisque indulta privilegia consulat. Atque ita Fagnanus in c. *Omnis utriusque sexus* n. 79. refert: « Iam s. Congr. C. declaravit Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis posse etiam absolvere poenitentem alterius dioecesis; *cum habeant iurisdictionem a Papa...* cuius iurisdictio non restringitur ad limites alicuius territorii ».

Difficultas quidem visa est peti posse ex quadam Declaratione, quae nuperrime prodiit ex Congr. EE. et RR. (*Acta ex iis decerpta, quae apud s. Sedem geruntur* vol. I. pag. 683.). Propositis enim dubiis.

I. *An Religiosus non approbatus iuxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii, valide excipiat confessiones secularium.*

II. *An superiores Regulares, iurisdictionem habentes, possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus secularium etiam ex informata conscientia.*

Et quatenus affirmative III. *An valeat suspensio oretenus et absque scripto enunciata.*

IV. *An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus sit valida.*

Et quatenus negative V. *An qui huiusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat.*

S. Congregatio Episcoporum et Regularium re discussa, die 2. Martii 1866. respondit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative; ita tamen, ut Religiosus suspensus illicite, non vero invalide confessiones excipiat.*

Ad III. *Affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Provisum in praecedentibus.*

Provisum autem in praecedentibus est; quia, ut habet Responsum ad III., suspensio in casu fertur non per modum censurae, sed per modum praecepti, quo subditus prohibetur confessiones excipere. Quocirca bene advertit Editor (l. c. pag. 684.), subditum inobedientem esse, non vero violatorem censurae, atque adeo non incurrere irregularitatem.

330. Ceterum s. Congregationis Declaratio supponit, Regulari, de quo quaestio, ab Ordinario loci non solum *approbationem*, sed et *iurisdictionem* collatam fuisse: unde in quaesito primo adhibita est *vigilans* VOX cum FACULTATE, non vero *cum approbatione Ordinarii*. Quocirca

nihil haec Declaratio detrahit COMMUNI Thh. sententiae (Vid. Struggl, *Theol. mor.* tr. 11. q. 3. n. 30.), quod Regulares iurisdictionem habeant a Summo Pontifice: quam quidem sententiam modo vidimus confirmatam expresse fuisse a s. Congregatione Concilii. Et inde repetendum, quod Benedictus XIV. *de Synod.* lib. 9. cap. 16. nn. 7. 8., cum fuse disputet de Regularium facultate quoad administrandum Poenitentiae Sacramentum, multis quidem evincit necessitatem *approbationis,* quam Regulares a locorum, ubi ministerium exercent, Ordinariis necesse est obtineant; at de collatione *facultatis* seu *iurisdictionis* ne verbum quidem habet. Et hinc repetendum quod communiter tradunt DD., Religiosum, a proprio Superiore suspensum ab audiendis confessionibus, nec licite nec valide absolutionem impertiri (V. Laymann *de Poenit.* c. 10. n. 19.). Quod quomodo cum modo allata Declaratione concilietur, habes in illis verbis Marci Struggl l. c. n. 32.: *Infertur, invalidam esse absolutionem a Sacerdote Regulari exempto, qui ab Episcopo* praecise approbatus... *audiret confessiones sine omni licentia actuali tam expressa quam tacita sui legitimi Superioris; quia nondum haberet iurisdictionem a Summo Pontifice, quae requirit consensum legitimi Superioris, tamquam conditionem sine qua non. Si tamen Episcopus tali Religioso simul daret* suam iurisdictionem Episcopalem, *valeret absolutio, etiam contra positivam voluntatem Superioris collata. Interim tamen Regularis sic absolvendo peccaret leviter vel graviter, pro rata inobedientiae et prohibitionis, ut cum Tamburino docet Sporer,* n. 682. Insuper facultates huius Religiosi in casu non ulterius sese protenderent, quam possit eas Episcopus delegando concedere. Proinde etiamsi Religiosus ad eum Ordinem pertineat, cui a Sede Apostolica specialis aliqua facultas tributa sit, v. gr. ad Ordinem aliquem mendicantium, qui privilegio gaudeant absolvendi a Casibus Papalibus (de quo nunc scitandi ipsi sunt regulares); iste tamen invalide ab hisce absolveret. Ratio est, quia huiusmodi facultate eatenus tantum ipse polleret, quatenus a suis Superioribus haec forte illi communicaretur. Atqui Superiores in casu nullam ei facultatem tribuunt. Ergo.

331. Si vero quaestio fiat, an Regulares, deficiente proprii ordinis Confessario, possint confiteri cuilibet sacerdoti, etiam non approbato, modo idoneus sit: aliqui quidem negarunt, innixi praesertim decisioni s. C. C. ad postulatum Episcopi Hildesheimensis: sed cum s. Alph. *de Privilegiis Regularium in particulari* n. 6. et cum communi affirmandum.

Communis haec DD. sententia innititur Decreto Tridentino sess. 23. c. 15. *de Reform.*, quod necessitatem approbationis expresse exigit solum ad confessiones secularium excipiendas. Ergo Regulares non sunt

hoc Decreto comprehensi atque adeo sub iure antiquo manent (a). Quod vero FF. Cappuccini solum approbatis confiteri possint, id specialiter a Benedicto XIV. fuit statutum. Ceterum cum Constitutiones Pontificiae Regularibus facultatem faciant, ut si desit socius ex proprio Ordine, ab altero Sacerdote sive Regulari sive seculari absolvi possint, iam eo ipso huic sacerdoti, qui a poenitente eligitur, iurisdictio confertur.

Ad postulatum illud quod spectat, ex Actis s. Congregationis (*Thesaur. Resol. s. Congr. Conc.* tom. 38. pag. 111.) constat, quaestionem propositam fuisse de Regularibus, qui ad civitatem pluries per annum accedentes ibique ad aliquot dies commorantes, inibi solebant sibi eligere presbyterum secularem ab Episcopo non approbatum, quamvis in eadem civitate non deessent, qui ex *propria cuiusque Ordinis familia* confessiones eorum possent excipere et quorum *copiam* (ibid. pag. 113.) *facile habere poterant*. Porro (ut in Actis quoque advertitur) facultas Regularibus concessa, ut *dum itinerarent vel essent extra conventus suos, valerent confiteri quibuscumque sacerdotibus*, conditionem adiectam hanc habebat (ibid. pag. 116.), *si aliquem presbyterum idoneum ex Professoribus Ordinis habere non possint*, seu si *non possint habere copiam sacerdotum, quia non habent proprium confessarium*. Quod ergo s. Congregatio non quidem ad generalem quaestionem, sed ad casum illum specialem 16. Sept. 1769. responderit, *illas confessiones non fuisse validas*, ad controversiam nihil pertinet.

332. Illud nihilominus est advertendum, solere subinde nomine approbationis utrumque designari. Ita Benedictus XIV. In Const. *Apostolicum* (tom. 4. p. 16.) 30. Maii 1753. §. 8.: « Duos omnino actus complectitur approbatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Proprium enim est intellectus, debita ac necessaria scientia in examinato deprehensa, illum confessionis muneri obeundo

---

(a) Nihilominus s. C. EE. et RR. 3. Iun. 1861. respondit, posse superiores locales Regularium, nisi Constitutiones obstent, facultatem facere suis subditis, ut presbytero seculari confiteantur, dummodo tamen hic fuerit ex approbatis ab Ordinario loci: secus invalidam esse confessionem. Et provocatum est ad responsum s. C. C. in Hildesheim (cf. Acta s. Sedis vol. 1. p. 679. seqq.) Quo responso C. EE. et RR. ampliatum videtur Trid. decretum ultra terminos a Trid. praescriptos; nam Trid. Syn. loquitur solum de confessionibus secularium. At certe decuit, conditionem hanc approbationis episcopalis postulare quoque in Confessariis secularibus, ad quos Regulares accederent; ne isti vel ex ignorantia vel data opera, ineptos Confessarios eligerent sibi.

Imo affertur decretum Innocentii VIII. (apud s. Alph. n. 575.), concedentis religiosis peregrinantibus, ut carentes proprio Confessario, confiteri valeant *idoneo* presbytero seculari. Porro s. C., supposito decreto Trid., *idoneum* presbyterum censuit esse eum qui ab Episcopo loci sit approbatus.

Obstat tamen doctrina s. Alph. n. 575. affirmantis, *communissime et verius* negari pro confessionibus audiendis Regularium necessitatem huius approbationis in confessariis secularibus. Quam sententiam s. Doctoris tuto sequi licet nec responsa ss. CC. quae in casibus particularibus loquuntur, vim legis universalis habent. — E.

aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem confessionum audiendarum liberam plenamque facere sententiamque de eo proferre, qui Adprobatori subiicitur. Primum itaque ab Examinatore praestatur, cuius fidei et integritati innititur atque acquiescit, qui confessiones audiendi facultatem in limitibus et confiniis sibi assignatis impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet Superiore, cuius est praedictam facultatem concedere ». Sed hoc fallit, ut diximus, in Regularibus, licet nihil repugnet, ut iurisdictionem etiam ab Episcopo accipiant, ut audivimus a Struggl et probat declaratio allata n. 329. (a).

Unde resolves.

LXXV. 1. Etsi Doctores et Licentiati, hoc ipso quod promoventur, censeantur, secundum quosdam, approbati a Papa, ut notat Sà *verb. Confessor.* probabilius tamen est, quod ipsi etiam egeant approbatione: licet non deceat, ut ipsi vel Lectores in Theologia examinentur.

333. Quod A. dicit *probabilius*, s. Alph. n. 542. dicit esse *certum*, ex Bulla s. Pii V. apud Salm. cap. 11. n. 94. *etiam quoad Praelatos Regulares;* quae ultimā verba suo marte addit s. Alph.: nam Salmanticenses nihil dicunt de Praelatis Regularibus et revera s. Pius V. loquitur de Regularibus simpliciter. S. Pius V. ita dicit Const. 183. *Romani Pontificis* 8. august. 1571. Bullar. Rom. tom. 4. part. 3. pagg. 177. §. 2.: « Decernimus et declaramus, decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendis confessionibus secularium praepositorum ab Episcopis facienda, observari debere etiam in omnibus Regularibus quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiamsi sint Lectores aut in Theologia, etiam de superiorum suorum licentia, graduati vel promoti, vel a suis Magistris Generalibus vel Provincialibus Ministris, secularium confessionibus audiendis expositi ».

Lambertini *Instr.* 86. n. 8. dicit, s. Officium an. 1640. improbasse illos, qui contendebant, Sacerdotibus laurea s. Theologiae aut Iuris Can. donatis non esse necessariam approbationem et *facultatem* ad audiendas Confessiones et allegat Viva in Prop. 13. Alex. VII. n. 17. Sed 1° Viva loquitur solum de *approbatione,* non vero de *facultate;* 2° Viva dicit propositionem oppositam solum expunctam fuisse ex libris Hieronymi Llamas. Dicente A., non decere, Doctores vel Lectores Theologiae subiici examini, s. Alph. l. c. subdit in notula: « modo legerint Moralem ». Hoc s. Doctor dicit, ratione habita recentioris methodi docendi Theologiam; nam reipsa olim Lectores Theologiae

(a) Cf. sis Praelectiones I. C. Francisci Sancti l. 3. t. 37. n. 14. segg. — E.

Scholasticae satis exercitati erant et in moralibus, ut patet ex operibus Vasquez, Molina, Lessii, Valentia, Becani, Suarez, Lugo etc.

LXXVI. 2. Etiam Parochus, qui reliquit beneficium Parochiale, debet approbari, si velit audire confessiones.

334. Si agatur de approbatione Parochi in eadem dioecesi, ubi fuit Parochus, accipi debet resolutio *praesertim* de collatione iurisdictionis, quam amittit dum amittit titulum, nempe beneficium parochiale. Nam cum approbatio sit iudicium de idoneitate, iudicium hoc iam latum fuit, quando factus est parochus et hoc iudicium per se, etiam relicta parochia, perseverat: quare non solent rursus examinari.

LXXVII. 3. Non requiri hanc approbationem ad auditionem venialium, docet Dian. p. 2. t. 2. misc. res. 44. ex Valer. Et ratio esse videtur; quod approbatio tantum requiratur in ordine ad iurisdictionem; hanc autem quivis Sacerdos pro venialibus, uti et mortalibus, a quibus rite quis est absolutus, habeat collatam ab Ecclesia in ipsa ordinatione, ideoque ab iis absolvere possit, ut habet Bon. d. 5. q. 7. p. 2. n. 8. Vasq. Suar. Card. de Lugo, d. 18. sect. 3. d. 21. n. 1. ubi docet, ab Ecclesia in Trident. non approbatum reddi incapacem iurisdictionis tantum in ordine ad mortalia non prius confessa.

335. Quoad Confessionem venialium apud Sacerdotem non approbatum, in Decreto s. Congreg., 12. febr. 1679. et approbato ab Innocentio XI. (de frequenti Communione apud Croix lib. 6. part. 1. n. 653.) prope finem haec habentur: « Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario ». Cum quibus s. Alph. n. 543. una considerat quae sequuntur immediate: « Si Parochi et Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem esse reddituros etc. ». Ex quibus concludit, non solum vetitum fuisse Episcopis permittere, ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo: sed id fuisse interdictum etiam ipsis sacerdotibus. At si Ecclesia interdixit, ne absolvant et iurisdictio (ut plures volunt) repetenda esset ex consensu Ecclesiae; non est putandum, Ecclesiam dare iurisdictionem illis, quibus absolvere interdicit. Verum 1° ex interdicto non tenet illatio ad ablationem potestatis. Et illa adhortatio, *ne permittant*, supponit potius actum, qui permittendus non est, esse ex se validum. 2° non probatur istud interdictum, de quo s. Doctor. Nam si referantur postrema verba ad immediate praecedentia, interdicitur *permittere;* secus absurde necterentur, quia heic nominantur etiam parochi et confessarii, qui certe possunt a venialibus absolvere. Haec ergo referuntur ad antecedenter dicta de s. Communione, propter quae ratio fuit, cur et simplices sacerdotes nominarentur. Ergo non necessario intelligitur interdicta confessio venialium simplici sacerdoti. Et reipsa s. Alph. n. 543. fatetur, sententiam esse *communissimam,* quod *valide* absolvant, etiam post Innocentii XI. seu Congregationis Decretum.

Ferraris v. *Absolutio* art. 1. n. 62. scripserat, confessiones huiusmodi venialium apud simplicem sacerdotem esse *nullas et irritas* ex declaratione Benedicti XIV. in Const. *Apostolica indulta* pag. 100. tom. 1.; sed id falso affirmari advertit adnotator eiusdem Ferraris ibid.; imo subdit, ex sententia Reiffenstuel, communiorem esse sententiam theologorum, quod iurisdictio sufficiens absolvendi valide a venialibus in ordinatione conferatur: licet ob plurima incommoda recte prohibitum sit, ne extra casum necessitatis hac facultate Sacerdotes utantur.

Hoc certum est, sententiam de iurisdictione collata omnibus pro venialibus in ordinatione fere unanimiter et ceu certum tradi ab AA. consuevisse. Ita Bardi *de Consc.* disser. 4. cap. 17., et Io. Sanchez disp. 44. n. 34. Quae collatio non est putanda vi ipsius ordinationis fieri, sed per Ecclesiae concessionem.

LXXVIII. 4. Parochi non possunt adsciscere cooperatores, nisi Parochos vel approbatos, ut habet Fag. p. 2. l. 7. n. 42. Sanch. etc. ex declaratione Cardd. contra Ledes. et alios. V. Dian. p. 3. t. 4. res. 346. et Bon. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1.

336. Haec resolutio primario docet, parochos non posse dare facultatem audiendi confessiones et absolvendi iis Sacerdotibus, qui approbati non sint ab Ordinario; quia cum hi non sint parochi, indigent approbatione n. 323.

Sed heic additur duplex quaestio (vid. s. Alph. n. 544.). Prima est (ad quam refertur subiecta notula), an quilibet parochus eiusdem Dioecesis possit in omni parochia seu loco eiusdem dioecesis audire confessiones.

De hac etiam s. Alph. l. c. dub. 2. refert hanc declarationem s. Congregationis: Ad dubium: « An provisus de parochiali per concursum censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi, in qua illam parochiam obtinet? » Resp. s. Congr.: « Censeri approbatus ad audiendas confessiones dumtaxat in ea civitate vel oppido, ubi sita sit parochialis, non autem passim per totam dioecesim ».

Giraldi (Animad. ad Barb. p. 2. c. 15. n. 3. *de Parocho*).: « Ita decisum fuit a s. Cong. in Leodiensi, mense Aug. 1600. ad dub. 2^m^ » scilicet non approbari pro tota dioecesi, sed solum pro pago vel civitate. Et ratio decisionis esse potuit, quia potest quis esse aptus pro incolis pagi, non pro urbe. Et, ut ait Lambertini *Instr.* 86. n. 12.: « Novimus in quibusdam Dioecesis partibus probari debere scientiam inferiorem, quae scilicet neque ad mediocrem pertingit. Id sapienter advertit Card. De Lugo disp. 21. sect. 4. n. 74. *de Poenit.*, ut timidos et religiosos Episcopos consoletur ».

Veruntamen haec decisio referri debet potius ad ius generatim spectatum, quo uti potest Episcopus cum suis parochis, quam ad praxim. Spectato sane solo iure antiquo, Clericatus *de Poenit.* decis. 37. n. 11. dicit, ex rigore antiquorum Canonum parochum non potuisse audire confessiones nisi eorum, qui in eius parochia habitarent. Verum, ut monent DD., ad tollendas difficultates expedit, ut Episcopi expresse dent parochis facultatem audiendi confessiones per totam Dioecesim, idque consuetudine obtinere monent Lambertini *Inst.* 86. n. 14., et Clericatus *de Poenit.* decis. 37. n. 12. Concludi posse videtur, quod, ubi alia non vigeat consuetudo et Episcopus expresse non restringat, parochus possit per totam dioecesim confessiones audire.

337. Alia quaestio est, an parochus possit vocare parochos alterius dioecesis ad audiendas confessiones in sua ipsius parochia. Qua de re dissident DD., ut videre est apud s. Alphonsum n. 544. dub. 1.

Ut intelligatur vis quaestionis, notandum, quod ante Tridentinum quilibet simplex sacerdos poterat audire confessiones secularium ex commissione vel Pontificis, vel Episcopi, vel etiam Parochi. Porro Tridentinum, ut obviam iret incommodis, quae sequebantur ex eo quod parochi saepe committebant oves suas presbyteris ineptis, decrevit, ut nemo idoneus censeretur ad audiendas secularium confessiones, nisi aut haberet parochiale beneficium, aut esset approbatus ab Ordinario. Non tamen abstulit facultatem parochis, quam prius hi habebant; quocirca si quis esset, qui ab Episcopo fuisset approbatus nec tamen iurisdictionem accepisset, posset a parocho accipere iurisdictionem ad audiendas confessiones suorum subditorum. Ita Lugo *de Poenit.* disp. 21. n. 4.-8. Lessius *Auct.* V. *Confessar.* cap. 2.: « Etiam Parochus in sua parochia confessarios designare potest, modo ab Episcopo sint approbati. Approbare per se non tribuit iurisdictionem, sed reddit capacem, ut ei detur iurisdictio, quae per nominationem vel designationem dari potest, modo ille sit approbatus ».

Exinde illi, qui in quaestione proposita tenent *affirmativam*, sic arguunt: Parochi possunt suas oves (quoad Sacramentum poenitentiae) committere tum habenti parochiale beneficium, tum Sacerdoti approbato ab Ordinario. Ergo possunt vocare parochum alterius Dioecesis. Nam conditio a Tridentino requisita in eo verificatur.

338. Qui *negativam* tenent, arguunt ex dispositione Tridentini, quod parochus non approbetur nisi a suo Episcopo pro sola eius dioecesi.

Accedit declaratio s. Congregationis Conc., quae, licet anno 1667., ut inquit Lambertini *Instr.* 86. n. 7., nullam sententiam de hac re ferre voluisset; tamen ad dubium Administratoris Ecclesiae Posnaniensis « An curati unius Dioecesis vocati a parochis alienae dioecesis,

possint in ista audire confessiones tam suorum subditorum quam alienorum absque licentia Episcopi loci » die 3. dec. 1707. Respondit: « Affirmative *quoad subditos*, negative *quoad reliquos* ». Resol. tom. 9. part. 2. pag. 168. Et ad Quaesitum: « An et quomodo in casibus praedictis sit consulendum, si agatur de magno concursu populi et magna distantia adeundi pro approbatione Episcoporum Dioecesanorum in casu etc. ». Respondit l. c.: « Arbitrio et prudentiae Ordinarii ».

Videtur tamen s. Alphonsus non multum detulisse hisce argumentis; quia mere dicit, sibi magis hanc sententiam placere. Et reipsa gratis dicitur, quod ex *dispositione Tridentini* intelligitur parochus approbatus ab Episcopo loci; quia Tridentinum mere nominat eum, *qui habet beneficium parochiale*. Et confirmatur ex fine decreti, qui fuit, ne parochi committerent hoc munus sacerdotibus ineptis: satisque caveri id putavit, si aut sacerdos approbatus ab Episcopo esset, aut haberet beneficium parochiale, quod supponit, hominem non ineptum fuisse inventum (a).

Declaratio autem Congregationis suam habet utique auctoritatem: sed non habet vim decreti. Et Lambertini Cardinalis Archiep. dicit utique, se negaturum facultatem etiam parochis alterius dioecesis et poenas inflicturum refractariis; sed hoc non dirimit controversiam et ipse dein fatetur diversas de hac re esse opiniones.

In praxi solent parochi in finibus Dioecesium rem cum Episcopis componere, ut nullus sit querelis locus.

LXXIX. 5. Qui habet potestatem eligendi confessarium, non potest eligere, nisi approbatum, vel Parochum.

339. * Qui iurisdictionem ordinariam habet in sacramento Poenitentiae, sicut eam potest alteri sacerdoti delegare, ita et permittere potest subditis suis, ut Confessarium sibi eligant; res enim eodem redit; electo namque iurisdictio confertur a superiore eligentis, qui idcirco illum delegat. Ita praelati regulares permittunt religiosis itinerantibus et carentibus socio, Confessarium secularem vel alterius ordinis sibi eligere; ita iisdem religiosis facultas fit in litteris Iubilaei eligendi sibi Confessarium. In iure c. *Ne pro, de Poenit. et remiss.* Ita statuitur: « Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum, permittimus Episcopis et aliis superioribus, nec non minoribus praelatis

(a) Nihilominus parochus, dimittens parochiam, non amplius idoneus censetur ad obtinendam iurisdictionem, nisi approbatio Episcopi accedat, quamvis iudicium de eius habilitate idem perseveret: ut declaravit s. C. C. 23. Maii 1585. et 16. Sept. 1613. (apud Giraldi *Exp. Iur. Pont.* p. 2. sect. 105.): non satis scilicet esse, quod quis beneficium parochiale *obtinuerit*, sed necesse esse, ut actu *obtineat*. — E.

exemptis, ut etiam praeter sui superioris licentiam, providum et discretum sibi possint eligere confessorem ». Constat, hoc privilegio frui Cardinales. Praelati exempti dicuntur, qui immediate subsunt s. Sedi; Episcopi autem hac permissione gaudent, sive exempti sint sive secus, ut ex textu patet. Cf. Fagnanum in hoc caput.

340. Quaeritur, an habentes facultatem eligendi sibi Confessarium, debeant eligere illum ex iam ab Episcopo approbatis (vel parochis), an possint simplicem sacerdotem eligere, a quo valide absolvantur.

Ad religiosos quod spectat, quoniam pro eorum confessionibus audiendis non illud requiritur, quod Trid. Syn. sess. 23. c. 15. decrevit; nam, ut iam advertimus, de confessionibus secularium solum loquitur Synodus: hinc regulares, manentes quoad hoc sub iure veteri, quod conditiones a Trid. requisitas non postulabat, possunt quemlibet sacerdotem idoneum, sive approbatum sive non, in Confessarium eligere, si fiat ipsis potestas eligendi.

At quaestio est de iis, quibus a iure per canonem citatum fit potestas eligendi Confessarium. Profecto cum haec permissio facta est a Gregorio IX., vigente adhuc vetere iure, nullius Episcopi approbatio requirebatur pro legitimo exercitio huius facultatis. At cum Trid. decretum abrogaverit quodlibet contrarium privilegium et consuetudinem, ratio dubitandi exstitit et sane dicendum videtur, Episcopum (idem dic de aliis eo canone contentis) non posse eligere in Confessarium sibi, sacerdotem non subditum (quem nempe ipse approbare non valet, cuiusmodi ex. gr. esset sacerdos alterius dioecesis, in qua Episcopus peregrinatur, nisi approbatus hic sit ab Episcopo loci (vel sit curatus).

Ratio est, quia per eligendi permissionem solum confertur iurisdictio: at iure novo Trid., pro valore absolutionis, requiritur praeterea approbatio Confessarii facta ab Episcopo loci: electio ergo sacerdotis non subditi et non approbati est electio eius, qui iure non est idoneus ad accipiendam iurisdictionem; ideoque electio haec nihil facit seu nulla est.

341. Difficultas est, quia si ita res se habet, privilegium nullum amplius esse videtur: nam sacerdotem approbatum quisque eligere sibi potest.

Respondet Fagnanus l. c. nn. 23. seqq., privilegium adhuc duos effectus operari. Et primo si Sacerdos approbatus quidem sit, at careat iurisdictione (a), privilegium facit, ut hic electus iurisdictione potiatur in eligentem. Exemplum Fagnanus ponit in presbyteris approbatis aliquo in loco, qui cum ab Episcopo approbante nequeant recipere iurisdictio-

(a) Sed nunc cessante iurisdictione, censetur cessare etiam approbatio. — E.

nem nisi erga subditos eiusdem Episcopi, nequeunt, nisi regulares sint, vi delegationis acceptae, absolvere venientes ab alia dioecesi. At Episcopus quilibet ad eos accedens, poterit absolvi.

Secundus effectus est, quod Sacerdos approbatus electus ab Episcopo poterit Episcopum eligentem absolvere ubique locorum, non in sola dioecesi Episcopi approbantis, ut s. C. C. saepius declaravit: quod sine privilegio profecto non liceret. Semel ac enim Sacerdos legitime est electus ab Episcopo evadit veluti eius ordinarius, et ad instar parochi, potest eum ubique valide absolvere.

Ergo ratio nulla est, cur credamus Episcopos in electione Confessarii non subditi, immunes esse a lege eligendi approbatum ab Episcopo loci, ubi eligitur. Cf. sub Resp. dub. seq.

In litteris Iubilaei, cum fit quibusdam facultas eligendi Confessarium, solet disserte clausula apponi, ut sit Confessarius approbatus. *

LXXX. 6. Ad approbationem non necessario requiritur examen, modo adsit iudicium prudens de sufficientia. Con. Laym.

342. Quod dicitur de *prudentia* iudicii, spectat ad liceitatem, non vero ad validitatem.

— S. Alph. n. 545. addit, valere approbationem, etsi Episcopus eam concedens, interius animo reprobet. Hoc iam alias notavimus, quod in casu haberetur nullitas occulta et titulus coloratus cum errore communi, ex regula generali, dat iurisdictionem.

LXXXI. 7. Non sufficit approbatio petita et negata, ut docetur communiter contra Nav. Henriq. et Dian. p. 1. t. 2. res. 24. Etsi probabiliter cum praedictis docuerint Coninch et Laymann regulares mendicantes, si ab Episcopo repellantur, cum manifeste idonei sint et a Praelatis suis praesententur, posse nihilominus pro confessionibus secularium exponi, ut habetur Clementina *Dudum*, §. *Statuimus:* istis tamen privilegiis Trid. et Urbanum VIII. anno 1628. derogasse, notat Lugo *de Poenit.* d. 21. n. 29. et 51.

343. Doctrina haec generalis modo certa est ob propositionem 13. ex damnatis ab Alex. VII.: Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari, episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato ».

Non ergo admittendum videtur id, quod A. refert ex Laym. et Conin., probabiliter *mendicantes*, ab Episcopo reiectos iniuste, posse audire confessiones secularium.

Neque tamen Navarr. Diana, Laym. Conin. etc. traducendi sunt quasi Auctores doctrinae damnatae; materia enim, in qua versamur, utpote disciplinaris, subiicitur potestati Ecclesiae et si quando in re disciplinari Ecclesia aliquid decernit, non censetur docuisse doctrinam damnatam ille, qui scripsit iuxta disciplinam prius vigentem, sicut non

tradidit doctrinam damnatam s. Leo, dum docet, utramque Eucharistiae speciem sumendam esse a fidelibus.

Ante decretum autem Alexandri VII. quaestio erat, an clausula Tridentini derogasset privilegio mendicantium; quod plures DD. negabant; quia, ex generali principio, *clausulis derogatoriis generalibus non tolluntur privilegia specialia clausa in corpore iuris*, ut post alios notabat Laym. lib. 5. tr. 6. cap. II. n. 5.: cui rationi alii aliter respondere conabantur, ut Lugo *de Poenit.* disp. 21. n. 51.-53.

* De religiosis mendicantibus, ait Lugo, et iis, qui eorum fruuntur privilegiis, est specialis difficultas propter quaedam privilegia eis concessa a Bonifacio VIII. in Extrav. *Super Cathedram, de Sepulturis,* ubi conceditur, quod, postquam generalis vel provincialis petierint facultatem ab Episcopo ad eligendos Confessarios et electos Episcopo praesentaverint, si tamen Episcopus eos nollet admittere, haberentur pro admissis, Pontifice eos ex tunc admittente, quod Clemen. V. in Conc. Viennensi, relato in Clem. *Dudum, de Sepulturis* iterum confirmavit... Quare Navarrus in *Summa* c. 27. nn. 264. et 265. existimat, etiam post Trid. durare hoc privilegium et sufficere licentiam petitam, etiamsi negetur; quia illud privilegium concessum in concilio generali et contentum in corpore iuris, nondum videtur sufficienter revocatum. Quod Laymann probat argumento citato. Hanc sententiam, ait rursus Lugo, sequuntur non pauci moderni, quos refert Diana tom. 2. tr. 2. de dub. regul. res. 24.

344. Improbatur a Suarez disp. 28. sect. 5. n. 13. et a Lugo l. c. haec opinio 1° ex sensu fidelium et Ecclesiae praxi, adde eorundem Regularium: qui sensus et praxis huic opinioni adversantur. 2° Tridentini mens certa est, Regulares subiicere huic obligationi obtinendae approbationis pro audiendis secularium confessionibus; nam Regulares disserte nominat: mens quoque eiusdem Concilii certe est, ius novum pro ipsis quoque condere; nam et eos nominat in hoc novo decreto et abolet quaevis contraria privilegia: atqui si privilegium illud manet, nihil pro ipsis heic statuisset Trid. Syn. Scilicet componi simul non possunt istae duae leges Concilii Viennensis et Tridentini: ergo secunda lex abrogat priorem, quamvis de ea mentionem specialem non faciat c. 1. *de Constit.* in 6. Atque hanc sententiam communem vocat Lugo. *

S. Alphonsus n. 546. post Lugo, ut omnia quodammodo conciliet, notat ex Vasquez, privilegium antiquum Mendicantium referri ad negatam iniuste *iurisdictionem*, non vero ad negatam *approbationem.* Unde sic decretum Trid. non excluderet privilegium, nec privilegium excluderet necessitatem approbationis. Sed haec non videtur animad-

versio satis firma (a); nam iurisdictionem Mendicantes non ab Episcopis habent, sed a Sede Apostolica. Insuper Mendicantes possent igitur absolvere a *reservatis Episcopo*, si hic iniuste negaret facultatem: quod absonum est.

LXXXII. Resp. 2. Approbatio petenda est ab Episcopo et quidem proprio, scilicet Sacerdotis, ut intelligunt Suarez, Conin. Regin. Filliuc. et alii, vel, ut probabiliter vult Vasq., poenitentis. Ratio est, quia est actus iurisdictionis, vel saltem auctoritativa declaratio, ergo debet fieri a superiore. Porro nomine Episcopi etiam intelliguntur Praelati habentes iurisdictionem Episcopalem, ut quidam Abbates et Capitulum Sede vacante, non autem Provinciales, aut Generales Ordinum.

345. Olim disputatum valde fuit, a quo Ordinario habenda esset approbatio et A., postquam sententiam suam protulit, requiri approbationem Ordinarii sacerdotum, innuit ceu probabilem etiam sententiam dicentium, requiri approbationem Ordinarii poenitentium. Tertiam sententiam alii tenuere, scil. requiri approbationem Ordinarii, in cuius Dioecesi confessiones excipiuntur.

Nihil mirum, quod DD. ex diversis principiis ad diversas probabiles conclusiones devenerint in re nondum satis definita, praesertim cum definitio utpote in re disciplinari pendeat ab arbitrio Ecclesiae.

Et quidem Urbanus VIII. In Const. *Cum sicut* 12 Septembris 1628. (Bullar. tom. 6. part. 1. pag. 142.) dum abrogavit et penitus sustulit privilegium quorundam Ordinum seu Congregationum, quorum aliquibus religiosis a Sede Apostolica indultum fuerat, « ut sacramentales personarum secularium confessiones audire valerent, etiamsi *ab Episcopis Dioecesanis* ad id examinati et approbati non fuissent »: implicite innuit, requiri approbationem Episcoporum Dioecesanorum.

Praeterea Clemens X. in Constit. *Superna* 22. Maii 1670. (Bullar. tom. VII. part. 1. pag. 30.) §. 4. decreverat. « Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium in sua Dioecesi audiendas approbatos non posse in *alia Dioecesi eas absque Episcopi Dioecesani approbatione*

(a) Id tamen dicendum videretur, si ea aetate approbatio proprie dicta non postulabatur, sed sufficiebat delegatio iurisdictionis. Hanc utique iurisdictionem Regularibus Pontifex ex se concedebat, hac tamen conditione, si Episcopus nempe negasset; hic enim est sensus illius concessionis in *Clement.* citata superius a Lugo: quem sensum cur alii videantur negligere, non intelligo. Inde esset consequens, quod, Episcopis facultatem concedentibus, Regulares eam a solis Episcopis, non a Papa obtinerent. Id vero, quod advertendum est, congrueret cum praxi Episcoporum nostrae aetatis qui Regularibus non solam approbationem sed iurisdictionem concedunt. Romanus quidem Pontifex privilegium Regularibus concedit absolvendi a pluribus casibus sibi reservatis vel reservatis ab Episcopis aliarum Dioecesium: sed quoad alia peccata, facultatem absolvendi Rom. Pontif. regularibus non concederet in hypothesi, quod Episcopi concedant, concederet vero in hypothesi, quod Episcopi non concedant, negantes iniuste h. e. absque ratione iurisdictionem; dummodo tamen ab ipsis approbentur, ut postulavit Trid. Syn. Sic lex Viennensis simul et Tridentina adhuc vigerent. E.

audire, quamvis poenitentes subditi sint eius Episcopi, a quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati »: tamen haec Constitutio solum de Religiosis agebat.

Accessit denique Constitutio Innocentii XII. 19. April. 1700. (Apud Salmantic. *de Privilegiis* cap. 4. n. 80.), decernentis « Bullam Cruciatae Sanctae nihil novi iuris induxisse nullumque privilegium continere quoad approbationem Confessariorum contra formam Concilii Tridentini et praedictarum Constitutionum Apostolicarum, adeo ut Confessarii tam seculares quam regulares, quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Cruciatae a poenitentibus ad audiendas eorum sacramentales confessiones electi, nullatenus confessiones huiusmodi audire valeant, sine approbatione *Ordinarii et Episcopi Dioecesani loci, in quo ipsi poenitentes degunt et Confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt;* nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum et Dioecesum obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent: confessiones autem aliter et contra earundem praesentium aliarumque Apostolicarum Constitutionum formam deinde faciendas et excipiendas respective, praeterquam in casu necessitatis, ut in mortis articulo, nullas fore, irritas et invalidas et Confessarios ipso iure suspensos esse etc. ».

Haec Innocentii XII. et sequens Benedicti XIV. Constitutio (in seq. citanda) tollit quaestionem, quae adhuc supererat quando scribebat Croix lib. 6. part. 2. n. 1516., num decreta valeant solum pro Regularibus an vero valeant etiam quoad seculares sacerdotes: quibus non bene Croix adiungit Parochos quia, ut diximus, quoad hos specialis quaestio est, an indigeant approbatione in alia dioecesi, n. 337. seq.

Manifeste igitur decernitur, irritas esse confessiones, nisi fiant illi, qui approbatus fuerit ab Ordinario loci, ubi confessio excipitur. Nec refert, quod id statuatur occasione eorum, qui putabant se exemptos hac lege ob privilegium Bullae Cruciatae: quinimo, ut recte advertit s. Alph. n. 548. prop. fin., a fortiori id valere debet quoad eos, quibus hoc privilegium non suffragatur.

346. Salmanticenses tamen contenderunt *de Privileg.* cap. 4. n. 111. per se Constitutionem Innocentii XII. non extendi necessario ad alia privilegia eligendi sibi Confessarium, v. gr. quae concedantur per Iubilaeum et tunc rem definiendam ex clausulis concessionis. Veruntamen eandem legem servandam esse in quolibet alio indulto eligendi sibi Confessarium, deinceps declaravit et constituit Benedictus XIV. in Const. *Apostolica indulta* 5. aug. 1744. tom. I. n. 100. Inquit enim §. 5.: « Statuimus et declaramus, quod idem omnino ius, quod vigore

decretorum huiusmodi (scil. Innocentii XII., Innocentii XIII. et Benedicti XIII.) circa intelligentiam et usum indulti Bullae Cruciatae obtinet, etiam quoad reliqua eiusdem generis indulta pariformiter valere debeat et obtinere. Volumus etiam, reprobationem dictarum opinionum, quatenus respiciunt intelligentiam et usum indulti Bullae Cruciatae, a praefatis Praedecessoribus proscriptarum, locum similiter habere, quatenus easdem opiniones et sententias in modum proferri contingeret circa similia indulta sive universis, per Ecclesiam Christifidelibus (v. gr. occasione Iubilaei), sive alicui regioni aut loco, universitati aut coetui particulari Sodalium seu Confratrum, quandocumque et ubicumque concessa vel concedenda ».

Proinde ipse Benedictus XIV. deinde hoc pacto coarctavit indultum eligendi Confessarios concessum tum an. 1750. in Const. *Benedictus Deus* (hanc memorat et s. Alphonsus n. 548. prop. finem) pro Iubilaeo Anni Sancti Romae, tum in Const. *Celebrationem* 1. Ian. 1751., quae Iubilaeum extendit ad Universum Orbem et in qua §. 9. facultas datur eligendi quemcumque presbyterum Confessarium tam secularem quam cuiusvis... Ordinis et Instituti regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, *in quorum Civitatibus, Dioecesibus et territoriis confessiones huiusmodi excipiendae erunt,* ad personarum secularium confessiones excipiendam approbatum ».

347. Verum haec omnia repetenda sunt ex voluntate Ecclesiae, quae in re disciplinari id statuit, quod magis expedire ad bonum animarum iudicat. Et exinde ista norma exceptionem patitur relate ad parochos (a fortiori id dicetur de Episcopis), qui non modo extra parochiam, sed etiam extra Dioecesim et licite et valide sine approbatione Ordinarii loci, in quo id faciant, possunt audire confessiones ovium suarum, ut patet ex declaratione superius n. 338. allata s. Congregationis. De qua re Card. Lambertini. Inst. 86. n. 7. inquit: « Omnes quidem unanimes affirmant, permitti parocho, ut populum suum in aliena Dioecesi confitentem excipiat, licet concessio Episcopi eius dioecesis non interveniat ». Et rationem reddunt quia non est actus iurisdictionis contentiosae.

Utrum vero parochus possit eligi extra dioecesim sine approbatione Ordinarii, ab habente privilegium seu indultum eligendi Confessarium, vide dicta sup. nn. 337. seq.

Et ex sola voluntate Ecclesiae repetenda disparitas, quod parochus quidem in aliena dioecesi possit excipere confessiones suorum subditorum, non possit vero alius sacerdos, licet illi, qui confitentur, sint subditi illius Ordinarii, a quo Sacerdos ille fuerat approbatus, ut expresse declaratum vidimus ab Innocentio XII., licet Doctores explicantes

cap. *Omnis utriusque sexus,* contendant, nomine proprii sacerdotis venire quemlibet approbatum ab Episcopo ac denique licet haec regula non valeat, ut notum est, quoad matrimonia, quibus valide assistit etiam extra dioecesim non modo parochus proprius alterutrius contrahentium, verum etiam sacerdos ab eodem parocho deputatus.

Approbatio confessariorum in locis exemptis, pertinet ad Episcopum, intra cuius dioecesim exsistunt loca exempta, iuxta Const. Gregorii XV. *Inscrutabili.* Secus vero si locus sit nullius dioecesis; quia in hac hypothesi praelati propriam dioecesim et separatum territorium habentes, possunt pro suis subditis approbare Confessarios, ut pluries declaravit S. C. C. Ita Ferraris v. *Approbatio* art. 1. n. 15.

Unde resolves.

LXXXIII. 1. Religiosi, etiam exempti, debent approbari ab Episcopo loci, in quo degunt; quia illius, quoad hunc actum, sunt subditi.

348. Quod etiam Religiosi, etiam exempti, debeant approbari ab Episcopo loci, in quo volunt audire Confessiones, est consectarium doctrinae praeiactae. Quinimo Constitutiones Romanorum Pontificum de hoc argumento maxime referuntur ad Religiosos, de quibus quaestio subinde movebatur ob privilegia eis antiquitus concessa.

S. Alph. n. 549. allegat in hanc rem quaedam verba Constitutionis Innocentii XIII. 13. Maii 1723., ubi dicitur, quod si sacerdotes obtinuerint facultatem audiendi confessiones limitatam vel quoad locum vel quoad tempus etc., non possunt extra illum locum vel tempus vel personas excipere confessiones. Sed haec ad rem non faciunt sed ad seq. resol. 4.: Potius ad rem faciunt ea, quae in eadem §. 16. adduntur, quibus renovatur Constitutio Innocentii XII., de qua sup. egimus n. 345.

LXXXIV. 2. Episcopus in sua Dioecesi non potest approbare Sacerdotem alienum, nisi subdatur illi, saltem ad tempus.

349. Ideo Auctor exigere videtur, ut qui approbatur, sit subditus Ordinarii, ut iuxta doctrinam praemissam in responsione 2ª possit dici approbatus ab *Ordinario proprio* Sacerdotis. Porro illa opinio, ut vidimus, ex Decretis Ecclesiae antiquata est. Ergo et haec resolutio nullum locum habet.

Episcopi ergo (ut inquit Lugo disp. 21. n. 33.), « ut dent licentiam audiendi confessiones etiam Sacerdotibus exteris et hospitibus, non attendunt nec quaerunt, an... venerint cum animo permanendi, vel revertendi, sed solum, an sint vel non sint sufficientes ». Iurisdictionem sane in suos subditos concedere Episcopus potest et iis qui sui subditi

non sunt; est enim quoddam beneficium, cuius collatio subditi rationem non exigit in recipiente.

LXXXV. 3. Episcopus potest approbare per se, vel Vicarium generalem vel alios quoscumque deputatos; quia non est actus ordinis, sed iurisdictionis.

350. Exinde interdum Archipresbyteris aut Vicariis foraneis ac parochis longe dissitis facultatem faciunt, ut advenientibus Sacerdotibus aut Religiosis ex alia Dioecesi, facultatem faciant excipiendi confessiones, si noverint (hoc solent esse contenti Episcopi) eos alibi iam approbatos etc.

LXXXVI. 4. Approbatio potest fieri cum restrictione ad certum genus personarum, locum, tempus, etc. Navar. Suarez, Vasquez contra Vegam.

351. Huc facit Const. sup. cit. Innocentii XIII. §. 16., ubi inquit: « Declaramus, Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares, qui ab Episcopo obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam vel quoad locum vel quoad genus personarum vel quoad tempus, non posse Poenitentiae Sacramentum administrare extra tempus vel locum vel genus personarum ab ipsis Episcopis praescriptum, quocumque privilegio etiam in vim Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, competente nullatenus suffragaturo ». Hanc Const. refert integram Benedictus XIII. in Const. *In supremo* 23. septembris 1724. Bullar. tom. 12. pag. 72.

Et has quidem Innocentii XIII. dispositiones, quas Benedictus XIII. in citata Constitutione confirmavit, rursus refert et confirmat Benedictus XIV. in Const. *Apostolica indulta* §. 3. dat. 5. Aug. 1744.

In hac re Clemens X. secernit Religiosos a secularibus presbyteris in Const. *Superna* 22. Maii 1670. §. 4.: « Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propria admittendos (decernimus et declaramus): quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere ». Ad quam Constit. alludens Benedictus XIV. in Const. *Apostolicum* tom. IV. Const. 16. §. 9. inquit: « Ceterum Confessarii munus Regularibus deferri potest sine temporis determinatione, vel cum limitatione ».

352. Lugo *de Poenit.* disp. 21. n. 58. tres rationes memorat, ob quas Episcopus approbare potest cum limitatione ad tempus. 1° Quia fieri potest, ut propter necessitatem et concursum poenitentium iudicetur idoneus pro hac hebdomada aliquis, cui propter morum levitatem aut alium vitae defectum non posset prudenter Episcopus fidere longiori tempore.

2° Quia potest esse persona talis, de qua prudenter timeatur, quod habita semel approbatione, non amplius curabit de studio necessario ad illud ministerium: unde post aliquod tempus oblivione et aliis curis obruetur illa doctrina et notitia, quam nunc habet et redibit ad pristinam ignorantiam... neque hic casus est metaphysicus, sed *quem experientia ipsa frequentius probat, quam oporteret.*

3° Quia potest etiam contingere, quod Episcopus habeat notitiam de probitate et idoneitate alicuius sufficientem quidem ad probandum et experiendum illum, non tamen sufficientem ad approbandum in perpetuum: non secus ac minor notitia in famulo, quam in coniuge, minor in acceptando novitio, quam in acceptando professo, requiritur.

Quod attinet autem ad genus personarum (inquit Lugo ibid. n. 57.) potest aliquis esse idoneus ad audiendos viros et non feminas propter minorem gravitatem, aut propter iuvenilem aspectum, aut propter aliquam suspicionem de ipso conceptam... Item potest aliquis aptus esse ad confessiones puerorum vel rusticorum et non ad confessiones mercatorum aut iudicum, qui difficiliores casus habent.

Exinde etiam ratio, cur non omnes pro omnibus locis sint idonei.

LXXXVII. 5. Episcopus peccat, si sacerdoti, praesertim Regulari, idoneo, sine causa sufficienti neget approbationem. Bonac. Vasq. art. 3. d. 3. C. de Lugo d. 21. sect. 3. n. 54. Sanchez, etc.

353. De hac Lugo, disp. 21. n. 54.: « Adverto tamen primo, si Episcopus absque causa sufficienti eiusmodi Regulares non approbet vel nolit ad examen admittere, *iniuste procedere contra ius,* quod praedicti Religiosi habent ad audiendas confessiones: quod... expresse concedit Vasquez..., ubi addit, non esse causam sufficientem, ad negandam approbationem, superfluitatem, si alias Religiosus esset idoneus. Et potest a posteriori probari; quia non solum Regularis, sed secularis etiam, quem Episcopus sine causa nollet approbare, posset ad Metropolitanum appellare, iuxta regulam generalem, quod, negligente Episcopo, iurisdictio devolvitur ad Archiepiscopum. Cf. Sanchez *de Matrim.* l. 4. disp. 10. n. 20. seqq. disp. 28. nn. 3. 4. Quod in Religiosis, ut dixi, magis stricte procedit, qui per sua privilegia sunt quasi parochi delegati a Summo Pontifice ad audiendas Confessiones. Quare sicut parochus electus posset appellare ab Episcopo nolente eum approbare absque causa sufficienti, sic Religiosi ob eandem rationem possunt ab Episcopo ad Archiepiscopum appellare ».

LXXXVIII. 6. Approbatio semel absolute concessa non tantum non exstinguitur morte concedentis, sed nec revocari potest, sine iusta causa: ex causa tamen, v. gr. mutatione morum, iudicii, etc. potest, ut docent Suarez, Fill. et alii. Quod si fiat absque causa rationabili, Conin. Suar. et quidam alii censent revocationem esse nullam; alii

illicitam tantum Fill. t. 7. c. 9. q. 12. In dubio autem, an ex iusta causa revocatio sit facta, praesumendum esse pro Praelato, docet C. de Lugo n. 67.

354. In Resol. 4. dictum est de approbatione concessa cum restrictione ad *certum tempus*, *locum*, *genus personarum* etc.; nunc vero sermo est de approbatione concessa *absolute*, idest sine eiusmodi restrictionibus.

Porro quoad illud imprimis, quod A. dicit, hanc non exspirare morte concedentis, post Constitutiones recentiores Pontificum admitti potest tantummodo *secundum quid*. Benedictus enim XIV. in cit. Const. *Apostolica indulta* 5. Aug. 1744. §. 3. sic refert et confirmat pro omnibus id, quod Innocentius XIII. pro Hispanis decreverat: « Nec non Sacerdotibus praedictis tam secularibus quam Regularibus ad confessiones excipiendas vel ex praedictae Bullae Cruciatae vel ex quocumque alio privilegio electis, (declaravit Innocentius XIII.) minime suffragari, quod approbati alias fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo Confessiones audiendae sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius exsistat, vel quia ab humanis excesserit aut Episcopatui renunciaverit, vel quia ad aliam Ecclesiam Auctoritate Apostolica translatus reperiatur; sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter et pro tempore Ordinariam iurisdictionem in ea Dioecesi exerceat, approbationem; hanc tamen sufficere etiam tacitam eamque tandiu durare, quandiu praecedens licentia sive approbatio expresse revocata non fuerit; in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit, sicut etiam quando prior approbatio, tempore praefinito elapso, exspiraverit ».

Secundum haec consensus universim invaluit, non exstingui facultatem morte concedentis; scilicet ob bonum animarum tacite a legitima auctoritate permitti Confessariis, ut accepta facultate utantur, quousque ille, qui regendam dioecesim suscipit, vel revocet vel confirmet.

355. Notat post alios s. Alphonsus n. 552. in fin., Vicarium Capitularem non posse Regulares revocare ad examen, nec eos privare facultate excipiendi Confessiones, nisi facultas data sit *ad beneplacitum:* ratio, quia s. Pius V. infr. n. 359. dixit, eos posse examinari *a Successore:* Vicarius iste autem non est successor. Si autem data sit *ad beneplacitum nostrum*, morte Episcopi exspirat; quia per eam cessat eius beneplacitum. Quod et Diana, patronus religiosorum (ut a Clericato vocatur *de Sacram. Poenit.* decis. 38. n. 24.), affirmat tom. 7. tr. 1. resol. 73.

* Nihilominus de vi huius formulae: *ad beneplacitum (nostrum)*, aliter censuit s. C. EE. et RR., non desinere nempe facultatem hoc modo factam, desinente vivere qui concessit.

Sane e dicta C. 19. Iun. 1866. hoc prodiit responsum. « Quoad du-

bium, an possit Vicarius Capitularis suspendere facultatem (audiendi confessiones) Confessariorum, qui a defuncto Episcopo approbati fuerant *ad beneplacitum* et sine definito tempore, Emi DD. mihi praeceperunt rescribere, nullam esse difficultatem quoad sacerdotes seculares, quia cum dependeant immediate ab iurisdictione ordinaria Episcopi, cui succedit Capitulum, sede vacante, gaudet consequenter Vicarius Capitularis plena potestate limitandi eorum facultatem eosque suspendendi ab audiendis confessionibus, vel ob graves culpas spectantes ad sacramentum Poenitentiae vel ob defectum illius doctrinae, honestatis et integritatis vitae, quae requiritur in sacris ministris. Idem dici non potest de Confessariis Regularibus; quin imo, cum isti approbati fuerint praevio examine et sine temporis limite vel etiam *ad beneplacitum nostrum* ab Episcopo defuncto, non potest Capitulum neque Vicarius capitularis eos punire poena suspensionis etiam ob iustas rationes, cum hoc sit ius personale Episcopi, cui, secundum communiorem sententiam DD., non succedit Capitulum Sede vacante. Cum vero ex hoc potestatis defectu gravia inconvenientia producerentur, recurrendum est ad eandem s. C. ».

Si vero nullo praevio examine regulares approbati fuerint iique deprehendantur imperiti et scandala gignantur, s. C. C. 5. Febr. 1688. responderat, Vicarium Capitularem posse eos vocare ad examen et quos idoneos repererit, approbare, quos inhabiles, prohibere.

Liquet, in his omnibus supponi facultatem, mortuo Episcopo, durare etiam in secularibus confessariis (cf. n. 354.); secus non esset locus suspensioni, si indigni reperiantur. *

356. Quoad revocationem approbationis, fuerunt (vid. Lugo, disp. 21. n. 61.), qui dicerent, approbationem revocari non posse; quia non est gratia aut facultas, sed sententia iuridica, quae semel prolata transit in rem iudicatam, nec revocari potest.

At melius alii, apud Lugo disp. 21. l. c. n. 65., docent, posse adesse iustas causas revocandi. Nam sicut ille, qui hodie idoneus est, potest postea, corruptis moribus vel oblivione doctrinae, fieri ineptus; ita qui eum hodie declaret idoneum, poterit postea eum declarare ineptum et retractare approbationem pro. tempore sequenti. Et certe si Episcopi non possunt hoc facere, non possunt satis consulere suo gregi, cum non possent illi prohibere Confessarium ineptum semel approbatum, etiamsi clare constaret de eius ineptitudine. Ita Lugo l. c.

Item quando approbatio concessa fuit ad *beneplacitum*, *valide* revocari potest etiam absque iusta causa. Ratio est, quia approbatio data cum limitatione temporis, hoc transacto cessat; potest autem cum limitatione temporis dari ex iusta causa. Atqui quando datur *ad be-*

neplacitum, est approbatio limitata ad certum tempus vagum determinandum pro arbitrio approbantis; ergo cessante beneplacito, approbatio ipsa intelligitur cessare. Et quidem semper valide; quia semper valide limitatur approbatio ad tempus: etiam vero *licite*, quando iustae fuerunt causae limitandi approbationem ad certum tempus. Lugo disp. 21. n. 63.

357. Quoad iustas causas revocandi approbationem, duas innuit Auctor, *mutationem* nempe *morum* scil. in *approbato* et mutationem *iudicii* nempe in approbante, iudicii scil. prius facti circa aut probitatem, aut scientiam, aut prudentiam approbati.

Ut autem iusta sit seu sufficiens causa, non est necesse, quod Episcopo certo et evidenter constet de praedictis defectibus, sed (ut inquit Lugo, disp. 21. n. 66.) sufficiet, quod sit rumor et timor prudens de insufficientia Confessarii; ratio, quia revocatio huiusmodi nihil aliud est, quam quaedam quasi suspensio, donec iterum examinetur.

Imo non solent Episcopi abrupte suspendere approbationem, nisi forte ratione alicuius delicti; sed suaviter monere solent, dari certum quoddam tempus Confessario, intra quod sistere se examinandum rursus debeat.

In dubio autem seu controversia, an in particulari, quando Episcopus revocat licentias et approbationes concessas, intercedat reipsa causa sufficiens; id solum dicere possumus, inquit Lugo disp. 21. l. c. n. 67., praesumendum in dubio esse pro Praelato, qui multa novit, quae latent subditos, propter quae necesse sit, Confessarios iterum ad examen vocare. Sicut autem Praelatis suadendum est, ne propter unius vel alterius insufficientiam onus commune omnibus imponant, praesertim cum facile possint illi, de quorum insufficientia suspicio est, sine tanto rumore examinari et probari: sic subditis et maxime religiosis... honestissimum et consultissimum est, Praelatorum intentioni se promptos et faciles exhibere; alioquin suspicionem dabimus aemulis nostris, quod non tam ob zelum tuendi privilegia nostra, quam ob alias causas obedientiam Praelatis adhibere nolimus. Ita Lugo l. c.

358. Si quando vero videretur, nullam subesse causam revocationis et hanc plane esse iniustam, quidam distinguunt causam sacerdotis secularis et regularis. Nam quoad presbyterum secularem concessio iurisdictionis est *gratia*, quae ad libitum revocari potest: vid. apud Lugo, disp. 21. n. 61.

At omissa hac distinctione (quia quoad approbationem eadem est utriusque causa et presbyter etiam secularis *approbatus*, licet sine iurisdictione, posset eligi in Confessarium ab habente eiusmodi indultum, v. gr. Cruciatae), bene post alios advertit s. Alph. n. 551., inu-

tilem esse quaestionem de probabilitate *nullitatis* huius iniustae revocationis. Etenim etsi abesset omne hallucinationis periculum in iudicando: nunquam abesset scandalum, si quis, renuente Episcopo, vellet confessiones audire; cum tamen hoc maxime ministerium exigat bonum odorem Christi.

Ceterum si prostat remedium appellationis ad Metropolitanum, quando Episcopus iniuste recusàt approbationem, hoc pariter remedio utendum esset, si datam iniuste revocet ».

LXXXIX. 7. Ex iusta causa possunt, praesertim a successore Episcopo, ad examen revocari non tantum seculares, sed etiam regulares. Docent tamen quidam, Mendicantes habere privilegium, ut non possint revocari ab eodem, a quo ante sunt approbati; sed contrarium docent Suarez et Lugo d. 21. n. 61 et 62.

359. De examinandis iterum *Regularibus* ita Pius V. Const. *Romani Pontificis* 6. Aug. 1571. §. 2.: « Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate et Dioecesibus suis praevio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiae suae quiete examinari de novo poterunt ». Verum intelligendum est quod idem Episcopus non possit *sine rationabili causa*, ut patet ex iis, quae de revocatione approbationis dicta sunt ad Resol. praec. (a).

Addendum, quod Gregorius XIII. Const. *In tanta* 1. Maii 1573. etiam hanc s. Pii V. Constitutionem revocaverit ad regulas iuris communis et Concilii Tridentini. Quocirca hac s. Pii V. Constitutione uti non possunt Regulares ad se ab examinibus subtrahendos. Quod tamen intelligendum est iuxta Clementinam *Suprema*, de qua mox.

S. Alphonsus n. 552. refert ex Cabassutio, quod Alexander VII. damnaverit ut temerariam et erroneam hanc propositionem: Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt, ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare ».

Addit s. Alph. ex Cabassutio, a Rege Christianissimo cum consilio Status Regni 4. Mart. 1669. statutum fuisse, quod de tali revocatione Episcopus non tenetur ulli rationem reddere. Quod Cabassutius tribuat regibus christianissimis et Consilio Status baculum pastoralem et mitram, partes agit proprias Cabassutii: sed mirum, quod haec referat et s. Alphonsus. Ceterum reges christianissimi imperitissime et iniquissime iudicarunt. Quippe appellatio ad Sedem Apost. non secus ac in casu iniuste negatae approbationis semper patuit et tunc certe Episcopus tenetur rationem reddere. Sed existimabimus, s. Al-

(a) Cf. Card. De Luca *de Parochis* disc. 16. — E.

phonsum accepisse dicta Cabassutii eo sensu, qui ex Const. *Superna* eruitur.

Sane haec statuit Clemens X. Const. *Superna* 22. Maii 1760. §. 5.: « Regulares vero ad huiusmodi Confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab eius Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis, approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in Actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed *Sedi Apostolicae* dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit ».

Unde infertur, quod Regularis semel approbatus in aliqua dioecesi non indigeat nova approbatione si mutet domicilium et deinde in eandem dioecesim redeat et etiamsi brevi tempore, ibi commoretur, transeuntis instar, eodem ibid. exsistente Approbante: vid. Gury §. 561. Ratio, quia approbatus indefinite remanet approbatus usque ad revocationem aliquam. Atqui in casu nulla intercedit revocatio ne implicita quidem. Lugo disp. 21. n. 44. *communi*. Ita et Croix part. 2. lib. 6. n. 1541.

XC. 8. An approbatus ab uno Episcopo possit in alia dioecesi, sine nova approbatione, recipere iurisdictionem, controvertunt Doctores ac licet utraque sententia olim videri potuerit probabilis; post decretum tamen Urbani VIII. 1628. apud Lugo d. 21. s. 2. n. 9. negativa omnino tenenda est. Vide Aversam, q. 16. sect. 8.

360. Non est quaestio, an Episcopus possit dare iurisdictionem illi qui approbatus fuit in alia dioecesi; sed utrum ille, qui approbatus alibi fuit, possit accipere iurisdictionem ab aliis vel directe, ut a parocho, vel indirecte per electionem in Confessarium ab iis factam, qui habeant hoc privilegium.

Haec quaestio superius iam soluta est a n. 346. deinceps.

* Quaesitum est, a quibus approbari et iurisdictionem obtinere debeant sacerdotes, qui maria transmittunt, ut licite et valide confessiones una navigantium audire possint. Responsum a C. s. O. 29. Mart. 1869. « Posse sacerdotes iter arripientes, ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, adprobari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones valide et licite accipere valeant, usque dum perveniant ad locum, ubi alius superior ecclesiasticus iurisdictione pollens constitutus sit. Cavendum tamen ab ipsis Ordinariis, ne eiusmodi facultatem tribuant sacerdotibus, qui idonei non fuerint recogniti ad tramites Conc. Trid. sess. 23. *de Reform.* c. 15. ».

Porro illud: *unde naves solvunt* valet non tantum de prima so-

lutione, sed et de consequentibus a diversis portubus, ut eodem durante itinere omnes iurisdictione fruantur. Quid si ex sacerdotibus navigantibus nemo curaverit approbationem obtinere et longa sit navigatio: fideli autem durum sit in statu peccati manere? An praesumenda facultas ab Ecclesia concessa, si praesertim apprehensio quaedam et timor ne periclitetur submergi navis, animis subrepat? Iudicent doctiores: interim cf. doctrinam s. Alph. sub seq. n. 363.

Quaestio est quoque instituta de Confessariis militum, videlicet 1°. « An cappellani cuiusvis exercitus, sive regulares sive seculares catholici, possint administrare militibus in praesidiis degentibus Poenitentiam, Eucharistiam per modum Viatici et Extremam Unctionem, sine facultate Sedis Apostolicae vel licentia et approbatione Ordinarii, in cuius dioecesi exstare contigerit... 9. An et quid pro sanatione gestorum in praeteritum... statuendum sit ».

Responsum est a s. C. C. 6. Mart. 1694. « Ad 1^{m} negative.

Ad 9^{m} quoad praeteritum, circa sacram. Poenitentiae, non esse inquietandas conscientias ». *

Nota. S. Alph. n. 553. seqq. addit heic quaestionem *de absolutione complicis:* sed ea potius spectat ad dubium sequens et ibi eam agemus.

Dub. III.

De iurisdictione Confessarii.

XCI. Resp. Est auctoritas aliqua in alium, ut subditum, in quem in foro interno accipit potestatem distinctam a potestate Ordinis; haec enim datur per Sacramentum Ordinis et omni Sacerdoti nec tolli potest, illa per externam concessionem Ecclesiae nec omnibus Sacerdotibus potestque ab iis tolli, ac nisi adsit, invalida est absolutio, ex Trident. s. 14. can. 7. Est autem duplex: Ordinaria et Delegata. Ordinaria est, quam habent ii, qui ex vi proprii officii curam animarum habent, ut Papa, Episcopus, Parochus (huc revocantur Archiepiscopi erga subditos suorum Episcoporum, tunc tantum, quando actu visitant) Archipresbyteri, Archidiaconi, Praelati Religionum, Vicarius perpetuus Episcopi, vel etiam Parochi. Delegata dicitur, quae legitime datur ab habente ordinariam, idque vel tacite vel expresse, ut a Papa pro tota Ecclesia, ab Episcopo pro dioecesi, a Parocho pro parochia; hoc discrimine, quod Papa possit dare invitis Episcopis et Parochis, non contra. Ac, licet exterior iurisdictio exspiret morte delegantis, non tamen haec interior, nisi successor revocet, ut docent Sanchez, Suarez, Navar. Coninc. contra Sylvest. et Vasquez. Vide Laymann cap. 10. num. 22. Porro huiusmodi potestatem delegatam absolvendi quemcumque a quibuscumque peccatis, in articulo seu periculo mortis (haec enim pro eodem sumuntur in iure, ut vid. Dian. p. 3. tract. 4. res. 57. 71. et 72.) habet ex iure communi quivis Sacerdos, etiam excommunicatus et degradatus, si alius desit: quod addo quia praesente Parocho vel proprio Sacerdote, id non posse, docent Vasquez, Bonac. Conin. Regin. etc. commun. licet contrarium probabile putet Dian. par. 1. t. 5. res. 5. et par. 4. t. 4. res. 167. ex An. Henriq. Comit. et Sà, confirmatque Tambur. *de Exped. conf.* lib. 3. cap. 7. Ex consuetudine quivis toleratus absolvere potest a venialibus et mortalibus alias confessis. Ex privilegio, religiosi Mendicantes quosvis fideles absolvere possunt iuxta te-

norem suorum privilegiorum. * Modo tamen non sint revocata per Concil. Trid. iuxta prop. 36. inter damn. ab Alex VII. * Ex concessione Ordinarii directa, quicumque Sacerdos approbatus, cui id ille committit. Denique ex indirecta is, qui audit eum, qui habet potestatem eligendi Confessarium, quales sunt. 1. Ex iure, Episcopi omnes, etsi sint tantum titulares, item superiores Episcopis, ut Archiepiscopi etc. item Praelati iis inferiores exempti, ut Abbas exemptus (non tamen Abbatissa), Generalis, Provincialis, Prior, salvis tamen privilegiis Ordinum, vide Dian. par. 4. tr. 4. res. 1. et 2. 2. Ex consuetudine, Cardinales, qui etiam domesticis de Confessore providere possunt: item Pastores, imo multis locis etiam ceteri Sacerdotes seculares, ut docent Valentia, Sà Suarez disp. 27. sect. 3. Religiosi tamen tenentur eligere tales, quales illis permittunt statuta. Item Reges et Principes, quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur, denique domestici Pontificis. 3. Ab homine eam habent, quibus sive Pontifex sive Episcopus, sive Parochus concessit.

361. S. Alph. n. 558. notat ex communiori et veriori sententia Vicarium generalem Episcopi habere iurisdictionem ordinariam etiam in foro conscientiae et non in solis rebus externis, ut pauci quidam aiebant. Ratio, quia ex iure Canonico, Vicarius facit unum tribunal cum suo Episcopo. Quod dicitur de delegata iurisdictione, eam nempe esse, quam dat habens ordinariam, ut... *Parochus pro Parochia*, non debet intelligi quod parochus possit alteri dare facultatem audiendi Confessiones, nisi in casu, quo quis fuerit ab ordinario loci approbatus, sed non acceperit iurisdictionem; qua de re sàtis dictum fuerit in Dub. praeced. ad resol. 4.

362. Quod spectat ad cessationem iurisdictionis delegatae (de qua s. Alph. n. 559.), habe generatim has regulas.

1° Cessat iurisdictio, elapso tempore, si ad tempus fuit concessa. Semper excipitur casus, quo incoepta confessio fuerit; nam iurisdictio durat quousque absolvatur. S. Alph. n. 559. in fin.

2° Ob mortem delegantis non cessat, si delegatio fuit generalis (videlicet non restricta ad quosdam determinatos fideles, v. gr. pro familia aliqua et cf. Tractatum III. *De legibus* Vol. I. 459,): si autem data fuit ad tempus indefinitum, cessat solum per revocationem factam a successore.

3° Morte delegantis cessat, si particularis fuit delegatio, v. gr. ad quasdam determinatas personas.

4° Itidem morte delegantis cessare dicitur, si data fuit hoc modo: « *Ad arbitrium nostrum, ad nostrum beneplacitum* ». Sed cf. notata superius n. 354. seq.

Exempla delegatae tacite vix modo occurrunt; quia petenda est approbatio: frequentior erat ante Tridentinum, quando v. gr. Episcopus videbat ex. gr. Canonicos invicem confitentes apud alios Canonicos, quin licentiam eligendi Confessarium petiissent; ita et fideles licentia tacità confitebantur aliis presbyteris praeter parochum. Vid. Caiet. V. *Absolutio* n. 2.

363. *De periculo mortis.* Periculum mortis dicitur, si morbus sit talis, qui ex medicorum iudicio vel experientia mortem inferre potest, sive id absolute, idest generatim pro omnibus verificetur, sive respective propter circumstantias huius infirmi.

S. Alph. n. 560.: « Verius sufficere videtur, quod adsit *prudens timor mortis ex illo periculo eventurae* ». Nota autem periculum in exspectando articulo; nam mori facile posset (dum differtur sine sacramentis. Articulus ergo mortis et periculum mortis pro eodem sumuntur. « Tale periculum censetur adesse (inquit s. Alph. ibid.) in praelio, in longa navigatione, in difficili partu, in morbo periculoso etc., item in eo, qui est in probabili periculo incidendi in amentiam, in captivo, qui forte non est alias inventurus approbatum etc. ». Nota periculum mortis et ab extrinseco advenire posse.

Quod in articulo mortis, si alius desit, possit absolvere quilibet sacerdos, etiam suspensus, interdictus, irregularis, excommunicatus, etiam vitandus, degradatus et schismaticus quoque vel haereticus, COMMUNIS est sententia, fatente etiam Collet (apud s. Alph. n. 560.).

In qua tamen quaestione s. Alphonsus controversiam coarctans ad *schismaticos*, *haereticos* et *excommunicatos vitandos*, ita rem versat, ut non satis intelligi possit, quid sibi velit.

Nam post allatam primam sententiam affirmativam, quam esse plurium et quidem gravissimorum doctorum fatetur, subdit: « Secunda vero sententia SEQUENDA negat etc. ».

Suspicor intrusam esse vocem: SEQUENDA. Nam addit utique rationem Fagnani, qui affert etiam declarationem Congreg. Concilii: sed postea fatetur cum Collet, affirmativam sententiam esse hodie *communem;* declarationem autem Concilii a Fagnano allegatam in registro s. C. non reperiri, unde dicenda est vel ficta vel expuncta et tandem ex Albitio refert, Innocentium XI. praecepisse, ne amplius de veritate primae sententiae (sc. affirmativae) dubitaretur (vid. Albit. l. c. cap. 18. n. 39. et Giraldi pag. 842.). Quomodo autem diceret s. Alph. *tenendam* negativam, si fatetur s. Pontificem praecepisse, ne de veritate affirmativae amplius dubitaretur?

Et sane in alio opere: *Homo apostolicus* n. 92. tr. 16. pro hac eadem sententia stare videtur, ubi allegat Ferraris V. *Moribundus* n. 33. Vid. Ferraris ibid., ubi plures AA. gravissimos allegat.

364. Memorat autem heic Lugo disp. 18. n. 36. ordinem seu graduationem, quae servanda a quibusdam praescribitur inter eos, qui ad absolvendum moribundum vocari possunt.

Statuunt ergo quidam non modo approbatum atque ideo habentem iurisdictionem, praeponendum cuilibet alii, qui iurisdictione careat,

sed inter hos 1° approbatum pro alia dioecesi (qui careat heic iurisdictione) praeferendum simplici cuilibet sacerdoti: hunc praeferendum esse suspenso seu interdicto etiam approbato: hunc praeferendum esse irregulari: irregularem praeferendum esse excommunicato vitando: hunc praeferendum degradato: degradatum praeferendum schismatico seu haeretico, qui omnibus catholicis sunt postponendi.

Quam graduationem videsis et apud Diana tom. 1. tr. 4. res. 43. n. 2.

Subdit porro Lugo l. c. n. 37.: « Hanc graduationem et ordinem, maxime cum ea necessitate, qua ab iis scriptoribus adstruitur, ut absolutio aliter data non valeat ex defectu iurisdictionis, nimis scrupulosam existimo. Incredibile est enim, Ecclesiam noluisse dare in eo articulo facultatem, nisi observaretur ille ordo, quem ne doctissimi quidem homines sciunt nec nisi magna attentione ac studio cognoscere possunt, nedum infirmus aut moribundus ad eam subtilitatem speculandam obligari queat ».

365. Gravior etiam fit quaestio, an simplex sacerdos possit absolvere moribundum, praesente alio Confessario approbato, qui v. gr. vel commode acciri possit, vel etiam in eadem domo habitet.

Conveniunt autem omnes (non iis exclusis qui negativam sententiam, generatim re spectata, tenent), licere simplici sacerdoti in sex illis casibus, quos enumeratos in subiecta nota 2. Auctori nostro videtis, quae notula ex sententiis s. Alphonsi nn. 562.-563, et *Hom. Apl.* tr. 16. n. 93. compacta est.

Casus scilicet, quos s. Alph. excipit, hi sunt. 1° Si approbatus nollet vel non posset audire confessionem: 2° si approbatus sit nominatim excommunicatus vel suspensus: 3° si approbatus esset alterius dioecesis: 4° si moribundus ita abhorreat a confitendo Confessario approbato, ut periculum sit ne sacrilege confiteatur: 5° si approbatus superveniat iam coepta confessione cum sacerdote simplici: 6° si approbatus fuit complex in peccato turpi. In his casibus, ait s. Alph., probabiliter possunt simplices sacerdotes absolvere tempore mortis, etiam praesente approbato.

Circa quam tamen notam velim advertatis, illam vocem *probabiliter* respectu plurium casuum, qui ibi numerantur, non congruere.

Nam 1° quod possit simplex absolvere, si approbatus non vult, est *certum*, quia hic censetur perinde ac si abesset.

2° Itidem, si approbatus sit excommunicatus aut interdictus aut suspensus, *certum est*, praeferendum simplicem.

3° Item, si approbatus habeat approbationem solum pro alia dioecesi: nam cum in hac dioecesi careat et approbatione et iurisdictione, nullus est titulus, cur a simplici distinguatur.

4° Itidem, quod dicitur de approbato, sed complici in turpi peccato. Nam, sepositis aliis incommodis, iste tenetur sub poena excommunicationis cedere locum alteri, ut certe definit Benedictus XIV.

5° Pariter, quod incoepta Confessione debeat simplex sacerdos non abrupta re discedere, s. Alph. fatetur (n. 561.), *communem* doctrinam.

Ergo ad summum *probabilitas* refertur ad casum *quartum* de poenitente abhorrente a confessione facienda cum illo, qui adsit, approbato, praesertim cum hic vel consanguineus esse possit vel inimicus vel obiectum peccati etc.

Advertendum praeterea, ad quartum casum a s. Alph. n. 563. adiungi, si poenitens non posset sine magna difficultate et incommodo confiteri approbato (quae incommoda referri possunt ad loci distantiam, vel ad mala, quae ex confessione timeantur), vel si simplex sacerdos manifeste ei futurus sit magis idoneus et utilis, quam parochus rusticus et imperitus. Praeterea (n. 563.) ad n. 5. addit casum, quo infirmus confessus iam fuisset cum simplici sacerdote, sed invalide (v. gr. quia tacuit peccatum). Nam etiam, approbato superveniente, poterit (inquit) confiteri cum eodem simplici; quia revera iste habuit iurisdictionem ad priorem confessionem, quae non censetur finita, cum invalide fuerit impertita absolutio.

Nescio dein, quomodo cohaereant cum his, quae postea subdit s. Alph. ex Lugo, quod si confitens simplici sacerdoti oblitus sit peccati, adveniente approbato, debeat huic confiteri. Quamquam aliunde reiicere licet hanc peculiarem conclusionem simul cum generali thesi, quod praeferendus sit tunc approbatus.

366. Sed ut ad generalem quaestionem veniamus, non consideratis nempe specialibus adiunctis mox memoratis, necessariam non reperimus sententiam s. Alphonsi, de praeferendo approbato ita, ut eo praesente invalide aut illicite absolvat alius non approbatus.

S. Alphonsus n. 562. utique *communissimam* appellat sententiam, quae simplici presbytero negat facultatem absolvendi, praesente approbato. Sed placet magis modestia Viva, qui hanc doctrinam vocat non *communissimam* sed *communiorem* (*de Poenit.* quaest. 8. art. 2. n. 5.). Idem habet Lugo disp. 18. n. 23. Et revera si inspiciatur series Doctorum, qui oppositam idest affirmativam docuerunt, longam eam invenietis sive apud Salmanticenses *de Poenit.* cap. 5. n. 9., sive apud Diana tom. 5. tr. 8. resol. 26. n. 3.; Barbosa etc.

Praeterea qui negativam tenent, non ita absolute eam docent. Advertite enim temperatum dicendi modum s. Alphonsi n. 562.: *Non puto recedendum.* Ita et Salmanticenses *de Poenit.* cap. 11. n. 30.: « Dicendum tamen *potius* est, non posse ».

Et rursus hi DD. non diffitentur probabilitatem affirmativae sententiae, scil. quod et valide et licite absolvat.

Ita Lugo disp. 18. n. 23. post allatum longum catalogum DD., qui stant pro hac eadem sententia, loquens de Luisio Turriano, qui dixerat hanc doctrinam fuisse damnatam a Gregorio XIII., non dubitat haec dicere: « Unde constat, excessisse in censura huius opinionis Luisium Turrianum... dicendo, hanc opinionem esse improbabilem et damnatam a Gregorio XIII. Certe sententia, *quam tot et tam graves Doctores* tenent, *negari non potest*, quin sit probabilis, praesertim cum fundetur in verbis Tridentini, *quae non facile explicari possunt ab adversariis* ».

Et Dominicus Viva l. c.: « Verum probabilis etiam est *et in praxi secura* sententia affirmativa, quam docent Perez, Navarrus, Sà etc.

Ioannes autem Dicastillo ait de affirmativa (tr. 8. *de Poenit.* disp. 10. dub. 14. n. 367.): « Haec sententia mihi semper visa est probabilior ». Ac n. 365. refert sententiam Rodriguez affirmantis, sua aetate ita sentire *viros doctissimos*. Argue heic, quod probabilis sententia dat iurisdictionem certam.

Obiicit Giraldi ad cap. 7. sess. 14. Concil. Trident. pag. 841. seqq., Catechismum Romanum (*de Sacr. Poenit.* n. 55.) limitare, *nisi proprius adsit sacerdos:* Resp. At non videtur hoc receptum et probabilis sententia dat iurisdictionem. Catechismus romanus indicat morem communem nec agitat subtilem hanc quaestionem et certe catechismus romanus, qui non erat ignotus, non impedivit, quominus aliter alii sentirent, nemine catechismum obiiciente.

367. Denique rationes, quas promunt, sunt satis levis momenti.

Prima est, quod Tridentinum Concilium loquatur de sacerdotibus *approbatis* et non de quolibet sacerdote.

Verum hoc est, quod Lugo disp. 18. n. 23. in fin. sincere fatetur, difficile posse explicari ab illius sententiae fautoribus; quia Synodus loquitur de *quolibet* sacerdote. Sic enim ait (sess. 14. cap. 7.): « Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo OMNES sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et *censuris* absolvere possunt ». Porro *omnes* sacerdotes non sunt soli approbati.

Secunda est, quod Tridentinum id sanciverit, quod custoditum semper in Ecclesia fuit; nullum ergo novum ius condidit. Quod argumentum Lugo disp. 18. n. 26. dicit *praecipuum et solidum* fundamentum.

Sed hoc nihil concludit; quia neque probant neque probare possunt, aliam exstitisse praxim ante Tridentinum. Quinimo haec provocatio ad consuetudinem potius evincit oppositum. Nam ante Concilium Tridentinum non requirebatur approbatio Ordinarii, sed sufficiebat mera iurisdictionis delegatio. Quando ergo agitur *de omnibus sacerdotibus,* intelligi id non potest de approbatis, sed de omnibus, qui capaces erant delegationis, scilicet de omnibus indiscriminatim. Et si haec ratio est ex Lugo sententiae praecipuum fundamentum, reipsa causa illa satis se prodit infirmam.

Textus autem iuris Canonici (vid. Lugo disp. 18. n. 26.-29.) vel 1° loquuntur de reconciliatione eius, qui publicam poenitentiam peragebat (ut Lugo ipse fatetur, addens nimis eos probare), vel 2° de adeundo Episcopo, si fieri possit, vel 3° solum dicunt, infirmum, si convalescat, debere se Superiori sistere, si censura reservata ligatus fuerit infirmus.

Atqui primum non est ad rem, uti patet.

Secundum nimis probat et quidem contra Synodum, scilicet manere *reservationem.* Cur enim recurreretur ad Episcopum, si reservatio nulla est?

Tertium vero nihil ad rem concludit, scil. quod adiri Superior modo debeat, si fieri possit. Nam ratio se sistendi Superiori est, ut de satisfactione, si opus sit, agatur; quod sapienter cautum est. Sed haec ratio non valet in antecessum, quando mortis instat periculum.

Minus etiam valet, quod inquit Lugo disp. 18. l. c. nn. 30. 31., usum Ecclesiae ferre, ut alia sacramenta nunquam ministrentur infirmis ab alieno sacerdote, nisi in defectu proprii. Resp. proprium sacerdotem habere ius, quod violaretur, si absque causa alienus se ingereret; in casu nostro nemo hoc ius habet, ut in audiendis confessionibus praeeligatur. Insuper proprius sacerdos non intelligitur sane parochus; nam alii vocantur ubique sine nota: proprius intelligitur, qui iurisdictionem habet vel ordinariam vel delegatam.

368. Addunt, Tridentinum facultatem hanc facere solum ex *necessitate, ne quis pereat:* quae necessitas abest, si praesens sit approbatus.

Resp. hoc falsum esse; nam Synodus dicit: *ne occasione huius* etc. *quis pereat:* porro occasio ruinae non solum oritur ex defectu Confessarii, sed ex difficultate adeundi Praelati, quam communiter homines habent: Ecclesia autem voluit omnem difficultatem in eo articulo removendam, ut maxima facilitate moribundus anteactae vitae rationem cum Deo componat (Diana tom. 1. tr. 5. res. 4. n. 3. et tom. 5. tr. 9. res. 26. n. 3.). Hoc autem praestitit 1° tollendo omnem reservationem et 2° cuilibet sacerdoti facultatem faciendo ab omnibus peccatis et censuris quoslibet poenitentes absolvendi.

Lex ergo generalis est, omnem reservationem cessare et cuilibet sacerdoti in articulo mortis inesse facultatem absolvendi. Porro, ut recte observat Diana tom. 1. tr. 5. res. 4. n. 3., generale principium est, legem in particulari cessare, non quando finis legis cessat solum *privative*, sed solum quando cessat *contrarie*. Atqui presentia Superioris non efficit, ut cesset contrarie.

Et si Ecclesia alias, v. gr. in iubilaeis, aperit benigne thesauros pietatis, auferendo reservationes omnes; in quo casu necesse certe non est, ut absit Praelatus praeditus facultate, ad utendum illa benignitate; multo magis id conveniebat a pia matre praestari cum filio ultimum spiritum exhalante. Numquid enim durius cum hoc misero ageret, quam cum valentibus agendum interdum censeat? (a).

369. S. Alphonsus n. 562. recurrit ad Rituale Romanum, ubi dicitur: « Si periculum mortis immineat *approbatusque desit confessarius*, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere ». Deinde subdit Edictum Pauli V. cavens, ut praescripta in Rituali inviolabiliter observentur.

Resp. Edictum hoc nimis probat; quia invalida esset administratio extremae unctionis, nisi haberetur superpelliceum, aut quidpiam ex aliis in Rituali praescriptis. Ita invalidum esset baptisma, si non servaretur ordo eorum, qui debent in baptizando praeferri: item, si sacerdos absque stola absolveret.

Distinguantur ergo varii ritus et praesertim praeceptiva a mere directivis. « *Praeceptivae* rubricae (inquit Ferraris V. *Rubricae* nn. 3. 4.), quae continent seu notant aliquid, quod alias ex iure vel ex legitima consuetudine iubetur, obligant in conscientia et sub peccato ad servandos ritos in eis praescriptos. *Directivae* sunt, quae non imponunt obligationem, sed proponunt, quid sit agendum et dicendum vel non, per modum consilii et instructionis. Quando autem DD. inter se discrepant nec certa est obligatio, non potest rubrica dici *praeceptiva*, sed *directiva* haberi debet ».

Et haec dicta sint, non ut violentur rubricae, sed ne scrupulose agatur et ne, dum quaeritur approbatus, aut vexetur infirmus aut periculo exponatur moriendi sine sacramentis (b).

(*a*) Difficultas est in verbis Trid. (n. 596.) ex illa particula causali *et ideo*: significatur scilicet, id quod deinceps dicitur, *omnes* sacerdotes posse absolvere, esse consequens praecedentis nimirum ablatae reservationis. Agitur ergo de sacerdotibus, quorum facultas per reservationem restricta fuerit: atqui hi sunt approbati. Et sane ex eo quod reservatio tollitur, nullo modo logice consequitur et simplices sacerdotes posse absolvere, nisi reservatio *latius* accipiatur pro quavis negatione vel quovis defectu iurisdictionis. — E.

(*b*) C. S. O. interrogata 1° an valida sit absolutio, quam in articulo mortis impertierit quivis sacerdos, etiam non approbatus, quando faciliter advocari seu adesse po-

370. Hinc merito s. Alphonsus n. 563. reiicit opinionem eorum, qui dicunt, petendam a Superiore per litteras aut internuncium facultatem absolvendi a reservatis. Nam CESSAT reservatio.

Item reiiciendum esse, quod dicunt, recurrendum esse ad Episcopum pro censura reservata Pontifici, si sit *occulta*. Nam CESSAT reservatio.

Item opus non esse vocare Superiorem, qui habet facultatem absolvendi a reservatis. Quia CESSAT reservatio.

Quando tamen agitur de censuris reservatis, negandum non est id, quod advertit Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 3. n. 6., utilius esse, si adhiberi possit Confessarius privilegiatus; nam sic poenitens liberatur ab onere comparendi coram Superiore, si convalescat: secus exigenda promissio comparendi... At negandum, quod subinfert Renzi, quem sequitur s. Alph., debere vocari superiorem, si praesens adsit, ad absolvendum a censura reservata, licet cum alio incoeperit confessionem. Nam semper repetemus: nego suppositum, quod tunc maneat reservatio, utut onus supersit comparendi.

Dicit A. *praesente parocho* vel *proprio Sacerdote*. Porro proprius sacerdos, prout a parocho distinguitur, dicitur quilibet sive secularis sive Regularis presbyter ab Ordinario approbatus. De hoc infr. ad resol. 9.

De consuetudine, quod quilibet sacerdos absolvere possit a *venialibus* etc. iam superius diximus sub §. LXXVII. Bardi *de Consc.* discept. 4. cap. 17. communissimam omnium sententiam dicit, omnes sacerdotes habere iurisdictionem in venialia. Idem habet ut commune et certum Ioan. Sanchez disp. 44. n. 3.

371. Quoad privilegia Mendicantium, antiquus Adnotator Patavinus voluit addere postillam: *modo non sint revocata* etc.; quia Alexander VII. damnavit propositionem n. 36.: « Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae expresse sunt revocata per concilium Tridentinum ». Sed quando A. dicit, *iuxta tenorem suorum privilegiorum Mendicantes posse absolvere,* nemo nisi stultus intelliget de privilegiis revocatis; quia privilegia revocata non sunt privilegia, sed fuerunt.

Ceterum adnotator parum advertit, qua de re sit heic sermo. Responsio enim Auctoris enumerat eos, qui iurisdictionem habent in ordine ad absolvendos fideles et quoad Mendicantes dicit, eos habere hoc privilegium (scil. a Sede Apostolica), ut possint absolvere quosvis fideles,

---

tuisset approbatus: 2° an similiter valida sit absolutio in eodem mortis articulo concessa moribundo habenti peccata reservata sive simpliciter sive cum censura, a sacerdote non habente iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem: respondit 29. Iul. 1891. ad utrumque: « non esse inquietandos qui affirmantem sententiam tenent ». Ita refert cl. Bucceroni *Casus Consc.* vol. 2. p. 165. — E.

licet post Tridentinum et alia decreta Sedis Apostolicae indigeant approbatione Ordinari ceu conditione *sine qua non*. Porro circa hoc nulla unquam fuit privilegii revocatio. Ergo illa postilla est omnino abs re.

372. *De indirecta concessione.* Indirecte tribuitur iurisdictio, quando quis habet privilegium eligendi Confessarium, sive sermo sit de eligendo etiam simplici Sacerdote (quae tamen facultas concedi modo non solet), sive de eligendo illo quidem, qui est approbatus, sed cui confertur eo ipso facultas amplior, a Superiore scilicet, qui alteri dedit privilegium talem Confessarium ad libitum eligendi.

Proinde quando de Episcopis agitur, non intelligendus Auctor est de electione alicuius Sacerdotis ipsi Episcopo subiecti; nam tunc directe Episcopus daret ipsi iurisdictionem, sed de electione extranei et quidem dum Episcopus est extra Dioecesim. Cf. n. 340.

Porro unde orta sit haec facultas eligendi Confessarium pro Praelatis, sic explicat Giraldi (In lib. 5. tit. 38. cap. 12. pag. 747.): cum enim quisque teneretur vi cap. *Omnis utriusque sexus* confiteri proprio sacerdoti, aut de eius licentia alieno, proprium autem sacerdotem parochi habere non possent, nisi Episcopum, Episcopi vero Archiepiscopum, Archiepiscopi Patriarcam, Patriarchae vero et alii Praelati exempti ac immediate Papae subiecti, ut etiam Cardinales, Papam seu Maiorem Poenitentiarium, huic praecepto derogavit Gregorius IX. *Ne pro* cap. 16°. *de Poenit.:* « Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum, permittimus Episcopis et aliis Superioribus, nec non minoribus Praelatis exemptis, ut etiam praeter sui superioris licentiam, providum et discretum sibi possint eligere Confessorem ».

De qua Decretali Fagnanus scribit (In cap. *Ne pro dilatione* n. 62.): « S. Congregatio declaravit privilegium eligendi Confessorem, quod competit Episcopis in vim huius decretalis, non esse quidem a Concilio sublatum; sed tamen non posse sibi eligere Sacerdotem non subditum nisi aut parochiale beneficium habeat, aut a *suo* (confessarii scilicet) Ordinario approbatus fuerit ad Confessiones audiendas ad praescriptum cap. 15. sess. 23. Trident. idemque declaravit Gregorius XIII. audita relatione Congregationis ».

* Porro de hac re iam actum est n. 340. *

Decretum Gregorii XIII. 1. Dec. 1582. sic refert Pitonius (Pro Consess. n. 350.): « Episcopus, extra suam Dioecesim exsistens, non potest sibi in Confessarium eligere Sacerdotem non subditum et a proprio (sc. Sacerdotis) Ordinario non approbatum ».

Idem Piton. l. c. n. 584. affert et hoc aliud decretum Congreg. 3. Octobris 1609.: « Episcopus, extra suam Dioecesim exsistens, non potest confiteri neque Regulari, qui non sit ab Ordinario loci approbatus ».

Quando autem s. Congregatio dicit Sacerdotem *non subditum, extra dioecesim*, satis insinuat, Episcopum 1° intra dioecesim suam posse eligere quemlibet Sacerdotem etiam non subditum, 2° extra dioecesim posse eligere sacerdotem sibi subditum, quem vel secum adduxerit vel ibi repererit.

373. S. Alphonsus n. 565. praelatis exemptis, qui habent facultatem, ut Episcopi, eligendi Confessarium, accenset. « Referendarios, Auditores Rotae, Protonotarios Apostolicos, aliosque Praelatos Curiae Romanae nec non Praelatos regulares et Abbates et Superiores locales immediatos. Sed quoad Religiosos generatim retinenda clausula Auctoris: *Salvis tamen Privilegiis Ordinum* ».

Quod spectat ad Cardinales satis sit notasse cum s. Alphonso n. 565.: 1° quod non gaudent alio Privilegio, quam Episcopi. 2° Posse eos secum extra Urbem adducere Confessarium in Urbe approbatum.

Quod addit Auctor de Pastoribus, idest de Parochis imo et de Presbyteris, Suarez *de Poenit.* disp. 27. sect. 3. n. 2. repetit ex consuetudine, quam alicubi viguisse sua aetate affirmat, addens n. 3.: « ubi constiterit talem consuetudinem introductam esse et videntibus ac tacentibus Ordinariis a Pastoribus bona fide exerceri, eam sufficere, ut poenitentes secure uti possint hac facultate, quamvis haec non tam per ipsam consuetudinem detur, quam data intelligatur ».

Et huic quidem doctrinae non contradicit, uti patet, damnatio Proposit. 16. per Alexandr. VII.: « Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario ». Nam heic de iure parochi arguitur: ibi solum de *Consuetudine,* quae tacitam approbationem supponit.

S. Alph. n. 565. in fin. subdit, iuxta quosdam DD. posse ex consuetudine parochos confiteri Sacerdoti curato vel approbato etiam alterius Dioecesis.

Si confessio fiat in ipsa dioecesi sacerdotis curati seu approbati, nullum privilegium requiritur aut consuetudo specialis pro valore confessionis. Intellige ergo casum, si parochus in sua dioecesi confiteatur sacerdoti curato vel approbato alterius dioecesis, qui forte per dioecesim parochi poenitentis pertranseat. Si consuetudo vere adsit, id non videri reprobandum ait s. Doctor; quia sic iam habetur tacitus consensus Episcopi loci.

Quod A. subdit de iurisdictione *ab homine,* ubi et parochum nominat, explicanda sunt iuxta dicta n. 337. seq. ubi de parochis advocantibus parochos vicinae dioecesis.

Unde resolves.

XCII. 1. Qui habet potestatem delegatam, non potest eam subdelegare, alteri cum diversa sit potestas utendi iurisdictione et eam delegandi. Excipitur 1. nisi hoc ipsum concessum sit: 2. nisi sit delegatus ad universitatem causarum, ut verbi gratia si cui committeretur officium Parochi absentis, vel nondum sacerdotis: talis enim aliqua exercitia iurisdictionis alteri ex praesumpta voluntate Ordinarii subdelegare posset, non tamen integrum officium. Vide Laym. hic l. 5. t. 6.

374. Quoad duas exceptiones. Prima (scilicet, cum ab Ordinario expresse id conceditur delegato) est manifesta — Secunda (cum nempe quis delegatur ad universitatem causarum) nihil in rem nostram continet, nisi quod si quis ratione sui officii v. gr. viceparochi, haberet ab Episcopo facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis, posset hic eam facultatem alteri in casu aliquo peculiari subdelegare; non tamen posset, si facultas haec data ipsi fuisset ratione suae peritiae vel probitatis. Vid. s. Alph. n. 566. in fin. (a). Dixi *quoad rem nostram;* nam quoad subdeleganda alia exercitia iurisdictionis, nostra nunc non interest.

XCIII. 2. Cum iurisdictio respiciat subditum, exerceri in eum potest tam a delegato, quam ordinario, quocumque loco fuerit, ut docent Sanc. Henriq. Suar. in 3. p. t. 4. d. 18. sect. 1. et 7. et alii.

375. Resolutio viget quoad eum, qui habet auctoritatem ordinariam et ita parochus potest excipere confessionem sui parochiani, ubicumque sit; non viget autem quoad habentes potestatem delegatam, prouti statutum est per decreta a nobis sup. allata ad Respons. 2. dubii praeced.; debet enim esse approbatus ab Ordinario loci, in quo audit Confessiones, licet poenitens sit subditus Episcopi, qui in alia dioecesi Confessarium approbaverat. Croix tamen lib. 6. part. 2. n. 1516. in fin. innuit, non improbabiliter id, quod de parochis dicitur, valere pro sacerdote, cui parochus delegaverit potestatem in suos. Sed cf. dicta l. c. Hinc inutile est allegare plures Auctores, qui scripserunt ante decreta.

Pitonius (*Pro Confess.* n. 586.) refert et hanc Declarationem Congr. Concil. 8. Mai. 1610.: « Confessarii ab Episcopo approbati, sive sint Regulares, sive seculares, nullo pacto possunt Confessiones audire extra Dioecesim Episcopi approbantis, quamvis confitentes sint eiusdem Episcopo subiecti ». Quod et Benedictus XIV. In Const. *Apostolica* 5. Augusti 1744. §. 2. clare dicit: « Nec ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab Ordinariis aliorum locorum et Dioecesum obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum... subditi essent ».

(a) Et quia cui fit a s. Sede facultas absolvendi in foro conscientiae a casibus papalibus vel omnibus, etsi delegatus sit a Principe atque ad universitatem causarum, semper intelligitur electa industria personae, is nequit subdelegare. — E.

XCIV. 3. Probabile est, quod absolutus in articulo mortis non teneatur se postea sistere superiori vel alteri pro reservatis, nisi haec habeant annexam censuram, ut docent Nav. Suar. Marc. Fill. t. 7. c. 10. q. 6. n. 288. Bon. d. 5. q. 7. p. 1. v. 13.; quia directe absolutus fuit, contra Hurt. V. Dian. p. 4. t. 4. r. 199.

376. Haec resolutio non est mere probabilis, sed est moraliter certa. Ratio est, quia ex Concilio Tridentino in articulo mortis cessat reservatio.

XCV. 4. Improbitas aut inscitia proprii Sacerdotis non dat iurisdictionem alteri; ideoque in tali casu exspectandum est aut ad superiorem recurrendum. Si tamen ignorantia esset tanta, ut confessio illi facta foret invalida aut illicita, neque esset alius privilegiatus aut habens iurisdictionem, licere alteri confiteri, docet Navar. Vasq. in 3. par. t. 4. q. 92. art. 2. dub. 4. Hurt. d. 10. dif. 15. Vide Dian. par. 4. tr. 4 res. 201. et par. 8. t. 1. res. 26. ex cap. *Placuit, de Poenit.* dist. 6. Idem licere, quando quis proprio non potest confiteri sine gravi periculo, docent Tolet. Sylv. et Medin. qui idem concedit, quando proprius non vult aut non potest audire, vel iniuste negat facultatem confitendi alteri, verbi gratia, Parochus concubinae. Dian. p. 3. t. 4. r. 79. ex Henriq. et aliis quatuor. Verum ista communiter refutantur ab aliis.

377. Quoad 1., non dari alteri iurisdictionem ob alterius ignorantiam et improbitatem, res per se patet.

Quoad 2. attendantur ultima verba A., sc. *haec communiter reiici.* Et sane vel sermo est de alio, qui sit ab Ordinario approbatus et tunc non est necessaria licentia parochi iuxta ea, quae superius dicta sunt sub dub. II. Vel agitur de *non approbato* et praeter periculum mortis hic non habet ullam iurisdictionem nec admittitur, quod quidam dixerunt, Pontificem in hoc casu supplere, quod probabile putavit et Diana ll. cc. ab Auctore, et in Coordinata edit. tom. 1. tr. 3. resol. 29. n. 2., et latius tom. 3. tr. 1. res. 39. n. 7.

XCVI. 5. Etsi graviter peccare possit proprius, si neget suis facultatem adeundi alterum, modo praesumere possit eos iuste petere: si tamen iniuste neget, probabilius videtur, eos invalide ab alieno absolvi, ut docent Sotus, Suarez, Laym.; etsi non improbabiliter Sylv. Henriq. Maio. Palud. Richar. Tolet. et Dian. p. 3. t. 4. r. 70. putent, quod valide, Praesertim si sine periculo salutis, famae, vel simili non liceat suo proprio.

378. Quaedam locum haberent quoad Regulares, sed de hisce speciatim suo loco dicemus. Vel *alienus* intelligitur alius praeter parochum, approbatus tamen ab Ordinario loci et tunc non opus est licentia iuxta dicta.

Si vero intelligatur de non approbato ab Ordinario Loci intra Dioecesim poenitentis, ex novis decretis nullo modo valide confiteretur.

Denique si intelligatur de eo, qui ad aliam Dioecesim transeat, nulla requiritur expressa proprii licentia ex praesenti disciplina, quia consuetudo ita habet; de negante vero expresse hanc facultatem peregrinaturo, nihil disputant DD., quia nimis absonum id esset; iure tamen suo Ordinarius uteretur.

Ergo et haec resolutio supponit antiquiorem disciplinam, quae abrogata novis decretis est.

XCVII. 6. Cum iurisdictio acquiratur ratione domicilii vel quasi domicilii vel etiam actualis habitationis, hinc iis, qui duobus locis habent domicilium vel quasi, possunt utrobique absolvi, ut scholares, milites, mercatores; item vagi et peregrini possunt absolvi a Parocho loci, in quo versantur. V. Laym. hic, Vasq. etc.

379. Praesens resolutio accipienda est non solum de diversis parochiis eiusdem dioecesis, sed etiam de diversis dioecesibus.

Neque opus est rationem quaerere in iurisdictione, quam acquirant ibi Parochi aut alii approbati in extraneum *ratione domicilii* aut *quasi domicilii*, aut *habitationis;* nam valida est absolutio, etiamsi ibi non inhabitet, sed venerit solum ad ecclesiam, in suam patriam reversurus vix dum ab ecclesia egrediatur.

Ratio autem, cur possit absolvi, non eadem ab omnibus redditur. Quidam cum Suarez censent, peregrinos fieri subditos ratione fori, quod sortiuntur, cui se sponte subiiciunt. Verum sic quisque absque sui superioris licentia posset sibi eligere confessarium quem vellet. At edixit Bonifacius VIII. c. *Si Episcopus, de Poenit. et Remiss.* in 6.: « Nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis, praeter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare ».

Hinc aliam s. Alph. affert rationem n. 569.: « Communiter docent DD. peregrino, *spectata consuetudine* et *tacito consensu Episcoporum*, posse cuilibet confiteri approbato in loco, ubi reperiatur.

Verum alibi paulo infra n. 588. insuper haberi posse decernit consensum Ordinariorum.: « Peregrini, ait, stante hodierna consuetudine, nempe quod absolvantur ubique a quocumque Confessario approbato, hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum, sed ex voluntate Ecclesiae, quae talem consuetudinem approbando tribuit facultatem, ut habeantur ipsi tanquam incolae loci, ubi confitentur ». Haec est alia doctrina a praecedente, quae a tacito consensu Episcopi poenitentium repetit facultatem in Confessario alieno eos absolvendi. In hoc dicitur e contrario, consensum proprii Episcopi nullum requiri: Ecclesiam, probando consuetudinem, quod peregrini ubique a quocumque Confessario absolvantur, conferre iurisdictionem ideoque etsi proprius Episcopus absolute reluctetur, validissime eosdem absolvi in aliena Dioecesi.

380. Non contendimus hanc s. Doctoris sententiam adversari doctrinae traditae a Bonifacio VIII.; nam si Ecclesia h. e. Romanus Pontifex confert iurisdictionem, nequit dici, quod peregrini absolvantur absque sui superioris licentia.

Nihilominus, ut quaestionem plenius agamus, de supremis enim principiis agitur, quibus oeconomia iurisdictionis in interiore foro regitur: inquiremus 1° an certum axioma sit, iurisdictionem dandam esse a Superiore poenitentis: 2° quaenam sit in hac re vis consuetudinis, de qua DD. faciunt mentionem.

Iam vero iurisdictio definitur *potestas in subditos: Superior* autem dicitur, qui hanc potestatem habet ordinariam, idest ratione Officii et potest eam aliis dare seu delegare. Quaero: cum nemo det aut dare possit id, quod non habet, quis praeter Superiorem dare eam potestatem seu iurisdictionem potest?

Neque vero heic agitur de meris Scholae placitis. Sanctio est Florentini Concilii: *Minister huius sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione Superioris.* Quomodo ergo quidam obtrudunt *auctoritatem absolvendi*, quae neque ordinaria sit, neque *a Superiore commissa?*

Sanctio est Tridentini Concilii sess. 14. cap. 7.: *Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Unde sic: essentiale est, ut sententia feratur *dumtaxat* in subditos; secus absolutio nullius est momenti. Atqui subditos non habet, qui iurisdictionem non habet aut ordinariam aut subdelegatam, idest a Superiore commissam. Quomodo igitur quidam subinferunt iurisdictionem ad absolvendum, quae nec ordinaria sit, nec a Superiore tradita?

Quandoquidem autem id (ut habet Trid. Synodus) *persuasum semper in Ecclesia Dei fuit,* hinc illud Innocentii III. in Concilio Lateranensi cap. *Omnis utriusque sexus* 12. *de Poenit. et Remiss.: Si quis autem alieno sacerdoti voluerit, iusta de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote: cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.* Et cum nomine *proprii sacerdotis* venire heic nequeat, nisi qui potestatem habet ordinariam; quia licentiam dare idest delegare iurisdictionem is tantum potest, qui ordinaria iurisdictione pollet (respectu autem uniuscuiusque fidelium ordinaria hac potestate tres personae inter se subordinatae pollent, nempe proprius parochus, proprius Episcopus et Romanus Pontifex); ergo necesse est, ut quisquis ordinariam iurisdictionem non habet, qui heic dicitur *sacerdos alienus,* eam ab habente ordinariam, idest a Superiore obtineat.

381. Neque vero est, cur quispiam incertus haereat de sensu verborum illorum: *licentiam prius postulet* etc. Licentia *quippe confitendi*

alieno sacerdoti, quemadmodum et *facultas eligendi confessarium* aut *facultas se subiiciendi alieno* aut *committere alteri suum subditum* aliique huiusmodi dicendi modi, important, ut notissimum est, *iurisdictionis delegationem;* quod s. Bonaventura in 4. dist. 17. part. 3. art. 1. q. 2° expressit his verbis: *Committere alteri ius suum et potestatem absolvendi;* s. Thomas autem: *Committere ea, quae sunt iurisdictionis*, ut habet Suppl. q. 8. art. 6. ad 1.: *Aliquis potest uti iurisdictione alterius ex eius voluntate, quia ea, quae iurisdictionis sunt, committi possunt.*

Praedictae autem dicendi formae ad duplicem referuntur modum concedendi iurisdictionem, *directe* scilicet et *indirecte.* Ut enim inquit Suarez *de Poenit.* disp. 28. init.: *Potest (iurisdictio) duobus modis concedi seu delegari: primo directe concedendo iurisdictionem sacerdoti...: secundo ex parte poenitentis, quando alicui conceditur facultas eligendi confessorem*, non quasi iurisdictio detur poenitenti, cui licentia tribuitur, sed, ut idem habet sect. 1. n. 2. *solum est potestas ad eligendam vel designandam talem personam; qua designata, Pontifex seu Praelatus ecclesiasticus, qui talem facultatem dedit, confert illi iurisdictionem.* Illud ergo ratum certumque habendum est, formulas *dare licentiam confitendi sacerdoti alieno* aut *eligendi alienum* aliasve similes, importare delegationem seu collationem iurisdictionis in eum sacerdotem, cui subditus ille confitebitur.

Hinc vero sequitur, nihil opus esse ut sacerdos, qui in casu eligatur, ullam aliunde iam habeat iurisdictionem. Quae enim iurisdictio ad hunc poenitentem absolvendum requiritur, eo ipso illi confertur, dum eligitur. Hoc clare sic expressit Franciscus de Victoria *Sum.* n. 150.: *Quaeritur, utrum qui habet auctoritatem eligendi Confessorem..., possit eligere simplicem sacerdotem nondum expositum ad audiendas confessiones? Respondeo absolute..., quod sine quocumque scrupulo potest eligere quemcumque sacerdotem, ut etiam dicit Caietanus... Ratio est, quia in hoc solo differt sacerdos habens iurisdictionem a non habente, quod ille habet materiam, hic autem non: et huic nihil aliud deficit ad hoc ut possit absolvere, nisi materia circa quam exerceat potestatem, quam accepit, dum ordinatus est. Cum ergo recipienti (facultatem eligendi) detur potestas subiiciendi se cui voluerit, iam talis sacerdos electus habet materiam et iurisdictionem circa illum: unde nihil sibi deficit.* Quae quidem doctrina ab eodem Auctore dein dicitur *inter Doctores trivialis.*

Qua de re etiam inter alios Suarez *de Poenit.* disp. 28. sect. 3. n. 5.: *Dico primo: Parochus ante Concilium Tridentinum ex vi iuris communis poterat et valide et licite suam iurisdictionem committere cui-*

cumque sacerdoti, qui secundum naturale seu divinum ius idoneus esset ad hoc sacramentum ministrandum, etiamsi aliam iurisdictionem vel Episcopi approbationem non haberet. Et rursus ib n. 6.: *Dico secundo: Stando in iure antiquo, per generalem facultatem datam ad eligendum confessorem eligi poterat quilibet sacerdos iure divino idoneus, absque alia conditione aut approbatione iure humano requisita.* Undenam vero in casu iurisdictio electo sacerdoti advenit, nisi ab Superiore, qui dat licentiam eligendi?

Neque vero alia est rerum conditio post Tridentinum. Discrimen enim in eo tantummodo residet, quod modo sacerdos, qui eligitur, approbatione indigeat Ordinarii, in cuius territorio confessionem excipit. At nihilominus indiget iurisdictione, quae in casu est ab poenitentis electione. Quocirca Melchior Canus *Relect. de Poenit.* part. 6.: *Approbatus potest eligi, etiamsi alias nullos subditos habeat nullamque penitus iurisdictionem.*

382. Sit itaque demum conclusio: Doctrina est in Conciliis Oecumenicis Florentino, Tridentino et Lateranensi definita, invalidam esse absolutionem, quae ab alio praeter Superiorem proprium conferatur citra commissionem aut licentiam ab eodem Superiore obtentam. Atqui eiusmodi commissio seu licentia importat iurisdictionis vel directam vel indirectam communicationem. Ergo invalida est absolutio quaelibet, quae absque iurisdictione a poenitentis superiore collata impertiatur.

Hinc vero ratio, cur tum Theologi, tum Canonistae, ubi de confessione extra dioecesim peragenda loquuntur, omnes constanter tum veteres tum recentiores necessitatem eiusmodi *licentiae* aut *commissionis* aut *consensus* Superiorum sive propriorum Ordinariorum nunquam non memorent, imo inculcent.

Ex veteribus sufficiat Card. Turrecremata, qui sic scribit in cap. *Omnis de Poenit.* n. 6.: *Poenitens cupiens confiteri alieno sacerdoti..., necesse habet petere licentiam a suo proprio sacerdote aut a Superiore. Patet, quia alienus sine commissione sibi facta ab aliquo illorum, nullam habet potestatem. Patet ex cap. Omnis utriusque etc.*

Quoad recentiores vero, Azor part. 2. lib. 3. c. 12. q. 10. ad quaestionem, *An rector unius parochiae possit alieni parochiani confessiones audire,* respondet: *Minime, nisi consensu expresso vel tacito illius rectoris, cui est ille parochianus subiectus: nam ad sacram poenitentiae confessionem audiendam requiritur iurisdictio.* Vides, quomodo consensus hic collationem iurisdictionis importet?

Valentia tom. 4. disp. 7. q. 10. punct. 2.: *Notatur hoc loco a Doctoribus,* SEMPER *oportere ab eo Confessario, cuius alioquin curae quis-*

piam commissus est, licentiam petere, ut alteri confiteri possit. Et post allegatum c. *Omnis utriusque*, subdit: *Ubi praecipitur, ut si quis ex iusta causa velit confiteri alieno, id non faciat, nisi de licentia proprii.*

Becanus *de Sacram.* cap. 38. q. 7. n. 2.: *Praeceptum est, ut quisque confiteatur proprio sacerdoti, vel alieno de consensu proprii... Hoc sensu definivit Tridentinum..., absolutionem nullius esse momenti quam sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Vides quomodo *consensus* aequipolleat *delegationi iurisdictionis?*

Laymann *de Poenit.* c. 10. n. 9.-10 de peregrinis docet, *ex tacita Ordinariorum voluntate* eos posse absolvi.

Et Roncaglia *de Poenit.* q. 7. c. 2. q. 2.: *Potestas absolvendi... subditos alterius Episcopi fundatur in tacito consensu Praelatorum..., ut proprii subditi etiam extra dioecesim absolvantur.*

Et Salmanticenses *de Poenit.*, c. 11. n. 53. et ipsi statuunt, peregrinos absolvi posse *spectata consuetudine et tacita suorum Pastorum consensione.*

Et Filliuccius tr. 7. c. 9. non modo statuit n. 195. quod peregrini *possunt confiteri ex tacita licentia parochorum*, sed clare edisserit n. 227.-228., quod *cui datur facultas eligendi confessorem, facta electione, Christus* PER PASTORES *dat iurisdictionem illi Confessario.*

Et Palaus tr. 3. disp. 6. p. 7. §. 2. n. 6.; *Ordinarius loci, etsi possit forensibus et peregrinis... Sacramentum poenitentiae ministrare, id habet ex concessione proprii Ordinarii.* Quae repetit tr. 23. p. 13. n. 12.

Et Esparza lib. 10. q. 93. art. 3.: *Ratio Ordinis Hierarchici in Ecclesia Dei postulat, ut unusquisque Ordinarius habeat iurisdictionem fori etiam interioris contentam intra limites suae dioecesis ita, ut nemo immiscere se valide possit quoad actus iuridicos circa oves alterius, seu circa subditos pertinentes ad alium in spiritualibus* PRAETERQUAM DE EIUS CONSENSU ET DELEGATIONE.

Et ne inutili labore plures heic congeramus, videsis Schmalzgrueber lib. 5. tit. 38. n. 38., et Wiestner, qui lib. 5. tit. 38. n. 57. rationem reddit, *quia absolutio sacramentalis est actus seu sententia iudicialis... Natura autem et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, cum a non suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi* et Pirhing, qui lib. 1. tit. 31. n. 147. ideo negat advenarum confessiones excipi posse *sine consensu expresso vel tacito proprii illorum parochi; cum absolutio sit actus iudicialis, qui nec licite nec valide exerceri potest in eum, in quem sacerdos ordinariam vel delegatam iurisdictionem non habet.*

383. Et digna, quae advertantur, sunt verba, quibus idem Pirhing eandem doctrinam lib. 5. tit. 38. n. 35. sic exprimit: *Neque dioecesanus absque consensu Ordinarii sui potest se subiicere iurisdictioni pastoris non sui.* Sunt nimirum, qui putent, quaestionem sensu contrario solvi posse, adstruendo, advenam eo ipso fieri alterius subditum, quod per confessionem ipsi, utut extraneo, se submittat. Parum scilicet isti advertunt, *conferre iurisdictionem* ex DD. sensu perinde esse ac cuipiam *subditos assignare.* Quid vero absurdum magis, quam a poenitente iurisdictionem conferri eo solum, quod subditum sacerdoti se praestet? Non ita sane Theologi. Unde Melchior Canus *Rel. de Poenit.*, p. 6., scite advertit, eum tantummodo, *qui habet facultatem a proprio sacerdote, praestare se subditum confessori quem eligit.* Idipsum a Francisco de Victoria notatum vidimus sup., dumtaxat *recipienti facultatem eligendi, dari potestatem subiiciendi se, cui voluerit.* Quocirca etiam Engel *Man. Paroch.* p. 3. c. 2. n. 6. monuit, eatenus posse quempiam sacerdoti alieno se subiicere, quatenus Ordinarius proprius *potest ipsi subdito licentiam dare, ut alterius iurisdictioni se submittat.*

384. Ceterum quousque sese porrigat necessitas consensus Ordinarii, ut ratione iurisdictionis valida sit confessio cum extraneo, nihil ostendit luculentius quam doctrina Auctorum, negantium videlicet validitatem, si Superioris consensus desit.

Ita breviter Lugo disp. 19. n. 7.: *Qui peregrinantur et iter faciunt, possunt iam ex voluntate tacita suorum Pastorum confiteri etiam Parocho illi, quem in eo loco inveniunt, in quo sunt; dum tamen ex industria non discesserint a suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiterentur.*

Et Suarez disp. 25. sect. 2. n. 9.: *Advertere oportet, necessariam hîc esse bonam fidem; nam si quis ad hoc tantum iter ageret, ut haberet occasionem confitendi alteri et non proprio sacerdoti, iam illa non esset necessitas, sed voluntas et non esset iuxta intentionem pastorum nec iuxta consuetudinem Ecclesiae et ideo non esset valida confessio.*

Et Palaus tr. 23. punct. 13. n. 12.: *Si ad hoc tantum iter susciperes, ut alteri confiteri posses vitaresque confessionem faciendam proprio parocho, uti non posses praedicto privilegio et facultate: quippe... non ex tacito consensu proprii parochi habitas (?), neque Ecclesiae intentioni te conformas.*

Et Bonacina *de Poenit.* disp. 5. q. 7. punct. 2. n. 6.: *Itaque qui solum ad hunc finem iter agit, ut evitet proprium parochum et alteri confiteatur, non potest valide confiteri coram parocho vel sacerdote illius loci, ad quem pervenit, ut bene observant Coninck, Vasquez, Suarez, Reginaldus et alii recentiores.*

385. Hactenus tradita videntur satis clara et demonstrata. Quid ergo est, quod Vindices s. Alph. hanc antithesim statuerunt: *Immerito asseritur, instar axiomatis penes omnes haberi doctrinam, quod iurisdictio dari debeat a Superiore eius, qui absolvendus est?* Num vel unum saltem auctorem protulerunt, aut proferre pro eiusmodi thesi potuerunt?

Sed, inquies, ratione thesim confirmant. Utique rationem afferunt pag. 525.: at talem afferunt, quae palam facit, solidam omnem prorsus deesse ipsis rationem. Sic nimirum arguunt: *Ex Constitutione Innocentii XII. a Benedicto XIV. confirmata, Confessarii tam seculares quam Regulares, quicumque illi sint... nullatenus confessiones audire valent sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt et Confessarios eligunt... Nec ad hoc suffragatur approbatio semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum dioecesium obtenta, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios approbassent, subditi forent. Atqui, ut inquit Gury, nunc Episcopi iurisdictionem simul cum approbatione tribuunt... et hinc iurisdictio usu communi etiam approbatio dicitur. Ergo nullus Episcopus Confessarios in alicna dioecesi delegare potest, ut dioecesanos suos a peccatis absolvant...*

Resp. Erit, ut videtur, qui nexum inter praemissas et conclusionem huius argumenti desiderandum censeat. Proinde putabit respondendum: *Conc. Maiorem, Concedo Minorem* vel *Transmitto: Nego Consequens et Consequentiam.* Alius vero, concessa *Maiori*, sic *Minorem* distinguet: *Nunc Episcopi simul cum approbatione tribuunt iurisdictionem*, Dist. tribuunt *iis qui ea indigent*, Transeat: *iis quoque qui non indigent*, cuiusmodi v. gr. sunt Regulares, Subdist. quasi ad ministerium absolvendi *sit iis necessaria*, Nego; quia iurisdictionem Regulares non ab Episcopo, qui eos approbat, sed a Sede Apostolica habent; ad *abundantiam*, Transeat. — Sed alius alio etiam modo minorem distinguet ita: *Nunc Episcopi simul cum approbatione tribuunt iurisdictionem*, Dist.: iurisdictionem *in subditos suos*, Concedo, vel Transeat; iurisdictionem *in eos, qui iis non sunt subditi*, cuiusmodi sunt advenae alterius dioecesis, Nego. Nam Episcopi in eos, qui non sunt illis subditi, iurisdictionem nullam habent; ergo non possunt eam aliis tribuere; quia nemo dat, quod non habet.

Proinde Reiffenstuel tr. 14. dist. 1. q. 1. n. 15. ut probet, Regulares exemptos non ab Episcopo eos alioquin approbante, sed a Sede Apostolica accipere iurisdictionem, sic arguit: *Accedit ratio, quia Episcopus loci tam amplam iurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium undecumque venientium, eosque..... absolvendi dare non potest.* Et

Laymann ad probandum, Regulares indigere etiam suorum Praelatorum consensu seu commissione ita scribit lib. 5. tr. 6. cap. 10. n. 19.: *Bene Ludov. Miranda, admonet, Sacerdotes Religionum Mendicantium ad dictam facultatem consequendam, praeter approbationem Episcopi, opus habere consensu Praelati vel Capituli iuxta cuiusque Ordinis consuetudinem: siquidem Episcopus tam amplam iurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium undecumque accedentium eosque... absolvendi, dare non potest; sed eam Confessarii Mendicantium Ordinum a Summo Pontifice cum dependentia a consensu et voluntate Praelatorum suorum accipiunt.*

386. Ad tollendam itaque confusionem heic a VV. inductam, apte distinguantur quae ad approbationem et quae ad iurisdictionem pertinent. Approbatio Episcopi, in cuius territorio fit confessio, est quodammodo conditio, qua sacerdos fit capax accipiendi et exercendi iurisdictionem, a quocumque demum ordinariam habente haec illi delegetur; neque enim necesse est, ut idem sacerdos ab iis omnibus approbetur, qui iurisdictionem ipsi delegare velint. Ita Praelatus Regularis facultatem tribuens religioso subdito, ut confiteri possit sacerdotibus secularibus ab Ordinario loci approbatis, ipse, non autem Episcopus, hisce iurisdictionem delegat, eos autem non ipse, sed Episcopus approbat. Ita sacerdos a Praelato Regulari deputatus ad excipiendas confessiones Monialium ab iurisdictione Episcopi exemptarum, iurisdictionem non ab Episcopo, sed a Regulari Praelato habet, approbationem vero non a Praelato Regulari, sed ab Episcopo habere debet. Et id ipsum, uno verbo, contingit, quando agitur de exemptis ab Episcopi iurisdictione, qui alioquin approbatum a loci Episcopo eligere debeant. Et cum *exemptorum*, seu *non subditorum* duplex sit genus; nam alii tales sunt *ratione Privilegii*, licet domicilium in territorio Episcopi habeant, uti v. gr. Regulares; alii vero tales sunt *natura sua*, seu *separatione territorii*, cuiusmodi sunt subditi alterius dioecesis; eadem quoad istos omnes regula valet. Hinc illud Suarez *de Relig.* tr. 10. lib. 9. c. 2. n. 9.: *Unde constat, posse Confessorem* (e Mendicantibus) *hic residentem et a solo Praelato huius dioecesis approbatum, audire confessiones omnium, qui huc ad ipsum venerint etiam ab aliis Episcopatibus, etiamsi ab Episcopis eorum... approbationem talis Confessor non habeat.*

Concludamus igitur, thesim hanc: *instar axiomatis habendum, quod iurisdictio dari debeat a Superiore eius, qui absolvendus est*, pro se habere doctrinam manifestam Ecclesiae in Conciliis Oecumenicis definitam et simul unanimem catholicae scholae sententiam; oppositam vero nullo aut auctoritatis aut rationis praesidio, ne specie quidem tenus, fulciri.

387. Quocirca Bonifacii VIII. definitio, quae negat, induci posse consuetudinem, ut quis, absque sui superioris licentia, absolvi possit ab eo, quem ipse elegerit, est immutabilis; non enim est decretum iuris alicuius mere ecclesiastici, contra quod induci decursu temporum possit contraria consuetudo. Curnam autem? Quia nimirum praxis, contra quam negat consuetudinem ullam posse invalescere, sanctio videlicet Oecumenicorum Conciliorum Lateranensis, Florentini et Tridentini, non iuris ecclesiastici sanctio quaepiam est, sed iuris divini institutio. Ita sane Suarez *de Poenit.* disp. 27. sect. 3. n. 5. *Respondetur, eligere Confessorem sine licentia proprii Episcopi repugnare* IURI DIVINO *et ideo significasse Pontificem* (Bonifacium VIII.) *in illo textu (c. Si Episcopus) non posse consuetudinem praescribere contra hoc ius.*

Neque vero obscura ratio est, cur iuris non humani sed divini dicenda sit haec institutio ac praxis. Quis enim ignorat, divinam Christi Domini institutionem esse, ut Sacramentum poenitentiae per modum iudicii administretur? Exinde Synodus Tridentina sic arguebat, sess. 14. cap. 7.: *Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Et cum Ecclesia nihil se posse testetur circa ea, quae a Christo Ecclesiae Auctore constituta sunt, quaelibet autem consuetudo vim habere nequeat nisi ab Ecclesiae per consensum legalem auctoritate, manifestum est, nunquam induci consuetudinem posse, quae Ecclesiae potestatem excedat, cuiusmodi plane est et ista a VV. inducta.

Apposite et plane ad rem Dominicus Soto Tridentinus Theologus in 4. dist. 18. quaest. 4. art. 2. concl. 1.: *Necessarium est confessionem atque ad eius essentiam requisitum, ut fiat proprio sacerdoti, aut cui ipse commiserit.* Hinc de Canone Lateranensis Concilii subdit: *Numquam confessionem ad proprium sacerdotem perstrinxisset, nisi id intellexisset esse divini iuris semperque adeo in Ecclesia observatum... Unde Bonifacius (cap. Si Episcopus). Nulla, inquit, potest consuetudine induci, quod aliquis praeter superioris sui licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui cum possit solvere vel ligare. Quod autem nulla consuetudine abrogatur, ius est divinum aut naturale.* Et hinc eadem ratiocinatio: Ecclesia enim nihil potest circa sacramenti essentiam; ergo consuetudinem probare non potest, quae essentiam sacramenti pessumdet.

Huc faciunt et illa Vasquez in 3. p. q. 93. art. 2. dub. 2. nn. 5.-6.: *Cum supra dictum sit, consuetudine introduci non posse, ut quis alieno confiteatur sine licentia vel consensu proprii, ut habetur in c. Si Epi-*

scopus, inde probamus esse de iure divino, cum consuetudine contrarium introduci non possit... Unde colligitur, non esse de lege humana confiteri proprio (sedulo attendatur ratio); *quod non tantum consensu Pontificis, qui legem tulisset, introduci posset consuetudo contraria, sed etiam consensu inferioris tacito... Cum sit iuris divini ex consensu illius* (Ordinarii scilicet) *aut Superioris confiteri* (alieno), *non potest praescribi; secus, si non esset iuris divini.*

388. Heic autem praestat sedulo inspexisse, ut ad 2^m^ quaestionem accedamus, quaenam in hoc negotio partes sint consuetudinis; ex quo palam fiet, quomodo duo illa amice concilientur, nimirum et quod Doctores de advenarum confessionibus agentes, communiter ad consuetudinem appellent et nihilominus servetur, quod nulla consuetudine introduci possit, ut praeter Superioris sui licentiam aliquis Confessorem eligere possit, a quo valeat absolvi.

Breviter et simul clarissime rem proposuit Caietanus (vid. sup. n. 381.), ubi disserens de implicita confitendi licentia, quam Ordinarius tacito consensu tribuit etiam viatoribus, concludit: *Tacita Episcopalis licentia robur dat absolutionibus et consuetudo non concurrit nisi ut testis licentiae implicitae.* Non ergo consuetudo iurisdictionem tribuit, sed indicium est taciti consensus, seu licentiae implicitae Ordinarii, unde iurisdictionis electo Confessario delegatio accedit.

Fusius haec ita explicat Suarez disp. 27. sect. 3. n. 4.: *Semper necessarium est, ut interveniat aliqua sufficiens significatio consensus Superioris, ad quam significandam potest iuvare consuetudo. Quod recte declaratur exemplo* (et hoc est exemplum, quod allatum etiam a Caietano iam vidimus) *de sacerdotibus, qui ex consuetudine solent eligere Confessorem; nam quia illi solent frequenter confiteri, ideo onerosum erat parochis omnes audire et ideo facile consenserunt, ut inter se invicem confiterentur: qui consensus non revocatus, consuetudine quasi continuatur et ipsa consuetudo indicium est eiusdem consensus.* Quia tamen licentia semper a voluntate pendet Superioris et exemptio ab hoc Superioris saltem tacito consensu esset contra ius divinum, ideo Suarez addit l. c. n. 6.: *Ex quo infero, facultatem hanc* (eligendi scil. Confessarium) *consuetudine obtentam talem esse, ut semper pendeat a voluntate proprii sacerdotis: ita ut non obstante consuetudine semper sit in eius potestate illam revocare, si velit: quia talis consuetudo formaliter ac directe esset contra ius divinum, quandoquidem ex vi illius posset subditus Confessorem eligere, proprio sacerdote reclamante.*

Eodem, ac Caietanus ac Suarez, modo doctrinam Ecclesiae sic proponit Valentia tom. 4. disp. 7. q. 10. punct. 2.: *Est autem hic notandum*

(inquit), *consuetudinem... ea demum ratione valere, ut quis iurisdictionem ad audiendas confessiones acquirat, quia cum illam sciente et tacente Superiore obtinet, eo ipso consensus etiam Superioris tacitus intervenire censetur. Qua ex re... intelligitur, non pugnare cum iis, quae de consuetudine diximus, Capitulum si Episcopus de Poenit. et Remiss. in 6°, ubi dicitur nulla posse consuetudine introduci, ut quis sine licentia sui Superioris eligat Confessarium. Quae enim nos hactenus diximus, intelligi debent de consuetudine, cum qua concurrit tacita saltem facultas Superioris, scientis et non prohibentis... Capitulum autem illud loquitur de nuda consuetudine, ad quam non accedat ille consensus saltem tacitus Superioris; ut si forte constaret, ipsam consuetudinem Superiori displicere. Tunc enim per illam nequaquam acquiri iurisdictio potest. Atque ita ad hoc capitulum respondet bene Io. Medina et Sotus.* Et haec rursus conferat lector cum iis, quae ex VV. sup. n. 385. retulimus.

Nec aliter Io. Marinius *Theol. Spec. et Moral.* tr. 22. disp. 10. sect. 1. n. 17.: *Praelati censentur conferre iurisdictionem electis (confessariis), dum videntes silent: ideoque haec iurisdictio non manat ex consuetudine, sed ex legitima concessione Praelati et continuatur ex vi talis concessionis non revocata a successoribus. Unde consuetudo, proprie loquendo, non dat facultatem eligendi Confessorem, sed est signum concessae ex virtute consensus taciti Superioris perseverantis. Ex quibus deducitur, Praelatum, ex cuius tacito consensu continuatur consuetudo, posse pro lubito suo, expressa contraria voluntate, illam abrogare et penitus abolere, quin praecedens consuetudo possit ullo modo praevalere.*

Et Filliuccius tr. 7. cap. 9. n. 233.: *Quaero, quibus concessa sit facultas eligendi Confessorem ex sola consuetudine. Respondeo et dico primo, consuetudinem per se sumptam non posse tribuere facultatem eligendi Confessorem sine licentia proprii. Ratio est, quia id esset contra ius divinum... Potest tamen esse signum sufficiens facultatis concessae a pastoribus et nunquam revocatae, sed per tacitum consensum perseverantis.*

389. Hanc Ecclesiae doctrinam perspicue proponit etiam Augustinus Michel e Can. Regul. in sua Theologia edita an. 1712. Augustae et Card. Sacripante dicata, ubi tr. 4. p. 2. q. 2. sect. 2. nn. 26.-29. de diversis modis delegandi iurisdictionem agens, inter has et de indirecta delegatione vi consuetudinis excipiendi peregrinantium confessiones sic disserit: *Licet spectato iure communi a Parocho licentiam (peregrinantes) postulare deberent; a generali consuetudine demonstrante universalem Ordinariorum facultatem, habent, ut etiam sine ea non solum*

Regularibus Privilegiatis (qui nempe a s. Pontifice iurisdictionem pro omnibus Christi fidelibus habent), *sed cuivis alteri in loco itineris exposito sacerdoti confiteri queant: dummodo bona fide et non in fraudem declinandi Ordinarium peregrinentur.* Sibi dein obiicit ibid. n. 29.: *Dices tamen: in cap. Si Episcopus 2. de Poenit. et Remiss. in 6° expresse definit Bonifacius VIII., nulla consuetudine posse introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* — Et respondet ibid.: *Respondeo, huic obiectioni nos obviasse per verba* « demonstrante universalem Ordinariorum facultatem », *quibus non tam consuetudini hanc licentiam, quam voluntati Ordinariorum tribuimus, ita tamen, ut voluntatis huius attestatrix sit consuetudo generalis.*

Audiendus et Reginaldus tantopere a s. Francisco Salesio laudatus, qui lib. 1. n. 77. ita de viatoribus communem exponit Ecclesiae doctrinam: *Quarta propositio est, viatores, qui prius domicilium retinere statuunt, si absint a suis domiciliis de licentia suorum Parochorum aut Episcoporum, censendos esse licentiam tacitam habere confitendi alieno, sicut ante* n. 68. *de peregrinantibus dictum est... Quia his quoque sui Superiores... tacitam confitendi licentiam dare merito censentur, tanquam de necessariis ad vitae spiritualis sustentationem, curantes per alios providere suis, quibus non possunt per se in eorum absentia.*

Quoad consuetudinem vero confitendi alibi alieno, sic idem Reginaldus l. c. n. 74.: *Quod attinet ad consuetudinem, ea, ut recte monet Caietanus V. Absolutio 2., nec dat iurisdictionem. Id enim satis constat ex eo, quod in c. Si Episcopus de Poenit. et Remiss. in 6° dicitur, nulla posse consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare. Itaque consuetudo tantum est testis tacitae licentiae a proprio sacerdote sufficienter concessae nec revocatae, sed, prout continuatio consuetudinis ostendit, continuatae cum ipsius tacito consensu. Accedit, quod delegare iurisdictionem sit Superioris habentis ordinariam, non autem subditorum ipsius, quorum est consuetudo. Id quod Suarez plenius tractans, inde infert, iurisdictionem consuetudine obtentam semper pendere a voluntate sacerdotis, ita ut non obstante consuetudine semper sit in eius potestate eam revocare, si velit.*

390. Locus non patitur, quod plura afferantur. Sed non omittenda ea sunt, quae habet Coninck, ubi disp. 8. dub. 5. n. 32. quaerit, *Utrum iurisdictio possit consuetudine obtineri. Videtur enim* (inquit) *id fieri posse ex* cap. *cum contingat* 13. *De foro compet.; contra vero facit quod dicitur.* c. 2. *de Poenit. in 6°. Nulla quoque potest consuetudine introduci* etc.

Subdit deinde sequentes Conclusiones. *Conclusio I.* n. 33.: *Qui non habet iurisdictionem, non potest eam acquirere, nisi ei vel detur ordinaria, vel alia delegetur ab eo, qui id facere potest.*

Concl. II. Ut quis alteri valide iurisdictionem deleget, debet sciens, quid agat, id velle facere saltem implicite... et hanc voluntatem externo aliquo signo sufficienter exprimere, ut alteri possit innotescere.

Concl. III. n. 37.: *Consuetudo nunquam dat iurisdictionem, quando usurpatur insciis iis, qui illam dare possunt.*

Concl. IV. n. 38.: *Consuetudo, quae exercetur Superiore aperte conscio et non contradicente cum facile possit, dat iurisdictionem non ratione sui, sed ratione taciti consensus et approbationis ipsius Superioris.*

Exinde duo haec corollaria deducit n. 39.; *Ex quibus patet 1., posse fieri, ut haec consuetudo initio incipiat per confessiones invalidas ob defectum iurisdictionis, antequam Superiorum non prohibitio sit sufficiens signum, eos consentire et postea efficiat, ut sequentes confessiones validae sint, postquam illa non prohibitio est sufficiens signum consensus.*

Patet 2., iurisdictionem consuetudine acquisitam semper pendere a voluntate Superiorum, quorum auctoritate sive tacito consensu fuit introducta. Quare tam ipsi, quam eorum successores semper possunt eam revocare.

391. Itaque (ut denique concludamus) quod in hac materia tenendum est et quidem non tanquam Scholae opinio quaepiam, sed ut certa Ecclesiae doctrina, innixa naturae et essentiae huius sacramenti, prout hanc oecumenica Concilia ac Sedes Apostolica proposuerunt et sollemniter definiverunt, ad haec capita reducitur: 1° Iurisdictio ad advenam absolvendum delegetur, necesse est, ab eo qui ordinariam et quidem ordinariam in ipsum advenam habet iurisdictionem. 2° Consuetudo, qua advenae confiteri solent extra propriam dioecesim, non confert, neque conferre potest hanc iurisdictionem. 3° Iurisdictio acquiritur ex approbatione seu consensu (expresso, vel tacito) seu licentia (explicita vel implicita) Ordinarii seu proprii advenarum sacerdotis. 4° Ista approbatio seu consensus importat delegationem iurisdictionis factam Confessori, quem advena elegerit. 5° Sufficiens huius consensus indicium est consuetudo, quae sciente et tacente proprio sacerdote servatur. 6° Ab hoc autem consensu ita pendet iurisdictionis delegatio, ut in potestate ac voluntate proprii pastoris sit eundem consensum revocare atque adeo tum consuetudinem abrogare, tum iurisdictionem ad suum subditum absolvendum penitus adimere. 7° Ex eo, quod verum sit, Romanum Pontificem probare inductam consuetudinem; non est tamen consequens, ita rem concipiendam esse, ut is velit, indepen-

denter a consensu Episcopi, conferre iurisdictionem; cum e contrario ea consuetudo hunc supponat, ut audivimus a Theologis. Quanquam ergo non negemus: Papam potuisse iurisdictionem conferre, independenter a consensu Episcoporum: ad factum tamen quod spectat, nulla est ratio cur id affirmemus: sed censere licet, etiamnum iurisdictionem conferri ab Episcopis poenitentium, cum generatim Episcopi in id consentiant, ut testatur consuetudo.

392. Neque vero existimandum est, hisce adversari theologorum aut Canonistarum haud infrequens assertum, quod iurisdictio acquiri per consuetudinem possit. Diversum sensum, quo affirmari id solet, sic Caietanus v. *Absolutio* 2. in fin. explicat: *Consuetudo non eligendi Confessorem, sed habendi curam animarum praescripta, operatur, ut Cardinales curam habeant familiae suae et de eorum licentia sui familiares confiteri possint, cui velint; quam quicumque alii huiusmodi curam habentes possint similiter absolutionis beneficium per se vel per alium impertiri: potest enim huiusmodi iurisdictio non minus quam aliae haberi ex praescripta consuetudine.*

Eadem de re sic Henricus Pirhing. lib. 5. tit. 38. n. 36.: *Non potest subditus, seu parochianus vi consuetudinis, acquirere potestatem eligendi sibi Confessarium, sine licentia Superioris sui, nec quidem per consuetudinem longissimi temporis, vel etiam immemorialis* cap. 2. *de Poenit. et Remiss. in 6°, neque etiam praescribere tale ius... Potest tamen Praelatus, vel alius in dignitate constitutus, v. gr. Archidiaconus, praescribere seu per consuetudinem legitime praescriptam acquirere curam animarum in parochianos alterius et sic fieri proprius sacerdos et audire confessiones eorum. Unde cum in citato Cap. Si Episcopus 2. De Poenit. et Remiss. in 6°, dicitur, per nullam consuetudinem introduci posse, ut quis sine licentia proprii parochi vel pastoris, alium Confessarium sibi eligat, subintelligendum est, nisi sacerdos per diuturnam consuetudinem acquirat iurisdictionem absolvendi subditos seu parochianos alterius.* Nihil ergo ad rem nostram pertinet, quod de iurisdictione per consuetudinem acquirenda DD. disputare solent.

XCVIII. 7. Valide absolvit is, qui audit confessiones, praesente vel sciente et non contradicente Ordinario, verbi gratia, Episcopo vel Parocho, cui constet, eum aliunde non habere iurisdictionem; quia tunc praesumitur tacite eam dare: sufficit enim, ut recte docet Fill. et Facund. praec. 2. l. 7. c. 2. facultas interpretativa et praesumpta, modo praesumptio fundetur in signis, quae indicent consensum praesentem, ut fit in casu posito (uti etiam verbi gratia, si parochus, qui iam absens est, alias significaverit id sibi gratum esse); nam existimatio de futuro consensu vel ratihabitione, quod scilicet quando resciverit, futurus sit contentus, non sufficit; quia consensus futurus non dat iurisdictionem pro tempore praesente, quo datur absolutio. V. Dian. p. 3. t. 4. r. 68. Sanchez *de Matr.* l. 3. d. 35. Bec. Con. qui addit peccare, si de consensu dubitans incipiat audire.

393. Conditiones necessariae sunt, 1º ut ratihabitio sit de praesenti; 2º atque adeo, ut Episcopus sciat, eum aliunde non habere iurisdictionem.

Notula, quae subiicitur *de Parocho*, non retinenda simpliciter. Haec enim dicuntur iuxta doctrinas post recentiora decreta antiquatas: nisi agatur vel de approbato non habente iurisdictionem, v. gr. regulari (qui iurisdictionem limitatam habet a suis Superioribus), vel de habente beneficium parochiale in alia dioecesi, vel de parocho eiusdem dioecesis in sententia eorum, qui eius iurisdictionem constringunt ad gregem ipsius, seu parochiam.

Aliam notulam interserit s. Alph. n. 570. his verbis: « Quare consensus mere internus non sufficit ». Sed non est ad rem. Quia ipsa taciturnitas in casu est signum sufficiens consensus.

Denique non habet Coninck, quae Auctor in fine addit; sed Coninck ait, peccare, si incipit audire, *nondum conscio Superiore* etc. (*de Poenit.* disp. 8. dub. 5. n. 36.). Alioquin de dubio agitur in resol. sequenti.

XCIX. 8. Peccat, qui absolvit cum iurisdictione dubia, nisi necessitas urgeat: qualis est v. g. quia poenitens diu non est confessus vel debet communicare, nec alius adest: tunc enim licite absolvit cum conditione hac, si possum et cum onere (etsi Salas in 2. tr. 8. a. 1. hoc onus non agnoscat) alias iterum confitendi habenti iurisdictionem certam. Expedit autem tunc veniale aliquod adiicere, a quo directe et a ceteris indirecte saltem absolvatur. Ita Regin. Suar. Conin. d. 8. dub. 5. n. 43. Quod si tamen ex probabili ratione dubium resolvat, nimirum habere se iurisdictionem, etsi cum formidine oppositi, absolute absolvit licite, ut docet Suarez et Praepos. Lugo d. 19. n. 49. tum quia tunc practice et moraliter est certus, tum quia Papa eo casu dat facultatem, uti et in sequentibus casibus. 1. Quando communi errore, verbi gratia ob titulum coloratum, putatur aliquis esse Pastor seu habere iurisdictionem, qui non est, ob censuram vel alium defectum. Bon. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 11. Dian. par. 3. tr. 4. res. 22. Quod etiam, si desit titulus coloratus, probabile esse docet Dian. par. 3. tr. 4. res. 122. ex Pontio, Molfes. et Sanch. Item par. 2. t. 2. misc. resp. 43. si quis bona fide tali confiteatur: verum id communiter ab aliis negatur. 2. Cum quis ex consuetudine, praescriptione aut bona fide absolvit aut nescit potestatem suam revocatam, ut habent Silvest. Navar. Henriq. Mald. in 2, p. q. 10. a 5. Sanchez. *Mor.* l. 1. c. 9. n. 35. Sal. Vasq. Vide Dian. p. 2. t. 13. res. 1. 3. Quando secundum probabilem sententiam iudicatur quis habere iurisdictionem et Sacerdos sequitur favorabilem. Bonac. l. c. quia quando communis est error, Ecclesia dat iurisdictionem propter publicam utilitatem. Vid. Suar. Dian. ll. cc. Card. de Lugo d. 19. n. 28. seqq.

394. Agitur in hac resolutione de eo, qui dubitat de iurisdictione sibi delegata. Porro cum dubium duplex esse possit, *negativum* et *positivum*, hinc et resolutio duas habet partes.

Oportet, inquit Suarez *de Poenit.* disp. 26. sect. 6. n. 1., distinguere dubium proprie dictum, quod est pure negativum, quia in neutram partem potest iudicium determinari per iudicium *positivum et probabile*, sed suspensus est et anceps, et dubium improprie dictum, solum

ratione formidinis; quamvis determinate possit ferre iudicium *probabile*, licet incertum, in quo potest esse latitudo et varietas; quia potest utraque pars iudicari aeque probabilis, vel una probabilior, quamvis altera sit probabilis et e converso: vel denique una tantum probabilis, quia non evidens neque certa, quamvis opposita fundamentum probabilitatis non habeat ». Ita distinguit et Lugo *de Poenit.* disp. 19. n. 28.

Auctor prius de iurisdictione *dubia* (scil. *negative*), deinde de *probabili.*

Exempla iurisdictionis dubiae habes v. gr. in eo, qui non recordatur certum tempus datae sibi facultatis atque adeo haeret, an illud iam elapsum sit: vel in eo, qui non recordatur, an aliqua censura vel peccatum sit reservatum, pro quibus facultatem non haberet.

Certum est, non licere absolvere cum iurisdictione dubia; quia obiicitur sacramentum periculo nullitatis et sic etiam poenitens damno gravi per se (s. Alph. n. 571.). In necessitate tamen gravi licere hoc sacramentum cum iurisdictione dubia administrare, conceditur communiter: s. Alphons. l. c.

Porro quoad necessitatem, ratione cuius potest quis absolvere cum dubia iurisdictione, plures casus ex s. Alphonso n. 571. habetis in subiecta notula. Nimirum si urgeat periculum mortis, si urgeat praeceptum annuae confessionis: si poenitens nequeat, citra infamiam, omittere celebrationem vel communionem: si sacerdos teneatur celebrare ex obligatione. At supervacuum erat accensere illis casum, quando urget periculum mortis: nam tunc (ut in hanc rem advertit Suarez disp. 26. sect. 6. n. 3.) omnes etiam simplices sacerdotes certe ab Ecclesia habent iurisdictionem.

Heic autem advertit Coninck *de Poenit.* disp. 8. dub. 5. n. 47., « quo probabilius est, sacerdotem habere iurisdictionem, eo minorem necessitatem sufficere, ut licite absolvat ». Verum haec ad iurisdictionem *probabilem* magis spectant. Et haec animadversio Coninck valet solum pro iis, qui *exigunt causam* ad absolvendum cum probabili iurisdictione.

395. Doctrina, quod dubio exsistente liceat in necessitate absolvere, est communis illa, iuxta quam, ut proximo subveniatur, meliori quo potest fieri modo, licet alia quoque sacramenta administrare cum materia dubia. Et idcirco DD. statuunt, in hoc casu absolvendum esse sub conditione tacita vel expressa.

Ratio vero, cur onus supersit confitendi ea peccata alteri habenti certam iurisdictionem est, quia certe debent subiici clavibus. Ex quo patet, iurisdictionem non suppleri ab Ecclesia: perinde scil. est, ac si baptizasses materia dubia. Ceterum s. Alph. n. 571. ait: « Probabiliter censent Suarez disp. 26. sect. 6. et Salm. cap. 11. n. 72. cum Aversa,

in iis casibus poenitentem non teneri ad confessionem, sed tantum ad contritionem ».

Quod vero addit cum Busemb. s. Alphonsus non imponendum hoc onus, ex Salas in l. 2. tract. 8. disp. unic. sect. 10. n. 33., non facit ad rem; tum quia Salas loquitur de praecedenti confessione informi (qui non est casus noster), tum quia loquitur de iurisdictione, seu potius de dispositione *probabili*, quod pariter ad rem nostram non facit.

Auctor addit, tunc expedire, ut adiiciatur aliquod veniale, a quo directe et a ceteris indirecte poenitens certius absolvatur.

Haec dicuntur secundum doctrinam, de qua superius sub §. LXXVII., quod quilibet sacerdos etiam non approbatus possit absolvere a venialibus.

Et forte hic casus non comprehenditur Decreto prohibente Innocentii XI. de quo l. sup. c.

Admissa autem hac doctrina, non esset verum, quod a s. Alphonso dicitur, poenitentem teneri ad *contritionem*, qua suppleatur dubio valori absolutionis. Nam in hac hypothesi *indirecte* utique, sed tamen vi absolutionis sacramentalis delerentur peccata gravia; licet remaneret onus illa iterum subiiciendi clavibus, uti dicimus de peccatis reservatis confessis apud sacerdotem non habentem pro iis facultatem.

396. Quod liceat administrare sacramentum poenitentiae cum iurisdictione *probabili*, s. Alphonsus n. 573. appellat doctrinam *communem*. Et adversantur soli *Concina*, *Antoine*, *Elizalde* apud s. Alph. l. c.; quia ex prop. 1. Innoc. XI. non licet uti opinione probabili in Sacramentorum administratione etc. Sed practice certa est iurisdictio; quia certe Ecclesia supplet.

Et sane s. Doctor rationes potissimas, quas Viva *de Iubilaeo* q. 3. art. 2. n. 4.-6. scite explicat, has affert. 1° Quia Ecclesia videt et scit, passim cum probabili iurisdictione absolvi atque adeo ex ratihabitione de praesenti in id consentit et idcirco supplet et ratum habet. Est enim tacita ratio conferendi iurisdictionem, cum Superior scit et videt administrari sacramentum et, cum facile possit reclamare, tamen tacet. Sic olim tacita hac collatione iurisdictionis utebantur v. gr. sacerdotes aut canonici, ut invicem confiterentur, quando ante Tridentinum necessaria non erat approbatio. 2° Quia consuetudo absolvendi cum iurisdictione probabili est prope universalis in Ecclesia, ut communiter DD. testantur nec negant adversarii. Atqui ipsa consuetudo iurisdictionem confert, ut omnes concedunt. Ergo.

397. S. Alphonsus tamen n. 573. dicit, se amplecti tertiam quandam sententiam, quae cum praecedenti tenet, licere absolvere cum

iurisdictione probabili, sed ad id requiri causam gravis necessitatis aut magnae utilitatis aut causam rationabilem.

Et rationem affert, quia licet Ecclesia ob bonum animarum censeri possit supplere iurisdictionem, tamen non praesumitur velle, nulla iusta causa accedente, connivere merae libertati sacerdotum. Ubi notandum, quod s. Alph. non de *validitate* agit, sed de liceitate: licet hic modus ratiocinandi adducat ad dubium de *validitate*. Ceterum Suarez, quem s. Alph. pro se allegat, in fine disp. 26. sect. 6. n. 9. utique concludit: « Semper tamen ego admonerem tam ministros quam poenitentes, ut certiori vel saltem probabiliori via uterentur, nisi aliqua causa gravis vel rationabilis urgeat »: sed ibid. n. 6., praemiserat: « Arduum tamen est et praeter consuetudinem etiam timoratorum virorum esse videtur, omnes homines ad hoc obligare scil. ut, si possit haberi, minister eligatur habens certam et indubitatam iurisdictionem ». Ergo falsum est, Suarez stare pro hac obligatione et prima illa verba non aliud continent quam merum consilium. Quae tamen consilia, per timiditatem et cautelam addita, plerumque sunt petra offensionis et *paulatim fiunt* leges ab iis, qui non considerant reliqua ab Doctore tradita.

Praeterea s. Alphonsus adducit pro ea sententia Sporer *de Sacr.* part. 3. n. 717. et Marchant *Tribunal Sacram.* tom. 1. tract. 2. tit. 3. q. 4. Sed isti in eam sententiam venerunt ob rationem, quam ipse s. Alphonsus n. 573. ad fin. 2^{ae} sententiae ceu falsam habet et reiicit, quasi nempe exponatur sacramentum periculo nullitatis, et quidem eadem falsa ratione motos fuisse Sancium et Bardi cum alio nescio quo, satis indicat Sporer l. c. Potius dic, hanc opinionem falso affingi Francisco Bardi, qui *de Consc.* discept. 4. cap. 17. hanc quaestionem tangit et ne verbum quidem habet de huius causae necessitate.

Idem dicito de Ioanne Sanchez *Disp. relect.* disp. 44. n. 3., qui nullum vestigium huius limitationis habet.

Eademque de causa nihil valet suffragium Elbel a s. Alph. ibid. allegati *Conferentia* 12^{a} n. 311., quippe qui eandem falsam rationem prae oculis habuit post Sporer et Marchant, quos citat cum iisdem Bardi et Sancio (sed falso), deceptus a Sporer.

Itemque falso allegatur a s. Alphonso (ibid.) pro eadem sententia Gobat: quippe qui *Theol. Experim.* lib. 7. n. 115. nullo iniecto verbo *de necessitate causae*, licitam absolutionem probat hoc ratiocinio: « Permulti DD. probabilissime negant, intervenire ullum heic delictum. Atqui non peccat coram Deo exercens actionem, quam probabilissima sententia negat esse periculosam ». Quando vero n. 120. dicit: « Peccabis absolvendo, nisi te excuset aliqua necessitas »: id dicit de dubio *proprie dicto* seu *negativo*, post Suarez quem allegat et expresse se dicit sequi.

Ergo tertia ista sententia neque rationum neque auctoritatis robore reipsa fulcitur.

Imo cum, fatente Suarez, *consuetudo* virorum timoratorum ferat, ut non imponatur necessitas praeferendi habentem certam iurisdictionem habenti incertam v. gr. ut eat ad Episcopum, quando solum probabile est, parochum posse absolvere a quopiam peccato; concluditur, aut consuetudinem valere etiam pro hoc casu, aut frustra urgeri consuetudinem ad probandum, absolutionem cum iurisdictione probabili generatim licere.

398. Ceterum Marchant tres enumerat casus, in quibus licitum putat usum iurisdictionis probabilis; unde Sporer *Theol. Sacram.* part. 3. n. 717. transscripsit et s. Alphonsus quinque deinde compegit.

1° « Itaque (inquit Marchant) ut bono poenitentis consulatur, ex. gr. quia indiget consilio, adiutorio, doctrina, solatio spirituali, singulari secreto nec expedit, ut qui certam habet iurisdictionem modo hic et nunc audiat ».

2° « Ut damnum evitetur, v. gr. ne complex in cognitionem (sc. Confessarii) veniat, aut poenitens in aliquam aversionem aut damnosam suspicionem Confessarii incidat. Item quia forte non confitebitur alteri aut integram confessionem non faciet ».

3° « In necessitate congrua, v. gr. quia implendum est praeceptum, aut indulgentia particularis lucrifacienda, aut quia timetur, non fore postea opportunum tempus confitendi etc. ». De quo tamen postremo casu solum concedit, quando non adsit alius certam habens iurisdictionem.

Porro vel hisce tantum admissis, cessaret iam maxima ex parte difficultas, quam iniicere potest tertia haec sententia a s. Alphonso invecta; non modo quia facile aderit aliqua ex praedictis causis et saltem circumstantia fiduciae, quam quis in hoc Confessario potius, quam in alio reposuerit atque adeo aderit causa solatii etc.; sed etiam quia elucet alia causa et quidem adeo gravis, quam mirum est oculos Marchantii effugisse et quam Gobat putavit sufficientem ad licite absolvendum cum iurisdictione nedum probabili, sed omnino dubia *Theol. Exper.* tract. VII. n. 120., nempe « quando, postquam bona fide coepisti audire confitentem, oritur tibi dubium circa unum alterumve peccatum »: spectato scil. gravi onere, quod imponeretur poenitenti confessionem apud alium iterandi.

399. Quoad causam igitur, qui angere magis Confessarium posset, scil. si inter audiendas confessiones peccata occurrerent, quae absolvendi facultatem probabilem tantum habet, nulla difficultas esse potest, etiam spectata tertia hac sententia. Et hic quidem casus valde frequens con-

tingere potest; quippe cum agitur de reservatione peccatorum, videbimus, easdem prope fieri quaestiones ac de impedimentis matrimonii fiant, et saepe inter fines probabilitatis stare reservationem et non reservationem. Et revera, ut videbimus, s. Alphosus n. 600. ubi scil. quaerit, an valide et licite absolvat Confessarius, quando probabile sit, casum non esse reservatum, sive dubium sit *facti* sive *iuris* et tradit doctrinam istam ceu communem, huius praesentis limitationis ibi videtur oblitus; unde et ipse suam hanc limitationem implicite abiicit.

Ceterum et Salmanticenses testantur, communius teneri Suarez doctrinam *de Poenit.* cap. 11. n. 74.: « Concedendum cum communiori sententia est, licere tam ex parte Confessarii, quam ex parte poenitentis in hoc ministerio uti iurisdictione communiter existimata probabili relicta parte alioqui certa et tuta: quamvis de consilio melius esset hanc eligere ».

Et Lugo disp. 19. n. 34.: Usus omnium plane Confessariorum hoc habet, ut amplectantur sententias probabiles circa absolutionem a censuris, virtute Bullae Cruciatae vel iubilaei vel alterius facultatis et ita absolvant, non imponentes, quod ante mortem faciant se iterum absolvi ab alio, qui habeat certam potestatem... Cum ergo ex hoc usu *communi omnium* sequatur manifestum periculum omnium poenitentium, qui existimantes se iam absolutos, non curant amplius de absolutione ab illa censura et remanerent incapaces absolutionis sacramentalis, fatendum est, Ecclesiam propter hunc communem errorem ad impedienda illa damna conferre iurisdictionem, vel certe sententias illas, in quibus fundatur illud periculum, non esse veras ».

400. Praestat heic subiicere nonnulla exempla iurisdictionis probabilis;

1° Parochus in alia dioecesi potest probabiliter ab alio Parocho deputari ad confessiones ibi audiendas sine approbatione Episcopi et iurisdictione ab Episcopo accepta (sup. sub. n. 337.).

2° Quod praesente approbato, possit non approbatus absolvere moribundum (sup. sub. n. 365. seqq.).

3° Quod error communis tribuit iurisdictionem, etiam deficiente titulo colorato (infr. n. seq.). Unde non erit cogendus ad repetendas confessiones etc.

4° Si quis utatur iurisdictione extorta per metum. Vid. *de Contractib.* vol. III. 616. Lugo *de Iust. et iur.* disp. 22. n. 131.

5° Quod possit valide absolvere a venialibus etiam non approbatus (sub. n. 335.).

401. Tres alios casus Auctor enumerat, in quibus Ecclesia seu Papa supplet iurisdictionem, quam *per se loquendo*, non habet ille, qui absolvit.

Primus casus est erroris communis cum titulo colorato. Titulus autem dicitur coloratus, qui communiter creditur legitimus, sed occulta nullitate laborat. Exempla affert A. de parocho, qui utpote excommunicatus, incapax fuit beneficii, vel qui simoniace illud obtinuit atque adeo invalide. Certa est autem penes omnes doctrina, tunc Ecclesiam supplere ob bonum animarum.

S. Alphonsus ait n. 572., bene dici a Sanchez, ut Ecclesia suppleat iurisdictionem, oportere, ut titulus non sit mere fictus, sed licet invalide, collatus tamen a legitimo Superiore; unde concludit Sanchez *de Matr.* lib. 3. dis. 22. n. 50. quod nihil valebunt gesta, si v. gr. titulus conferatur ab Archiepiscopo subditis suffraganei, casu quo superior illorum non est. Verum haec recidunt in quaestionem aliam de qua mox, nec video cur s. Alphonsus dixerit, ea *recte* a Sanchez tradi, dum ipse deinde concedit, *merito* dici probabilem oppositam sententiam.

Interim duo notanda sunt 1° hanc doctrinam valere non solum quando agitur de iurisdictione ordinaria, sed etiam quando agitur de delegata, v. gr. de Confessario qui non est parochus. Ita Sanchez lib. 3. dis. 22. n. 39. 2° Valet, etiamsi ipse Confessarius noverit, se non habere iurisdictionem ob vitium aliis occultum. Ratio, quia id non tollit duo requisita, scil. tituli colorati et erroris communis et ideo non impedit, quominus Ecclesia suppleat etc. v. gr. si parochus sciat, se simoniace electum, cuius institutio nulla est.

402. Alia ergo quaestio est, quam Auctor innuit, an valide quis reipsa iurisdictione carens absolvat, ob errorem communem, sed deficiente titulo colorato: v. gr. si quis reipsa est intrusus, vel sacerdos simulat se Confessarium vel fingit se religiosum praeditum multis privilegiis etc., vel potestatem accipit ab eo, qui dare non valet, ut sup. innuit Sanchez.

S. Alphonsus n. 572., licet dicat communiorem sententiam, quae negat absolutionem esse validam et quae propterea vult, ut ea peccata rursus confessioni subdantur: tamen dicit, affirmativam sententiam *merito haberi communiter ut probabilem.* Et cum hoc concedant, fatente s. Alphonso, etiam illi, qui negativam partem tenent et aliunde affirmativam doceant plures omnino et primae notae Doctores, uti Suarez, Lessius, Diana etc., forte etiam auctoritas pro affirmante potior videbitur. Dixi *etiam auctoritas;* nam quoad pondus rationum, ipse s. Alphonsus ingenue notat, negantium rationem non esse adeo efficacem, ne scil. detur ansa impiis sacerdotibus fingendi se confessarios; atqui nihil isti absterrerentur et maneret damnum fidelium, ad quod cavendum isti DD. concedunt iurisdictionem suppleri etc. Unde tuto illi, qui apud istos fuerint confessi, ab repetendae confessionis onere eximuntur.

Auctor accenset *affirmantibus* etiam Sanchez *Moral.* l. 1. c. 9. n. 35. quem propterea s. Alphonsus dicit *sibi contrarium*, dum *negativam* docet *de Matrim.* lib. 3. disp. 22. n. 49. Sed reipsa Sanchez nullo modo est sibi contrarius; quia ubi negat adesse iurisdictionem, si mere fictus sit titulus ut diximus num. praec., agit de eo, qui *caret omni titulo colorato et sine auctoritate Superioris in officium parochi vel Confessarii sese intrusit.* Alibi vero ead. disp. n. 65. agit de alio casu, nempe « si sint diversae opiniones, an aliquis sit legitimus minister « confessionis, vel licentia illi concessa sit legitima, vel privilegium Bullae revocatum sit, vel extendatur ad illum casum et opinio affirmans, non esse legitimum etc..., sit coram Deo vera; dum tamen veritas illa latet et probabili sapientum opinione reputatur probabilis opinio opposita, confessiones factae... valent; quia est communis error *titulusque praesumptus, collatus a legitimo Superiore* » : ubi, ut patet, loquitur de casu, in quo est titulus coloratus. Porro hoc ipsum est, quod docet in alio loco *in Decal.* lib. 1. cap. 9. n. 35., allato a s. Alphonso ceu affirmativam docente: « Quando opiniones circa iurisdictionem sacerdotis ad audiendas confessiones versantur, atque opinio probabilis docet illam habere, probabilior autem, non habere; talis sacerdos nullo modo peccavit audiendo confessiones » : quae, ut patet, alia est omnino quaestio. Ergo deleatur ab Auctore allegatio Sanchez, et cessabit omnis contradictio huic obiecta; quippe qui nunquam docuit, valere absolutionem deficiente colorato titulo: imo *de Matrim.* lib. 3. disp. 22. n. 49. disserte dicit: « Nec oppositum reputo probabile (a) ».

Ex his patet ratio secundae et tertiae resolutionis, quam subiicit Auctor eodem loco.

C. 9. Nemo teneatur unquam Parocho confiteri, ne quidem in Paschate. Lugo d. 19. sect. 2. n. 28. etc. cum Dian. p. 8. t. 1. res. 88. Quare Parochi frustra nolunt, ut Parochiani confiteantur Mendicantibus, etiam in Paschate; cum habeant privilegium pro omnibus Christifidelibus. Suarez, Coninck Henriq. Regin. Zerola c. 15. q. 3. et commun.

(a) Nec video, cur s. Alph. n. 572. pro sententia affirmante afferat Lugo, qui l. c. nihil habet neque hanc specialem agit quaestionem. At *de Iust. et Iur.* disp. 37. n. 21. generalem versans quaestionem, negat, iurisdictionem suppleri, solo titulo existimato exsistente. Cf. Vol. IV. n. 539. seqq. Non negandum tamen videtur, argumenta et responsa affirmantium maiorem forte vim habere, si de foro tantum sacramentali sermo sit, quam si ad forum externum proferantur.

Nihilominus sententiam negantem secuta videtur olim s. C. C. Nam interrogata: « an PP. Cappuccini, qui in Patavina Dioecesi confessiones exceperant sine licentia Episcopi illius dioecesis, valide absolvissent, quia aliqui ex his erant in aliena dioecesi approbati, alii vero ab Episcopo quidem Patavino ad annum, sed iam elapsum » (quo in casu titulus exsistimatus pro fidelibus aderat), respondit: « Illicite et invalide confessiones excepisse; sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem ». 11. Dec. 1683. — E.

apud. Bonac. d. 4. q. 1. sect. 2. par. ult. adeo ut qui docent, confessor Regularibus, etiam in Pascate, teneri iterum eadem confiteri suo Parocho, fiant suspecti de haeresi. Dian. p. 4. t. 8. res. 101. et alii. Vi tamen huius privilegii non possunt absolvere eos religiosos aut religiosas, qui non habent facultatem extra suum Ordinem confitendi, ut ex communi notat Rodr. et Comp. priv. Societ. v. *Absolutio*, §. 1. et ex his Laym. hîc. Quia privilegio generali non censetur derogari consuetudini vel statuto particulari, nisi id exprimatur. Usus tamen fert, ut Regulares peregrinantes, ex praesumpta voluntate superiorum, si Ordinis socium non habeant, a quovis alio, etiam seculari, absolvantur, exceptis reservatis; in quae si Religiosi Societatis extra domicilium incidant, videant Ordinationes Praep. Gener. t. 6. n. 6. et Laym. hîc.

403. Ex quo quilibet sacerdos ex concessione Ordinarii potest confitentes audire et absolvere, notat s. Alph. n. 564. posse fideles confiteri cuicumque Confessario approbato, nec teneri ad adeundum Parochum.

Qua de re Ioannes XXII. in Extrav. *Vas electionis, de Haereticis* damnavit hosce articulos Ioannis de Poliaco Doctoris Parisiensis.

1° « Confessi fratribus, habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quae confessi fuerint, iterum confiteri proprio sacerdoti. 2° Stante *Omnis utriusque sexus* edicto in Concil. Generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quem dicit esse parochialem curatum.

Hunc errorem renovavit Ioannnes Launoius, insistens eidem capitulo *Omnis utriusque sexus* 12. *de Poenit.*; in quo cum dicatur, singulos debere *saltem semel in anno confiteri proprio sacerdoti et non alieno sine licentia proprii sacerdotis;* Launoius contendebat invalide eos confiteri, qui non confiterentur parocho, aut alii ex licentia parochi. Et cum obiiceretur, proprium sacerdotem esse *Papam* respectu omnium fidelium et *Episcopum* respectu dioecesanorum, atque adeo, si valide quis alieno confitetur ex licentia parochi, item valide id facturum ex licentia Papae vel Episcopi, eo stultus homo adductus est, ut negaret, Episcopum esse *proprium sacerdotem*, nisi cum administrat sacramenta confirmationis vel ordinis, aut cum absolvit a reservatis: v. Ben. XIV. Inst. 18. n. 5. 6. Et cum hic morbus parochos praesertim Gallos inficere coepisset, Clemens VIII. an. 1592. hoc tulit decretum, apud Bened. XIV. l. c. n. 7.: « Sancimus,... tam dictis Fratribus..., quam aliis privilegiatis praedictis, quibus id ab Apostolica Sede indultum est, idoneis tamen et ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam quadragesimali et Paschali et quovis alio tempore confiteri licite posse, dummodo tamen iidem saeculares Christifideles Sacramentum Eucharistiae die festo Paschalis Resurrectionis in propria parochia ab eodem parocho sumant ». Quae postrema ideo addita sunt, quia isti parochi

contendebant, saltem paschali tempore confessionem parochis necessario esse faciendam.

Et Clemens X. Const. *Superna* 22. maii 1670. §. 4. 5. « Semel autem approbatos (decernimus et declaramus) posse in dioecesi Episcopi approbantis quovis anni tempore *etiam paschali* et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia... Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quae incipit *Omnis utriusque sexus, quoad confessionem* dumtaxat *satisfecisse* ».

Confirmant Responsa s. Congregationis. Nam 3. april. 1584. apud Pignatelli et Pitonium *de Confess.* n. 361. habetur haec Responsio: « Decretum Episcopi, in quo habetur, quod nullus Confessarius etiam ab Ordinario approbatus possit tempore paschali confessiones alicuius audire sine licentia proprii Curati, nullo modo est observandum ».

404. De religiosis vero, quod non possint audire confessiones aliorum religiosorum etc., ratio est, quia privilegium ipsis concessum audiendi confessiones omnium fidelium, non derogat singulari statuto, quo privilegium singulis Ordinibus Religiosis concessum est a Summis Pontificibus, ne aliis extra Ordinem proprium confiteantur.

Religiosi sunt exempti a iurisdictione Episcoporum; ergo Episcopus non potest conferre iurisdictionem aliis, quam ipse non habet.

Pontifex vero eximens religiosos ab Episcopis, eos subdit suis superioribus, qui in eos habent iurisdictionem quasi Episcopalem: et dum Pontifex mendicantibus tribuit facultatem absolvendi omnes fideles, Religiosos excipit.

405. Quoad Religiosos peregrinantes.

1° Si secum habeant socium eiusdem Ordinis, huic debent confiteri, modo sit idoneus. Idoneus autem non intelligitur ille, qui expresse approbatus sit a Superiore; sed qui sit capax. Nam etiamsi Superior non dederit socio facultatem, haec facultas ipsi fit ex iure communi (quod allegabimus) praecipiente, ut socio fateatur.

Salmanticenses negant, posse confiteri suos discalceatis sociis, simplicibus sacerdotibus, licet concedant, posse confiteri simplici sacerdoti alterius Ordinis vel seculari et contendunt, id commune esse aliis Ordinibus, quos recensent n. 127. cap. 4. *de Privileg.* Inspecto *Mari Magno Carmelit.*, quod citant §. 97. et n. 498. nihil reipsa inde concluditur.

2° Si non habeant socium sui Ordinis, possunt absolvi a quovis alio Confessario sive seculari sive regulari. Ad duo haec probanda affert s. Alphonsus n. 575. hanc Innocentii VIII. declarationem: « Nos igitur supplicationibus inclinati, fratribus eiusmodi, quos itinerari et per

eorum superiores mitti contigerit, concedimus ut si aliquem presbyterorum idoneum ex professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcumque alium presbyterum idoneum et discretum religiosum vel secularem eligere valeant, qui confessiones eorum audire et eorum confessionibus diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendere et poenitentiam salutarem iniungere licite possit ». Ita apud Salmantic. *de Privileg.* cap. 4. n. 125.

3° Si confiteantur sacerdoti seculari vel regulari, necesse non est, ut hic approbatus sit ab Ordinario loci, sed eos potest absolvere quivis simplex sacerdos. Est doctrina communis. Ratio, quia Tridentinum dum exigit approbationem Confessariorum, restringit ad confessiones secularium. Ergo pro Regularibus viget ius ante Tridentinum. Ligor. n. 575. Cf. dicta sub §. LXXIV. Exceptio tamen fit pro Cappuccinis, quibus, inquit n. 575. s. Alph., concessum et impositum fuit, ut confiterentur presbytero approbato ab Ordinario loci. Sane concessio ista Benedicti XIV. (nam prius interdictum erat Cappuccinis, ne cui unquam extra ordinem confiterentur) habet quid speciale, quod requirat scil. aliquam approbationem; dicit enim Const. *Quod communi* (tom. 1. Const. 49. 30. Mart. 1742.) §. 2.: « Libere et licite possit ac valeat, quemlibet presbyterum secularem ab Ordinario loci, vel Regularem a suo Superiore regulari ad Sacramentales confessiones audiendas approbatum adire eique peccata sua confiteri atque ab ipso obtinere sacramentalem absolutionem etiam quoad casus per Constitutiones et statuta Regularia dicti Ordinis reservatos incursasque proinde censuras, recepta salutari poenitentia praestitaque obligatione se statim, quoad ipsi permissum fuerit, coram suo regulari Superiore praesentandi ac de novo super casibus et censuris huiusmodi absolutionem impetrandi ».

Hoc indultum Pius IX. per litteras Apostolicas in forma Brevis 28. Sept. 1852. ita ampliavit, ut Cappuccini eligere sibi possint extraneum Confessarium, ut supra, etiam in casu, quo adsit unus tantum sacerdos cappuccinus ad confessiones approbatus. Bucceroni *Enchir.* pag. 168. ed. 2.

406. 4° Denique Auctor excipit peccata reservata; qua de re s. Alph. n. 575. in fine: « Facultas praedicta, quam habent religiosi itinerantes, se confitendi cuicumque sacerdoti idoneo, non habet locum respectu casuum reservatorum ». Verum id intelligendum est eo sensu, quem praefert Benedicti XIV. Constitutio, videlicet, ut absolvantur a confessario electo dum iter agitur, sed maneat obligatio ea confitendi Superiori aut delegato pro hisce ab eo. Atque ita disponunt Ordinationes ab Auctore citatae Praepositorum Soc. Iesu cap. 6. n. 6.: « Quos (scil. iter agentes) potest a reservatis ordinarius loci illius Confessor (scil.

confessor in domo Societatis, ad quam divertunt) absolvere, aut, si is haberi non possit, quilibet alius Societatis sacerdos approbatus; aut, si is quoque desit, etiam externus. In omnibus tamen his casibus cum onere et obligatione, ut se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri aut redituri sunt eique aut alteri de eius licentia, confiteantur ».

Neque tamen puto, poenitentem obligari ad hoc peccatum confitendum illi, qui non habet facultatem: si enim sic regula intelligatur, imponeretur onus confitendi bis idem peccatum; quod intelligendum est etiam de concessione facta sup. Cappuccinis. Vid. Salmantic. *de Poenit.* cap. 13. n. 67., qui dicunt posse subditum renuere oblatam sibi facultatem confitendi reservata cum aliis, addito onere rursus eadem peccata aperiendi Superiori.

Et reipsa nisi ita regula ista eligendi Confessarium intelligatur, frustra daretur venia confitendi apud alios; imo Regulares essent in deteriori conditione ac seculares, qui in casu alicuius necessitatis, ut videbimus, absolvi possunt indirecte a reservatis ab non habente facultatem, manente obligatione se sistendi Superiori etc.

Cl. 10. Quod si superiores Regularium monialibus sibi subiectis (idem est de monialibus subiectis Episcopo) non concedant aliquoties in anno alium Confessarium, potest et tenetur illis eum dare Episcopus; quod si nec is faciat, ipsae eligere possunt. Quintan. t. 3. sect. 26. ex Declaratione Cardin. apud Barbos.

407. Aliae moniales subduntur praelatis Regularium, aliae subduntur Episcopo: illis Confessarium assignat Praelatus regularis *approbatum tamen et quidem pro monialibus* ab Ordinario loci; his Confessarium assignat Episcopus.

Quando Moniales sunt exemptae et Confessarius a Praelato earum proprio assignatur, approbatio Ordinarii non est collatio iurisdictionis, sed haec fit a Praelato Regulari: male ergo Mazzotta tom. 3. pag. 330. dicit, Confessarium non posse absolvere monialem a casu reservato ab Episcopis: ratio, quia limitatio iurisdictionis ab eo esse debet, a quo iurisdictio profluit, non autem ab alio.

Quod debeat ipsis offerri Confessarius extraordinarius et ideo diversus a Confessario ordinario, sic decernit s. Synodus Trid. sess. 25. *de Regular. et Monial.* cap. 10.: « Praeter ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus *bis* aut *ter* in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat ».

Porro assignare seu offerre extraordinarium pertinet respective ad eos, quibus competit et ordinarium assignare.

Quam regulam confirmat Benedictus XIV. in Const. *Pastoralis* tom. II. die 5. Aug. 1748., dicens, « huiusmodi deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet Confessarii ordinarii electio et deputatio ».

408. Auctor ponit quaestionem, quid agendum, si Superior contra Trident. decretum non offerat extraordinarium.

Et quidem si Concilii legem de dando extraordinario negligat Praelatus Regularis, tunc iuxta Responsum Congr. Concil. 13. August. 1637. quod auctoritate sua confirmat Benedictus XIV. in cit. Const., potest et debet Episcopus negligentiae aut iniquae pertinaciae Praelati Regularis defectum supplere et dare extraordinarium.

Si vero Episcopus id negligat aut pro monasteriis, quae ab ipso dependent aut pro subiectis Praelato Regulari negligenti officium suum Benedictus XIV., in cit. Const. statuit, quod deputatio extraordinarii fiat a Cardin. Maiori Poenitentiario, statim ac ex parte monialium huiusmodi requisitus fuerit.

At enim Auctor dicit, posse ipsas moniales in hoc casu Confessarium extraordinarium per se eligere et allegat declarationem Cardinall. Congr. Concil. apud Barbosam; ex quo eam citat Quintanadvenas *Singularia Theolog. Moralis,* tract. 3. singular. 26. n. 9.

S. Alphonsus n. 576. dicit, quod « sententia Busembaum saltem est valde dubia et ideo non est tuta in praxi ».

Verum si revera exstaret declaratio illa s. Congregationis, parum valerent rationes, quas s. Alph. affert. Prima est, quia Alexander VII. damnavit propositionem aientem, valere confessionem factam Regulari praesentato, sed ab Episcopo iniuste reprobato. At qui urgent hanc propositionem, supponunt quod est in quaestione, quae est, an possint in eo casu Moniales eligere eum, qui ab Ordinario non sit ad id specialiter approbatus et si revera hanc habent facultatem ex declarat. s. Congregationis, propositio damnata nihil huc pertinet.

Secunda ratio s. Alphonsi est, quia in cap. *Omnis utriusque sexus,* cavetur, ne quis confiteatur alieno sacerdoti, nisi de Ordinarii licentia. At nihil haec ratio valet; quia, stante declaratione, haberent moniales facultatem a superiore Episcopi.

Denique addit, quod Benedictus XIV. in cit. Constit. *Pastoralis* dicat, recusante Episcopo dare extraordinarium, tunc Card. poenitentiarium assignare eum debere ex numero eorum, qui probati ab Ordinario sunt pro monialibus. Verum haec non excludunt aliud medium: imo cum Benedictus XIV. nihil de facultate monialium ad eligendum in eo casu Confessarium dicat et alioquin ignorare non potuerit quae a DD. ea de re dicantur, videtur potius quaestionem reliquisse in *statu quo.*

Fateor tamen, quod Quintanadvenas l. c. non indicet locum, ubi Barbosa referat hanc declarationem s. Congreg.; nec invenerim in iis locis Barbosae, ubi alias declarationes seu decisiones refert sc. in collectione decision. Pontificial. et in notis ad allegatum caput Tridentini. Unde incertus ea de re lector maneat, oportet.

409. S. Alph. l. c. alia habet circa Confessarios monialium, quae compendiatim refert ex eadem constitutione Benedicti XIV. vel ex aliis, quae utiliter legentur: nos heic potiora dabimus.

* Collatis sane recentioribus quoque responsis, haec sunt praecipua: 1° Confessarii Monialium indigent speciali approbatione Episcopi; approbati scilicet esse debent ad audiendas confessiones Monialium. Ita ex decretis citatis a de Alex. *Confess. Monial.* c. 6. §. 6. q. 1.

2° Generali regula nequeunt ab Ordinariis locorum pro Confessariis ordinariis Monialium, Episcopo immediate subiectarum, designari Regulares, absque venia s. Congregationis: S. C. EE. et RR. 16. Maii 1653.: cf. Ferraris v. *Monialium* art. 5. n. 29. Neque Parochi, si exinde cura animarum notabile detrimentum pateretur: s. C. EE. et RR. 7. Mart. 1652.: neque canonici et praesertim poenitentiarius, si exinde chorale servitium negligi contingeret: cf. Ferraris v. *Moniales* art. 5. nn. 30. 31. neque vicarii generales; quia moniales de ipsis non confiderent: s. C. EE. et RR. 23. Iun. 1581.

3° Monialium Confessarius saltem singulis trienniis est mutandus, s. C. EE. et RR. 26. Nov. 1602. 10. Mart. 1634. Atque unus Confessarius pro quolibet monasterio deputandus, Benedictus XIV. Const. *Pastoralis Curae* neque unus pro pluribus monasteriis, s. C. EE. et Regul. 4. Mart. 1591.

4° Attamen rogata indulget identidem, ex peculiaribus causis, s. C. ut ad alterum triennium Confessarius idoneus confirmetur, imo et ad tertium: dummodo pro secundo triennio consensus concurrat duarum ex tribus partibus Monialium et pro tertio omnium earum consensus accedat, Cf. Bizzarri *Collect.* edit. 1885. p. 13.

5° Confessarius ordinarius nequit accedere ad monasterium, quandiu durat commissio extraordinarii: s. C. EE. et RR. Ian. 1749.

Extraordinarius vero Confessarius, expleto suo munere, nequit amplius ad monasterium accedere, sine necessaria venia, si sit regularis. Secus, si sit secularis. Eadem s. C. ibid.

6° Sacerdotes regulares nequeunt excipere confessionem mulierum tertii Ordinis, quae de Poenitentia dicuntur, nisi ab Ordinario approbati fuerint ad audiendas confessiones secularium: s. C. EE. et RR. 27. Aug. 1852.

7° Sorores Congregationum, quae extra clausuram vivunt et in parochiali templo sacramenta suscipiunt, possunt ibidem confiteri cuilibet Confessario approbato ab Ordinario: s. C. EE. et RR. 22. Apr. 1872.

8° « Aliquando Moniales aut ratione sanitatis aut alia causa obtinent veniam egrediendi ad breve tempus ex earum monasterio, retento habitu: quaeritur, an in tali casu possint exomologesim suam facere

apud Confessarios approbatos pro utroque sexu, quamvis non approbatos pro monialibus ». S. C. EE. et RR. respondit: « Affirmative durante mora extra monasterium ». 27 Aug. 1852.

9° Confessarii Monialium ea aetate esse debent, ut annum 40^{mum} excesserint: s. C. EE. et RR. 6. Iun. 1620.

10° Quamvis Praelati sit dare Confessarium Monialibus, in s. C. EE. et RR. tamen resolutum fuit, posse moniales, vigore consuetudinis, eligere in Confessarium aliquem ex approbatis ab Episcopo, modo tamen ille sit approbatus pro monialibus et electionem fieri posse ab iis absque Episcopi vel eius deputati interventu et teneri Episcopum confirmare Confessarium electum, quatenus non adsit causa legitima negandi confirmationem. Ian. 1754. Febr. 1755. cf. Lucidi *de Visit. ss. Liminum* c. 5. n. 146.

11° Confessario Monialium certa annua pensio constituenda est, quae iuxta morem et qualitatem regionis victui eius sufficiat; non debet autem Confessarius victum dietim nec utensilia vel lineam suppellectilem accipere, sed tantum annuam provisionem: s. C. EE. et RR. 19. Iun. 1601. Cf. Lucidi l. c. n. 160.

410. 12° Quod spectat ad extraordinarium Confessarium, constat ex Trid. lege sess. 25. c. 10. *de Regul.* dandum esse monialibus bis vel ter in anno, ab Episcopo vel Praelato regulari sibi respective subiectis, ab hoc autem inter eos eligendum esse, qui ab Episcopo sint approbati pro Monialibus. Benedictus XIV. Const. *Pastoralis curae* n. 4.

Defectum hac in re Praelati regularis supplet Episcopus, defectum Episcopi Poenitentiarius Maior ibid. quod iam diximus.

13° Dandus extraordinarius Confessarius singulis quoque monialibus eum, extra tempus, rationabiliter petentibus Const. cit. n. 8. cf. Decretum allatum vol. 4. p. 400. n. IV.

14° Regularis Praelatus, semel saltem in anno, extraordinarium confessarium dare debet vel ex alio Ordine regulari vel ex clero seculari. Secus negligentiam eius suppleat Episcopus aut Poenitentiarius Maior. ibid. n. 14.

15° Confessarium extraordinarium Moniales adire debent, sed non tenentur sacramentalem apud eum confessionem peragere. Ibid. n. 3.

16° Quae de Confessario extraordinario a Trid. Syn. statuta sunt pro monialibus proprie dictis, ea valent et pro illis, quae licet clausurae legibus non obstrictae, in communitate vivunt, tum pro quarumcumque mulierum aut puellarum coetibus seu conservatoriis, *quoties tam illae quam istae unicum ordinarium poenitentiae ministrum a superioribus designatum habeant.* Ibid. n. 3. *

411. Illud est tandem apud s. Alph. l. c. animadversione dignum, quod ex eadem Bulla Benedictina refert, scil. « in articulo mortis cui-

libet moniali postulanti concedi debet ab Episcopo Confessarius particularis, vel a praelato regulari, si monasterium sit exemptum et deficiente vel recusante praelato regulari, potest ac debet Episcopus supplere; *recusante vero Episcopo*, dandus est a Poenitentiario maiori, si tempus suppetat ». At enim nonne recordantur, in articulo mortis nullam esse reservationem et quemlibet Confessarium posse absolvere quemlibet a quolibet peccato vel censura? Ergo si Episcopus aut praelatus regularis abnuat, potest sane monialis vocare eum, quisquis sit, qui magis arrideat, nec opus est approbatione speciali.

De absolutione complicis.

412. Notanda heic sunt, quae sanxit Benedictus XIV. in Constitutionibus *Sacramentum Poenitentiae* data 1. Iun. 1741., et alia *Apostolici muneris* dat. 8. Febr. 1745. ubi declaravit, Confessarium carere iurisdictione ad absolvendum peccatum complicis turpe contra sextum praeceptum et excommunicationem Papae reservatam incurrere, si complicem id peccatum confitentem ipse audiat et absolvat.

In prima Constitutione postquam disseruit de sollicitationis crimine subdit: « Demum magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii et sacri tribunalis sanctitate *omnem turpitudinis occasionem et sacramentorum contemptum* et Ecclesiae *iniuriam* longe removere *et tam exitiosa* huiusmodi mala *prorsus eliminare* et quantum in Domino possumus, *animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam daemones potius quam Dei ministri, loco eas per sacramentum creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum morte onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt*..... hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones iam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus... auctoritate Apostolica ac Nostra Potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum *extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui Confessarii munus obire possit,* confessionem sacramentalem *personae complicis in peccato turpi atque inhonesto* contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate ac iurisdictione ad qualemcumque personam (haec expressio ita intelligenda: *quaecumque sit persona complex;* secus id servandum esset cum aliis non complicibus; quod nemo suspicatus est) AB HUIUSMODI culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impartita a sacerdote, qui iurisdictione ac facultate

ad valide absolvendum necessaria privatus exsistit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus si quis Confessarius secus facere *ausus fuerit,* maioris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem nobis solis nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat: declarantes etiam et decernentes, quod nec etiam in vim cuiuscumque iubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, aut alterius cuiuslibet indulti confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum et in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati et poenitentis genere iurisdictione, ut praefertur, careat et absolvendi facultate a nobis privatus exsistat, habendus sit pro Confessario legitimo et approbato » (a).

Adverte nomine complicis non venire solum feminas, sed etiam masculos. Constitutio dicit *personae complicis.*

413. Ut in gravi hac materia, de qua tamen raro est Confessario agendum, omnia rite statuantur, haec nota.

1° Licet in quibusdam dioecesibus prohibitum fuerit Confessariis (dempta eis absolvendi facultate), ne absolvant complices in quocumque peccato etiam non carnali (vid. Ferraris V. *Complex.* n. 4.): tamen Constitutio Benedictina hoc statuit tantum in materia luxuriae. Itaque licet indecens omnino sit atque ab natura huius sacramenti abhorreat, ut socios sceleris sui Confessarius audiat et absolvat ut iudex, tamen haec absolutio non foret invalida, si alia requisita necessaria non desint.

2° Nomine peccati turpis et inhonesti venit peccatum *externum, grave,* contra sextum praeceptum.

Ergo si actus prout externus est, non pertingeret ad grave peccatum, non comprehenditur hac lege, licet (quod probe notandum) actus internus ad mortale peccatum pertigerit.

Advertendum praeterea, requiri ut peccatum sit grave externum *formaliter.* Quocirca si ex inadvertentia aut indeliberatione aut imperfecto consensu actus externus per se gravis a culpa mortali foret excusandus, v. gr. tactus, osculum, eo ipso lege hac non comprehenditur.

3° Requiritur *formalis, exterior* complicitas *in gravi peccato.* Ergo 1° si v. gr. personam dormientem vel omnino reluctantem impudice

---

(a) Adde ex recenti Const. Pii IX. *Apost. Sedis* in excommunicationem Rom. Pontifici speciali modo reservatam incidere. *Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem* art. 10.

quis tetigerit, non comprehenditur (a). 2° Item si actus externus complicitatis fuerit peccatum tantum leve, v. gr. manus apprehensio, licet interius uterque graviter peccaverit pravo affectu. 3° Item si v. gr. complex exterius dissenserit tanquam vim patiens idque serio, licet interius consenserit. 4° Quod idem forte dicendum, si mere passive complex se habuerit, nullo scilicet consensus signo exhibito, ut si absque rei manifestatione occultos tactus impedire non posset, ipse autem nihil exterius significans, animo consentiret.

Addit s. Alph. n. 554., valere heic regulam, quae traditur circa peccata dubia, ubi de reservatis agitur. Nam sicut non censentur reservata peccata dubia, sive dubium sit facti sive iuris: ita ubi adsit dubium, an poenitens graviter peccaverit, licet certe grave fuerit peccatum Confessarii, hic casus dicendus erit lege non comprehendi; quia complicitas debet esse formalis in gravi peccato.

414. Quaeritur 4° an nomine peccati turpis et inhonesti in praesenti casu veniat etiam turpiloquium seu colloquium de re turpi.

S. Alph. n. 554. censet, certe id affirmandum cum pluribus doctis (inquit), quos consului super hoc iudicio, *ab aliis* immerito in dubium revocato. Pro qua sententia allegat et Salmanticenses *(idest adnotatorem posterioris aetatis)*.

E contra Eusebius Amort, utut rigidus, *de Poenit.* disp. X. §. 1. q. 6. censet nomine peccati inhonesti et turpis non comprehendi colloquia idque dicit *probabilius:* pro qua sententia Scavini cap. 3. art. q. 2. pag. 312. tom. 3. etiam rigidiorem allegat Scarpazza ac nonnullos alios. Sententia Amort confirmatur egregie ex verbis Bened. XIV. *de Synod.* lib. 7. cap. 14. n. IV. Ibi loquens de binis hisce suis Constitutionibus, ita loquitur: « Negari haud potest,... graviorem inhonestatem in eo adesse, ut sacerdos illius personae confessionem excipiat, *cum qua impudicitiae scelus admisit* ». Et rursus: « Nullum adesse sacerdotem praeter illum, *cum quo poenitens inhoneste peccavit* ». Et rursus: «... In eo rerum statu non prohiberi diximus, sacerdotem *suae impudicitiae complicem* absolvere ». Quae phrases ad actiones proprie referuntur. Sincere dicamus rationes s. Alphonsi non adeo esse efficaces. Hae sunt 1° quia verba generalia sunt generaliter accipienda: 2° quia leges poenales sensu proprio sunt interpretandae; 3° quia finis legis est removere occasiones omnis turpitudinis. Parum efficaces esse, patet tum ex nomine *complicis* tum advocato principio iuris de odiosis restringendis (b).

(a) Si vero volentem vel non invitam impudice tetigit, ea sponte patiens se tangi, iam complex vere dicitur criminis. Cf. D'Annibale V. 3. n. 324. nót. 34. — E.

(b) Nihilominus s. I. C. 28. maii 1873. declaravit, « prohibitione absolvendi complicem in materia turpi comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius

Hinc multo minus videntur comprehendi casus ab Alasia recensiti in not. Scavini l. c.: v. gr. quod non possit Confessarius absolvere poenitentem, a quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere; quia exterius se complacendo de illis participavit. Quod si verum est, idem dicendum erit de sacerdote, qui cantilenas turpes forte audiens e fenestra, sibi de iis complaceat et pravum hunc consensum signo externo prodat.

Alasia insuper, statuto principio, quod *complex* et *particeps* sunt unum et idem (hoc falsum est; quia possum esse particeps alicuius criminis, quin tamen id notum necessario sit alteri patranti crimen et sic absit complicitas; ita qui non impedit, cum debeat, peccata), decernit lege comprehendi poenitentem, *qui sacerdoti permiserit, ut peccaret cum propria uxore vel filia;* addere debuit, qui conniveat turpibus sermonibus, qui aliquo modo reus sit eo quod non impediverit.

Item vult comprehendi poenitentem, cum quo sacerdos convenerit de seducenda muliere vel de re qualibet, ubi peccatum sit contra castitatem, v. gr. emendi librum obscenum, licet reipsa non seduxerit etc.

Nimirum hae videntur subtilitates hominum, de quibus recolendum illud: Cave a consequentiariis.

415. 5° Quoad absolutionem impertiendam, tenendum est, Constitutionem agere de absolutione *directa:* hinc admittatur, valere absolutionem, si poenitens inculpabili oblivione omitteret peccatum complicitatis; quia reipsa sic absolutio non caderet in peccatum illud complicis, quod directe non absolvitur. In quo tamen cavendum, ne rudis poenitens ideo omittat, quia apud se cogitat, illud peccatum iam notum esse Confessario. Profecto, ubi hic noscit, poenitentem non fuisse confessum apud alium sacerdotem, debet eum monere et dimittere.

Admitti et illud potest, quod Alasia apud Scavini l. c. pag. 319. dicit: *probabilius*, in casu inculpatae oblivionis, valere absolutionem, etiamsi Confessarius advertat talem oblivionem; quia haec notitia non facit, ut ipse directe absolvat a peccato, quod non subiicitur clavibus.

Quid si, subiecto peccato clavibus, quod Confessarius complex nequit absolvere, necessitas urgeat poenitentem communicandi nec alius praesto sit Confessarius? suadendus est poenitens, ut eliciat actum contritionis et sic communicet. Forte quis opinabitur, posse sacerdotem suadere poenitenti, ut alia confiteatur, praetermisso illo peccato et sic absolvere poenitentem ab iis directe, ab hoc indirecte, ut fieri solet

---

commissa contra castitatem, etiam *illa, quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important*». Ita vetus lis finita est, ait d'Annibale V. 3. n. 324. not. 31. Requiritur tamen complicitas, quae quando in huiusmodi adsit necne, forte adhuc in pluribus casibus disputabitur. — E.

cum reservatis, onere relicto confitendi apud alium; nam prohibitio restringitur ad absolutionem ab hac culpa. Verum id, nisi gravissima necessitas urgeat, nunquam committendum videtur. Non esset tamen contra constitutionem; quia ab hac culpa non absolvit.

At si peccatum complicis iam fuerit ab alio sacerdote remissum, poterit ne illud sacerdos complex iterum remittere? Cum iurisdictionem in illud crimen nullam sacerdos complex habeat, crimen vero illud possit esse materia absolutionis etiam postquam in alia confessione remissum fuit; utique dici debet, quod sacerdos complex complicem ab eo crimine absolvere nequit, etiamsi eum alius ab illo iam absolverit (a). Quia heic non eadem est ratio ac in reservatione, quae cessat, postquam reus confessus sit peccatum cui debet; nam heic non agitur de reservatione, sed de adempta iurisdictione sacerdoti complici super illud peccatum et adempta in perpetuum; verba enim Constitutionis illimitata sunt: ergo nunquam ab eo potest absolvere; absolutio enim directe semper est actus iurisdictionis. Sane circa hoc peccatum se habet confessarius ille sicut sacerdos carens iurisdictione, qui neque a peccatis iam absolutis absolvere potest.

Si ergo poenitens hoc peccatum iam remissum accuset et hoc solum peccatum accuset, non poterit a complice Confessario absolvi: quod si alia peccata poenitens accuset, ab his absolvatur, non habita ratione peccati illius, cuius confessio ut quid impertinens, consideranda erit. Potest sane Confessarius, postquam complex rite ab alio absolutus fuit, absolvere illum ab omnibus aliis peccatis; quia iurisdictio habetur et cessat prohibitio. Nihilominus, nisi speciales circumstantiae aliud postulent, optime se geret talis Confessarius, si semper abstinebit in posterum ab audiendis confessionibus complicis.

416. At si praecedentes confessiones fuerunt invalidae aut quamvis validae, ab hoc tamen peccato non fuerit poenitens directe absolutus

---

(a) Haec tamen non est omnium sententia eamque nunc docti quidam viri negant satisque sit citare Card. d'Annibale qui vol. 3. l. c. not. 37. ait: si peccatum directe iam ab alio absolutum fuit, « verius est, reservatione consumpta, absolutionem valere ». Et iam in Commentario Const. *Apost. Sedis* dixerat n. 82. not. 20. « Ast ego neque Epistolas neque Bullas Benedicti XIV., sed Const. nostram cum primis consulendam puto. Sane hodie hic casus eodem iure, quo ceteri casus omnes reservati, metiri debet. Atqui in ceteris, cum semel absoluti fuerint, reservatio cessat ». Haec tamen ratio satis est infirma; confundit enim duo maxime diversa: casus enim reservatus est peccatum *sacerdotis absolventis complicem*, non *peccatum inhonestum complicis*, quod a quolibet sacerdote absolvi potest. Et pro illo quidem valebit theoria ab d'Annibale invocata, non pro hoc, quod non est peccatum reservatum, sed cuius absolutio interdicta est tantum complici. Exstat responsio Benedicti XIV. 15. Ian. 1762. (in Synodo dioecesis olim Brugnato, nunc unitae dioecesibus Luni et Sarzana) ad hanc ipsam quaestionem: quae responsio ita se habet: *nullam esse absolutionem, etsi peccatum iam centies fuerit subiectum clavibus.* — E.

sive quia ex oblivione illud omisit, sive quia forte cum reservatum esset, directe absolvi non potuerit; tunc quaerenda est absolutio directa et hanc non potest tribuere, qui caret iurisdictione ut in casu. Quod iam s. Poenit. respondit 10. Aug. 1827.

Neque tamen haec regula infinite est extendenda, ut extendit Alasia, qui inde concludit l. c., comprehendi poenitentem, cum quo Confessarius peccaverit antequam esset sacerdos; quia quocumque tempore peccatum commissum fuerit (inquit), semper habetur, quod agatur de peccato, cuius fuit complex.

Spectandus scilicet est finis, qui est anima legis; finis autem supponit, confessionem huiusmodi occasionem exsistere ruinae spiritualis poenitentibus etc. Cf. initium Constit. At si fingas. v. gr. duos peccati complices in pueritia seu adolescentia, quorum deinde alter v. gr. Cappuccinorum assumpto habitu post viginti annos audiat confessionem socii, vi cuius debeat absolvere etiam ab illo peccato, quia v. gr. invalide confessus est, profecto non est credibile, negatam huic Confessario esse facultatem absolvendi (a).

417. Dicitur 6° *ne sacerdos audeat absolvere* (b). Unde Alasia apud Scavini l. c. pag. 318. 319. censet requiri ausum temerarium ut absolutio nulla sit ac proinde dicit, valere absolutionem, si confessarius complicem inadvertenter absolveret; nam dicit Const.: « interdicimus et prohibemus ne audeat confessionem excipere ». Et sane si, sacerdote inadvertenter absolvente, nulla esset absolutio, damnum subiret solus poenitens, etiamsi bona fide accessisset, quod certe alienum est a scopo Constit. et a recta ratione (c).

Nec censeo probandum, quod dicit Scavini l. c. pag. 320., « nihil nempe referre, si Confessarius uti complex non sit in confessione a poenitente cognitus », quando Confessarius illum agnoscat et audeat absolvere: quia v. gr. noctu habitu seculari indutus peccaverit cum muliere, quae deinde accedat ad eum, ut confiteatur, non cognoscens, illum esse, qui secum peccavit.

(a) Haec est tamen communior legis interpretatio. Aiunt enim, mentem legislatoris non esse solum avertere Confessarios ab huiusmodi crimine, sed etiam impedire novum periculum peccandi et promovere dignam sacramenti Poenitentiae administrationem; cui duplici fini adversatur absolutio Complicis. Gury *Cas. Consc. De Absol. Compl.* cas. 9. — E.

(b) In Const. *Apost. Sed. de ausu* non est sermo. — E.

(c) Sunt qui advertant, duo esse distinguenda in Const. Benedicti XIV., *iurisdictionis ademptionem* et *poenam excommunicationis*. Haec fertur contra *audentes* et *praesumentes:* illa autem Confessario complici simpliciter adimitur, ut ex tenore ipsius Const. videre est. At S. U. Inq. 13. Ian. 1892. declaravit, excommunicationem R. P. specialiter reservatam art. 10. Const. *Apost. Sedis* incurrere absolventes complicem etiam cum ignorantia *crassa et supina*. Et sane, ut iam monuimus, ibi non est amplius sermo de ausu. Cf. dicenda *de Censuris* sub §. XXIV. – E.

In hoc enim casu prorsus abest ratio, propter quam lex illa lata est. Praeterea Confessarius non tenetur se prodere poenitenti et si hunc non absolvat, periculum est, ne dum poenitens alteri revelat negatam absolutionem, in suspicionem veniat uterque peccati sacerdotis (a).

Et quidem alii extendunt hypothesim eo usque, ut invalide absolvat, etiamsi Confessarius viderit utique personam inter poenitentes circumstantes, sed non possit cognoscere eam quando confitetur neque interim liceat ei discedere ab audiendis confessionibus; quia v. gr. Dominica in Albis solus est sacerdos, qui possit audire eos, qui accedere ad communionem paschalem debent.

Id absonum satis apparet; ubi sane est *ausus*, de quo loquitur Pontifex? Confessarius certe poenas non incurrit: cur solus poenitens inscius punietur? Dico: *inscius;* quia si mala fide accedit, non est rite dispositus.

418. Benedictus XIV. in posteriori Constitutione: *Apostolici muneris*, sic temperavit quae statuerat de absolutione moribundi. Dicit itaque apostolici muneris partes esse, sicut legum severitate providere, ut sancta sancte tractentur, ita etiam cavere, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem aut immoderati rigoris aut detestabilis laxitatis perperam leges detorqueantur... « Nos subinde super ea dictae Constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse accepimus, quarum resolutionem privato cuiusque arbitrio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis coniecturis et opinionibus iactata in sensus a mente nostra alienos forsitan distrahatur eiusque vigor paulatim langueat atque enervetur. Hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem... de medio auferre cupientes... memoratam Constitutionem nostram... confirmamus et... inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus... Praeterea... habita super his... deliberatione..., edicimus et declaramus, eadem Constitutione singulis... sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire atque ab huiusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, *deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit*, ita interdici re ipsa et prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut *si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius* SIMPLEX TANTUMMODO SACERDOS FUERIT, *sive*

(a) Quid vero, si poenitens utique noscat sacerdotem, quocum peccavit, sed nunc accedens ad tribunal Poenitentiae non advertat eum ipsum esse, licet hic complicem cognoscat? Profecto nemo dicet, posse tunc absolvi; quia iurisdictio deest; differt autem hic casus a praecedenti; quia in illo deberet se sacerdos prodere, ad quod non tenetur; haec ergo potior ratio videtur resolutionis Ball. — E.

alias ad confessiones audiendas NON APPROBATUS, *possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere et absolutionem impertire.* Porro si casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari seu accedere *sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo* nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi censerique posse, ac si revera abesset atque deficeret ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex eiusmodi sacerdos et serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus nostram praedictam Constitutionem inobedientiae latisque in ea poenis obnoxium, *si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro confingat*, ubi non sunt; imo intelligat, teneri se graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque illius infamia vel scandalo audiendae. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae nostrae Constitutionis declaramus et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et praecipimus. Quod si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit atque ita personae in dicto crimine complicis eoque in articulo, ut praefertur, constitutae sacramentalem confessionem excipere ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit: quamvis huiusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Poenitentiae valorem requisitae non defuerint; non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti quantumvis indigno necessariam iurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat; nihilominus sacerdos ipse violatae *ausu eiusmodi temerario* legis poenas nequaquam effugiat ac propterea latam in dicta Constitutione excommunicationem... nobis... reservatam incurrat... ».

419. Ex hac posteriori constitutione patet, quis esset sensus prioris Constitutionis ubi inquit — *extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit* —.

Utique quisque credere potuit, sacerdotem, in cuius defectu posset absolvere complex ipse Confessarius, intelligendum esse eum, qui ad confessiones excipiendas sit approbatus. Attamen posterior Constitutio

aut declarat, errasse eos, qui sic putarunt, aut certe indicit, non posse complicem absolvere, si adsit sacerdos etiam simplex et nondum ad confessiones excipiendas approbatus, qui in eo casu audire confessionem infirmi possit.

Quod vero in secunda Constitutione cavetur, praeterquam quod absolutio in omni casu statuitur valida, hoc est, quod 1° si vocari simplex ille sacerdos sine alicuius infamiae aut scandali periculo non possit, tunc Confessarius complex possit ipse confessionem infirmi audire eumque absolvere, perinde ac si re ipsa nullus sacerdos adesset, qui casus solum in prima Constitutione excipiebatur. Quo quidem non modo absolutio est valida, sed sacerdos complex nullam poenam incurrit.

2° Quid vero, si pericula ista infamiae aut scandali reipsa non adsint, sed ea sibi confingat Confessarius complex? Decernit Pontifex absolutionem validam fore: quia non vult committere, ut poenitens sine absolutione decedat; sed sacerdos ille poenam intentatam incurrit.

3° Etiam in casu, quo pericula illa non sint mere conficta, si sacerdos complex non satagat, congruis mediis adhibitis quantum in se est, ut pericula illa removeantur; unde fiat, ut ipse audire confessionem et absolvere debeat: pari modo absolutio est valida ob praedictam salutis poenitentium causam; sed poenam, ut supra, sacerdos incurrit.

420. Praestat autem heic subiicere quamdam veluti synopsim earum Constitutionum, quam ipse Benedictus XIV. suppeditat in Opere *de Synodo* lib. 7. cap. 14. n. 4.

Quamquam autem haec Sanctissimi Praesulis (s. Caroli Borromaei) statuta, etiam generatim (sc. ne socius sceleris cuiusvis absolvi a socio Confessario valide posset) uti sonant, sint summopere commendanda et quilibet Antistitum sancte queat eorundem vestigiis insistere; negari tamen haud potest, maiorem quandam et graviorem inhonestatem in eo adesse, ut sacerdos illius personae confessionem excipiat, *cum qua impudicitiae scelus admisit* ac proinde statim ac Nos ad Petri cathedram evecti, totius Dominici gregis curam suscepimus, universali lege ediximus, ne ullus Confessarius extra casum necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi, ipso iure, quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam; ut legi potest in nostris Apostolicis Litteris, datis Kalendis Iunii 1741. quae exstant Bullarii nostri tom. I. Const. XX. §. 4. Ut porro conscientiarum tranquillitati consuleremus, aliis similibus litteris, datis die 8. Febr. 1745. quae habentur cit. tom.

Bullarii 120. declaravimus, ad rem, de qua agimus, perinde esse nullum adesse sacerdotem, praeter illum, cum quo poenitens inhoneste peccavit, aut eum tantum adesse, quem idem poenitens, constitutus in mortis articulo, eligere nequit *sine periculo se infamandi* aliisque malam sui suspicionem ingerendi; atque ideo, in eo rerum statu, non prohiberi, diximus, sacerdotem suae impudicitiae complicem absolvere, eundem tamen simul monuimus, ne praedictae infamiae aut scandali pericula sibi confingat, quae revera absint: quin imo voluimus, ut ea, cum potest, antevertat et removeat; secus enim poenas non effugiet in nostra prima Constitutione inobedientibus inflictas ».

421. Quod attinet ad praxim 1° tunc se ingereret Confessarius, quando sola ratione quod v. gr. est confessarius ordinarius, etiam non vocatus, ad infirmum se conferret et se offerret ad confessionem audiendam.

2° Reus esset crimine *non praecavendi* seu non ponendi media, si opportune non monuisset in antecessum poenitentem, non posse se excipere eius confessionem.

3° Pariter si accedens ad infirmum, non moneret tunc poenitentem, ut alium quaerat: siquidem circumstantiae sint tales, ut sine nota fieri id possit.

4° Id autem prospici et procurari debet, etiamsi non sponte iverit sed fuerit vocatus sive a parentibus ceu domesticis, sive ab ipso infirmo.

Difficultas autem vix ulla erit in re componenda, quando haec eveniant in eo loco, ubi plures ad manum sunt Confessarii sive seculares sive regulares. Quo in casu reus erit Confessarius, si prudenti aliqua ratione non se subtraxerit, v. gr. alio commigrans, aut aliter impedimentum sibi procurans.

Difficultas contra maxima esse potest, ubi non sint plures isti Confessarii, vel unus tantum sit cum presbytero, qui ad confessiones excipiendas non est approbatus.

Et quidem si alter tantum sit Confessarius, non est negandum, adiuncta quaedam concurrere posse, ut complex Confessarius cogatur absolvere. Si enim 1° infirmus dixerit cum domesticis, se alium non velle, aut 2° si Confessarius alius recuset (neque enim scit, quae urgeat necessitas), aut 3° si intercesserit v. gr. cum ea familia aliqua simultas etc. (a).

(a) Ceterum ex aliis quoque generalibus principiis pendet resolutio aliorum casuum, qui heic proponi solent. Quid enim si complex, ex necessitate, incipiat audire in articulo mortis confessionem complicis et interim adveniat alius sacerdos: an poterit ille inceptam confessionem explere et absolvere? Profecto: quia incepit cum iurisdictione:

422. Maxima autem est difficultas, ubi alius presbyter non est approbatus,

1° Nam presbyter complex criminis, sive quia parochus est sive quia alio titulo debet moribundis assistere, profecto non posset sine scandalo abire longe, ut alteri locus sit, suo enim officio graviter deesse videretur.

2° Neque persona infirma neque domestici cogitare possunt de vocando illo presbytero, quem constat non posse confessiones excipere, maxime si praesens alius sit, qui item non posset eum mittere, uti patet, quin suspicionem iniiciat etc.

3° Etiamsi persona infirma nosset impedimentum vocandi complicem Confessarium; tamen, ut ipse Benedictus XIV. advertit, si alium vocaret, suspicionem aliquam de se iniiceret, ad quod non tenetur.

4° Etiamsi simplex ille sacerdos vocaretur, profecto cum noverit vocari posse parochum, se excusaret et venire nollet et factum ipsum sua novitate suspiciones et scandala excitaret.

5° Eusebius Amort dicit disp. 10. §. II. q. 9., in tali casu sacerdotem complicem teneri monere personam moribundam, se non habere facultatem absolvendi ac consequenter ab ea simplicem sacerdotem advocandum sub alio praetextu v. gr. aliquid disponendi pro anima sua eique declarandi sub sigillo confessionis, quod ab altero sacerdote tanquam complice absolvi non possit.

Cur potius non suggerit, ut taceat hanc circumstantiam et dicat se velle cum eo confiteri, quando in illo articulo quilibet sacerdos pollet hac potestate? Cur aliam rationem obiicere non potest recusandi alium Confessarium approbatum? Dicat, quod non placet aut verecundia prohibetur.

Verum non facile concedetur, sacerdotem complicem teneri ad hanc sui diffamationem (ut praetermittamus inquirere, an praedicta et alia facile fieri possint). Utique etiam alio praetextu, v. gr. quod moribundus assidua indigeat praesentia alicuius Sacerdotis, iugiter autem non possit adesse parochus, quia v. gr. debet vel celebrare Missam, vel somnum capere, vel ad alium infirmum pergere, poterit alius vocari. Et quidem

---

porro iurisdictio data ad actum semper durat, quousque actus compleatur. Et quidem haec ratio facit, ut idem ei liceat, etsi, antequam absolvat, periculum mortis evanescat.

Quid vero, si, ob necessitatem, absoluto complice in articulo mortis, dein periculo transacto, confessio eiusdem perficienda sit, ut integritati fiat satis? Profecto si in articulo illo mortis iam directe peccatum complicitatis absolutum fuit, poterit rursus ille sacerdos audire confessionem et absolvere, non tamen ut Ball. censet, a peccato illo complicitatis. Si vero in eo articulo solum indirecte remissum fuit illud peccatum, nequit complex sacerdos confessionem eam excipere, ut iam dictum est; quia directe adhuc est remittendum peccatum, ad quod potestate caret sacerdos complex. — E.

si vocatus fuerit, etiam non explicata praedicta ratione, posset infirma persona petere, ut audiatur in confessione: quia nosse omnes id debent, tunc simplici sacerdoti fieri hanc facultatem et in tali casu necesse non foret, ut persona infirma proderet sui peccati complicem, nisi forte sub vaga nota personae sacrae. Verum istae hypotheses sunt chimaericae; quia infirmus, qui indiget eiusmodi assistentia, opus est ut viaticum iam sumpserit atque adeo confessionem iam peregerit.

Plane igitur concludamus, vix fieri casum posse, quo vocari alius simplex sacerdos, praesente approbato complice, possit: atque adeo vix unquam adesse *ausum illum temerarium,* ob quem complex sacerdos poenam incurrat.

423. Amort l. c. q. 8. quaerit, « an valida sit confessio et absolutio in articulo mortis, si persona moribunda posset quidem alteri confiteri; attamen, cum sit huius decreti ignara, audiatur et absolvatur a complice.

Et respondet: « In tali casu absolutio foret valida; absolvens tamen incurrit ipso facto excommunicationem. Ita enim expresse declaratur in Bulla ». Sed addere debuit, 1° si sacerdos, subtrahere se potuit, ut supra notavimus: 2° Etiamsi persona infirma non sit ignara decreti, quaerendum superest, an absint alia incommoda.

In nonnullis dioecesibus de iure particulari cautum fuerat, ne Sacerdos unquam excipere posset confessionem complicis, saltem copula consummata. Hoc tamen non semel reprobavit s. Congreg. Concilii et cum proponerentur Decreta Synodi Consentinae, licet huius Decreti propugnatores multa afferrent ad eius defensionem atque adesse negarent scandali periculum, quod praesertim in parvis locis alii ex eiusmodi decreto facile affuturum monebant, s. Congr. Conc. die 2. Dec. 1679. respondit: *Tale Decretum deleatur. Anal. Iur. Pontif.* p. 752.

Ita s. Congregatio sapientissime cavit, ne zelus arcendi fideles a malo, quod subinde nullis industriis aut conatibus parcit, limites alioqui prudentiae excedat: ex quo fortassis fiat, ut potestas a Christo data (2. *Cor.* XIII. 10.) potius in *destructionem*, quam in *aedificationem* cedat, dum remedii difficultas eum, quem a malo non cohibuit, in desperationis abyssum detrudit.

424. Et heic quidem se nobis offert quaestio multo salebrosior. Quid enim fiat, si alicubi mulier, quae misere in eiusmodi peccatum cum sacerdote lapsa fuerit, nullum alium, quocum peccatum illud sacramentaliter confiteatur, sacerdotem ibi habeat: ea vero sint personae, loci etc. adiuncta, ut ad quaerendum Confessarium alio divertere non possit nec spes affulgeat (ut contingere v. gr. in locis Missionum potest), alium sacerdotem unquam illuc adventurum? Dicemusne, mentem Pontificis

Benedicti XIV., dum istas Constitutiones promulgavit, hanc fuisse, ut miserrima mulier in hisce adiunctis per totius vitae decursum carere Ecclesiae sacramentis debeat, quousque in extremis vivendi momentis a sacerdote peccati complice, prouti Benedicti XIV. Constitutio fert, tandem absolvi possit? Quinimo, cum subinde ex insperato nec ullo morbo quasi adventus sui praemisso nuncio mors adveniat, dicemusne eandem mulierem hac etiam horrenda necessitate constringi, ut post illud peccatum iam periculum decedendi ex hac vita, ad plurimos quoque annos protracta, sine absolutione sacramentali subire debeat? Verum ecquid deinde agat, ubi annuae confessionis et communionis praeceptum urget? Dices, eam perpetuo sola contritione praemissa ad sacram mensam accedere posse imo et debere? Quid, ubi et populi scandalum et mulieris sequatur infamia, si palam fiat, eam ad Poenitentiae sacramentum nunquam per plures annos accedere? Suggeret quis forte, in hac necessitate cum eiusmodi poenitente agi posse non secus, ac cum habente reservatum atque adeo praetermissa culpa, in quam sacerdos non habet iurisdictionem, subiici absolutioni posse reliqua peccata; hoc autem pacto etiam culpam illam indirecte remitti. At enim ubinam et quando ista culpa clavibus Ecclesiae demum subiicietur? Fatendum est itaque, gravissimas, quocumque te denique verteris, difficultates occurrere nec facile, ut videtur, quispiam ad aliquid in re tam gravi definiendum proprio tantum innixus iudicio progredietur.

425. Duo tamen sunt, quae satis perspicua videri possunt. Unum est, Benedictum XIV., dum Confessario criminis complici iurisdictionem ad absolvendum ab eodem crimine complicem abstulit, voluisse quidem gravissimi scandali occasionem removere, nequaquam autem poenitenti viam reconciliationis a Christo Domino constitutam ac fidelibus omnibus impositam praecludere: imo vero idcirco Confessarium criminis complicem ad huius reconciliationis ministerium inhabilem effecisse, quo aptius et certius haec alterius sacerdotis ministerio obtineretur; supposuisse id igitur, quod fere contingit (ac multo magis per eam aetatem contingebat), alios non deesse sacerdotes, a quibus poenitens iuxta legem a Christo constitutam peccati sui remissionem per confessionem et sacramentalem absolutionem quaereret. Quocirca haud longissime forte a veritate ille aberraverit, qui putet, de praesenti hypothesi utpote prorsus extraordinaria frustra in illis Constitutionibus definitionem requiri.

Alterum est, Ecclesiae mentem et praxim nunquam hanc exstitisse, ut quandocumque iurisdictionem ad quaedam remittenda peccata restringit seu aufert eorumque absolutionem certis quibusdam reservat,

committere per hoc voluerit, ut posthabita Christi lege de peccatorum venia per sacramentum poenitentiae quaerenda et obtinenda, iustificationis gratiam solum per contritionem aut etiam solum per indirectam criminum remissionem fideles consequerentur. Utcumque enim haec media ad gratiam reconciliationis cum Deo atque adeo ad aeternae salutis consecutionem sufficientia videantur ac reipsa sint; Ecclesia tamen oeconomiam a Christo praestitutam, quantum in se est, negligi non permittit. Hinc illa Tridentini Concilii sess. 14. cap. 7. sententia: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Neque vero existimandum est, id ab Ecclesia pro mortis tantummodo articulo seu periculo cautum fuisse. Ex eiusdem nimirum Ecclesiae sensu, qui manifestissime se nobis prodit in sacris Canonibus et unanimi catholicarum scholarum sententia, quoties contingat, ut quis *ad illum, a quo alias de iure fuerat absolvendus, nequeat propter legitimum impedimentum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio* (c. *Eos qui* 22. *de Sent. Excom.* in 6.) hic absolvi possit. Quod idem in cap. *Ea noscitur* 13. *de Sent. Excomm.*, et cap. *Quamvis* 58. eod. tit. constitutum reperimus. Porro iuxta scholarum catholicarum doctrinam (cf. n. 672.), id obtinet, quando impedimentum adeundi eum, qui facultate absolvendi pollet, ad *longum tempus,* quod *a sex* computatur mensibus, perseveret. Quid vero, quod catholicis, in schismaticorum regione degentibus, si forte gravatos se peccatis sentiant, nec satis consultum putent paci conscientiae per contritionem, Ecclesia non interdicit, ut deficiente catholico sacerdote, absolutionem sacramentalem a schismatico sacerdote requirant? Alienissimum igitur ab Ecclesiae mente et consuetudine est, iurisdictionem ad Poenitentiae sacramentum administrandum necessariam ita coarctare aut ligare, ut haec coarctata seu ligata tunc etiam maneat, quando ad eos, qui illam ligatam seu coarctatam non habent, peccatori nullus per diuturnum tempus ac multo magis per totius vitae decursum aditus pateat.

426. Diffitendum tamen non est, inter praesentem quaestionem et generalem quaestionem de peccatis reservatis haud leve intercedere discrimen. Nam licet par videatur utriusque casus conditio, ubi in confitendi necessitate solus consideratur alterius Confessarii defectus, dispar tamen est ratio incommodi, quod in praesenti ex confessione cum *tali sacerdote* peragenda timeri potest. Cui quidem difficultati illud unum responderi forte poterit, metum incommodi, quod voluntarium dici queat, quia voluntatis nostrae sit libere illud admittere vel removere, efficere nec posse nec debere, ut ea omittantur, quae neces-

saria videantur. Exinde ipse quoque Benedictus XIV. eiusmodi incommodum non eo usque veritus est, ut Confessarium complicem ab excipienda complicis confessione etiam ubi necessitas urgeret, arcendum putaret. Piae matris Ecclesiae nimirum est, filiis suis in necessariis non deesse ac propterea necessarium Sacramenti praesidium in iis adiunctis non subtrahere, ne si quis pereat, huius perditio in matris potius incuriam aut severitatem, quam in filiorum proterviam refundatur. Sed et aliis quoque de causis contingit, ut confessio sacramentalis vel sacerdoti ob alicuius poenitentis conditiones, vel poenitenti ob conditiones sacerdotis haud inanem alicuius incommodi timorem ingerat. Ecquis tamen idcirco aut sacerdotem a ministerio exhibendo, aut poenitentem a confessione peragenda absterrendum dicat, ubi sacramenti susceptio necessaria appareat? Quando scilicet sacramenti usum necessitas postulat, necessarium praesidium hinc quidem nullo modo est negandum, inde vero non negligendum. Quo praesidio si quis abutatur, culpa ruinae in illius malitiam, qui bono uti bene noluit, tota recidet.

427. S. Alphonsus addit duas quaestiones.

Prima est n. 556. an excommunicationem incurrat sacerdos, qui confessionem audit, non tamen absolvit. Et dicit, se de hac re olim consuluisse sacram Poenitentiariam, quae die 9. Iul. 1751. respondit absolute: Non vitari excommunicationem a praedicto Confessario per fictionem absolutionis. Subdit s. Alph.: « Et huic sententiae ego iamdudum adhaesi; sed postea cum percurrissem Constitutionem eiusdem Pontificis Bened. XIV. *Inter praeteritos* (3. Dec. 1749. Bullar. tom. III. n. 21.) §. 59. oppositum satis declaratum reperiri, ut patet ex sequentibus verbis: « Praeterea non minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit poenitentis *eumque absolvit*, vel in articulo mortis *absolvit*, cum alius sacerdos non desit, sive qui, cum alius sit sacerdos, sibi fingit, quod si poenitens illi confiteatur, infamia aut scandalum inde oriturum si et ideo eius confessionem excipit atque eum *absolvit*, excommunicationis maioris poena a nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit etc. ».

Putare quis posset, forte non repugnare eam responsionem cum Constitutione Pontificia. Nam verba illa Responsi S. Poenitentiariae: *per fictionem absolutionis*, ingerunt suspicionem, Poenitentiariam excogitasse casum diversum a proposito, scil. sacerdotem fingere, se dare absolutionem. Verum nec sic admitti posset ista responsio; quia poena imponitur *absolventi*, non vero *fingenti* absolutionem. Et cum de poenis agitur, valet regula, quod absurde transferantur ad alios casus (a).

(a) Responsio s. Poenitentiariae alia affertur, data 1. Mart. 1878: Confessarios, simulantes absolutionem complicis in peccato turpi, non effugere excommunicationem re-

428. Altera quaestio. Cum in sessione 24. Concilii Tridentini *de Reform.* cap. 6. dicatur: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari: idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum »: quaeritur, An Episcopus possit absolvere Confessarium, qui incurrerit excommunicationem ob complicem in peccato turpi absolutum. Casus enim hic non potest occurrere nisi occultus. Ergo si posset Episcopus aut ab eo delegatus absolvere, reservatio Pontificis evaderet inutilis et elusoria. Doctrina autem recepta est, legem posteriorem, quae non possit habere effectum nisi derogetur privilegio prius concesso ab eodem Superiore, derogare necessario generaliter priori illi privilegio, ne lex reddatur frustratoria. Ita ex Fagnano s. Alphonsus n. 556.

Respondet tamen s. Alphonsus ibid., probabiliter hanc facultatem Episcopis inesse. Nam reipsa lex non frustratur; tum quia aliquis casus potest esse non occultus, tum quia Romae haec reservatio plane locum semper habet, tum quia habet locum in illis regionibus, ubi non est promulgatum concilium Tridentinum. Vid. Auctoritates aliorum apud eundem s. Alph. l. c.

Nunc per novam Pii PP. IX. Constitutionem quaestio resolvenda est ita, ut dicatur, non posse absolvere. Nam licet in eadem Constitutione disserte statuatur, firmam manere facultatem Episcopis concessam in

---

servatam in Bulla Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae*. Porro hanc responsionem confirmavit suprema Inquis. C. cui hoc dubium propositum fuit. « Omnes Constit. *Apostolicae Sedis* commentatores docent, illum Confessarium excommunicationi non subiici, qui complicem in peccato turpi absolvere fingit, sed reipsa non absolvit. Contrarium tamen declaravit s. Poenitentiaria 1. Mart. 1878. An potest orator permittere, ut in suo seminario doceatur praefata commentatorum sententia, responsioni s. Poenitentiariae opposita » Porro E.mi PP... responderunt « negative, facto verbo cum SS.mo ». SS. autem D. N. has resolutiones probasse testatus est Card. Bilio Episcopo postulanti 10. Dec. 1883.

Dicitur haec esse interpretatio Constitutionis *extensiva*: sed certe postulatur ab ipso scopo Constitutionis, ut eam iam implicite ipsa Constitutio contineat, quae tandem loquens de absolutione, quam complex audeat dare, nonnisi de ficta aliqua absolutione loqui potuit.

Praeterea s. Poenit. approbante ss. Pont. Leo XIII. die 14. Febr. 1896. declaravit, excommunicationem reservatam in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* non effugere Confessarios absolventes, vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit sive directe sive indirecte. — E.

cap. *Liceat;* tamen excipiuntur casus *speciali modo* reservati Sedi Apostolicae: porro inter eos n. 10. habetur excommunicatio inflicta sacerdoti, qui complicem etc. absolvere praesumpserit.

Dub. IV.

De reservatione casuum.

CII. Resp. 1. Reservatio haec est negatio iurisdictionis circa aliquod peccatum. Ac certum est, in Ecclesia potestatem esse quaedam peccata reservandi, a quibus inferiores Confessarii non possint absolvere, ut sic subditi melius dirigantur et absterreantur a peccatis, quorum difficilem remissionem vident; quanquam, nisi graves causae sint, non debeat quivis, neque qui potest, quidvis facile reservare neque difficulter veniam dare absolvendi a reservatis, ne alioqui cedat in destructionem, quod debebat in aedificationem. Porro etsi quivis Ordinarius potestatem habeat reservandi, in Parochis tamen consuetudo eam abrogavit. Vide Suar. d. 30. sect. 5. Card. de Lugo d. 15. sect. 6. §. 3.

429. Definitur reservatio: *ablatio seu non concessio iurisdictionis ad absolvendum ab aliquo peccato, quamvis circa alia concedatur* (a).

Quoad Ecclesiae potestatem, satis sit attulisse Tridentinum, sess. 14. cap. 7.: « Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut *atrociora quaedam* et *graviora crimina* non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in *aedificationem tamen, non in destructionem*, liceat, pro illis *in subditos* tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura adnexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere ».

Quibus consonat canon. 11. eiusdem sessionis 14.: « Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus, sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit ».

Hinc habes illud, quod principii loco statuendum est quodque Lugo disp. 20. n. 9. sic clare effert: « Regula generalis est, eorum peccata posse reservari, qui subditi sunt reservantis in hoc foro sacramentali »; nemo enim sibi potest reservare causas, nisi quas legitime iudicare ipse potest; nequit autem legitime iudicare nisi causas subditorum.

(a) Est scilicet revocatio causae ab inferioris ad superioris tribunal, ut a superiore vel eius delegatis causa cognoscatur et iudicetur. — E.

430. Porro nomine Episcopi intelligitur quisquis episcopalem aut quasi Episcopalem habet iurisdictionem et non subiicitur alteri dioecesano. Ita s. Congregatio 5. Iul. an. 1582. apud Fagnanum in cap. *Olim de Praescription.* n. 24.: « S. Congregatio Concilii consulta, an inferior aliquis ab Ordinario in ea parte Dioecesis, quae iurisdictioni suae subiecta est, possit sibi reservare aliquos casus, quemadmodum Ordinariis licet in suis dioecesibus, die 5. Iul. 1582. respondit, posse, si tamen habeat iurisdictionem *quasi Episcopalem* in eo loco et nulli Dioecesano subsit nec ipse nec eius subditi ».

Unde patet, hanc facultatem non habere parochos. Auctor dicit, quod consuetudo abrogavit hanc parochi potestatem: melius dic, sublatam occasionem esse, quia vix unquam a parochis iurisdictio delegari potest et idcirco dari circumscripta limitibus: datam autem aliis ab Episcopo utpote a superiore, ipsi coarctare non possunt.

Dissentire tamen videntur Salmanticenses, ubi aiunt *de Poenit.* cap. 13. n. 2.: « Superiores, qui reservare possunt, sunt Summus Pontifex in universa Ecclesia, Episcopi in suis dioecesibus, Praelati in suis Religionibus et *Parochus in sua parochia respectu sacerdotum*, quibus ipse delegat potestatem; quamvis parochi id facere non consueverint ». At enim 1° postquam Tridentinum decrevit, ut nemo audiret confessiones, nisi *approbatus* ab Episcopo, sacerdotes solent habere delegatam potestatem ab Episcopo nec casus occurrit, in quo delegetur haec a parochis; deberent enim eam delegare approbatis ab Episcopo, Episcopi autem solent simul cum approbatione iurisdictionem conferre: porro iurisdictionem ab Episcopo, utpote superiore datam, nequeunt parochi coarctare.

2° Forte post Tridentinum non videtur locus huic parochorum potestati esse, quia Concilium eam soli Papae et Episcopis, non autem aliis tribuit. Et sic videtur non *sola consuetudo* hanc facultatem abrogasse, uti supponit Auctor noster. Tamen Auctor forte prae oculis habuit casum, quo v. gr. Parochus delegat potestatem non quidem approbato ab Episcopo, sed habenti in alia dioecesi beneficium parochiale: in quo casu non constat, parochum non delegare posse.

431. Consideranda insuper verba Tridentini: « *In aedificationem, non in destructionem liceat* etc. ».

Consentiunt communiter DD. ut ait s. Alphons. n. 579., *peccare graviter* superiores, qui sine rationabili causa casus reservant. Addit Suarez *de Poenit.* disp. 29. sect. 4. n. 1.: « Certum est, superiores non licite facere hanc reservationem, nisi ex iusta causa; quia per se est onerosa subditis et difficilem reddit usum sacramenti » et quamplures, subdit Lugo *de Poenit.* disp. 20. n. 30., ob absolutionis dif-

ficultatem iacerent in statu peccati et sacramentorum remediis non uterentur ».

Excessus autem reservationis, ut notat Lugo disp. 20. n. 33. « non tam ex multitudine casuum reservatorum, quam ex eorum qualitate pensandus est. Unde ut reservatio Episcopi nimia sit, non requiritur, quod plures peccatorum species reservet, quam Papa: sed attendendum est ad eorum qualitatem. Nam casus Summo Pontifici reservati, communiter loquendo, sunt raro contingentes et vix in mille poenitentibus invenies unum, qui in eiusmodi peccata inciderit. Unde si Episcopus reservaret duo vel tria genera peccatorum, v. gr. *actus et verba lasciva*, *furtum rei gravis*, *simplicem blasphemiam et imprecationem*, multo gravior esset haec reservatio, quam tota reservatio pontificia; quia propter maiorem frequentiam horum peccatorum multo difficilius redderetur subditis sacramentum Poenitentiae ».

432. Sed alia fit quaestio, quam tangit s. Alphonsus n. 579., an *valida* sit reservatio ista, quae et causa rationabili caret et gravia gignit incommoda. Et dubium moveri potest ex eo, quod allata Tridentini decreta faciunt *ius seu facultatem* reservandi solum in aedificationem.

Quaestio haec tamen non fit reipsa de Pontifice (vid. Lugo disp. 20. n. 30. et Suarez disp. 29. sect. 4. n. 6.), sed de Episcopis et quidem respectu eorum, quorum potestas per reservationem limitatur, non autem eorum, qui potestatem habent delegatam, quorum potestas libere per reservationem circumscribitur, sed respectu eorum, quibus competit ordinaria iurisdictio, ut sunt parochi. Lugo ibid. n. 34. et Suarez l. c. nn. 1. 2.

Porro Lugo l. c. n. 36. affirmat, concedi posse, aliquam reservationem, propter excessum, invalidam fieri. Ducitur autem hac ratione, quod Episcopus invalide aufert officium parocho: atqui excessus iste reservationis censetur mutatio gravis inducta quoad parochi officium: parochi enim officium constituitur per potestatem ad hos illosve actus, inter quos praecipuum locum habet potestas absolvendi.

Et egregie ibidem Lugo n. 38. solvit nonnullas difficultates adductas a Suarez, qui alioquin non negat, sententiam Lugo esse probabilem l. c. n. 8.

Bene tamen inter haec Lugo ibid. n. 32.: « Controversia in ordine ad praxim parum potest deservire; nam licet cum prima sententia dicas, reservationem esse invalidam: in praxi tamen non potest moraliter occurrere casus, in quo de reservatione heic et nunc facta iudicari possit, esse invalidam ».

433. Interim perpende 1°. Monitum S. C. EE. et RR. 26. Nov. 1602. « De ipsius S. suae mandato Ordinarii monentur, ut per totam suam

Dioecesim ac praesertim in iis locis, qui a civitate et cathedrali sede longius remoti sunt, poenitentiarios aliosve sacerdotes constituant ac delegent, quibus facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis concedant ita, ut his quoque liceat, eamdem aliis Confessariis, si opus sit, etiam viva voce impertiri.

2° Declarationem eiusdem S. C. 26. Nov. 1602. « Facultatem et licentiam absolvendi a casibus reservatis... etiam sola viva voce concedi posse declarat ».

3° Praeceptum s. Sedis. « In parvis communitatibus superiores omnino debent deputare habitualiter unum Confessarium ex Religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis. S. C. EE. RR. 16. Aug. 1866. approbatum et confirmatum a Pio IX. die seq.

Cum numerus canonicus religiosorum sit duodecim (cf. tr. IX. Vol. IV. 215.): parvae communitates eae censendae videntur, quae sint infra illum numerum, qui tamen minor numerus his temporibus legitimus habetur. Cf. tr. cit. n. 212. 3. 5.

Unde resolves.

CIII. Cum non sit obligatio confitendi venialia, ea frustra reservantur, etsi fortasse possint, saltem a Papa; ideoque sola mortalia, eaque nonnisi externa, graviora, opere consummata, prudenter reservantur. Unde Clemens octavus statuit, ut Praelati Religionum, si quidem velint, undecim tantum casus reservare possint, nec plures sine consensu Capituli generalis pro tota religione, vel Capituli provincialis pro provincia. Quod tamen de culpa tantum et non censuris intelligendum est; potest enim Praelatus aliquid praecipere sub excommunicatione sibi reservata. Casus autem Clementis sunt sequentes.

1. Apostasia a religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna ac furtiva e monasterio egressio. 3. Veneficia, incantationes et sortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus monasterii.. 6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. Iuramentum falsum in iudicio legitimo. 8. Procuratio, consilium, vel auxilium, ad abortum foetus animati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae. 10. Falsificatio manus, vel sigilli officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores, vel contra.

434. Frustra venialia reservantur 1° quia poenitens non tenetur ea confiteri: 2° quia Confessarius potest absolutionem impertiri quoad alia peccata (Suar. disp. 29. sect. 3. n. 2.), etiamsi non remittat illa venialia.

Reservatio ergo esset mera prohibitio absolvendi ab iis culpis; nisi ageretur de eo, qui unice afferret illud veniale pro materia absolutionis: quo in casu nullum posset confici sacramentum.

Et haec quidem concedunt etiam illi, qui defendunt, posse reservari,

scil. esse actum fere inutilem, nec esse in usu Ecclesiae. Suar. l. c. Lugo disp. 20. n. 12.

435. Ut ergo peccatum sub reservationem cadere dicatur, tria illa requiri solent, quae Auctor innuit: nempe 1° ut si mortale, 2° ut sit externum, 3° ut sit in suo genere consummatum.

Et cum dicitur *externum*, non negatur potestas reservandi mere interna. Nec ad rem facit, quod non prohibeantur aut praecipiantur ab Ecclesia actus mere interni; quia in praesenti potestas non exeritur circa actus hominis sed in concessione iurisdictionis respectu absolutionis. quae datur tam a peccatis internis quam ab externis. Ita etiam potest Pontifex sibi reservare dispensationem voti mere interni. Lugo, disp. 20. n. 13.

In praxi tamen non solent interna reservari neque id expedit. Reservatio enim, ut prudenter fiat, supponit specialem necessitatem peccata coercendi aut adhibendi medium speciale: haec autem non adest quoad peccata mere interna; quia si peccator revera non corrigitur, cito progredietur ad actum externum, qui ratione criminis poterit reservari. Lugo disp. 20. n. 14.

Sed quando dicitur, debere esse *externum*, hoc maxime significatur quod quando reservatur peccatum mortale contra aliquam virtutem, v. gr. castitatem, iustitiam, caritatem etc., si in actum *externum prodeat*, non censetur reservatum, nisi etiam actio exterior secundum se habeat gravitatem, licet peccatum alioquin ex prava intentione interius fuerit grave.

Proinde non erit reservatum, si quis ex intentione mortali et gravi contra castitatem dicat alteri aliquod verbum turpe ex *se leve*, vel exerceat aliquam actionem externam ex *se levem* et eodem modo non erit reservatum peccatum contra iustitiam, si levis in se sit aut detractio, aut furtum, aut percussio, licet ex pravo animo intenderis grave inferre damnum etc.

Pari ratione, etiamsi grave sit ratione actionis externae in se spectatae, tamen si ex deliberationis plenae defectu non pertingat ad gravem culpam formalem, non erit reservatum; quia, ut diximus primo loco, debet esse peccatum mortale.

Denique dicitur, quod peccatum debet esse consummatum et perfectum in genere suo. Quia reservatio est odiosa; odia autem sunt restringenda ex communi axiomate. Atque ita reservantes suas reservationes intelligunt.

Hinc s. Alphonsus n. 582. monet, quod si v. gr. reservetur sodomia, reservatum non erit peccatum huiusmodi a viro patratum cum femina, aut si cum viro, non tamen actus fuerit omnino perfectus. Et si re-

servetur incestus, non erit pariter reservatum nisi incestus proprie dictus, non autem spiritualis, cum persona scil. coniuncta solum cognatione legali aut spirituali, et nisi praeterea actus sit utrinque consummatus.

Verum si reservaretur generatim peccatum contra quampiam virtutem, v. gr. *quilibet lapsus carnis*, exteriori opere secuto, tunc etiam actus imperfecti forent reservati, dummodo exterior actio per se sit peccatum mortale.

436. In notula, quae est s. Alphonsi n. 583. bene advertitur, contra sententiam A., non posse praelatos regulares reservare casus plures, quam permittat Constitutio Clementis VIII. et hoc neque per censuram; quia sic eluderetur prohibitio Clementina. Vid. Diana tom. 7. tr. 1. r. 114. al. p. 3. tr. 2. res. 49. Lugo *de Poenit.* d. 20. n. 47. refert hoc decretum s. Congr. Regular.: « Cum a nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto fel. rec. Clementis VIII. an. 1593. 16. Maii super qualitate casuum ab eorundem Regularium Superioribus reservandorum edito, censurae comprehenderentur, ita ut iisdem Superioribus absque Capituli generalis aut Provincialis consensu, aliquibus peccatis in decreto eiusmodi non contentis excommunicationem adnectere eisdemque absolutionem sibi reservare liceat? S. Congregatio Cardinalium negotiis Regularium praepositorum, illmo Bandinio referente, censuras in supradicto decreto comprehendi censuit. Romae 7. Iul. 1617. Interveniente autem consensu capituli id eis licebat, sicut eis licet hoc pacto alios reservare casus praeter clementinos.

Bene notat s. Alphonsus ibid., quod reservationi Episcopi non subiacent Religiosi exempti nec novitii, imo nec familiares, qui inibi sint quasi de familia et continui commensales et etiam alumni monasteriorum, v. gr. qui educantur apud Benedictinos aut Canonicos Regulares. Praeterea novitius, qui ante ingressum religionis, inciderit in casum reservatum, potest absolvi a Confessario religionis ob privilegium Religioni concessum. Cuius doctrinae ratio infra tradetur.

CIV. 2. Is, qui confitetur reservatum, mittendus est ad superiorem: suadebit tamen caritas, imo aliquando coget, ut ipse Confessarius tacita persona et casu, a superiore veniam petat absolvendi. Quod si superior adiri non possit et sit causa urgens, verbi gratia, timor infamiae, vel scandali, ex omissione confessionis vel communionis, tunc potest inferior absolvere a reservatis, cum onere, ut poenitens se postea superiori sistat. Quod etiam verum est, quamvis casus censuram reservatam adnexam habeat. Porro eo casu peccata non reservata tantum confiteri sufficere, putant probabiliter Sotus, Corduba et Gabr. Anton. Palaus, Dian. t. 2. tract. 4. res. 104. et Lugo d. 4. *de Euch.* n. 87. non improbat. D. Th. tamen, Suar. et alii commun. docent omnia esse confitenda, quod tutius est.

437. S. Alphonsus n. 584. tanquam ex sententia Tamburini dicit: « Ordinarie tamen loquendo, consultum est, ut Confessarius a subeundo

tali onere (petendi a Superiore facultatem absolvendi a reservato, tacita persona) se abstineat ».

Sed Tamburini nihil tale habet et solum dicit, Confessarium ad hoc non obligari. Ita ille *Method. Exped. confess.* lib. 3. cap. 3. §. 4. n. 17.: « Nunquam obligabitur Confessor Superiorem convenire propter peccatum reservatum poenitentis. Ita Sanchez... Palaus... Nam vel poenitens potest adire praedictum superiorem et tunc non extreme indiget: vel non potest, quia v. gr. est infirmus in gravi periculo, aut habet impedimentum perpetuum adeundi Superiorem et tunc hic casus non est reservatus et consequenter Confessor, iuxta regulas generales absolvendi in articulo seu periculo mortis, poterit eum absolvere; neque enim poenitens obligatur mittere alium sive procuratorem, sive litteras, sive amicum: cum illud se praesentandi sit onus personale, a quo, cum non possit, excusabitur ».

Puto autem s. Alphonsum, ex mero oculi errore de hoc puncto putasse id dictum a Tamburinio, quod Tamburinius de alio onere affirmat ibid. n. 13. scil. de facienda loco poenitentis correctione fraterna; qua de re reipsa dicit Tamburinius, optimum esse, ut Confessarius abstineat.

Habemus tamen, sententiam esse s. Doctoris, quod ordinarie consultum sit, ut Confessarius a subeundo illo onere abstineat. Secus sane finis reservationis magna ex parte saltem non obtineretur, si tam facile a quolibet Confessario posset peccator absolvi. Atque haec est sententia Trid. sess. 14. c. 7. « Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices, pro beneficio absolutionis accedant ».

438. Ut casus verificetur quod nequeat superior adiri, oportet non solum, ut non possit adiri Superior, sed etiam ut desit alius, qui habeat facultatem delegatam a Superiore.

Quod vero deficiente alio, qui habet facultatem, possit etiam *inferior*, scil. carens facultate in reservata, absolvere poenitentem, SI ADSIT CAUSA URGENS, s. Alphonsus n. 585. merito dicit esse sententiam COMMUNEM (a). Et id intelligitur tam de reservatis Episcopo, quam de

---

(a) Pro hac et seqq. propositionibus iuverit haec animadvertere.

1° Nomine *casuum reservatorum* « recepto et usitato more loquendi et illi veniunt, qui censuram habent annexam » (Suarez *de Censuris* l. 7. c. 4. n. 13.). Et sane nemo est, qui, sive petat sive concedat facultatem absolvendi, non utrumque intelligat, d'Annibale V. 1. §. 347. not. 16.

Atque ita Trid. Syn. sess. 14. cp. 7. et cn. 11. nomine reservationis utramque intelligit, peccati et censurae et sess. 24. *de Reform.* c. 6. nomine *casuum reservatorum*, peccata et censuras intelligit.

2° Si non Theologorum sed ipsius Iuris ratio habeatur, dicendum videtur, quod cum ex aliqua vera necessitate inferior Confessarius absolvit habentem reservata Rom.

reservatis Pontifici, sive sit sive non sit adnexa censura. At s. Alph., qui hoc loco dicit communiter hoc tradi a Doctoribus, alibi tamen scil. n. 596. q. 1., quamvis hanc ipsam sententiam dicat communiorem

---

Pontifici cum censura (quidni et sine censura?), potest *directe* absolvere a reservatis. Conferatur, c. *Nuper*, *de Sent. Excomm.* « Si difficile sit *ex aliqua iusta causa*, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut praestita, iuxta formam Ecclesiae, cautione, quod excommunicatus mandato Ecclesiae parebit, a suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote ». Absolutio intelligitur a reservatis; haec est enim quae per indulgentiam conceditur; haec porro est absolutio directa. Quoties ergo necessitas quaedam est sacramenti Poenitentiae suscipiendi, si adiri nequit superior, absolvit ab iisdem peccatis inferior a quibus superior absolveret, obligatione tamen imposita parendi mandatis excommunicatoris, ideoque, ut in mox afferendo canone, dicitur, se eidem, cum commode poterit, praesentandi. Quae quidem aditio superioris non eo spectat, ut absolutionem a censura aut peccato ab eo obtineat, sed ut humiliter recipiat mandatum super illis, pro quibus excommunicatus fuerat. Ita c. *Eos qui*, *de Sent. Excomm.* in 6. « Eos, qui a sententia canonis vel hominis, cum ad illum, a quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt, propter imminens mortis periculum aut *aliud impedimentum legitimum* (vides quodvis legitimum impedimentum periculo mortis comparari) pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvuntur, si, cessante postea periculo vel impedimento huiusmodi, se illi, a quo, his cessantibus, absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint praesentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi et satisfacturi prout iustitia suadebit: decernimus (ne sic censurae illudant ecclesiasticae), in eandem sententiam (excommunicationis scilicet) recidere ipso iure ».

Ergo cum absoluti ab alio fuerunt, a censura Confessarius eos absolvit, secus non esset locus reincidentiae: absoluti vero a censura et a peccato directe absoluti sunt, quae, cessante censura, non sunt amplius reservata. Nec alia superest obligatio, nisi ut statim ac commode poterint, se sistant superiori, mandatum (non absolutionem directam) eius recepturi.

Ita c. *Quamvis*, *de Sent. Excomm.* « Quamvis incidens in canonem latae sententiae propter violentam manuum iniectionem, iuxta proprias facultates eis satisfaciat, quibus iniurias irrogavit, non tamen aliter, quam per Sedem Apostolicam vel eius legatum absolutionis potest beneficium obtinere, nisi imminente mortis articulo, *infirmitate*, *inimicitia*, *inopia*, *puerili vel senili aetate*, *fragilitate sexus seu alia corporis impotentia*, *sive quolibet impedimento canonico* retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire vel nisi iuris beneficio a labore huiusmodi excusetur. Ceterum quibusdam praedictorum videlicet qui temporali impedimento laborant (exceptis pueris), sub debito iuramenti, quod secundum Ecclesiae formam praestare tenentur consuevit iniungi, ut impedimento cessante, ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter recepturi ». Cum agatur de excommunicato ob violentam manuum iniectionem in clericum, quod est speciale crimen, cautio iuratoria exigenda dicitur ante absolutionem.

Ex his ergo constat, quod cum inferior potest absolvere habentem reservata Pontifici, ab iis, iuxta ius canonicum directe absolvit: potest autem quoties ex aliqua iusta causa difficile est adire Pontificem et necessitas quaedam urget obtinendae absolutionis.

Hunc esse sensum canonum et supponit decretum S. O. 23. Iun. 1886. et rursus confirmavit. Sane interrogata fuit s. I. C.: « 1° Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens, ad Episcopum aut ad quemlibet alium sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papae reservatarum, quando poenitens versatur in impossibilitate adeundi s. Sedem. 2° Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad Em. s. Poenitentiariae Praefectum pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum (praeterquam in articulo mortis) ad obtinendam absolvendi facultatem ».

Responsum est: Ad 1^m^, attenta praxi s. Poenitentiariae, praesertim ab edita Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis*, negative.

Ad 2^m^, affirmative. At in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo Confessariorum conscientia oneratur, *dari posse absolutionem*, iniunctis de iure iniungendis, *a censuris etiam speciali modo summo Pontifici reservatis*, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi,

et probabiliorem, simul tamen dicit probabilem opinionem oppositam. Vid. infr. sub §. CXII.

Causam urgentem, seu gravem explicat Auctor, quando non adest

---

saltem infra mensem, per epistolam et per medium Confessarii absolutus recurrat ad s. Sedem ».

« Facto verbo cum Sanctissimo. Santissimus resolutionem Emm. PP. approbavit et confirmavit » 23. Iun. 1886.

Adverte, opus per se non esse, ut per confessarium scribatur, potest enim ipse poenitens scribere, ut respondit s. Poenit. 7. Nov. 1888. ad 6m. Et sane is tenetur, cuius interest. Potest autem scribere, ut ait s. Poenit. *tacito proprio nomine.*

Ceterum, ait d'Annibale V. 1, n. 349. not. 40., decretum hoc semper sic accipiendum est, si fieri possit citra omne prorsus non improbabile evulgationis periculum... Et ad casus Ordinariis vel ab Ordinariis reservatos non pertinet ».

Ergo 1° urgente rationabili causa, quilibet Confessarius absolvit a censura, censurae autem absolutio non est nisi directa: cessante autem censura cessat reservatio peccati, a quo proinde Confessarius directe absolvit. Absolutio proinde, quae in casibus urgentibus differri non posse dicitur, est absolutio directa.

Iam vero 2° vides heic de absolutione indirecta a peccatis reservatis, qua in casibus urgentioribus succurri posset necessitati poenitentis ne verbum quidem fieri: nimirum, cum necessitati poenitentis succurrendum est, absolutionem directam a reservatis dandam esse et hunc esse Ecclesiae sensum supposuerunt Patres. Cf. intra sub n. 5°. responsum s. C. 19 Aug. 1891. ad 3m.

Dices: nonne Trid. docet sess. 14. c. 7. « Extra articulum mortis nihil posse sacerdotes in reservatis »? Respondeo idem affirmare Pontifices, quoties sibi reservant casus: id tamen non excludere, quominus, iusta exsistente causa, possint ea peccata directe ab aliis absolvi; ut liquet in canonibus citatis. Et sane ipsa Trid. Synod. hanc admittit exceptionem, quam alioquin, cum sit a iure, opus haud erat disserte exprimere. Etenim ait quidem, inferiores nihil posse, sed satis clare supponit, potestatem esse adeundi superiores. Ait enim: « Extra quem articulum, sacerdotes, cum nihil possint, in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant ».

Porro nomine superiorum et illi veniunt qui facultatem habent delegatam ab habente ordinariam. D'Annibale Summ. I. 347.

3° Quamvis impedimentum adeundi Pontificem Theologi distinguere soleant triplex; nempe impedimentum *brevis temporis* h. e. infra sex menses, impedimentum *longi temporis*, quod ad annum vel saltem sex menses durat, impedimentum *perpetuum*, cuiusmodi censetur quod saltem quinquennium creditur duraturum, etsi deinceps per accidens citius cesset: in iure tamen distinctio inter impedimentum brevis et impedimentum longi temporis non occurrit: sed praeter perpetuum, mentio fit tantum *temporalis* impedimenti (c. *Quamvis* supr. cit.) et generatim facultas absolvendi conceditur, exsistente impedimento, quodcumque sit, dummodo sit legitimum, sive, ut alia formula dicitur, *iusta aliqua* exsistente *causa*, quae difficilem reddat aditionem s. Sedis (c. *Nuper cit.*).

Si impedimentum adeundi Romam perpetuum sit, ex iure vetere nulla erat obligatio se sistendi Rom. Pontifici h. e. eum adeundi sive per se sive per procuratorem; cessabat scilicet reservatio, ut poenitens absolvi posset vel ab Episcopo vel a proprio sacerdote. At nunc, cum obligatio sit vel adeundi Romam vel scribendi seu per se ipsum seu per confessarium atque id semper, a quolibet, serius ocyus, fieri possit; non amplius locus est impedimento huic quoad casus papales.

Si impedimentum sit temporale, absolutus interea a censura tenetur, cum fieri potest, sistere se Rom. Pontifici, mandata eius recepturus: constat ex cann. citatis. Nunc, vel se sistere tenetur vel scribere.

Praeterea s. C. s. O. declaravit, inter casus urgentiores et illum contineri, *cum* scilicet *durum valde est poenitenti in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi,* ut idcirco tunc liceat simplici confessario absolvere, quemadmodum dictum est in casibus urgentioribus. 16. Iun. 1897.

Tandem eadem s. C. s. O. respondit: Quando neque confessarius neque poenitens epistolam ad Poenitentiariam mittere possunt et durum sit poenitenti alium adire confessarium, in hoc casu liceat confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. S.

habens facultatem et aliunde aliquis non posset tunc omittere confessionem vel communionem sine infamiae nota, seu scandalo.

---

reservatis, absque onere mittendi epistolam. 9. Nov. 1898. Pontifex utrumque responsum probavit. Quod postremo loco concessum est, contingere potest, cum sacerdotes exteri, qui missiones aut exercitia spiritualia dederunt, e loco discedere debent, non amplius reversuri, antequam responsum Roma accipi possit, poenitens autem scribere nescit vel nequit. Quapropter proposito casu Sacerdotis, qui in regionem extraneam se contulerat, ut confiteretur peccatum s. P. reservatum et simul declarabat 1° nec opera ministerii sui nec substantiam facultatum sibi permittere iterum aggrediendi iter ad recipiendum responsum s. Poenit.: 2° nimis onerosum sibi fore ad alium confessarium se sistere in sua regione, quod data opera voluit vitare, iter adsumens: quaerenti Episcopo, utrum hic casus, etiamsi agatur de absolutione complicis, inter eos adnumerari debeat praevisos in decreto s. O. 9. Nov. 1898. et confessarius niti possit eo decreto ad absolutionem impertiendam sine recursu ad s. Poenit. nec ne s. C. s. O. 7. Iunii 1899. respondit, probante ss. Pont. *non comprehendi*. Cuius forte ratio fuit, quia certe ille poenitens scribere per se poterat.

Quid vero si istante impedimento, absolutus sit a peccato reservato absque censura? Canones reipsa in hypothesi loquuntur reservationis ob censuram, cum obligationem iniungunt se sistendi Superiori: at paritas quaedam rationis videtur idem postulare pro simplici reservatione casus. Nam Superior ius habet ut subditus eius iudicium subeat, eam poenam ab eo accepturus, quam Superior convenientem iudicaverit et semper est locus dandis mandatis. Ergo beneficium praestitutum absolutionis directae propter impedimentum, non eximit per se subditum ab obligatione, quae prius iam aderat, adeundi superiorem. Cf. tamen dicenda a Ball. nn. 447. seqq.

4° Tridentina Synodus sess. 14. c. 7. statuit, nullam esse in articulo mortis reservationem seu peccatorum seu censurarum: ait enim: « Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis », porro ex hoc colligit: « Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis *peccatis* et *censuris* absolvere possunt ». Reservatio ergo nulla est in hoc casu tum *peccatorum* tum *censurarum* sive *papalium* sive *episcopalium*. At non hoc ipso Trid. Syn. obligationem sustulit, quae forte ex iure sic absolutis inhaerebat, si convaluissent, nempe sistendi se superiori, ut eius mandata reciperent.

Nam Trid. Syn. non novum ius condit, sed id statuit, quod custoditum semper in Ecclesia fuit; in Ecclesia ergo hic mos semper viguit, ut nulla esset reservatio in articulo mortis et quilibet sacerdos a quibuslibet peccatis ac censuris posset absolvere et nihilominus, ut ex citatis canonibus liquet, obligatio tenebat sic absolutos a censuris, si convaluissent, sistendi se superiori. Quocirca nec Trid. Syn. hanc obligationem abrogavit.

5° At ecce Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis* temperans hunc rigorem. Nam solum post seriem excommunicationum, quae speciali modo sunt Rom. Pontifici reservatae, subditur haec clausula: « Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis periculo: *in quo tamen firma sit, quoad absolutos, obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint* ».

Itaque 1° haec, quaecumque sit, obligatio, non urget absolutos ab excommunicationibus papalibus 2ae seriei: addo et ab iis, quas Rom. Pontifex ibid. Episcopis reservavit. 2° Qualis vero haec est obligatio? *Stare mandatis Ecclesiae* per se non perinde est, ac se praesentare superiori: cum hoc nec tantundem sit ac stare mandatis superioris et in c. *Eos qui* utrumque ex his distinguatur. Sed Pius non loquitur proprie de mandatis superioris, at Ecclesiae.

Certum est autem, ex Theologorum doctissimorum sententia (cf. d'Annibale V. 1. §. 350. ed. 3.) aliam esse obligationem parendi mandatis Ecclesiae, aliam adeundi superioris: atqui, si ita est, obligatio adeundi superioris videretur non amplius urgere post Const. Pii IX.

Quorsum igitur ea clausula? Accipe responsum quod ab eadem s. C. s. O. prodiit anno 1891. 17. Iunii, quo declarabatur decretum editum 23. Iun. 1886. quod paulo ante recitavimus. Porro illud responsum tribus quaestionibus faciebat satis, ortis circa istud decretum.

Paulo aliter s. Alphonsus n. 585. dicit adesse causam gravem, « *si nequeat adiri Superior sine scandalo* aut nota infamiae, vel sine magna difficultate, puta... si longe distet et ex alia parte urgeat necessitas

Quaesitum est 1, Utrum responsum ad 1m valeat etiam pro casu quo poenitens fuerat perpetuo impeditus personaliter Romam proficisci.

Responsum est: *Ad* 1m *affirmative.*

Quaesitum est 2, Utrum in responso ad 2m clausula *sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras* etc. referatur solummodo ad absolutionem a censuris et casibus *speciali modo* Romano Pontifici reservatis, an etiam ad absolutionem a censuris et casibus *simpliciter* Papae reservatis.

Responsum est: *Ad* 2m *negative ad* 1m *partem, affirmative ad* 2m *partem.*

Quaesitum est 3, Utrum auctores moderni post Const. Apostolicae Sedis recte doceant, ei, qui in articulo mortis a quolibet confessario a quibusvis censuris quomodocumque reservatis absolutus fuerit, tunc solummodo imponendam obligationem se sistendi Superiori recuperata valetudine, si agatur de absolutione a censuris speciali modo Papae reservatis, an huiusmodi recursus ad superiorem etiam necessarius sit in absolutione a censuris simpliciter Papae reservatis.

Responsum est: *Ad* 3m *affirmative ad* 1m *partem: negative ad* 2m *partem, iuxta resolutionem feriae* 5ae 28. Iunii 1882.

Aliquod ergo est discrimen inter absolutos in mortis articulo et absolutos extra illum.

Porro hoc responsum s. C. O. die 18. Iunii eiusdem anni probavit SS. D. N. Papa Leo XIII.

Iam vero ex responso 3° patet s. Congregationem ita interpretari verba Pianae constitutionis *obligatio standi mandatis Ecclesiae,* ut includat obligationem se sistendi Superiori, quemadmodum ius antiquum exigebat, seu recurrendi ad s. Sedem.

Quod sane certum evasit ex authentica declaratione eiusdem s. C. Inq. 19. Aug. 1891. Quaesitum est.

1. An obligatio standi mandatis Ecclesiae a Bulla *Apostolicae Sedis* imposita sit sub poena reincidentiae, vel non.

Responsum est; *Ad* 1m, *affirmative ad primam, negative ad secundam partem.*

2. An obligatio standi mandatis Ecclesiae in sensu Bullae *Apost. Sedis* idem sonet ac obligatio se sistendi coram Pontifice, vel an ab illa debeat distingui.

Responsum est: *Ad* 2um, *obligationem standi mandatis Ecclesiae importare onus sive per se sive per Confessarium recurrendi ad ss. Pontificem eiusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris ss. Pontifici speciali modo reservatis.*

3. An absolutio data in casibus urgentioribus a censuris etiam speciali modo reservatis, in sensu decreti s. Officii 30. Iun. 1886. sit directa, vel indirecta.

Responsum est: *Ad* 3m *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Hanc resolutionem ss. Pontifex sequenti die approbavit.

Itaque non modo obligatio est ita absolutis in casu necessitatis recurrendi ad s. Sedem, sed haec obligatio est etiam sub poena reincidentiae. Anno 1892. 14. Ian. hoc idem decretum instauratum est.

6° Quod dictum est de casibus papalibus reservatis cum censura, absolvi eos directe ab inferioribus, cum ex iuxta causa his licet absolvere, dicendum est de casibus sine censura Papae reservatis; quorum tamen modo unum est tantum. Nam nulla est ratio, cur facilior venia obtineatur a peccato et censura, quam a solo peccato.

7° Si casus sint Episcopales, statuere licet hoc generale principium cum Roncaglia *de Censuris* q. 1. c. 6. q. 5. « Quae dicta sunt de reservatis summo Pontifici, ex paritate rationis extendi possunt ad reservata Episcopalia ». Quocirca qui impediti sunt adire vel scribere Episcopo, possunt a quolibet Confessario directe absolvi. Quid vero si adire quidem nequeant, sed scribere possint et tempus suppetat exspectando responso? Utique, cum de papalibus casibus agitur, scribendum est, ut constat ex citato decreto s. O.: at haec est specialis oeconomia pro casibus Pontificiis innixa consuetudini s. Poenitentiariae: ut idcirco pro aliis casibus adhuc vigere dicendum sit ius commune. Porro ius commune solum requirit, ut absolvendus a casibus reservatis, si impeditus non sit, se sistat superiori et impeditus legitime, si absolutus fuerit, se sistat, cum commode poterit, superiori ad recipienda mandata: neutra in hypothesi scriptio seu recursus per litteras praecipitur; ergo haec methodus adhuc servanda videtur pro casibus Episcopalibus.

communicandi vel implendi praeceptum annuae confessionis *aut ne diu poenitens maneat in peccato* mortali, ut dicunt communiter omnes praefati Auctores ». Alibi statuit s. Alph. grave esse, si quis manere debeat in statu peccati etiam per unam diem.

Et bene notat Laymann *de Poenit.* cap. 12. n. 10. perinde esse, si tunc Superior esset valde occupatus: nempe deesse censetur, quacumque demum ex causa adiri non possit, licet non distet.

439. Addit A. manere in hac hypothesi onus poenitenti, ut dein Superiori se sistat.

Ratio est, quia peccata gravia debent subiici clavibus, idest debent subicii iudicio Confessarii et ab ipso absolvi. Atqui in casu Confessarius peccata reservata non *proprie* absolvit, quia carens iurisdictione non potest de iis iudicium instituere ac sententiam ferre. Ergo manet obligatio illa peccata eiusmodi iudicio subiiciendi.

At inquies: quomodo remittuntur peccata, si non absolvit ab iis sacerdos? Respondeo: Sacerdos absolvit a peccatis, in quae habet iurisdictionem; porro absolutio sacramentalis suum effectum sortitur, scilicet infusionem gratiae, quotiescumque obicem non reperit, prouti est in casu, quia poenitens est dispositus. Sed infusio gratiae necessario expellit quodlibet grave peccatum: ergo tollit et peccata reservata non secus ac tollit etiam oblita, aut quae iusta de causa taceantur.

Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. prop. 2.: « Potest ab aliquibus *directe* absolvere, non absolvendo directe ab omnibus. Exemplo id constat, dum aliquis aliquorum peccatorum citra culpam oblitus, ea, quorum est memor confitetur; tunc enim ab illis tantum, quae confitetur, *directe*

Sane canones (cf. cit. c. *Eos qui* et c. *Nuper*) de censuris quoque ab Episcopo reservatis loquuntur et nihil aliud postulant, quam quod dictum est.

Nihilominus, quemadmodum Romana Sedes exigit nunc, ut scribatur, non negamus id et ab Episcopis pro casibus, quos sibi reservant, exigi posse: par autem erit ut, si id fiat, eaedem normae serventur ab ipsis, quas s. Sedes pro suis casibus absolvendis praescripsit.

Ceterum, cum Trid. decretum, quod in mortis articulo cesset omnis reservatio, valeat profecto et pro casibus Episcopalibus, non possunt Episcopi derogare consuetudini semper in Ecclesia custoditae ideoque nihil amplius pro suis censuris in iis adiunctis exigere possunt, quam quod pro casibus papalibus cum censura reservatis exigitur.

8° Non pauci, cum de peccatis cum censura reservatis agitur, discrimen statuunt inter casus papales et episcopales, ut in iis, censura cessante, cesset et peccati reservatio, in his, etsi censura cesset (puta quia ignoratur) maneat reservatio.

Haec est sententia communior, ait d'Annibale V. 1. §. 340., qui subdit tamen: « minus communis, quae mihi verior videtur, tenet, in his idem iuris esse ac in censuris a Rom. Pontif. reservatis atque ideo, si censura non incurritur, reservationem cessare ». Certe ius canonicum illi distinctioni non suffragatur, nec ratio patitur, ut pro minus gravibus criminibus, qualia sunt quae ab Episcopis reservantur, si comparentur cum reservatis a Papa, immitior sit reservatio, quam pro gravioribus. Cf. eundem ibid. n. 25. Excipe, nisi Episcopus contrariam intentionem suam significet; nam id eius potestatem non excedit. — E.

absolvitur: quapropter dum alia memoriae occurrerint, confiteri tenetur. At vero cum gratiam sacramentalem accipiat, *consecutive et extensive* absolvitur ab omnibus. Id ergo ipsum in praesentiarum *(de reservatis)* usuvenit ».

Ergo peccata non reservata tolluntur vi absolutionis sacramentalis, quia de iis fert sacerdos iudicium et sententiam absolutoriam (et hoc est, quod DD. dicunt *absolvere directe,* quia reipsa in ea peccata fertur sententia iudicis); peccata vero reservata tolluntur non vi sententiae absolutoriae, quae a sacerdote in illa feratur, sed virtute gratiae sanctificantis, quae per sacramentum infunditur. Veruntamen cum huius gratiae infusio contingat per sacramentum administratum, hinc sacerdos dicitur *absolvere indirecte.*

Ut ergo absolvantur directe per sententiam latam in ipsa, debent subiici iudicio habentis facultatem, non secus ac *peccata quoque oblita,* licet remissa, debent Confessarii iudicio subiici, si dein memoriae occurrant (a).

440. Circa autem huiusmodi confessiones fiunt plures quaestiones, quae omitti non debent.

Prima quaestio est, an qui habet peccatum reservatum et nullum aliud mortale, teneatur praemittere confessionem (deficiente quovis, qui habeat facultatem in reservata) cum non habente facultatem, si velit communionem sumere aut celebrare Missam. Et huc revocatur casus, quando quis habet iustam causam tacendi aliud peccatum grave, nec praeter illud habet nisi venialia (quem sup. tetigimus sub §. XXXVIII.).

Et respondet s. Alphonsus lib. 6. n. 265.: « *Conveniunt DD.*, non teneri ad confessionem, sed sufficere, ut conteratur ». Ratio, quae affertur, est quia teneretur eadem peccata bis confiteri; quod opus imponi non debet. Ratio forte melior est; quia nulla est ratio accusandi peccata, quorum iudicium institui nequit (b).

Si tamen homo adverteret, se non habere contritionem, sed solam attritionem, deberet confiteri venialia, vel peccata alias confessa, ut sic indirecte a reservato absolveretur. Ita ex communi s. Alph. (ibid.).

441. Secunda quaestio est, an teneatur praemittere confessionem ille, qui mortalia habet reservata et non reservata.

Respondet s. Alphonsus lib. 6. n. 265. q. 2.: « Prima sententia negat teneri ad confessionem et dicit, posse hunc communicare, praemissa solum contritione... et *merito hanc probabilem vocant* Suarez, Pal.

(a) Cf. dicta in not. praeced. nn. 2, 3. — E.

(b) At si, urgente necessitate, a quolibet confessario potest directe absolvi a reservatis (cf. not. praeced. sub n. 438. n. 2.), cessat haec oeconomia. — E.

Filliuc. apud Vivam.., Secunda vero sententia probabilior et communissima... docet, hunc omnino teneri ad confessionem. Ratio, quia cum urgeat praeceptum divinum praemittendi confessionem communioni, debet fieri confessio *saltem formaliter integra*, si non potest fieri integra materialiter ».

Et de hac *secunda* quaestione (non autem de prima) intelligenda est responsio s. Alphonsi ad dub. 2. n. 585., ubi ait: « Quamvis negativa sententia *non sit improbabilis* (vide, mutari tantisper iudicium!), communior tamen et probabilior est affirmativa; quia ante communionem fieri debet confessio saltem formaliter integra, quando materialiter fieri nequit » (et remittit ad n. 265. q. 1.).

Ita s. Alphonsus. Verum si res discutiatur non quidem ex sola auctoritate ab cumulatis Doctorum nominibus orta, sed etiam ex solidis principiis, aegre admittemus probabilitatem primae sententiae, aut certe parum cohaerentem inveniemus cum resolutione sequentis tertiae quaestionis (a).

442. Tertia ergo quaestio est, an ille qui habet mortalia tum reservata tum non reservata, si confessionem praemittat, teneatur utraque confiteri.

Et respondet s. Alphonsus lib. 6. n. 265. q. 2. duplicem esse sententiam. « Prima (inquit) affirmat... Nullam tamen praefati AA. (scil. Suar. Viva, Conc. Bonac. et Salm.) rationem pro hac sententia afferunt; sed videtur haec assignari posse, quia Confessarius debet cognoscere totam poenitentis conscientiam, ut debitum formet iudicium, an ille capax sit absolutionis vel non, forte quia recidivus est in reservatis... Secunda vero sententia non minus probabilis, imo forte probabilior, negat, hunc teneri per se ad confessionem reservatorum; tum quia bis eadem peccata fateri deberet, tum quia de iis peccatis Confessarius, utpote carens iurisdictione, non potest esse iudex ». Ac dein excipit, nisi poenitens sit recidivus in reservata, vel in occasione proxima (b).

Ita s. Alphonsus. Verum si rationes allatae pro secunda sententia valent (et validae esse prorsus dicendae sunt) et non modo probabilis, sed vere probabilior dici ea debet; sequitur, nullam vim tribui posse rationibus, propter quas alii dixerunt (sup. n. praec.) posse quempiam

---

(a) Cf. praeced. notam.

(b) Lib. 7. n. 92. s. Alph. ita scribit: « An vero habens peccata et censuras reservatas, teneatur ea exponere Confessario non habenti super ea potestatem, casu quo urgeat necessitas communicandi aut confitendi et aditus non pateat ad Superiorem; vide dicta lib. 6. n. 265. q. 2., *ubi diximus teneri;* vide ibi rationem ». Quo, in loco ut patet, aut ex mendo typographico deest particula *non,* aut habetur lapsus memoriae. Ita tamen omnes editiones s. Alph., quas videre mihi licuit.

in hoc casu communicare nulla confessione praemissa et idcirco perit omnis probabilitas illius sententiae, de qua supr. n. cit.

Et sane omittatur nunc ratio Vasquez (vid. Lugo *de Euchar.* disp. 14. n. 85. et 87.) cum solo Adriano aientis, non posse absolutionem dari a non reservatis, si simul a reservatis non detur atque ideo inutilem esse tunc confessionem. Quae sententia, uti patet, communem sensum omnium doctorum contra se habet et merito proinde nullius ponderis aestimatur: altera ratio est aliorum aientium, nimis grave esse onus confitendi *bis* eadem peccata; atqui (inquiunt) si communioni praemittenda est confessio cum non habente facultatem, haec repetenda foret (saltem quoad reservata) cum Superiore. — Haec autem ratio, uti patet, oritur ex principio de certa obligatione fatendi omnia peccata etiam reservata cum inferiore. Ergo si probabilius est, hanc obligationem non adesse, iam et haec ratio omittendi confessionem plane evanescit. Ergo non rite conceditur probabilitas illius doctrinae de confessione omittenda, quando simul defendatur, reservata posse cum inferiore omitti; quia abest necessitas confitendi *bis* eadem peccata.

Sed confer infra dicenda sub resol. 10. quibus haec questio absolvetur et quid doctores senserint clarius exponetur.

443. Quod vero spectat ad ipsam tertiam quaestionem retinemus doctrinam communem, quod non sit obligatio confitendi reservata inferiori et solum superest examinandum, an facienda sit illa exceptio recidivi aut consuetudinarii, de qua s. Alphonsus, aut quam quispiam alius faciat. Et in primis non est verum, Auctores non attulisse ullam rationem pro prima sententia. Nam Soto, in 4. disp. 18. q. 2. art. 5. ad prop. 2. p. 880. vol. 2. c. hanc reddit: « ut per integram confessionem pastor vultum pecoris agnoscat, ut de non reservatis possit salubrius iudicare: nam ex connexione reservatorum iudicium sumitur de non reservatis, ut consultius ei adhibeatur medicina ». Et Suarez *de Poenit.* disp. 31. sect. 3. n. 8.: « ut poenitens possit absolvi a non reservatis, oportet, ut sit circa omnia bene dispositus, quam dispositionem debet examinare minister et ideo habet ius cognoscendi totam causam et totam conscientiam poenitentis et omnes occasiones et obligationes eius, ut possit illum absolvere ».

Quo revocari possent et illa s. Thomae, 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad 4.: « Etiamsi sacerdos non possit de omnibus absolvere, tenetur sibi omnia confiteri, ut quantitatem totius culpae cognoscat et *de illis*, de *quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat* ».

In quibus habetis saltem casus exceptos, licet hi generatim inde deducant necessitatem fatendi SEMPER etiam reservata.

444. Sed 1° reipsa verba s. Thomae ad rem non faciunt; quia non loquitur de casu, in quo aliquis urgente necessitate confitendi in absentia superioris debeat ab inferiori absolvi directe a non reservatis, indirecte vero a reservatis. Nescio, cur s. Alph. n. 585. dub. 3. truncaverit ultima verba s. Thomae, ex quibus status quaestionis proditur: sed forte reperit in aliis sic truncata. Confer quae s. Thom. habet 4. dist. 19. q. 1. art. 3. §. 2. p. de quinque casibus, in quibus remittere debet ad Episcopum.

2° Verba Suaresii habent exaggerationem; nam falsum est, constare confessario debere de omnibus obligationibus poenitentis.

3° Per accidens est, quod dispositio cognosci debeat ex aliis peccatis; imo reipsa dispositio praesens non deducitur ex peccatis commissis.

4° Quod dicit Soto de salubri medicina minus valet, tum quia per accidens est; quod ad id quis indigeat consilio Confessarii, cum et scire illam valeat poenitens vel per se, vel ex praecedenti instructione; tum quia medicinam praebere pertinet ad eum, qui directe ab iis peccatis daturus est absolutionem.

5° Recolendum apprime est, quod dicit Lugo *de Euch.* disp. 14. n. 88.: « Reservata non dicuntur Sacerdoti inferiori, ut iudici et vicario Dei, cum non sit iudex illorum peccatorum. Unde ipse Suarez disp. 31. *de Poenit.* sect. 3. n. 4. fatetur, confessionem illam quoad peccata reservata *non esse sacramentalem* ». Qua de re Suarez l. c.: « Neque ipsa confessio est propria materia sacramenti, ut est de tali peccato, in quod sacerdos non habet iurisdictionem; quia non est accusatio facta coram legitimo iudice ».

Hinc cadunt quae dicuntur de necessaria horum confessione ad formandum iudicium; nam iudicium de his ab eo Confessario formari nec potest nec debet.

6° Exinde factum puto, ut s. Alph., hanc necessitatem ad casum recidivi, aut occasionarii quoad ipsum reservatum restringat.

Sed facile est animadvertere, 1° statum recidivi aut occasionarii per se non obstare dispositioni: 2° non esse necessarium aperire hanc circumstantiam, si nihil ad confessionem pertineat, v. gr. recidivus in blasphemias si confiteatur brevi post unam confessionem antequam relabatur, non tenetur sermonem de consuetudine iniicere. 3° Quae exigi possunt relate ad circumstantias hasce peccati reservati melius locum habent, cum fateri reservatum Superiori debebit. 4° Denique quod s. Alph. n. 585. dub. 3. addit, ius habere Confessarium interrogandi de reservatis, duplici laborat defectu, 1° quod absonum videatur

interrogare de re, cuius nulla est suspicio, 2° quod interrogatio restringi ad ea debet, circa quae confessarius est *iudex*, non vero ad alia (a).

445. Quarta demum quaestio sit, an inferior aliquando possit *directe* absolvere a reservatis, adeo ut poenitens non teneatur postea PRO ABSOLUTIONE adire Superiorem. Ita s. Alph. n. 585. dub. 1. (b).

Sed quaestio huc reipsa recidit, an aliquando ita cesset reservatio, ut inferior possit a reservatis absolvere, nulla ad hoc facultate speciali ipsi delegata, sed tantum ex iuris dispositione (idque extra articulum mortis) (c) ob impedimentum adeundi Superiorem, seu alium qui habeat facultatem delegatam.

Ut rite respondeatur, 1° distinguendi sunt casus Pontificii a casibus reservatis cuipiam alteri superiori. 2° Distinguendi sunt casus cum adnexa censura et qui reservati sint sine censura. 3° Distinguenda est multiplex conditio poenitentis, nempe utrum impedimentum adeundi Superiorem duret 1° ad breve tempus, vel 2° ad longum tempus v. gr. sex menses vel annum, vel 3° impedimentum sit perpetuum, cuiusmodi, inquit Roncaglia *de Censuris* cap. 6. q. 4. resp. 2. existimatur etiam impedimentum ad quinquennium, quippe tali tempore periculum mortis probabilissime sit eventurum et cuiusmodi laborare ex communi doctrina censentur senes, mulieres, impuberes, valetudinarii, pauperes et universim qui sine magna difficultate Pontificem aut alium Superiorem adire non possunt: vid. Ligor. lib. 7. n. 88.

446. Hisce praemissis, quoad casus Papae reservatos cum censura, si impedimentum duret ad breve tempus, quod ad sex menses non pertingit, a nemine, nisi adsit forte Confessarius privilegiatus, absolvi potest. Quod si ad vitandam infamiam debeat celebrare vel Eucharistiam sumere nec adsit privilegiatus Confessarius, poterit simplici Confessario confiteri saltem alia peccata et a reservato remanebit absolutus indirecte (d) et obtenta absolutione poterit ad Eucharistiam accedere; excommunicatio enim quae adhuc restat, utpote inducta lege Ecclesiae, non privat usu passivo sacramentorum cum tanto incommodo. Id ipsum dicendum, si peccatum sit reservatum absque censura, scil. tantum *indirecte* potest absolvi.

(a) Haec omnia innituntur hypothesi, quod reservata a simplici confessario, urgente necessitate, non absolvantur directe: cf. ergo not. praeced. sub n. 438. n. 2. coll. n. 7. — E.

(b) Haec consequentia modo admittitur utique hoc sensu, ut non sit opus adire superiorem pro absolutione obtinenda, non autem eo sensu, ut cesset simpliciter obligatio adeundi superioris, ad mandata eius scilicet recipienda. Cf. not. cit. n. 2. et 5. — E.

(c) Quid ab absoluto a certis casibus papalibus in mortis articulo exigatur diximus in not. cit. n. 5. — E.

(d) Cf. not. cit. n. 2. — E.

Verum hic casus non pertinet ad praesentem quaestionem de *directa* reservatorum absolutione.

Si vero ad longum tempus h. e. ad annum vel sex menses duret impedimentum; tunc, *ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum* (Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 3. n. 9.), poterit Episcopus vel eius delegatus absolvere a censuris Papae reservatis, cum onere tamen comparendi coram pontifice, cessante impedimento. Coram Pontifice se sistit, non quidem ut absolvatur, sed ut mandata accipiat. Ablata autem censura, potest Confessor ordinarius *directe* eum absolvere a culpis, quia ablata censura, illae non manent reservatae. Suarez. l. c. n. 10.

Porro absolutio in ss. Canonibus dicitur danda post praestitum iuramentum sistendi se coram pontifice atque eius mandatis parendi.

Quod quidem iuramentum alii intelligunt pro qualibet censura Papae reservata, alii vero valere dicunt solum pro criminibus atrocioribus, v. gr. haeresis, incendiarii, percussionis clericorum etc.; imo plures *(rectius,* ait Sporer n. 752. *de Poenit.)* solum ad hunc postremum casum coarctant, quia de hoc solo Canones loquuntur. Idque (inquit Sporer) probabilissime solum pro foro externo, quando nempe iam res deducta fuit ad forum contentiosum.

Textus iuris, qui citatur, exstat in Extravv. Comm. *de Privilegiis* c. *Inter cunctas,* §. 1°. Ibi haec leguntur. « Incendiarios eosque, qui tam enormibus sunt irretiti peccatis, quod ea rationabilis consuetudo, praescripta canonice, in Episcopatibus aliquibus reservavit Episcopis, similiter non admittant (scil. Mendicantes ad Confessionem): quam consuetudinem... solummodo circa voluntarios homicidas, falsarios, Ecclesiarum immunitatis et ecclesiasticae libertatis violatores et sortilegos approbamus. Quod si forsitam antequam ab eo, qui potestatem habet, absolvi possint, mors talium confiteri volentium timeatur: etiam in praedictis casibus saepefati fratres eos confiteri volentes audiant ipsisque beneficium absolutionis impendant; SED SUBEANT IURAMENTUM, quod liberati se suis Episcopis et Excommunicatoribus praesentabunt, excommunicantium super his, pro quibus ab eis excommunicati erant et Episcoporum pro peccato huiusmodi parituri mandatis ».

Verum haec spectant ad casus reservatos Episcopis et nos loquimur de reservatis Papae. Praeterea nunc per Constitutionem Apostolicae Sedis aliud ius inductum est (a).

Praeterea apponi debet conditio de satisfaciendo parti laesae. Et quidem in foro externo non solet dari absolutio, nisi post praestitam

(a) Cf. notam n. 7. sub n. 438. — E.

satisfactionem aut certe post iuramentum et cautionem pignoratitiam de ea praestanda. In foro tamen conscientiae sufficiet promissio, imo et firmum propositum satisfaciendi. Cf. *de Censuris* nn. 270. seqq.

Denique quando impedimentum est perpetuum et tale censetur, si vel ad quinquennium duraturum censeatur (n. praec.), tunc absolutio datur absque onere comparendi coram Pontifice: praestita tamen cautione de parendo mandatis Superioris, si res ad forum externum sit deducta et satisfacta, si opus sit, parte laesa, ut num. praec. dictum est (a).

447. Quod vero dicitur, habentes impedimentum sistendi se coram Pontifice, absolvi posse ab Episcopo, saepius cautum est in iure Canonico, ut videre est apud s. Alphonsum lib. 7. n. 85. Veruntamen in Cap. *Nuper* 29. *de Sentent. Excommunicationis* facultas fit etiam aliis ita: « Verum si difficile sit ex aliqua iusta causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut praestita iuxta formam Ecclesiae cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, a suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote ». Quam tamen sententiam, ut inquit s. Alphons. lib. 7. n. 92., DD. communissime interpretantur non *disiunctive*, quasi nempe perinde sit aut Episcopum, aut alium Confessarium adire, sed *subrogative*, nempe quod tunc possit ab alio Confessario absolvi, quando Episcopus adiri non potest (b).

Si agatur vero de peccatis Pontifici reservatis sine censura (est autem unicum peccatum falsae *accusationis* de sollicitatione) sententia communis est, eandem valere regulam, nempe posse ab inferiore *directe* absolvi, quando adiri non potest Pontifex et si sit *mulier*, iam impedimentum *erit perpetuum*. Et sane quod dicit s. Alphonsus, etiam huiusmodi peccata absolvi in casu posse DIRECTE ab inferiore, id commune habet cum Doctoribus. Ita et Suarex *de Poenit.* disp. 30. sect. 3. n. 11. disserte fatetur, *iura* concedere hanc facultatem etiam quoad reservata sine censura: « Si Pontifex (inquit) nunc reservet casum sine excommunicatione..., sine dubio de illo casu Pontificio quoad hunc articulum perinde iudicandum est, ac de aliis habentibus impositam excommunicationem; quia iura absolute concedunt beneficium absolutionis in praedicto eventu (scil. impedimenti) nec videtur rationi consentaneum, ut propter excommunicationem adiunctam facilior sit absolutio, quam sine illa ».

(a) Sed cf. not. cit. n. 3. — E.

(b) Nunc ex decreto s. Officii recitato in not. cit. n. 2. constat accipienda *disiunctive*, prout ipsa verba quoque iam per se postulabant. In iis scilicet adiunctis quilibet approbatus Confessarius absolvere directe potest. — E.

Porro perpetuo exsistente impedimento, absolutionem esse *directam*, cum agitur de *peccato cum censura*, fatetur ibi s. Alph. cum omnibus Doctoribus. Ergo etiam quoad peccata sine censura.

448. Atqui, quando absolutio DIRECTE fuit impertita, hoc inter reservata cum censura et reservata sinē censura ex DD. sententia intercedit discrimen, quod si impedimentum non sit perpetuum, tunc, impedimento cessante, poenitens se sistere tenetur Summo Pontifici *non ut absolvatur, sed ut mandatis eius suscipiendis se promptum exhibeat* (vid. sup. n. 674.), quando peccatum habebat adnexam censuram. Si vero est sine censura, nulla superest ratio comparendi coram Pontifice. Ita Sanchez dicit (*in Dec.* lib. 2. cap. 13. n. 24.), contra quod Suarez a s. Alphonso pro sua illa sententia opposita allegatus nihil habet; imo hoc generale principium admittit (*de Poenit.* disp. 30. sect. 3. n. 7.): « Quando peccata non habent adnexam censuram, tota remissio fit pure in foro poenitentiae et apud Deum nec per se loquendo relinquitur aliqua satisfactio exhibenda Ecclesiae ex vi prioris obligationis, quae in homine esset... neque onus comparendi post absolutam culpam... seclusa censura ».

Exinde Lugo pro eadem sententia allegat Suarez ita (*de Poenit.* disp. 20. n. 223.): « P. Suarez... dicit, certum esse, si Pontifex reservat aliquod peccatum sine excommunicatione..., procedere eandem (scil. eandem ac in reservatis cum censura) regulam ac facultatem: quod mihi etiam probabilius videtur; quia ratio videtur fere eadem, nempe difficultas adeundi Summum Pontificem et quia incredibile videtur, quod voluerit Pontifex eam facultatem absolvendi dare pro peccatis gravioribus, qualia solent esse illa, quibus annectitur excommunicatio et negare pro peccatis levioribus: suppono enim iuxta communem doctrinam, ablata excommunicatione, auferri etiam reservationem quoad ipsum peccatum Papae reservatum. Addo tamen in eius peccati absolutione, quod non habet excommunicationem, non fore iniungendum poenitenti onus comparendi et adeundi Pontificem; quia illud onus in iure non imponitur, nisi quando absolvitur a censura et quia imponitur sub poena recidendi in eandem censuram, quod in absolutione a peccato fieri non potest; cum non possit Papa facere, quod revocet idem peccatum physice vel moraliter, quod semel ablatum est ».

Et eandem sententiam Suarezio attribuunt Salmantic. (*de Censur.* lib. 2. n. 46.), ubi et ipsi eandem ut indubiam proponunt.

Ergo quod dicit s. Alph. de onere comparendi coram Superiore, quando peccatum sine censura fuit absolutum *directe*, falso ab ipso tribuitur Suarezio (n. 585. dub. 1.) aut aliis et tribuendum est lapsui memoriae seu calami, propter quem oblitus se loqui de peccatis re-

servatis sine censura, arcessivit principia, quae valent de peccatis reservatis cum censura et lapsum memoriae evidenter probat allegatio ab ipso subiecta lib. 7. n. 88., ubi solum de peccatis censurae coniunctis sermo est.

Hic lapsus memoriae effecit, ut eandem falsam doctrinam repeteret lib. 7. n. 91. quasi vero eam hoc loco libri sexti demonstrasset. Vel saltem falsa est generalis eius sententia de casu impedimenti *extra mortis articulum;* nam ubi impedimentum sit perpetuum, ipso fatente, nulla est obligatio se praesentandi superiori et ipse confundit doctrinam de impedimento mere temporaneo cum impedimento longi temporis.

449. Quoad casus Pontifici reservatos adverte cum s. Alphonso lib. 7. n. 89. communem, probabiliorem ac tutam esse doctrinam, quod is, qui habet impedimentum comparendi coram Pontifice, non tenetur absolutionem quaerere per internuntium aut per epistolam, etiam a s. Poenitentiaria, 1° quia ex iure communi potestas absolvendi, stante illo impedimento, inest Episcopis: 2° quia nulla imponitur obligatio nisi comparendi personaliter; si ergo id praestare nequit, ad nihil aliud tenetur, nisi legislator quidpiam subrogaverit. 3° Quia consequutio absolutionis per Poenitentiariam est privilegium; nemo autem, ex communi axiomate, privilegiis uti tenetur.

Imo nec tenetur poenitens tum adire Nuntium Apostolicum, si adsit; quia, stante impedimento, aeque eum Episcopus ac Nuntius potest absolvere. Tamen si desit privilegiatus et impedimentum non sit perpetuum, proderit petitio facultatis per litteras, ut liberetur ab onere comparendi.

Albitius *de Inconst.* in Fid. cap. 25. n. 33. censet, tenendam opinionem Bonacinae et Thesauro, quod stilus curiae exigat, ut recurratur per litteras et hunc stilum obligare in foro conscientiae et affert exemplum decisionis huiusmodi factae per s. Congreg. Inquis. — Sed exemplum non est ad rem; quia absolutus quidam fuerat sub expressa conditione, ut Romae se sisteret per se vel per procuratorem et cum causaret incommodum iter, indultum fuit, ut recurreret ad Poenitentiariam. Porro heic habetur lex specialis pro casu speciali et trahi ad communem praxim non debet (a).

450. Quaestionem addit s. Alphonsus, lib. 7. n. 92. « An impediti adhuc Episcopum adire pro his censuris (sc. reservatis Pontifici) vel aliis reservatis, possint absolvi a quocumque Confessario ».

Quae quaestio intelligenda est de absolutione *directa;* nam de *indirecta* nullus est locus dubitandi.

(a) Nunc Albitii sententiam secuta est et confirmavit C. s. Officii decreto in not. cit. n. 2. — E.

Respondet: « Negant communius Suarez, Lugo, Becanus etc. apud Vivam *de Poenit.* q. 9. art. 2. n. 9.; quia hoc in iure conceditur tantum Episcopis, nec in lege positiva valet argui a pari ».

Atqui Viva ibi agit de impedimento *temporaneo* et dum exhibet Auctores quasi dissidentes, admittit id demum quod omnes dicunt, nempe in *casu necessitatis* posse absolvi *indirecte:* quae quidem dicenda sunt paulo confusa; quia *temporaneum* dicitur etiam impedimentum longi temporis.

Porro Suarez adeo non negat, ut contendat, poenitentem, qui adire non possit Episcopum, *posse a casibus Papalibus absolvi a quolibet Confessario,* ut hac de causa illum impugnet Lugo disp. 20. n. 228. 229.

Qua tamen in re Lugo adhaerere non possumus, qui ideo contendit, solum Episcopum posse absolvere impeditum adeundi Pontificem, quod putaverit soli Episcopo hanc facultatem per iura factam fuisse. Atqui nos ipsi (sup. n. 447.) textum iuris attulimus (a), in quo haec facultas etiam aliis Confessariis fit, saltem quoad impeditos adeundi etiam Episcopum. Accedit et alius textus ex Iure Canonico, cap. *Eos qui, de Sentent. Excomm.* in 6.: « Eos, qui a sententia CANONIS vel HOMINIS (cum ad illum, a quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum), *ab alio* absolvuntur etc. ». Quem quidem textum frustra Lugo l. c. 230. 231. interpretari conatur.

Concludamus, allegationes Vivae a s. Alph. transscriptas ad rem minus facere et id oriri ex confusione duarum quaestionum de absolutione directa et indirecta et ex ratione non satis accurata, qua Viva de his disputat.

451. Ceterum s. Alphonsus lib. 7. n. 92. dein subdit, plures Auctores *probabiliter* affirmare, quod absolvi possint a quolibet Confessario. Ergo spectato unanimi horum consensu et falso supposito quod obstent Suarez, Laymann, Viva etc., apparet, hanc sententiam habendam uti communem; unde falsum est, quod ait s. Alph. ibid. *communius* negari.

S. Alphonsus praeterea dum eod. n. 92. refert horum sententiam, addit intra parenthesim: « Cum onere tamen comparendi coram Episcopo, cessante impedimento ». Verum hanc limitationem apud neminem eorum, quos allegat, invenire est, nisi quod Salmantic. id dicunt (*de Censur.* cap. 2. n. 67.) de eo, qui absolutus fuerit in articulo mortis et dein convalescat. Quod quidem, cum agitur de casibus Papalibus, de quibus modo est quaestio, falsum omnino videtur, sive in articulo

(a) Et cf. ibid. not. — E.

mortis, sive extra absolvatur. Ratio est, quia ipsa iura concedunt, ut in his casibus poenitens possit absolvi *ab alio Confessario* (ut vidimus num. praec.) non secus ac ab Episcopo et, dum ille absolvit, praestat id (ut supponimus), quod praestare deberet Episcopus, scil. satisfactionem imponendo et, si opus sit, obligationem comparendi coram Pontifice etc.

Albitius *de Inconst. in fid.* cap. 25. n. 29. dicit, sacerdotem non posse absolvere etc.: quia in Decreto Clementis VIII. an. 1601. cavetur, ut sacerdotes nullo casu etiam necessitatis aut *impedimenti* possint absolvere etc.

Sed reponi potest, ex regula iuris correctionem iuris semper evitandam: ergo non debent verba Clementis accipi de ea *impedimenti* specie, de qua iura loquuntur, scil. *perpetui aut longi temporis*, sed de alia, scil. brevis temporis...

Et quidem ipse Albitius ibid. subdit, « *Sed quidquid sit eo casu* »: quibus verbis innuit, se nihil definitive decernere.

452. Superest nunc quaestio de casibus Episcopalibus (a), sive habeant sive non habeant adnexam censuram: an scil. impediti adire Episcopum, possint quoad haec absolvi *directe* ab alio Confessario.

Utique pro negante stat Lugo disp. 26. n. 225., qui de Suarez addit, ibid. n. 224.; « Suarez disp. 30. sect. 3. n. 11. et 12. rationes pro utraque parte affert et ipse tandem in partem negantem *magis* inclinat, ne in re adeo gravi absque sufficienti fundamento tanta facultas tribuatur »: quae vere Suarez habet, non vero absolute negat, ut minus exacte habetur apud s. Alphonsum lib. 7. n. 92. in fin., qui pariter abs re affert Laymann, cum hic nihil tale doceat.

Idem s. Alphonsus lib. 7. n. 91. in fin. affert ex adverso sententiam Roncaglia, Hurtadi et Dianae nempe « quod si impedimentum esset diuturnum, poterit absolvi, cum obligatione tamen comparendi coram Superiore, cessante impedimento. Si vero impedimentum sit perpetuum, poterit absolute absolvi ».

Sed notandum, quod Roncaglia id dicit de peccatis reservatis *cum censura*. Notum est autem quoad obligationem comparendi coram Superiore ingens esse discrimen, quando adsit vel non adsit etiam censura; adeo ut vel in ipso articulo mortis servetur discrimen et obligatio comparendi pro censura remaneat, non vero pro aliis reservatis.

(a) Sermo est de casibus, quos Episcopi ipsi sibi reservant, non de casibus a iure reservatis Episcopis: hos casus, quos Const. *Apost. Sedis* Episcopis reservat, absolvere potest quisquis a S. S. habet facultatem absolvendi a casibus papalibus. — E.

Melius ergo proponatur doctrina Roncagliae itemque Sporer *de Poenit.* n. 750., quae, ut apparet ex eodem s. Alphonso l. c. initio n. 92., *communis est plurimis* et generale hoc statuit principium: « Quae dicta sunt de reservatis Pontifici, ex paritate rationis extendi possunt ad reservata Episcopalia ». Et solum advertendum est, impedimentum adeundi Pontificem facilius et saepius occurrere, quam adeundi Episcopum: sed hoc, ut patet, non mutat statum quaestionis.

Et quidem ex eiusmodi principio mens Doctorum desumenda est, non vero ab exemplis, quae addunt. Quippe dum doctrinam illam generalem applicant vel mere circumstantiae necessitatis communicandi, vel peccati censura affecti etc., incaute posset quis putare (ut factum subinde fuisse videmus), solum pro eo casu illam doctrinam tradi et male iniicere onus comparendi, ubi hoc nullum adest.

Iuxta hanc regulam igitur distinguantur casus, quando impedimentum adeundi Episcopum sit perpetuum, quando sit temporarium sed diuturnum, quando mere temporarium. Et quae superius de singulis hisce circumstantiis quoad reservata Pontifici dicta sunt, huc revocentur.

Itemque distinguatur, quando casus cum censura reservatus est, quando sine censura, ut decerni possit, an onus comparendi imponi debeat. Nam quando impedimentum est eiusmodi, ut absolvi debeat poenitens *directe* et peccatum non habet adnexam censuram, valere debet regula, quam sup. n. 448. ex Suarez attulimus, iuxta quam « non tenetur se sistere, si peccatum fuit sine censura », ut ait Iacobus Granadus in 3. part. *de Sacram.* controv. 7. tr. 10. disp. 7. n. 14.

Notandum tamen, non deesse *Superiorem*, quando absolutio obtineri possit ab eo, qui habet facultatem ab Episcopo delegatam absolvendi a reservatis: quod et de casibus papalibus intelligendum est, a quibus v. gr. Mendicantes possunt absolvere.

453. Insuper revocari debet regula sup. n. 449. tradita, quod qui habet impedimentum comparendi coram Superiore, non tenetur per litteras aut per internuntium facultatem petere (a). Atque adeo neque necesse est, ut Confessarius tunc facultatem absolvendi petat ab Episcopo. Litteris autem uti potest, quando non adest impedimentum, sed merum commodum adest, vel verecundia prohibet etc. Nec admitti heic debet principium, quod « qui tenetur ad finem, tenetur ad media ». Nam negandum est, illud medium esse necessarium ad finem, scil. ad obtinendam absolutionem.

(a) Cf. not. saepe cit. sub n. 438. n. 2., ubi decretum recens affertur aliam statuens oeconomiam, et cf. ibid. n. 7m. — E.

Ceterum Lugo aliter sentiendi rationes sic proponit disp. 20. n. 225.: « Ego quidem in hoc puncto nullum invenio fundamentum sufficiens dubitandi et communis sententia talem extensionem non admittit, ut fatetur Suarez n. 11. scil. disp. 30. sect. 3., ubi affert Durandum et Adrianum eam negantes. Ratio autem *videtur* id convincere ; nam *videtur satis constare*, intentionem Summi Pontificis non fuisse, dare regulam generalem pro omnibus casibus, qui reservati essent vel Episcopis vel aliis praelatis.

Sed 1° Circumlocutiones illae haesitantes produnt causam parum solidam.

2° Quod extensio illa communiter non admittatur, allegat quasi testem Suarez. Sed Suarez non ita dicit, sed solum, quod DD. communiter hanc extensionem *non faciunt*. Aliud est autem non facere, aliud non admittere. Et reipsa contrarios duos tantum Suarez allegavit, quorum rationes ipse refutat l. c. n. 11., licet in eam sententiam *inclinet*.

3° Ratio, quod Pontifex non extendat regulam, dici debet falsa ex textu Canonico superius allegato n. 450. itemque ex allato n. 447.; nam canones loquuntur generatim de *excommunicatore*, de *sententia hominis*.

CV. 3. Si superior iniuste neget facultatem absolvendi a reservato, posse ab alio Confessario etiam directe absolvi, affirmat Henriq. esse probabile. Sed rectius negat Laym. l. 5. tr. 6. c. 13. Card. de Lugo d. 29. n. 188.

454. Sententia, quae negat, posse absolvi ab inferiore, etiamsi iniuste neget facultatem superior, communis est, ut habent et Lugo disp. 20. n. 148. et Salmantic. *de Poenit.* cap. 13. n. 62.: non secus ac quando Episcopus generatim non vult approbare, etiam iniuste, aliquem ad audiendas confessiones.

Ad vitanda autem inconvenientia satis est, quod urgente necessitate possit Confessarius absolvere *directe* a non reservatis, unde reservata remittentur *indirecte*. Videnda tamen quae dicentur *ad Resol.* 6. infr., ubi fit exceptio quoad Regulares.

CVI. 4. Peccant Superiores, 1. si sine iusta causa difficiles se praebeant in concedendis licentiis pro absolutione reservatorum. Quintan. t. 3. n. 13. Ex Fag. Con. et aliis. 2. Et si ex negatione timeatur grave subditi detrimentum, peccant contra caritatem et iustitiam. Lugo, Dian. p. 6. t. 6. r. 66.

455. Consentiunt DD., quod Superior ad hanc facultatem concedendam tenetur non modo, quando occurrunt circumstantiae extrinsecae, quae excusant ab integritate quoque materiali in defectu alterius Confessarii, sed etiam quoties, nisi Superior concedat, prudenter timeri potest spirituale subditi damnum, ut saepe prudenter timendum est

ob humanam fragilitatem, quod scil. non integre Praelato suo sit confessurus. Ratio, quia reservatio in bonum subditorum concessa est, atque adeo non debet in eorum dispendium detorqueri. Et, ut habet Lugo *de Poenit.* disp. 20. n. 141., ubi timetur grave subditi damnum, obligatio concedendi facultatem est gravis. Ita et Suarez *de Relig.* tom. 4. tr. 8. l. 2. c. 16. n. 4.

Bene Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 4. n. 8.: « Addimus, ex caritate vel etiam ex debito sui muneris (*quod est debitum iustitiae,* ut contendit Lugo *de Poenit.* disp. 20. n. 237., contra Suarez, qui n. 7. dicit non esse contra iustitiam, si nocumentum oriatur ex sola duritie vel fragilitate subditi) et fidelis dispensatoris teneri Superiorem ad concedendam hanc facultatem, quoties timuerit grave detrimentum spirituale subditi, si illam neget; quamvis illud nocumentum non ex iniuria extrinseca, sed ex proprio defectu ipsius subditi eventurum sit, ut quod tacebit aliquod peccatum in confessione, vel quod nimium differet confessionem et licentiam peccandi accipiet et quid simile. Et hoc est quod intendit principaliter s. Thom. et communis sententia. Et hoc probat ratio eius, quia haec potestas non est data in destructionem sed in utilitatem subditorum. Nec refert, quod ipse subditus sit sibi causa talis nocumenti; nam hoc ipsum tenetur impedire spiritualis pastor, si commode potest ».

Addit idem Suarez, non negandam hanc facultatem ob aliorum utilitatem. Sic ibid.: « Unde addo ulterius, etiamsi speretur aliorum utilitas ex negatione talis facultatis, non esse negandam cum tanto detrimento subditi; quia sacramentum hoc per se institutum est in bonum poenitentis et ad eundem finem data est haec potestas et ad eundem ordinatur reservatio. Ergo non licet per hoc medium aliorum utilitatem procurare cum tanto subditi detrimento; praesertim quia moraliter nunquam fit sine sacrilegio et gravi iniuria ipsius sacramenti. Sic etiam ipsa confessio fit odiosa et difficilis, quod est gravius incommodum, propter quod vitandum quaelibet alia utilitas parvi pendenda est ».

Sed de his rursus *ad Resol.* 6.

CVII. 5. Si Superior Confessario Regularium ad hoc deputato neget facultatem absolvendi, Confessarius autem iudicet debere concedi, potest is pro ista vice absolvere. Avers. qu. 17. sect. 5. Lugo d. 20. sect. 4. referens sic declarasse Clementem VIII. haberique in quarto tomo Bullarii Bulla, 26. Urbani VIII. et Quintan. t. 3. sect. 11. dicens non esse dubium ea de re additque ex aliis septem probabile esse, idem posse si viro Religioso, pio, docto et prudenti, licet non ex designatis de facto, neget. Dian. p. 5. t. 3. r. 126. p. 6. t. 6. r. 56. et p. 9. t. 3. r. 15. ex Pellizzario (qui vult idem esse si

poenitens ipse petat) et aliis. Imo Quintan. l. c. censet probabile, quod idem fieri possit si Superior adiri nequeat et urgeat tempus celebrationis vel communionis v. gr. quia sine nota non potest abstinere, cum alii omnes communicent, ibid. ex Trull. et aliis sex.

456. Declaratio Clementis VIII. iacet ad Calcem Decreti eiusdem Pontificis super *Casuum Reservatione* 26. Maii 1593.; hoc autem decretum reperitur in Constit. 77ª Urbani VIII. 21. septembris 1624. (Incipit *Sanctissimus*), qua confirmavit praecedentia decreta de *Reformatione Regularium*. Bullar. Rom. tom. V. part. 5. pag. 255.: « Sanctitas sua deinceps declaravit et declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii *illa vice* poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere ». Et haec declaratio videri potest etiam apud Ferraris V. *Praelatus Regularis* n. 54. qui eam tribuit Urbano VIII. non vero Clementi. Hanc declarationem Diana t. 7. tr. 1. res. 109. adscribit Paulo V. allegans Naldum *Summ.* V. *Religiosus* n. 44. Sed Diana quoad hoc lapsus est memoria; quia apud Naldum haec declaratio cernitur in decreto Clementis VIII. ibi relato, non vero in ullo decreto Pauli V. Sed in resol. 110. idem Diana tribuit declarationem illam Paulo V. ex alio auctore qui dicit Paulum V. sic declarasse in Capitulo Cappuccinorum Romae congregato an. 1606. Unde Diana deceptus fuit ab eo auctore.

Quidquid sit, certum est, declarationem factam fuisse etiam a Clemente VIII. Namque eo sedente, die 13. Mart. 1601. ad instantiam P. Custodis Reformatorum s. Francisci, s. Congregatio Visitationis Apostolicae decretum edidit, in quo praeter alia dicitur apud Ferraris l. c. n. 58.: « Dovranno però detti Provinciali e Generali communicare detta facoltà (absolvendi a reservatis) in ciaschedun Convento a persona discreta e intelligente per assolvere i Religiosi di quel Convento, che faranno ricorso, ovvero nelli casi particolari, che occorreranno, concedere la facoltà a ciascuno Confessore deputato in detto Convento, quando esso Confessore ne faccia istanza e giudica espediente, se gli conceda; nel qual caso li Superiori, anco delegati, dovranno *prontamente* concederla, conforme al detto decreto Pontificio; perchè, negandosi, la Santità sua intende, che il Confessore possa assolvere da detto caso ». Quod ergo Suarez *de Relig.* tract. 8. lib. 2. cap. 19. n. 21. ait, sententiam, quae dicit, etiam negata facultate, posse Confessarium absolvere, *nullo iure fundari*, palam facit, hanc declarationem fuisse ei incompertam.

Scite monet Pellizzarius *de Monial.* cap. 9. n. 29., quod licet videatur haec declaratio referri ad Praelatos Regulares tantum; tamen

referri debet etiam ad loci Ordinarium quoad Moniales ipsi subiectas. Nam harum praelatus Ordinarius nullus est praeter ipsum Ordinarium loci et alioquin Moniales comprehendi debent sub illa generali Concessione facta *pro Regularibus*. Ordinarius tamen quoad exemptas esse potest Praelatus Regularis. Ergo et Confessarius Monialium, si petitam facultatem ab Ordinario non obtineat (quando ipse iudicet concessionem expedire), potest a reservato nihilominus monialem absolvere et quidem a quolibet reservato, cuius Praelatus habeat facultatem etiam mere delegatam. Vid. Pellizzar. ibid. n. 30.

457. Denique advertendum, quod cum dicitur posse Confessarium absolvere a reservato, post petitam et non obtentam facultatem, *illa vice*, non ita intelligitur, quod *unica* tantum vice hoc accidere possit et pro *una vice* tantum Pontifex hanc facultatem Confessario faciat, sed quod non possit a reservato vel eundem vel alium poenitentem rursus absolvere, nisi rursus petat veniam; quae si rursus denegetur, rursus poterit Confessarius absolvere etc. Ergo intelligendum est, quod toties quoties petit et negatur, toties (si expedit eam concedere et id iudicat Confessarius) potest absolvere etc.

S. Alphonsus n. 586. ad hunc locum Auctoris notat Continuatorem Tournely scil. Collet. tom. 6. part. 2. pag. 125. proferre de hac re decretum S. C. de consensu Urbani VIII. Et revera Collet dicit l. c. n. 547.: « Imo toties quoties licentia haec ita petita fuerit et negata prout ex Decreto s. Congr. de consensu Urbani VIII. docent Pellizzarius et alii, quos citat Diana part. 3. inst. 2. res. 126., quem adi saltem in Compendio V. *Casus reservati* n. 16. ».

Sed haec decisio, praeter iam allatas nulla est et Colletus hallucinatus est, dum legeret haec verba Compendioli Dianae (V. Casus Reservati n. XVI. pag. 120.). Edit. Rom. 1654.: « Si Superior Regularis Confessario, petenti potestatem absolvendi a casu reservato, dare noluerit, potest poenitentem absolvere pro illa vice ex decisione Pauli V. apud Nald. (falsum est, ut vidimus), itemque ex Decreto s. Congregationis consensu Urbani VIII. idque toties quoties ita petita fuerit et negata ». Ubi vides *illud decretum* referri ad generalem praecedentem facultatem, non ad sequentia: nec aliud est Decretum, quam quod supra n. 456. allegavimus, in quo Urbanus confirmat Clementis decreta. Et ibid. reperit Collet suas allegationes Pellizzarii etc. ad litteram cum allegatione operis maioris Dianae.

N. B. Videndus Suarez tom. 4. tr. 8. *de Relig.* lib. 2. cap. 13. n. 7. de privilegio regularium, ut semel possint absolvi a reservatis sine facultate Superiorum.

CVIII. 6. Nihilominus certum est, posse aliquando Superiorem iustis de causis negare facultatem et cogere subditos, ut ad se veniant. Card. de Lugo l. c. Nam si ex casu reservato grave scandalum vel damnum communitatis timeatur, potest Superior negare absolutionem, donec poenitens per se, vel Confessarium Superiori det sufficienter notitiam ad illud evitandum: alias non est satis tutus nec dispositus ad absolutionem. Quare si Confessarius eo casu urgeat absolutionem, debet is attendere, ut poenitens obligationi suae satisfaciat in adhibendo remedio communi malo vel damno, si sit eius periculum; quia, nisi hoc faciat, non potest absolvi, non ex defectu iurisdictionis, sed quia non est dispositus. Ad hoc tamen requiritur, ut et obligatio poenitentis certa sit et alia remedia adhiberi non possint. Suarez tom. 4. *de Relig.* l. 8. c. 5. n. 10.

458. Regula generalis est, quam sic effert Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 4. n. 9.: « regulariter et moraliter loquendo, superiorem debere esse facilem potius, quam difficilem in hac facultate concedenda ». Hinc in Ordinationn. Generall. Societatis cap. 6. n. 1.: « Nullo modo superior difficilis esse debet, sed facilis potius et promptus in ea concedenda ».

De qua re s. Thomas in 4. dist. 67. q. 3. art. 3. q.ª 4.ª ad 6.: « Peccaret autem Sacerdos, *si non esset facilis* ad praebendam licentiam confitendi alteri; quia *multi* sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur: unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt et per consequens sibi ipsis ».

Et rursus Opusc. *Contra impugnantes Religionem* cap. 1.: « Quidam, ut experimento inventum est, a confessione desisterent, nisi possent aliis, quam suis sacerdotibus confiteri, quandoque propter verecundiam, quia erubescunt confiteri illis peccata, cum quibus quotidie conversantur: quandoque vero, quia suspicantur, sacerdotes sibi esse inimicos et *propter multa alia.* Unde pie Praelati eorum infirmitati condescendunt, ne omnino in desperationem labantur, de aliis confessoribus eis providendo ».

Et Suarez, cit. disp. 30. sect. 4. n. 9. postquam dixit, superiorem regulariter debere potius esse facilem, quam difficilem, subdit: « Hoc etiam intendunt s. Thomas et alii Auctores citati estque verissimum; quia moraliter ac per se loquendo, minus periculi est in concedenda hac facultate, quam in illa neganda. Unde ut concedatur, satis esse debet, quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat; ut autem negetur, semper intervenire debet aliqua specialis ratio, quae id requirat: non quod semper hoc cadat sub praecepto, sed quod hic ordo sit convenientior, qui aliquando poterit esse sub praecepto... Imo licet aliquando superiori videatur intervenire sufficientem rationem ad negandam facultatem, si tamen aliunde ex relatione alterius, vel alia via illi constiterit, subditum nullo modo velle superiorem adire, neque

aliis remediis tentatis ad id posse induci. tum superior nunquam debet negare facultatem nec potest licite *excepto illo casu de damnificatione aliorum:* quia non obstante quacumque ratione occurrente et pensatis omnibus, tunc id magis expedit, imo et necessarium est iuxta leges caritatis. Item quia reservatio haec est quaedam medicina subditi. Ergo si cum rigore applicata cedat in perniciem eius, temperanda est, ideoque facultas concedenda. Unde Navarrus in cap. *Placuit* n. 149. ait, solam verecundiam nimiam poenitentis esse aliquando sufficientem causam, ut haec facultas danda sit ».

459. Inter haec vero Clemens VIII. in Constit. *Sanctissimus, de casuum reservatione pro Regularibus* 26. Maii 1593. praescribit, in iudicando an concedenda sit facultas, potissimas partes tribuendas esse iudicio Confessarii. Ita §. 5.: « Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut quatuor Confessarios (a) pro subditorum numero maiori vel minori; iique sint docti, prudentes et caritate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit. in quo eam debere committi *ipse in primis Confessarius iudicaverit* ».

De qua re illud addendum, quod in toto negotio prospici debet secreto, ne poenitens vel ab ipso superiore detegatur. Ita certe in citt. Ordinatt. Genn. cap. 6. n. 3.: « Caveat superior, ne cum ab eo petitur facultas, curiose inquirat, aut aliud quid faciat, unde coniicere possit, quis ille sit, pro quo petitur et ne circumstantias alias *exquirat, quam quae ad rem pertinent.* Caveat etiam Confessarius, ne quid elabatur, ex quo poenitens cognosci possit: qui si timet, ne ex notitia alicuius rei possit superior probabiliter suspicari, quis ille sit, sciat, se omnino eam reticere debere et omnem cautelam adhibere in casu proponendo, ne ulla ratione superior possit probabiliter agnoscere auctorem. In quo si viderit, proponendo casum in specie, occasionem suspicionis superiori dari, satis erit, si in genere dicat, aliquem in casum reservatum incidisse, *qui nec damnum (Religioni) nec alteri, nec ipsi poenitenti afferre possit.* Uterque denique, tam superior quam Confessarius, memores sint obligationis sigilli et ita se gerant, ut eius puritati et integritati per omnia consulant ».

In quibus illud notandum, quod superior non debet inquirere nisi, *quae ad rem pertinent* et infra explicatur, id referri ad *damnum quod*

(a) Suarez, tom. 4. *de Relig.* tract. VIII. lib. 2. cap. 15. n. 6-7. sophistice explicat hoc decretum, aiens, non fuisse mentem Pontificis obligare, ut plures (saltem duo) adsint Confessarii, quo liberum sit cuique confiteri cui voluerit, sed duos aut plures deputari voluisse, quibus committatur pars quaedam subditorum, si numerus magnus id exigat: si magnus non sit numerus, posse constitui *unum* tantummodo. *Duo* reipsa est minimum.

forte obvenire possit vel Religioni seu domui vel alteri, vel ipsi poenitenti.

Et ad hunc casum refertur resolutio 6. de qua agimus, quod nempe negare possit facultatem, nisi subditus aut rei notitiam superiori praebendo aut alio modo provideat scandalo seu damno. Et cum dicatur, secus poenitentem absolvi non posse, non quidem ex defectu iurisdictionis quia ex resol. 5. praec. Confessarius posset absolvere, etiam abnuente superiore facultatem, sed quia non est *dispositus;* patet, agi de casu, in quo ius naturae exigit, ut subditus scandalum seu damnum illud removeat. Et si unicum medium esset, ut res superiori aperiatur, ad id sane teneretur.

460. Veruntamen et alius scopulus cavendus heic est. Nam in citati decreti §. 6. Clemens VIII. districte monet, ne notitia confessionis deserviat ad gubernationem. « Tam superiores pro tempore exsistentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur ».

In cuius decreti explicatione aegre quis forte admittet sententiam quam profert Suarez *de Relig.* tom. 4. tr. 10. lib. 8. cap, 5. n. 12.-13.: « Duplex (inquit) intelligi potest gubernatio , una quae praecise necessaria est ad vitandum peccatum, de quo agitur, vel scandalum aut poenitentis aut aliorum ex peccato illo praecise ortum; alia est in rebus aliis, actionibus vel muneribus. De priori autem communis est doctrina, posse praelatum, qui rem in confessione novit, uti illa notitia ad ullum finem, si observet (sc. caveat), ut ille usus talis sit, unde nulla revelatio directa vel indirecta nasci possit; vel si haec timeri possit, nullus sit talis usus, sine expressa licentia poenitentis ».

Dein sic conatur solvere obiectionem ex decreto citato: « Quamvis S. D. N. Clemens VIII. in speciali decreto de casibus reservatis regularium, specialem prohibitionem illis imposuerit non utendi notitia confessionis ad exteriorem gubernationem: probabilissime nihilominus existimo, hunc usum non comprehendi sub illis verbis et praecepto ; quia hic usus non potest dici ad exteriorem gubernationem, sed solum ad internam et spiritualem medicinam conscientiae poenitentis. Nam ipse poenitens vitare tenetur moralem occasionem mortalis peccati vel non praebere scandalum alteri, ut secum tale peccatum committat; ergo usus, qui tantum ordinatur ad tollendam similem occasionem peccati vel scandali, non potest dici exterior gubernatio; nam licet sit actio quaedam vel privatio exterior, ordinatur solum ad internum bonum animae ipsius poenitentis, adeo ut licet ordinetur etiam ad bonum v. gr. complicis, hoc solum sit, in quantum bonum poenitentis cum

illo coniunctum est et non potest unum ab altero separari: hoc enim supponimus. Nam si iam omnino non ageretur de remedio poenitentis nec de implenda aliqua obligatione, ad quam ipse in conscientia teneatur, sed tantum de remedio alterius; iam ille usus magis dici posset pertinere ad exteriorem gubernationem et non esset usurpandus sine libera et spontanea voluntate ac facultate poenitentis ». Ubi notandum, quod n. 10. mentionem fecerat etiam necessitatis *vitandi damnum conventus seu domus* etc.

Dixi porro, aegre haec posse admitti. Nam nomine exterioris gubernationis reipsa venit quaevis actio externa, qua Superior, utens auctoritate officii sui propria, disponit de subditis eorumque rebus, muneribus etc. Quoties ergo ad huiusmodi actiones movetur seu utitur notitia confessionis, profecto hac utitur ad exteriorem gubernationem; neque intentio boni spiritualis poenitentis mutat rei naturam: sed melius dicetur, quod utitur notitia confessionis ad exteriorem gubernationem in bonum spirituale poenitentis. Nam et illa huc tandem spectat.

461. Et reipsa ipse Suarez alibi videtur oppositum docuisse. Nam disp. 33. *de Poenit.* sect. 7. n. 4. haec scribit de remotione ab officio ob audita in confessione: « At vero si Superior id posset facere sine ulla suspicione respectu aliorum et res talis sit, quae pendeat ex arbitrio eius, multorum sententia fuit, posse superiorem talem rem auferre et mutare, ut occasionem peccati auferat... Ratio est, quia tunc nihil fit contra sigillum, ut constat, nec contra iustitiam: quandoquidem res pendet ex arbitrio superioris, nec illa est poena, sed rationabilis medicina, quam ipse poenitens tenetur acceptare. Differunt autem inter se. Navarr. Sylv. et alii dicunt, hoc licere, etiamsi poenitens ipse suspicetur vel intelligat, se privari eo munere ratione suae confessionis; quia dummodo aliis non praebeatur occasio veniendi in suspicionem, non est revelatio sigilli. Ricardus vero, Angelus et alii oppositum docent; quia post confessionem non licet poenitentem verbis corripere aut peccatum illi obiicere, ergo nec factis. Item quia haec est occasio, ut homines retardentur a confessione; quia fit valde onerosa per actionem extrinsecam confessioni *eique minime necessariam.* Propter quam causam *censeo hanc limitationem longe securiorem et valde rationi consentaneam* ».

« Sententiam vero communem ex natura rei seu sola ratione spectatam improbare non valeo; adverto autem, id, quod per se malum non est, ob periculum mali posse prohiberi ».

« Quare si in aliqua Religione talis usus prohibitus fuerit, sancta erit constitutio et observanda. Imo generatim videtur hic usus Regularibus omnibus a S. D. N. Clemente prohibitus. Nam in decreto de

casibus reservatis pro Religiosis edito §. 6. sic inquit: « *Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam Confessarii, qui postea ad superioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit.* Unde cum indistincte loquatur, non est quod a nobis limitetur, sed simpliciter observetur ».

Ergo Suarez ipse docet, interdictum esse usum istum, etiamsi agatur de removenda occasione peccati et licet nulla sequatur peccati suspicio in aliis et licet in ipso poenitente nulla adsit suspicio, causam dispositionum Superioris esse notitiam confessionis. Quibus nullatenus cohaerent ea, quae tradit in Tractatu de Religione sup. n. 460.

462. In Instructione 5. pro Superioribus Nostrae Societatis, cuius titulus est: Ne Nostri vel *Superiores* vel alii ea utantur (sc. notitia habita per confessionem), etiamsi usus alioqui licitus foret, haec habentur: « Tametsi non desunt Doctores, qui sentiant, salvo sacramentalis confessionis sigillo, iustis de causis licere nonnunquam Confessario (cum id fieri potest sine ulla revelatae confessionis suspicione) uti extra confessionem notitia per confessionem habita; tamen quoniam haec doctrina et eam exigit in tanta re circumspectionem, quam servare difficile sit et interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam huius fori sanctitas et nostrae Societatis Institutum requirunt in se ipsis rebusque suis Confessario aperiendis: idcirco visum nobis est in Domino statuere, sicut et severe statuimus, pro reverentia, qua semper Societas nostra coluit huius sacramenti inviolabile sigillum et libertatem, ut omnes Superiores diligenter caveant, ne vel ipsi vel Nostrorum aliquis supradictam doctrinam usquam introducant nec illam publice aut privatim doceant nec ea utantur ullo modo (nisi forte de poenitentis licentia); sed ita *prorsus* in *omnibus* casibus Nostri se gerant Confessarii, ac si in confessione *nihil penitus* audivissent sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissime distat, ita debere *nullatenus* ab eo pendere ».

Haec autem instructio edita est a P. Acquaviva anno 1590. scilicet quarto anno ante Decretum Clementis VIII.

CIX. 7. Peregrinus quoad reservationem iudicandus est iuxta dioecesim, in qua versatur: in qua quae reservata sint, discant Pastores ex Agendis aut consuetudine.

463. Sincere fatendum est, quaestionem, quam paucis A. hoc loco dirimit, esse maxime implexam et Doctores non consentire quoad regulam in praxi servandam; propterea quod diversa sunt principia, quibus utuntur. Conferenda sunt profecto quae diximus de iurisdictione a n. 379. deinceps.

Auctor statuit principium, quod *peregrinus iudicandus est iuxta legem vigentem in dioecesi, in qua confitetur.* Ex quo concluditur, quod v. gr. in hac possit a simplici Confessario absolvi a peccato, licet illud in sua patria sit reservatum et viceversa non possit absolvi a peccato in hac reservato, licet non sit reservatum in patria sua.

In quarum decisionum subsidium isti DD. adhibent duo alia principia: 1° quod Confessarius in casu iurisdictionem non habet nisi ab Episcopo loci, ubi fit confessio: 2° quod vi reservationis iurisdictio haec est limitata ac proinde nulla est quoad illud reservatum.

Talis est sententia Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 4. et 6. post magistrum suum Henriquez lib. 6. cap. 14. n. 8. ac ipsum Suarez sequutus est Lugo disp. 20. n. 72. cum aliis.

Et Suarez quidem l. c. n. 4. pro sententia sua, scil. quod qui versatur in alieno Episcopatu, absolvi possit, non ideo quia utitur facultate eligendi Confessorem, sed quia hoc ipso quod versatur in alieno episcopatu, possit ibi absolvi more incolarum illius Dioecesis ac ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci: pro hac, inquam, sententia affert consuetudinem, quam probatam dicit ab Eugenio IV. Et corroborat hac ratione: « Quia (inquit) Confessores alterius Dioecesis non tenentur scire, quinam casus reservati sint alteri Episcopo ».

Suarez disp. 30. sect. 1. n. 4. suam hanc sententiam tribuit Caietano, Paludano et s. Antonino; quas allegationes transscripsit ex Henriquez magistro suo. Atqui 1° Caietanus docet oppositum, ut habes n. seq. 2° Paludanus in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. concl. 4. expresse idem docet, ac Caietanus, requiri scilicet licentiam proprii sacerdotis », posse tamen tempore paschatis absolvi etiam a reservatis proprio pastori, quod ita hunc velle praesumatur. 3° S. Antoninus part. 3. tit. 17. c. 4. transscribit ad litteram Paludanum, scil. non posse absolvi sine licentia proprii sacerdotis.

Adverte tamen, quod Henriquez supponit licentiam proprii sacerdotis: de qua Suarez modo affirmare videtur, modo negare.

464. De ista porro Eugenii declaratione audiendus est Caietanus, qui pro ipsa solet allegari. Hic loquens de licentia, quae datur confitendi a proprio pastore (V. *Absolutio* II.) sic dicit: « Licentia dupliciter datur. VEL EXPLICITE: cum curatus in communi dicit populo: *Quilibet vadat ad confitendum cui vult* aut specialiter alicui dicit: *Confitearis, cui vis* et hoc nihil aliud est, quam dare licentiam eligendi sibi Confessorem. VEL IMPLICITE. Et hoc contingit primo, licentiando subditos ad peregrinandum. In hac enim peregrinationis licentia implicite claudi creditur licentia confitendi; quia confessio comes esse debet viatorum... Et ob eiusmodi implicitam licentiam viatores sine

licentia curati possunt in paschate confiteri et communicare ubi se invenerint sine licentia... *Memini, alias me legisse, Eugenium quartum concessisse seu declarasse vivae vocis oraculo, viatores, ubi se invenerint in paschate, censendos tanquam adeptos incolatum quoad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae* et secundum hoc non est opus in paschate huiusmodi interpretativa licentia, sed possunt tunc ab illis Confessoribus, a quibus incolae absolvuntur, absolvi etiam a casibus Episcopalibus, prout Episcopus loci disponit. In reliquis autem omnibus supradictis licentiis explicite vel implicite ab Episcopis seu curatis, *non approbo posse licentiatos absolvi a casibus reservatis Episcopo: quia hoc est contra iuris dispositionem* »

Ex quibus patet 1° quod Eugenii dispositio refertur solum ad sacramenta sumenda tempore paschali: 2° quod consuetudo, si quam Eugenius probavit, est consuetudo confitendi extra ex aliqua saltem tacita licentia proprii pastoris: quae licentia dicat facultatem eligendi Confessarium: 3° quod ad consectarium spectat de casus reservati absolutione, ea est mera Caietani interpretatio et quidem non satis clara.

Ratio vero allata, quod Confessarii non teneantur scire reservationes alterius dioecesis, nimis probat; quia ex decreto Clementis X., de non absolvendis venientibus in fraudem reservationis, aliqua necessitas huius notitiae supponitur. Praeterea ad summum id probaret, alienos pastores debere in hoc indulgere, ut ob huius defectum notitiae subditi sui absolvantur, quod continget per accidens, imo ut absolvantur, licet habeatur notitia, ut Doctores huius sententiae volunt.

Insuper si supponis poenitentem ignorare reservationem, non potest censeri ea ligatus; si non ignorat, sed bona fide tacet, absolvetur *indirecte;* si vero mala fide, non absolvetur. Ex quo patet, frustra fingi istam necessitatem noscendi casus reservatos aliarum dioecesium... Adde, quod atrociora solent in qualibet dioecesi reservari; facile est ergo Confessario suspicari, ac proinde prona esset occasio interrogandi poenitentem...

465. Sunt ergo alii, uti Armilla, Caietanus (l. c.), Navarrus, Bartolomaeus Ugolini (*de Officio et potest. Episcopi*, c. 39. §. 6.), Bartolomaeus Medina (*Instructio pro Confessariis* l. 1. c. 10. §. 3.), Dicastillus (*de Poenit.* disp. 11. n. 242.), Alph. Vega (apud Leandrum *de Sacram.* tom. 1. tr. 5. disp. 12. q. 27.), Fagundez (in 2^{m} praec. Eccl. l. 8. c. 8. n. 20.), Mendo (*in Bullam Cruc.* disp. 23. c. 2. n. 23.), Matthaeus Stoz (*Tribun. Poenit.* l. 2. q. 2. n. 64.), Pellizzarius (apud Mazzotta tr. 6. disp. 2. q. 3. c. 2. q. 4.), Petrus de Ledesma (*de Sacram. Poenit.* c. 12.), Iacobus Graffius (apud Leandrum l. c.), Sotus (in 4. dist. 18. q. 4. a. 2. qui tamen minus cohaerenter tenet, poenitentem

subdi legibus loci, ubi confitetur, quoad casus ibi reservatos), Comitolus (QQ. *Morales*, l. 1. q. 20.), Naldi (*de Casuum reserv.* sect. 2. c. 4. q. 2.), Quarti (*de Casuum reserv.* sect. 2. c. 4.), Iosephus de Ianuario (*Resol. select.* res. 1. n. 8. et resol. 8.), Paulus Mezger (*Theol. Schol.* tom. 4. tr. 18. disp. 49. a. 2. §. 2. n. 15.), Baucius (apud Quarti l. c.), Ludovicus Engel (*Manual Paroch.* p. 3. c. 2. §. 2. n. 7.), Marcus Struggl (*Theol. Mor.* tr. 11. q. 3. a. 4. n. 48.), Ludovicus Babenstuber (tr. 8. p. 6. disp. 6. a. 4. §. 2. n. 26.), Diana (tom. 1. tr. 5. resol. 39. n. 3.), Amort (disp. 9. *de Casibus reserv.* q. 25.).

Hi ergo praemisso principio, quod *eatenus quis a sacerdote extradioecesano possit absolvi, quatenus in id consentit ac concedit proprius Episcopus*, contendunt sententiam de illo ferendam non secundum leges loci, in quo confitetur, sed pro arbitrio illius, a quo habet facultatem confitendi alieno sacerdoti ac iurisdictionem huic inesse, relate ad eum, non ab Episcopo loci confessionis, sed ab Ordinario poenitentis.

Id probabile fatentur esse Dominicus Viva (*de Poenit.* q. 9. a. 3. n. 4.). Mazzotta (l. c.). Reuter (*de Poenit.* n. 371.), Elbel (*de Poenit. Conf.* 14. n. 375.).

Quo principio praestituto, DD. citati in viam praecedenti plane appositam abeunt et 1° negant, poenitentem *per se* posse absolvi a reservato in patria sua, licet reservatum non sit in loco, ubi confitetur: nisi forte praesumatur, Episcopum suum hanc etiam facultatem ipsi facere, quod alii negant, uti Caietanus l. c., alii vero affirmant, uti Amort (l. c.) saltem quoad Confessarios Privilegiatos scil. Regulares (vid. et Theol. eiusdem breviorem tr. 13. §. 22. q. 25. tom. 2. pag. 433.). Contra vero 2° contendunt posse absolvi a peccatis in patria sua non reservatis, licet reservata sint in loco confessionis.

466. Ad principium vero, quod reservatio sit iurisdictionis limitatio, respondet, id intelligendum esse *quoad subditos Reservantis*, non vero quoad *non subditos*. Quam quidem doctrinam inter alios acriter propugnant Verricelli (tr. 15. quaest. 215. pag. 731.-732.) et Ioseph de Ianuario (*Resolution. Select. de Casib. Reserv.* resol. 1.). Et sane haec doctrina immediate descendit ex praemisso principio, quod iurisdictio profluat ab Ordinario Poenitentis, qui tribuens facultatem tantum exigit, ut sacerdos eligendus habeat ab Ordinario loci approbationem, non vero profluat ab Ordinario Sacerdotis. Illustrari potest haec doctrina exemplo magistratus, ad quem causa deferatur aliena, sive id fiat spontanea litigantium voluntate, sive iussu principis eorum: in qua hypothesi potestas eius non circumscribitur limitibus officii sui.

Et haec quidem doctrina eatenus vim habet etiam ab adversariis, quatenus isti quoque concedunt, facultatem absolvendi peregrinos ha-

beri, ut inquit Suarez disp. 30. sect. 2. n. 3., ex consuetudine seu *interpretativa voluntate suorum Praelatorum*. Unde (inquit) quamvis istae personae sint exemptae, tamen si *ex licentia suorum Praelatorum* accedant ad Episcopum alterius dioecesis, absolvi ab illo poterunt ». Quod dum concedunt, non pari efficacia evincunt, iudicandos eosdem peregrinos esse secundum leges Episcopi, a cuius iurisdictione sunt exempti et exempti ab ipsis dicuntur.

Lugo disp. 20. n. 70. dicit, poenitentem in nostro casu non habere facultatem ab Episcopo eligendi Confessarium; sed habere facultatem consuetudine et approbatione Praelatorum introductam, quam Eugenius IV. approbavit.

Verum 1° iam vidimus (sup. n. 464.) ex approbatione Eugenii IV. nihil pro hac sententia deduci. 2° Si origo consuetudinis exquiratur (vid. ibid. allata ex Caiet.), apparet, facultatem esse repetendam ex facultate facta reipsa eligendi Confessarium. 3° Et id eo magis retinendum est, quod alia Consuetudinis origo assignari non queat, ut patet ex cap. *Si Episcopus* 2. *de Poenitentiis et Remissionibus in* 6., ubi Bonifacius VIII. inquit: « Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare ». Licentiam autem heic aequivalere facultati eligendi Confessorem patet etiam ex praecedentibus ibid.: « Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo reservantur, nullam habet penitus potestatem; cum in generali concessione illa non veniant, quae non est quis verisimiliter in specie concessurus ». Quae quidem verba nescio cur Lugo (l. c. n. 70.) coarctet ad Confessorem eligendum in *propria* dioecesi.

467. Nunc ad varias quaestiones speciales: circa quarum solutionem merito advertit Lugo disp. 20. n. 69. et 71., quosdam Auctores non semper cohaerenter loquutos esse.

Primus casus est, an absolvi possit peregrinus, si habeat peccatum in utraque dioecesi reservatum (a).

Et cum Lugo disp. 20. n. 69. respondet s. Alphonsus n. 587.; « Commune est apud omnes, non posse absolvi a quolibet Confessario » scil. non habente facultatem in reservata. Ratio autem in promptu est: quia confessarius iurisdictionem habeat opus est ab alterutro Ordinario, vel suo nempe vel poenitentis, secundum duas diversas opiniones. Porro uterque iurisdictionem quoad illud peccatum limitavit nec li-

(a) Distingue ab hac et seqq. quaestionem inferius (n. 488.) tractandam, an peregrinus incurrat reservationem, si in aliena dioecesi peccatum committat ibi reservatum. — E.

centia Ordinarii poenitentis praesumitur, ut habet Caietanus (sup.) et Silvest. (V. *Confessor* I. n. 11.). Ergo.

Attamen falleret haec ratio penes eos, qui tenentes, iurisdictionem proficisci ab Ordinario poenitentis, simul censent, *praesumi posse*, de huius voluntate, ut etiam a sibi reservatis absolvi possit poenitens, saltem, ut inquit Amort (disp. 9. q. 25. pag. 414.), a Confessariis Privilegiatis nempe Regularibus. Verum ipse Amort (ibid.) negat id valere etiam quoad Regulares, quando utrobique idem peccatum est reservatum; quod ipse deducit ex §. 7. Constit. *Superna* Clementis X., ut infra videbimus.

Si vero a peregrino confessio fiat peccati, utique reservati in utraque dioecesi, sed cum Confessario habente facultatem in propriae dioecesis reservata, s. Alphonsus n. 587. dicit, ex communiori sententia absolvi posse et allegat Suarez, Lugo, Bonacinam cum Milante et Viva. Nihil mirum; quia hi scriptores tenent principium, quod peregrinus iudicari debet ex legibus loci, ubi confitetur.

Veruntamen illi, qui tenent, poenitentem adhuc subdi iurisdictioni Ordinarii proprii, eatenus id admittunt quidam ex eis, quatenus aiunt, praesumi posse hanc ordinarii eius voluntatem: alii vero id negant.

Patet autem in casu, Confessarium posse tuto sequi s. Alphonsi sententiam; tum quia probabilis est in se, tum quia id ex parte admittunt etiam plures patroni alterius sententiae, saltem antiquiores, ex praesumpta Ordinarii voluntate.

468. Alter casus est, quando peregrinus confitetur peccatum in sua solum patria reservatum.

De quo iam diximus, eos, qui tenent, poenitentem iudicandum esse secundum leges loci, in quo confitetur, istos docere, absolvi posse.

Accedit, quod et inter illos, qui dicunt, poenitentem iudicandum ex voluntate proprii pastoris, non deesse, qui dicunt, praesumi posse saltem in paschate, hanc esse sui pastoris voluntatem. Sed sincere dicendum, ex vi huius sententiae, illud per se negandum esse: casus similis est, si Regularis habeat licentiam confitendi extra et afferat casum reservatum; non enim posset absolvi.

Ceterum cum communissimam affirmantem sententiam s. Alphonsus n. 589. dixerit (quamquam falso ibi his accenseat etiam Caietanum), tuta certe est in praxi.

Accedit ex 1ª sententia ratio huius praxis; quia alias Confessarius vix posset peregrinum absolvere tuto, cum saepe accidat, ut nec poenitens nec Confessarius noscat, quinam casus sint in alienis dioecesibus reservati. Quae tamen ratio non valde adversarios urget quia facile reponent, in eiusmodi casibus vel non potest praesumi, quod Ordinarius

poenitentis exigat, ut aut alibi isti casus cognoscantur, aut ob eam incertitudinem poenitens dimittatur sine absolutione: vel recurret, quod adnotavimus n. 464., scil. absolvetur, sed manebit onus rursus confitendi, si quando cognoscat, se habuisse reservatum, cuius absolvendi facultas Confessario deerat.

469. S. Alphonsus addit, hanc praxim confirmari ex Constitutione (*Superna* 21. Iun. 1670.) Clementis X., in qua Pontifex (§. 7.) statuit: « Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis (sc. Regulares), non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Dioecesi, a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit, in fraudem reservationis ad alienam Dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse ». In quibus aperte facultas conceditur *Regularibus* absolvendi peregrinum a peccatis in patria eiusdem reservatis.

Verum argumentum hoc non dirimit omnimode controversiam; 1° quia nemo intellexit hoc decretum ceu definitionem huius controversiae atque adeo haec mansit inter limites maioris minorisve probabilitatis. 2° Cum hoc privilegium absolvendi peregrinos a casibus in eorum dioecesi reservatis concedatur quibusdam, supponitur eo ipso, peregrinos adhuc subesse per se iurisdictioni et reservationi sui Episcopi, non Episcopi loci, in quo versantur; secus deest fundamentum privilegio: quamvis ex alia parte, cum prohibentur Regulares absolvere peregrinos a casibus reservatis Episcopo loci, videatur firmari principium, quod iurisdictio pro absolvendis peregrinis sit ab Episcopo loci. Scilicet 3° facultas quaepiam facta et circumscripta Regularibus, qui alioquin specialia habent privilegia, nequit praebere regulam generalem. Concedens Clemens X. facultatem Regularibus absolvendi peregrinos a casibus, quos eorum Praelatus sibi reservavit, voluit nihilominus sartam tectam servari legem, quae iubet Regulares approbari ab Episcopo loci et prohibet, eos absolvere a casibus ab eodem reservatis, nisi ex eius licentia. Agitur idcirco de temperamento adhibendo concessioni, non de finienda quaestione, cui nempe Episcopo subsint peregrini in tribunali poenitentiae (a).

(a) Temperare tamen nobis non possumus, quin repellamus eos, qui pro recentiorum sententia tuenda, pervertere nituntur sensum Constit. Clementis X. *Superna*, negantes, ibi privilegium proprium Regularium contineri, cum ipsis potestas asseritur absolvendi advenas a reservatis in horum dioecesi.

Verba Constitutionis haec sunt: *Posse autem Regularem Confessarium in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis... absolvere etc.* Agitur ergo de confessario regulari. Praeterea titulus Constitutionis est hic: *Constitutio,*

Interim notanda est limitatio illa « nisi eosdem poenitentes (regularis) noverit, in fraudem reservationis ad alienam Dioecesim pro

---

in qua Regularium privilegia quoad... Sacramenti Poenitentiae administrationem declarantur. Porro cum vox *posse* significet *habere potestatem,* cuiusmodi autem sit potestas, de qua sermo, ex natura rei, de qua agitur, sit desumenda, argumentum vero sit *Declaratio Privilegiorum,* manifestum est, eiusmodi potestatem ad *privilegia* pertinere.

Id patet quoque ex communi doctorum sententia, qua de re videri possunt Simmonet tr. 15. disp. 9. a. 6. resp. 7. Elbel Confer. 14. n. 376. Roncaglia tr. 19. q. 7. c. 2. q. 1. resp. 2. Platelius Synop. p. 5. n. 909. Ferraris v. *Reserv. Casuum* n. 4. Viva *de Poenit.* q. 8. a. 1. n. 5. Antoine *de Poenit.* c. 3. a. 1. q. 6. Collet *de Poenit.* c. 8. p. 2. n. 560. Eusebius Amort *de Poenit.* disp. 9. q. 25. s. Alph. l. 6. n. 569. Fr. Antonius a s. Ioseph tr. 27. n. 389, qui sedente Pio VI. Compendium Salmanticensium Romae edidit. Ex quibus profecto quidam propter Suaresianas doctrinas eamdem facultatem ad Confessarios seculares quoque extendunt: at nemo non fatetur decretum latum esse pro Regularibus.

Luculentius autem id patet ex contextu, in quo particula allegata iacet. Ubi enim in Constitutione mentio privilegiorum fit, haec dumtaxat habentur (§. 6. et 7.): 1. Vi privilegiorum Regulares *non posse absolvere a casibus ab Episcopo sibi reservatis:* 2. Per confirmationes privilegiorum post Tridentinum obtentas, *non revixisse privilegium, si quod Regulares habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis:* 3. *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apost. reservatis non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere; posse autem... confluentes ex alia dioecesi, a peccatis in ipsa reservatis... absolvere:* 4. denique *vigore supradictorum privilegiorum non licere Regularibus absolvere poenitentes a censuris quoad forum externum.* Cum itaque inibi declaretur, quidnam *vi privilegiorum* possint aut non possint circa motas quaestiones, unica autem quae ibi Regularibus asseritur potestas, ista sit, ut confluentes ex alia dioecesi absolvere ab ibi reservatis possint, luculenter apparet, illam potestatem ad *privilegia* pertinere.

Idque alio evidentissimo argumento inde eruitur. Nam postquam dictum ibi est, VIGORE PRIVILEGIORUM *non licere Regularibus absolvere poenitentes a censuris quoad forum externum* etc., subditur: *Quinimo censuris ecclesiasticis irretitos et denunciatos, ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus.* Unde sic: Heic manifeste agitur de casibus, a quibus Regulares absolverint *vigore privilegiorum;* ergo agitur de *casibus reservatis;* secus enim non requiritur ad eos absolvendos ullum privilegium: agitur autem de casibus reservatis Episcopo, ut patet ex allatis verbis Constitutionis, denique agitur de reservatis in *alia dioecesi;* quia a reservatis Episcopo in Dioecesi, ubi *Regularis est approbatus,* ipsa Constitutio, ut vidimus, declarat, regulares vi privilegiorum non posse absolvere. Evidentissimum ergo est, facultatem absolvendi a reservatis confluentes ex alia dioecesi etc. in ipsa Constitutione declarari ceu *Regularium privilegium.*

Quoniam vero quidam scribere non dubitant, *concessionem quoad casus in dioecesi Confessarii non reservatos, quae in Constitutione* Superna (Clementis X.) *habetur, non esse privilegium specialiter Regularibus concessum* et insuper contendunt id ipsum confirmare ex aliqua declaratione S. C. Concilii; proderit profecto ad praeiudicia eiusmodi refellenda historiam breviter texere eorum, quae circa absolvendos casus episcopales Constitutionem Clementis X. praecesserunt, undenam scilicet dissensiones orirentur quoad hoc Episcopos inter et Regulares, quibus tollendis Clemens manum admovit. Ut enim scribit Ioan. Marin. *Theol. Spec. et Moral.* tr. 22. disp. 10. 45., *Clemens X. cum ante suum Pontificatum integram notitiam habuisset, eo quod per plures triginta annis a Secretis fuisset S. Congregationis, postquam in Pontificem electus est, eiusmodi dissidia exstinguere cupiens, promulgavit Bullam* etc.

Dissidiorum itaque originem ex eo enatam cernimus, quod aegre Episcopi ferrent, Regulares vi suorum privilegiorum facultatem sibi tribuere etiam ab Episcopalibus absolvendi. Nam quod Regulares ab his absolverent, testes habemus Tridentino anteriores. Ita Fumus Armill. V. *Absolutio* n. 26.: *Fratres, qui habentur praesentati secundum dictam formam* Clem. Dudum, *ab omnibus casibus absolvere possunt* (*exceptis praecise reservatis Episcopo vel Superiori* IN IURE), *quantumcumque reserventur Episcopo ex consuetudine vel Constitutione vel beneplacito alii casus... Quia gratia, quam concedit Papa, videlicet* posse absolvere ab omnibus, nisi reserventur A IURE, *revocare vel arctare non potest inferior... Ideo haec opinio tenenda est et practicanda.*

Et Summ. Tabien. V. *Dispensatio* n. 16.: *Cum ergo dicti fratres non possint absolvere a casibus* IN IURE *reservatis Episcopis, ut dicitur in* Clem. Dudum: *ergo possunt ab omnibus*

absolutione obtinenda migrasse ». Quam doctrinam tenendam esse de quovis Confessario, Andreas Mendo ait declaratum fuisse a s. Congreg.

---

aliis, ut reservatis ex consuetudine particulari loci, vel synodali Constitutione; quia unum negando, aliud tacendo concessit... Nec possunt Praelati dictam concessionem revocare vel defalcare: non directe, denegando audientiam Confessionis; quia habent per Clement. Dudum : *non indirecte, prohibendo parochianis, ne confiteantur eis..., nec per retentionem multorum casuum; quia fieret in fraudem legis, quod fieri non debet.* Quam opinionem postquam Silvester *Summ. V. Confessor II.* n. 5. retulit, subiicit : *Quam opinionem sequuntur communiter omnes Summistae et Doctores et hoc rationabiliter et vere.* Et hoc idem sensisse Alph. Vivaldum Saec. XVI. iam labente testatur Reginaldus lib. 8. n. 55. Vid. et Lezana *Summ. Quaest. Regular.* tom. 1. c. 19. n. 17. Fuisse tamen, qui contradicerent, allegati testes satis indicant, sicut et Navarrus *Man.* cap. 27. n. 266.

Heic paulisper sistamus. Haec controversia, cui finem demum imposuit Clemens X. tota in hoc residebat, uti patet, quousque se protenderent Regularium privilegia. Contra per eam aetatem nemo, ut superius vidimus, ne per somnium quidem cogitabat de facultate, quam ad absolvendos casus episcopales haberent seculares Confessarii non privilegiati: nondum enim novitates ab Henriquez et Suarez invectae quaestionem hanc perturbaverant. Ergo neque controversia ipsa, neque eiusdem resolutio ad seculares non privilegiatos ullo modo pertinet. Sed ad historiam.

Interim s. Carolus ann. 1577. cum a s. Congr. Concilii quaesivisset, an Regulares ex privilegio possint in casibus, quos sibi Episcopus reservaverit, absolvere et Congregatio ad SS. de re detulisset, Sanctitas sua etiam de sententia Congregationis censuit, *ex facultatibus per mare magnum aliave privilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absolvendi a casibus sibi ab Episcopo reservatis.*

Accessit sub Clemente VIII. decretum s. Congr. Epp. et Regg., datum 9. Ian. 1601., quo *sacerdotibus omnibus tam Secularibus quam Regularibus praecipiebatur, ne quis eorum sub praetextu privilegiorum, indultorum aut facultatum* etc. *ab ullo ex casibus in Bulla Coenae contentis vel alias quomodocumque Sedi Apostolicae reservatis nec etiam a casibus, quos Ordinarii locorum sibi reservaverint, absolvere audeat.* Sed deinde alio decreto 26. Nov. 1602. eadem S. Congregatio ex mandato Clementis VIII. praecedens *Decretum ita moderatur ac declarat, videlicet sub eiusdem prohibitione tantum imposterum comprehendi casus in Bulla Coenae, ac praeterea* (subduntur hic notissimi quinque casus exinde *Clementini* dicti). *Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt vel in posterum reservabunt.*

Rursus heic sistamus paulisper. Reponent alii, ex ipso decreto erui controversiam fuisse etiam de Confessariis *secularibus*. Resp. *Distinguo:* De secularibus privilegio aliquo seu indulto praeditis, *Concedo:* de aliis, *Nego.* Id patet enim non modo ex allatis verbis Decreti an. 1601. sed clarius in rem nostram sic habet Decretum an. 1602.: *Praeterea declarat, eos quidem sacerdotes, tam Seculares quam Regulares,* QUI ALIQUO EX PRIVILEGIIS, INDULTIS ET FACULTATIBUS IN SUPRADICTO DECRETO EXPRESSIS, SUFFULTI FUERINT, *posse iuxta eorum privilegia, indulta et facultates... absolvere a casibus in praesenti Declaratione non comprehensis:* ALIIS VERO SACERDOTIBUS HUIUSMODI PRIVILEGIA NON HABENTIBUS, NIHIL DE NOVO CONCEDI. Ergo sacerdotes seculares *non privilegiati* HABENT NIHIL. Ergo ad hosce controversia, quae neque post hoc Decretum finem habuit, nullo modo spectat.

Dixi, neque post hoc decretum controversiis finem factum fuisse. Ut enim constat ex Declar. s. Congr. Epp. et Regg. 7. Ian. 1617., *quamplures Regulares* absolvere a reservatis non dubitabant, asserentes in Decretis Clementis VIII. iussu editis *excommunicationes Sedi Apost. vel Ordinariis reservatas minime comprehendi,* itaque s. Congregatio de mandato Pauli V. Decreta innovavit praecedentia ac insuper declarando praecepit, ut *nulli ex sacerdotibus praedictis, quibuscumque privilegiis, indultis et facultatibus suffulti, ab excommunicationibus vel a casibus eisdem Ordinariis vel Sedi Apostolicae reservatis... absolvere audeant vel praesumant.*

Sed nondum controversiae finis. Nam Regulares inhaerentes verbis sup. memorati Decreti iussu Clementis VIII. editi 9. Ian. 1601. scilicet, *Sacerdotibus omnibus tam Secularibus, quam Regularibus,* PER UNIVERSAM ITALIAM EXTRA URBEM *degentibus... praecipit...*, concludebant: aliqua veri specie, Decreto illo eos non teneri, qui extra Italiam aut intra Urbem imo et Urbis districtum degerent. Proinde tum a casibus sibi ab Episcopo reservatis, tum etiam a contentis in Bulla Coenae contendebant sibi fas esse in iis locis absolvere. Itaque ecce rursus eadem s. Congregatio 17. Nov. 1628., iussu Urbani VIII. Decretum edidit: *Regulares cuiusvis Ordinis... nec intra nec extra Italiam in vim privilegiorum...*

19. Nov. 1616. apud Zambellum V. *Casus* 26. (apud Dian. tom. 1. tr. 5. resol. 49. n. 1.): quanquam Mendo limitandum hoc censeat,

---

posse quemquam absolvere ab iisdem casibus in Bulla Coenae, aut Ordinario loci reservatis ac si secus egerint, absolutiones nullas atque irritas fore et esse. Et heic advertere iuvat, in praemissis Decretis nomine *secularium Sacerdotum*, qui aliquo privilegio muniti forent (iuxta Thesaurum Part. 2. V. *Absolutio*, cap. 3. n. 4.) designari Ecclesias quasdam seu sanctuaria insignia, in quibus possent ex privilegio a reservatis absolvi qui ea visitarent. Porro de his utique in decreto sub Paulo V. an. 1617. memoriam videmus fieri; sed in postremo sub Urbano VIII. iam soli *Regulares* in medium prodeunt.

Ceterum neque postremum hoc Urbani VIII. decretum controversiam sustulisse, ecce testis Sporer, qui *Theol. Sacram.* part. 3. n. 746. haec habet: *Eodem privilegio, eademque rationabilissima extensione in communiori et tuta sententia ob tam pingues et universalissimas clausulas Bullarum..., Regulares Mendicantes absolvebamus a casibus, Episcopis ab homine reservatis, quos scilicet ipsi Episcopi, quisque in sua dioecesi sibi reservat, etiam non obstante Decreto Urbani VIII. de anno 1628. 17. Nov. eam absolutionem prohibentis, eo quod illud Decretum aut extra Italiam se non extenderit, aut certe sufficienter promulgatum non fuerit. Postea vero prodiere vel innotuere authenticae tam multae Bullae et Declarationes in favorem Episcoporum, ut iis perpensis Alexander VII. inter propositiones damnatas* 13. *loco etiam hanc prohibuerit: Mendicantes possunt absolvere a casibus, Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Ubi rursus soli Regulares sunt, qui in ista controversia implicati apparent et cum Alexandri VII. Decretum prodierit an. 1665., iam iam prope attingimus tempus, quo Clemens X. hanc quaestionem ea, qua vidimus, ratione definivit.

Interim animadversum iam fuerat, ut habet Wigandt tr. 14. Exam. 2. n. 59. praeceptum Regularibus impositum, ne a casibus Episcopo reservatis absolverent, intelligendum esse de reservatis ab Episcopo loci, ubi confessio excipitur. Ita Wigandt: *Dum Clemens VIII... prohibuit, ne Confessarii absolvant a casibus reservatis Ordinariis, debet intelligi de Ordinariis* respective, *nimirum illorum locorum, ubi illi Confessarii inveniuntur.*

Et, ut alios omittamus, id ipsum notavit etiam Filliuccius tr. 7. cap. 9. n. 284. scribens: *Respondeo, prohibitionem Clementis VIII. debere intelligi de Ordinariis* respective, *hoc est: nemo absolvat a reservatis suo Ordinario: a reservatis autem alteri, non suo, non prohibetur: quia de hac reservatione non est sermo in eo decreto.*

Et quidem pro hac interpretatione facit, quod idem Clemens VIII. in altera Constitutione, quae incipit *Quaecumque a Sede Apost.* 7. Dec. 1604. §. 9. eadem hac dicendi ratione sic utitur: *Decernimus insuper, ut iidem Confessarii... ab aliis casibus, tam a Nobis, quam a praedicto Nostro in Urbe Vicario et locorum Ordinariis* respective *reservatis et pro tempore reservandis... absolvere... nullo modo possint.*

Huc etiam spectat, quod Urbanus VIII. in Decreto 17. Nov. 1628. sup. allato prohibitionem coarctat ad casus *Ordinario loci* reservatos: *Regulares... nec intra nec extra Italiam in vim privilegiorum posse quemquam absolvere a casibus .. Ordinario loci reservatis.*

Itaque cum prohibitio absolvendi a reservatis accipienda esset de reservatis Ordinario loci, in quo Confessarius erat approbatus; Regulares autem etiam iuxta Clementis VIII. decretum suis uti possent privilegiis ac denique vi privilegiorum absolvere possent poenitentes undecumque venientes etiam a reservatis in eorum dioecesi; obvia erat conclusio, etiam post Clementis VIII. Decretum, Regulares posse advenas etiam a reservatis in respectivis eorum dioecesibus absolvere.

Et quidem rectissimam hanc conclusionem exstitisse, luculentum nobis argumentum suppeditat Fagnanus, qui per plures annos munere Secretarii s. Congr. Concil. perfunctus opus suum paulo ante Clementis X. Pontificatum dictavit. Sic enim ille in cap. *Omnis utriusque*, n. 95. disserens de cap. *Si Episcopus* Bonifacii VIII. per quod ipse dicit, non simpliciter tolli consuetudinem, sed nullam posse consuetudinem introduci, quippe quod resistat principiis introductionis illius, ista dein subiicit: *Sed quia haec quaestio non est praesentis indaginis, in ea diutius immorandum non diximus. Satis est, quod pertinet ad dubium, de quo nunc agitur, Regulares in ea |dioecesi, in qua sunt approbati, posse absolvere confluentes etiam a casibus in aliena dioecesi reservatis: in hoc enim plus operatur* APOSTOLICUM PRIVILEGIUM, *quam consuetudo etc.*

Quod vero ad praesens institutum maxime facit, negat Fagnanus, hanc facultatem communem sacerdotibus saecularibus. Sic ipse l. c.: *Quae tamen opinio quoad sacerdotes seculares maximam patitur difficultatem, imo vera non videtur; quia nulla potest consuetudine*

nisi hic Confessarius habeat facultatem ad reservata. Et sane tunc reservatio non effugitur.

470. Sed quaestio est, in quo consistat *fraus ista.* S. Alphonsus n. 589. reiicit sententiam aientium (scil. Mazzotta, Tamburin. et aliorum), intelligendum hoc esse, quando casus deductus sit ad forum contentiosum: ratio s. Alphonsi est, quia Pontifex loquitur de foro sacramentali, non de externo. Quae ratio, non satis valet; quia agitur quidem de absolutione danda in foro sacramentali, sed casus potuit deduci prius ad forum externum. Duo haec non sese excludunt. Et reipsa cum fraus ista praesertim in eo adsit, quod quis velit effugere iudicium proprii pastoris et consequentias huius iudicii vitare, id maxime locum haberet, si res ad forum externum deducta foret. Fatendum tamen, locum id habere posse, licet res non sit deducta ad externum forum; quia v. gr. Episcopus exigit, ut quaedam apponantur conditiones absolutioni etc. Nec melius forte respondebitur, Pontificem distinguere ibi praedictum casum a casu deducto ad externum forum: quippe post allata superius, mox (l. c.) subdit: « Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte, absolvere poenitentes a censuris quoad externum et iudiciale forum, et absolutos eos in foro poenitentiali utique non censeri absolutos in exteriori iudicio et contentioso ». Nam heic Pontifex nec de peregrinis, nec de reservatis, aut de reservatis tantum Episcopo loquitur, sed generatim de causis ad forum externum deductis.

P. Thomas Milante Ord. Praedic. (apud s. Alph. n. 589.) censuit, tunc fraudem hanc intercedere, cum quis peccat in confidentiam absolutionis obtinendae in alia Dioecesi, ubi non est reservatio; non vero si post patratum peccatum, alio quis divertat, ut facilius absolvatur... non secus ac (inquit) si accederet ad aliam Dioecesim, in qua idem

---

introduci, quod aliquis praeter Superioris sui licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare, quae sunt formalia verba textus in c. 2. *Si Episcopus.*

Ita et Reiffenstuel, qui et ipse ante Constitutionem Clementis X. scripsit *Th. Mor.* tr. 14. dist. 9. q. 1. n. 2.: *Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis possunt absolvere poenitentem alterius dioecesis a casibus in dioecesi poenitentis reservatis, si hi non sint reservati in dioecesi, in qua confessiones audiunt: cum Regulares habeant iurisdictionem a Papa.*

Quinimo id a s. Congreg. iam declaratum vel ante Clementis X. Constitutionem, indicat Ferraris V. *Reservatio casuum* n. 4. Postquam enim dixit: *Hinc poenitentes confluentes ex alia dioecesi cum peccatis in ea reservatis possunt absolvi a Regulari in dioecesi, in qua est approbatus, etc.,* et ad id confirmandum textum retulit ex Clem. X. Const., tum pergit: *Posse enim Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis absolvere etiam poenitentes alterius dioecesis, iam expresse declaraverat s. Congr. Concilii apud Fagnanum..., quia ipsi habent iurisdictionem a Papa, cuius iurisdictio non restringitur ad limites alicuius territorii..., sed universus orbis est sua dioecesis.*

Concludamus itaque, etiam historiam eorum, quae Constitutionem Clementis X. antecesserunt circa istam controversiam, eo collineare omnia, ut verba Clementis mere ad declarandum et confirmandum Regularium privilegium pertineant.

crimen foret reservatum, sed plures adessent poenitentiarii, a quibus posset absolvi.

Pro qua sententia s. Alphonsus allegat Palaum (tract. 3. *de Legib.* disp. 1. punct. 24. §. 5. n. 4.), Wigandt (tract. 14. n. 60.), Salmanticenses *de Legib.* cap. 3. n. 63. et Basilium De Leone. Sed reipsa hi nihil habent de neganda absolutione, si quis peccet in confidentiam etc. et generatim dicunt, eum qui alio abit, ut absolvatur, iure suo uti; quia licet cuilibet peregrinari et iure seu privilegio peregrinationis uti.

Quicquid sit, s. Alphonsus non admittit doctrinam P. Milante, quod sc. fraus sita sit in peccando in confidentiam etc.; quia Pontifex loquitur de eo, qui *migrat* in fraudem, non vero de eo, qui *peccat* in fraudem.

471. Alii (apud s. Alph. l. c.) aiunt, in fraudem eos migrare, qui ob *solum finem* obtinendi absolutionem in alienam dioecesim veniunt, sine alio rationabili motivo. Intellige autem hos velle effugere iudicium proprii Pastoris; secus erit regula materialis et inepta.

Alii denique, quorum sententiam s. Alphonsus putat probabiliorem, explicant fraudem, quando aliquis alienam dioecesim adit ob PRINCIPALEM finem obtinendi absolutionem et effugiendi iudicium proprii pastoris.

Male tamen in hanc rem s. Alph. citat Fagundez in 2. *Praec. Eccl.* lib. 8. cap. 8. n. 20., et Lugo *de Poenit.* disp. 20. n. 70.; quia hi nihil disputant de Clementis X. Constitutione et loquuntur in hypothesi eorum Doctorum, qui facultatem absolvendi peregrinum repetunt ex praesumpta licentia Ordinarii eius; quam licentiam praesumi posse negant, si quis peregrinetur ad effugiendam reservationem. Quam rationem si s. Alph. admittat, iam relabitur in theoriam, quam effugere voluit.

Hoc idem dicendum de Viva q. 9. art. 3. n. 4., quem s. Alph. allegat; nam 1° hic repetit ex eo, quod desit voluntas praesumpta proprii pastoris, unde alia est theoria: 2° nihil dicit de hypothesi, quod absolutio obtinenda vel *solus* vel principalis finis sit migrandi alio (de quo nec verbum habent etiam Fagundez et Lugo). 3° Perperam allegat Suarez *de Poenit.* disp. 25. sect. 2. n. 9.; quia hic non loquitur de casu reservato, sed generatim de confessione facienda, quam negat validam, quando aliquis alieno et alibi confitetur, ut effugiat proprium sacerdotem; quam quidem doctrinam modo nullatenus admittimus et est plane contraria theoriae ipsius Suarez de iurisdictione data ab Ecclesia et consuetudine.

Denique Roncaglia quoque, quem s. Alph. ibid. allegat, dicit fraudem committi (pag. 106. q. 1. resp. 2.), « quando NULLUM aliud esset mo-

tivum, vel PRINCIPALE progrediendi motivum esset obtinere absolutionem a reservatis »: unde Roncaglia aeque pro praecedenti sententia militat, ac pro ista.

Quid ergo dicendum? Videtur sane fraus tunc habere locum, cum aliena dioecesis petitur solum in eum finem, ut effugiatur iudicium proprii sacerdotis, qui nihilominus est invitus. Sed si ita est, non negamus probabilem sententiam s. Alph.; quia poene similis ratio in utraque hypothesi videtur (a).

472. Tertius casus est, quando peccatum est reservatum in Dioecesi Confessarii, non vero in patria poenitentis.

Et iuxta diversa principia sup. n. 463.-465. apparet statim, duplicem de hac quaestione debere esse sententiam oppositam, quam utramque refert et s. Alphonsus n. 588.

Ipse porro s. Alph. ibid. de sententia, quae negat posse absolvi ita habet: « Haec sententia est quidem communior et longe probabilior, quia peregrini, stante odierna consuetudine (quod nempe absolvantur ubique a quocumque Confessario approbato) hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum, sed ex voluntate Ecclesiae, quae talem consuetudinem approbando tribuit facultatem, ut habeantur ipsi tamquam incolae loci, ubi confitentur. Cum autem reservatio respiciat Confessarios, non poenitentes, Confessarius loci nequit absolvere eos a peccato, in quo sibi limitata est iurisdictio a suo Ordinario ».

Quam in rem memorat et decisionem Congreg. EE. et RR. (17. Novembris 1616.) apud Pitonium *de Confess.* n. 620., qui eam desumpsit ex Cabrino (*Elucidarium Casuum Reserv.* resol. 21.).

Verum istae rationes non sunt eiusmodi, quae *longe probabiliorem* efficiant eam doctrinam.

Nam. 1° quod de consuetudine inducta dicitur et de voluntate Ecclesiae, id gratis affirmatur. Qua de re vide quae super diximus n. 464.

Et quidem quod consensus Praelatorum aequipolleat facultati eligendi alibi Confessarium approbatum (cui indirecte communicetur iurisdictio ab Ordinario poenitentis) iudicium aliquod adhuc superest in Constitutione *Superna* Clementis X., in qua facultas non datur absolvendi eum, qui fraudolenter vult effugere iudicium proprii Episcopi;

(a) De fraude loquitur reg. ultima inter R. I. in 6°: *Certum est, quod is committit in legem, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem*, h. e. mentem, quam ratio legis, eiusque causae manifestant (cf. Foebum in *Regulas Iuris*). Idcirco aiebat Iurisperitus l. 29. ff. *de legibus:* contra legem facit qui id facit quod lex prohibet: in fraudem vero, qui salvis verbis legis, sententiam eius circumvenit. Et l. 30. seq. *Fraus enim legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri tamen non vetuit, id fit*, vel idcirco omittitur quod lex fieri voluit, fieri autem expressis verbis non iussit. In nostro casu peregrinus verba legis amplexus, quae permittit alibi confiteri, contra voluntatem legis facit, quod peccata reservata alteri quam reservandi vel eius delegato confitetur. — E.

supponitur enim ibi, subditum eius posse vel non posse absolvi, prout praesumitur prudenter de Episcopi sui voluntate: superest indicium praeterea in facultate quae fit Religiosis confitendi cum Confessario extra proprium Ordinem, nam certum est, iurisdictionem proficisci a Superiore illius Ordinis.

473. Neque magis solida est altera ratio, quod reservatio sit *limitatio iurisdictionis quae afficit Confessarium* et non poenitentes.

Nam 1° in sententiam eorum, qui tenent, posse peregrinos absolvi ex praesumpta licentia Praelatorum atque adeo facultatem absolvendi profluere ex Ordinario peregrini, non vero ex Ordinario loci, ratio haec nihil valet; isti enim negant suppositum, quod nempe sacerdos utatur iurisdictione a suo Episcopo accepta ac limitata, cum reipsa utatur iurisdictione accepta ab Ordinario poenitentis, non secus ac qui eligitur ab habente privilegium v. gr. Bullae Cruciatae.

2° Imo sententia illa (quod reservatio sit iurisdictionis limitatio afficiens Confessarium, non vero poenitentes) neque ab iis omnibus plene retinetur, qui volunt reservationis decreto subiici tum subditos Ordinarii reservantis tum non subditos. Etenim plures etiam ex istis contendunt (vid. s. Alph. n. 581.), Confessarium posse absolvere poenitentem a reservato, si poenitens huius reservationem ignorabat. Quam quidem doctrinam non negant imo affirmant probabilem esse apud s. Alph. l. c. etiam Lugo, Salmantic., Roncaglia, Elbel, Gobat et Sporer; tum quia reservatio (etiam medicinalis) semper habet rationem poenae, a qua ignorantia excusat: (hanc rationem egregie versat Iosephus de Ianuario *Resol. de Casib. Reserv.* resol. 1. eaque principia statuit, ut ille solus reservationem incurrat, qui statuto ac lege tenetur cf. infr. n. 479.) tum quia cessat quoad ignorantes etiam ratio medicinae, cum retrahi a peccato non queat ea reservatione, quam ignorant. Deinde ista ratio desumpta a ratione *medicinae* habet contra se praxim Ecclesiae, quae negat ignorantes incurrere censuras; nonne enim censurae sunt poenae medicinales? Et eandem velut probabilem tenent etiam Viva, Diana, Graffius, Navarrus etc., si reservatio facta sit per statutum generale seu Synodale, cuiusmodi sunt reservationes designatae in tabella (nam si reservatio fiat de peccatis praeteritis per modum praecepti, limitari iurisdictionem Confessarii censet Ioseph de Ianuario cum aliis mox allegatis). Atqui haec doctrina plane supponit, reservationem afficere poenitentes, non vero Confessarium; quia secus non posset hosce absolvere. Ergo vel non debet dici limitatio afficiens Confessarium, vel saltem debet dici limitatio iurisdictionis in ordine ad poenitentes, quos lex comprehendit. Peregrinos autem lex specialis non comprehendit. Ergo.

Quaestionem autem non dirimit decisio Congregationis Episcoporum a Pitonio seu Cabrino allegata; tum quia haec est mere doctrinalis, tum quia praeter Cabrinum nemo hominum novisse eam videtur.

Et notum est, collectionem decisionum factam a Pitonio omnino parvipendi; quia multa miscuit plane incerta et non authentica: quod fieri posse ex hallucinatione, exemplum dedit Collet supr. n. 457.

Denique infirma est et ratio, quam quidam addunt, ut Suarez *de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 6. et post eum Salmantic. *de Poenit.* cap. 13. n. 26., quod « ut concessio iusta sit, debet esse utrinque aequalis et qui liberatur ab uno onere, debet sentire aliud, quod ex illo sequitur »: unde concludunt, quod qui sentit commodum absolutionis a reservatis in sua patria, debet sentire etiam onus reservationis loci, ubi confitetur. Quae quidem ratio probaret, peregrinum, qui egrediens certe eximitur obligatione reservandi leges speciales suae patriae, eo ipso teneri legibus locorum, per quae transit. Hoc autem ab omnibus reiicitur; neque ex eo quod Albanensis transiens ad Tusculum liberetur legibus specialibus Albani, tenetur ad leges speciales Tusculi.

474. Expendenda heic occurrit et Responsio s. Poenitentiariae 21. Nov. 1873., quam referunt *Analecta Iuris Pontificii* fasc. 121. Febr. 1875. Casus his verbis proponitur: *Titius sacerdos ad tribunal poenitentiae accedens peccata exponit partim simpliciter reservata, partim etiam cum censura Episcopali in dioecesi Confessarii. Dolet se* (sic!!) *hic et humaniter admonet fratrem, ut se sistat habenti facultatem: sed ille instat pro absolutione et dicit: quod Confessor, cum non sit iudex opinionum, potest et debet absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem non solum probabilem, sed etiam communissimam inter theologos antiquos et viventes. Confessor firmus in sua sententia non acquiescit et inabsolutum dimittit poenitentem. — Quaeritur* 1° *Utrum Confessor bene se gessit?* 2° *Potest semper in casu ita se gerere? — Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, respondet: ad utrumque affirmative.*

Interim Analectorum scriptor praecl. haec praemittenda gallico sermone censuit. Praefigit titulum: *Decisio s. Poenitentiariae. Casus reservati in dioecesi Confessarii, nequaquam autem in dioecesi poenitentis.* Deinde quaestionem hanc proponit: *Confessarius potestne poenitentem absolvere a casibus reservatis in dioecesi* (subaudi *sua*, ubi confessionem excipit) *sed non reservatis in dioecesi poenitentis?* Et respondet: *s. Poenitentiaria de suo circa hanc quaestionem iudicio rogata, censuit, Confessarium in iis adiunctis absolvere non posse sine speciali facultate Ordinarii reservantis. Hinc sequitur, fas non esse theologos, qui aliter sentiunt, tum antiquos tum recentes sequi.*

Veniam det vir praeclarissimus, ut candide his respondeatur 1° *Nego antecedens.* Responsio enim s. Poenitentiariae sese latius non porrigit, quam proposita quaestio necessario ac perspicue exigat. Atqui verba, quibus quaestio proponitur, quaecumque demum mens fuerit inepti proponentis, nec necessario nec manifeste exigunt, ut intelligantur de sacerdote poenitente in ea dioecesi advena: quinimo inscite ea ibi permiscentur, quae poenitentem esse eiusdem, ac Confessarius sit, dioecesis per se suadent ac poenitentem Episcopo censuras ferenti subditum omnino postulant. Ergo tum proposita quaestio, tum s. Poenitentiariae Responsio ad controversiam de casu reservato in dioecesi tantum Confessarii, non vero in Episcopatu poenitentis perperam pertrahuntur. Exinde vero neganda simul venit et consequentia a viro praecl. hinc deducta, videlicet post hoc s. Poenitentiariae responsum fas non esse sententiam sequi tum veterum tum recentiorum, qui scilicet teneant, reservationes dioecesanas neutiquam impedire aut obstare posse, quominus absolvatur advena ab iis peccatis, quae huius Ordinarius pro suis subditis nequaquam reservavit. Et hoc quidem gravissima alia ratio suadet. Quo enim pacto quispiam denique probare poterit, s. Romanam Congregationem improbare voluisse praxim, quae innixa inconcussis catholici dogmatis principiis per omnia retro secula in Ecclesia viguit, quousque suaresianae novitates gliscere paulatim et per cumulum assertionum sibi invicem contradicentium coeperunt inolescere?

Sed 2° liceat etiam rèspondere: *Nego hypotheticam consequentiam*, nempe etiamsi quis supponere velit, s. Poenitentiariae responsum ei quaestioni reddi, qualem vir praecl. confixit, inde tamen consequi, fas non esse theologos sequi, qui aliam profiteantur sententiam. In primis enim quis illud ignorat, quod et Salmanticenses habent *de Censur.* cap. 2. n. 56., nempe. *Quando s. Congregatio fert sententias innixa opinioni probabili, non auferre probabilitatem sententiae oppositae ita, ut hanc sequi non liceat?* Et reipsa non aliquando et s. Doctor Alphonsus responsa s. Poenitentiariae posthabuit oppositaeque adhesit opinioni? Vid. lib. 6. n. 556.

Sed insuper eo vel magis in re praesenti haec valere debent, quando non de doctrinis s. Poenitentiaria exhibetur iudicans, sed de Confessarii actu, sit necne improbanda eius ratio agendi. Et sane hic Confessarius in hypothesi putasset sibi licere doctrinam sequi, quam s. Alphonsus lib. 6. n. 588. *communiorem ac longe probabiliorem* dixit. At vero si res ita se habet, quomodo s. Poenitentiaria id improbasset, dum alias ad quaestionem ei propositam, *An sit inquietandus Confessarius, qui omnes b. Alphonsi de Ligorio sequitur opiniones in praxi s. Poeni-*

tentiae tribunalis, 5. Iul. 1831. responderat, *Negative?* At enim fuitne aut esse nunc potest mens s. Poenitentiariae, ut, dum Confessarium non improbat, qui in praxi tribunalis poenitentiae opinionem adoptat s. Doctoris Alphonsi, idcirco eo ipso neget, fas esse aliis oppositam sequi sententiam? Atqui eiusmodi consectarium reiicit ipsa s. Poenitentiaria et quidem illud reiicit in eadem prorsus responsione: prosequitur enim: *Quin tamen reprehendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* Ergo consequentia, quam vir praecl. in sua hypothesi deducit, ab ipsa s. Poenitentiaria non admittitur.

Illud etiam heic non omittatur, minus ad rem, quin et inscite in casu sacerdotem poenitentem induci Confessario obiicientem, *quod Confessor, cum non sit iudex opinionum, potest et debet absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem non solum probabilem* etc.; non enim in casu ullatenus agitur de absolutione, quae denegetur poenitenti eo, quod hic sequi velit opinionem probabilem. Porro iste et non alius est casus, de quo et s. Alphonsus et theologi communiter statuunt, huiusmodi poenitenti absolutionem negari non posse.

475. Praestat denique quoad huius Notae argumentum diluere dubium, quod in theologorum libris frustra quaeres, sed per ora quorundam fertur. Aiunt quidam nimirum, advenam a reservatis in Confessarii dioecesi absolvi non posse, non quia desit iurisdictio collata ab advenae Ordinario, qui illa peccata non reservavit, sed quia Confessario deest proprii Ordinarii approbatio. Quippe (dicunt) dum Ordinarius reservat quaedam peccata, eo ipso quoad illa peccata coarctat Confessarii approbationem. Deficiente itaque approbatione, eo ipso Confessarius incapax evadit accipiendi a quovis alio Ordinario iurisdictionem eaque utendi circa illa peccata; atque adeo perinde fore, ac si quis Confessario non approbato confiteatur, cuius absolutionem Synodus Tridentina nullam et irritam esse sanxit, ita isti neo-theologi.

Nonnihil itaque et de hoc dubio. Et in primis mirum enimvero videri potest ac porro debet, quod cum haec via tam facilis ac prorsus obvia in promptu esset, qua praesens quaestio peremptorie solveretur, tot tamen inter Doctores, qui ab Tridentina Synodo ad nos usque per tria saecula floruerunt, nemo hanc interviderit, imo ne minimum quidem suspicatus de ea fuerit. Nec minus mirum, quod cum universi theologi, tum primi tum infimi subsellii, de necessaria hac Ordinarii approbatione tam subtiliter ac fuse disputaverint, atque in limitationes omnes inquisiverint, quas habere queat Ordinarii approbatio tum quoad loca, tum quoad personarum genera, tum quoad tempus; nemo tamen de nova ista quoad peccatorum species circumscriptione approbationis

quidquam cogitaverit. Veruntamen mira haec mentis hebetudo, quam isti neo-theologi tam facile universis per tria saecula theologis imo et universis Ecclesiarum pastoribus affingere necessario debent, nunquid non ipsos, et cum ipsis nos omnes potis est monere, ut novissimam hanc eorum lucem suspectam habeamus? Sed insuper cohaeretne novum hoc scientiae theologicae portentum cum iis, quae certa ac rata in theologiae scholis imo et in Ecclesiae praxi habentur? Speciminis gratia nonnulla delibemus.

Esto casus. Accedat Regularium famulus cum peccatis Episcopo reservatis ad Confessarium facultate in reservata carentem. Certum est, ut docet etiam s. Alphonsus l. 6. n. 583., hunc valide etiam a reservatis absolvi. At enim Ordinarii approbationem pro reservatis Confessarius non habet. A superiore regulari approbatio haberi nequit. Quomodo itaque valide absolvit? — Esto Superior Regularium, qui ad suorum confessiones excipiendas Confessarium vocaverit secularem, ab Ordinario quidem approbatum, sine facultate tamen in peccata ab eo reservata; Regularis aliunde superior licentiam suis generatim tribuit, ut absolvi a reservatis possint, inter quae nonnulla sunt etiam ab Episcopo reservata, v. gr. periurium, sacrilegium etc. Quaero: undenam Confessarius iste habet *approbationem*, quam neo-theologi exigunt? An valide sine *approbatione* absolvit? Neque forte oggeras, ad audiendas Regularium confessiones vi Decreti Tridentini approbationem Ordinarii necessariam non esse. Reponetur enim: quid de Cappuccinis, qui ex Decreto Benedicti XIV. secularem confessarium, nisi sit *approbatus*, eligere non possunt? — Esto confessarius, qui a s. Poenitentiaria facultatem absolvendi a quibusdam peccatis obtinuerit vel per consuetam Pagellam, vel per alias litteras; inter haec autem peccata finge quodpiam esse ab Episcopo reservatum, v. gr. sortilegium. Equidem s. Poenitentiaria *approbationem* non tribuit, sed supponit et disserte conditionem apponit, ut *confessarius sit ab Ordinario loci legitime approbatus*. Iam vero en redit quaestio; nam s. Poenitentiaria approbationem non concedit, Confessarius ab Ordinario suo pro iis peccatis in hypothesi approbationem non habet: quomodo ergo valide absolvit? — Quid vero dicemus de facultatibus, quae occasione Iubilaei Confessariis omnibus approbatis conceduntur? Undenam pro his approbatio? Itaque ne plura addamus, concludere ex his iam liceat, quod si nemo unus ex universo Theologorum agmine, qui per tria secula sacram hanc disciplinam excoluerunt, de nova hac et singulari ratione episcopalem approbationem limitandi verba fecit; non quidem dicendum est id contigisse, quia sufficienti ad id internoscendum carerent mentis acie, quae profecto nec maxima nec singularis ad id requirebatur, sed quia

in eiusmodi theoria nihil deprehenderunt, nisi inane phantasma, quod et minus cum certis doctrinis cohaeret et ad absurda deducit.

Ex quibus omnibus concludi potest, aeque probabilem esse hanc doctrinam quae negat, subesse peregrinum casibus reservatis in loco ubi confitetur, non reservatis in sua dioecesi, atque adeo in praxi eandem esse tutam.

476. Et quoniam de ignorantia reservationis sermo incidit, certum est, non incurri reservationem Papalem ob censuram, si quis censuram non incurrat: censuram autem non incurrit ille, qui ipsam censuram ignorat. Ergo ignorantia a reservatione hac excusat, et ideo a quolibet Confessario absolvi potest. Vid. s. Alph. 580., ubi innuit, duos esse casus Papae reservatos sine censura, nempe 1° crimen falso accusantis sacerdotem de sollicitatione apud iudices Ecclesiasticos sive per se sive curando, ut per alios haec calumnia inferatur: 2° acceptio numerum a Regularibus ultra valorem 10. Scutatorum ex Const. Clementis VIII. et Urbani VIII., quae in eo consistit, quod quisquis acceperit talia munera a regularibus absolvi non possit vel a maiori Poenitentiario, nisi accepta monasterio seu Ordini restituantur. Quocirca si quis iam restituerit, reservatio cessat: si autem nequeat restituere, absolvi poterit, dummodo serio promittat, se, cum poterit, restituturum. Quod si summa eum valorem non attingat, adhuc tamen materia sit gravis et restitui possit, absolvi nequit, nisi saltem pars ad arbitrium Poenitentiarii sit restituta. Unde alii recte concludunt, peccatum hoc proprie reservatum non esse, sed incapacem fieri et esse absolutionis eum, qui, cum restituere possit, nondum restituerit.

Quando autem casus aliquis reservatur ab Episcopo cum censura, certum pariter est, censuram ab eo non incurri, qui eam ignorabat. Vid. s. Alph. n. 58.

Sed quaestio fit, an si ob ignorantiam quis excusatur ab incurrenda episcopali censura, casus tamen seu peccatum, quod Episcopus sibi reservavit, adhuc maneat reservatum. Et Doctores quidem inter se dissident, ut videre est apud s. Alph. l. c.

Et s. Alph. quidem l. c. dicit *veriorem* sententiam, quod reservatio non cesset et hanc affert rationem « Ratio, quia in hoc differunt casus papales ab episcopalibus, quod in papalibus principaliter et indivisibiliter reservatur censura: in episcopalibus vero principaliter et per se reservatur casus eique adnectitur censura, ad hoc ut peccantes fortius ligentur et per duplicem reservationem a peccato absterreantur ».

Sed haec reipsa non est ratio, sed repetitio eiusdem sententiae per alia verba. Proinde negant hoc discrimen quicumque oppositam sententiam sequuntur. De qua re Aversa *de Poenit.* q. 17. §. *sexto* pag. 840.:

« Posset quidem simpliciter tolli censura et remanere reservatio peccati. Realiter tamen et concomitanter ita se res habet, ut ablata censura, eo ipso cesset etiam peccati reservatio... et ab initio si excusetur quis ab incurrenda censura, quamvis non a culpa, ut contingere potest ob ignorantiam, excusetur pariter a reservatione ipsius culpae. Quia nempe ex intentione Superioris ita coniungitur culpae reservatio cum censura, ut non nisi cum illa inveniatur. *Et in hac doctrina* COMMUNITER *Doctores conveniunt* ».

Suarez *de Poenit.* disp. 29. sect. 3. n. 7.: « Diço etiam in excommunicationibus reservatis Episcopis per eorum statuta vel sententias non statim haberi, quod ipsa peccata in se maneant reservata; quia, ut dixi, duo illa sunt distincta: imo interdum potest reservari censura et non culpa. Consideranda ergo sunt verba reservationis, consuetudo, potestas reservantis ». Unde patet, falso s. Alphonsum allegasse Suarez pro sententia opposita. Adverte dein, apud s. Alph. n. 582. plures allegari, qui opinioni s. Alphonsi contradicunt, inter eos Fagundez, Bonacina, Quarti etc. (a).

477. Neque multum urget ratio, quoad ligamen censurae addatur atrocioribus delictis: graviorem vero animadversionem non debere efficere, ut facilius quis eam totam evadat, in casu nempe ignorantiae.

Nam 1° respondebunt negando suppositum, quod scil. ignorantia non excuset etiam in casu simplicis reservationis.

2° S. Alph. idipsum admittit in casu papali Sixti V. quoad ordinationem simoniacam. Nam n. 580. in fin. ipse contendit, prius ignorantiam non excusasse a reservatione; postea excusasse, quando eidem crimini addita est poena excommunicationis.

Quod autem de ignorantia reservationis, idipsum Doctores *communiter* ut ait Mazzotta tract. 6. disp. 2. q. 3. pag. 330. q. 3., dicunt de eo, qui peccatum per se reservatum committit gravi metu compulsus.

Ratio, quia ex benignitate Ecclesiae reservantis praesumitur, eam nolle comprehendere sua reservatione peccantem ex gravi metu; nec enim leges humanae obligant cum damno notabili.

478. Ut omnia in summam contrahamus, ratio negantium, ignorantiam excusare ab incurrenda reservatione, ea est, quia reservatio restringit potestatem Confessarii. Porro haec ratio, quae pro ea opinione vel unica vel saltem ceu potissima afferri solet, nihil concludit. Quod enim reservatio sit restrictio iurisdictionis, dicimus omnes; sed

---

(a) Cf. notam sub. n. 438. ubi diximus n. 8., hanc sententiam, quae casus episcopales reservatos cum censura aequiparat hac in re papalibus, videri veriorem Cardinali d'Annibale. — E.

quod reservatio seu lex reservans comprehendat etiam peccatum cum reservationis ignorantia factum, sicut et patratum ex gravi metu, vel commissum extra territorium etc., hae quaestiones non solvuntur ex eo, quod reservatio sit limitatio iurisdictionis. Paucis: quod reservatio sit restrictio iurisdictionis (quae est reservationis definitio) nihil confert ad decernendum, ad quos casus ea restrictio sese porrigat seu quaenam peccata sint reservata, ut bene observat Viva *de Poenit.* q. 9. art. 3. n. 3., non secus ac scilicet ex eo quod *lex vim habeat obligandi,* perperam concluderetur, hunc aut illum casum ipsa lege comprehendi.

Alios quosdam movebat timor, ne per hoc disciplina tum christiana tum religiosa laxaretur. Sed et ista difficultas admodum levis est. Cum primo enim poenitens eam culpam confitebitur, de reservatione a Confessario monebitur et sic disciplinae relaxandae aditus praecludetur in posterum: quoad praeteritum vero in neutra sententia obtineri potest, ut reservatio ignorata fraenum iniiciat.

Atque sententia affirmans pluribus arrisit. Ita Gabriel Beati qui docuit Theologiam moralem in Collegio Romano et *Quaestiones morales*, Cardinali Chisio dicatas, Romae edidit an. 1663. probantibus Io. Paulo Oliva Praep. Gen. Soc. Iesu et Raymundo Capisucco S. A. P. tunc Magistro, deinde inter Patres Cardinales adscito. Sic enim ille *Quaest. Mor.* q. 18. n. 25. *Colligitur tertio, invincibiliter ignorantem Constitutionem aliquam novam, in qua alicuius peccati reservaretur absolutio..., eam non incurrere. Quamvis enim se peccare cognoscat, non tamen contra Constitutionem, cum eam ignoret. Ergo incurrere non potest reservationem, quae est poena per illam Constitutionem imposita.*

Ita Iacobus Graffius *Pract. quinq. cas.* l. 2. c. 40. n. 29.: *Non ligantur ignorantes Constitutionibus seu Statutis Episcoporum, quamvis poenis aliis obligentur... et consequenter nec hac reservatione casus; cum sit poena... Faciunt quae dixit Navarrus in* cap. 27. n. 80. *Et ratio est, quia ignorantia contingens in eo, cuius causa reservatio facta est, omnino ab ea reservatione excusat.*

479. Quod vero quidam distinguentes inter reservationes *poenales* et *medicinales*, excusarent ignorantes ab incurrendis prioribus, non item a posterioribus, difficile aliis videtur. Ut enim iuxta communem sententiam advertunt Acta Syn. Tuscul. an. 1763. part. 3. cap. 10. art. 9. n. 2., *mixtae videntur esse reservationes omnes sive Pontificiae sive Episcopales*, idest poenales simul et medicinales et praeterea nonne censurae sunt medicinales? ignorantia tamen ab iis excusat.

Hinc Salmanticenses tr. 18. cap. 6. n. 12.: *Secunda sententia omnem reservationem esse poenalem dicit et sic ab omni reservatione ignoran-*

tiam... excusare. Huic sententiae adhaeremus. Et quidem ea ratione moveri se dicunt, quia in casu reservatio ne medicinalis quidem dici possit: *quia* (inquiunt) *respectu illius, qui nesciret peccatum esse reservatum, reservatio a commissione illius nullo modo cohiberet et finis intentus a Superiore in tali reservatione omnino cessaret. Ergo sicuti respectu ignorantis cessat finis reservationis nec ista est medicina retrahens a peccato respectu illius, ita respectu illius cessat reservatio.* Quinimo hac de causa Ioan. Marin. (Theol. Specul. et mor.: disp. 11. sect. 2. n. 113.) censuit, argumentum in adversarios retorqueri posse. *Ideo ignorantia* (ait) *non excusat iuxta adversarios, quia reservatio est medicinalis... Sed quod reservatio sit medicinalis, probat, eam non incurri ab invincibiliter ignorante* et concludit verbis Sanchez (*de Matr.* l. 9. d. 32. n. 13.) circa censuras: *Non esset medicina, sed potius obesset, si ignorata incurreretur.*

Ita Roncaglia *de Poenit.* q. 7. c. 2. q. 4. quamvis inclinet in sententiam negantem, tamen vere probabilem censet sententiam affirmantem, reservationem non afficere ignorantes eam saltem inculpabiliter et allatis argumentis concludit: « Universaliter igitur verum videtur, non obligare leges, quamvis non pure poenales, sed etiam medicinales, quoties cessent esse medicinae atque ita cessare videntur, quoties ex ignorantia seu oblivione non habent retrahere a peccatis, a quibus voluerunt tales leges omnes cohibere ». Lugo disp. 20. n. 11. probabilem hanc sententiam censet, cum reservatio est poenalis. Sanchez quoque *de Matrim.* l. 9. disp. 32. n. 18. sententiam affirmantem docet, excipiens solum reservationem simpliciter factam, quae ad bonam Ecclesiae gubernationem refertur, ut graviora delicta superioribus reserventur. Ex quibus illud saltem constat, non censuisse hos doctores aliosque qui citari possent, quaestionem hanc solvendam esse ex eo principio, quod reservatio sit restrictio iurisdictionis Confessarii: cf. in App. Dissert. p. 2.

480. Aiunt quidem omnem quaestionem solvendam esse ex definitione reservationis, illud autem solum superesse inquirendum *an tituli legitimi exsistant*, propter quos *aliquando valide absolvere a reservatis Confessarii queant:* hos autem titulos revocari vel ad expressam aut tacitam Superioris concessionem, vel ad *probabilitatem*, quod in quibusdam adiunctis Superior non possit aut nolit sub reservatione peccatum aliquod comprehendere. — Resp. Quaestio, an adsit *declaratio Ecclesiae* aut *tacita Ecclesiae approbatio* aut *tacitus Episcoporum consensus*, quod aliquando Confessarii a reservatis absolvant, item an probabile sit, in quibusdam adiunctis Superiorem non posse aut nolle reservatione sua comprehendere aliquod peccatum, haec (inquam) quae-

stio non solvitur ex ratione, quod *reservatio sit restrictio iurisdictionis* atque id per se patet. Ergo verissimum est, ad solvendam quaestionem, an peccatum, cum ignorantia reservationis commissum lege reservante comprehendatur, frustra obiici reservationis definitionem, quod scilicet *haec essentialiter sit iurisdictionis restrictio.*

Aiunt rursus, nulla ne tenui quidem ratione probari posse, quod Episcopi comprehendere nequeant aut nolint eos, qui reservationem ignorant. Et sane Amort ait: *In omnibus antiquis ritualibus, in quibus de casibus reservatis agitur, absolutio a casu reservato invalida declaratur, sine ulla exceptione ignorantiae.* — Resp. Voluntas Legislatoris desumitur ex verbis legis, adhibitis communibus principiis ac regulis de legum interpretatione, quae Legislatoribus non praesumuntur incomperta. Quando itaque de vi legum in circumstantiis aut ignorantiae aut gravis metus ex communibus principiis quidpiam statuitur, profecto legislatoris menti ac voluntati prorsus fit satis. Additam vero ex Amort animadversionem merito quis dixerit prope puerilem. Et sane nunquid quia dum Sedi Apostolicae reservatur absolutio alicuius censurae, *nulla fit ignorantiae exceptio,* idcirco concludere licet, absolvi ab aliis non posse illum, qui delinquens censuram delicto adnexam ignorabat?

481. Monemur praeterea, quosdam auctores distinguere inter reservationem poenalem ac mere medicinalem; hac autem posteriori attingi etiam peccata cum ignorantia reservationis commissa. — Resp. 1° Isti ergo auctores a reservatione immune censent eiusmodi peccatum, quando reservatio *poenalis* est. Ergo et isti falsam habuerunt rationem, quae contra petitur ex reservationis natura ac definitione, nimirum quod sit restrictio iurisdictionis, quae tamen potissima, ne dicam unica, est, quae in hac quaestione contra afferri solet. — Resp. 2° cum Aversa q. 17. sect. 1.: *Generaliter omnis reservatio fit ad absterrendos homines a talibus peccatis perpetrandis et hoc modo in odium delicti et correctionem ac iustam quandam vexationem delinquentis.* Et reipsa distinctio, qua reservationes dicantur aliae *ad bonam Ecclesiae administrationem pertinentes,* aliae *medicinales,* aliae *poenales,* non tam indicat diversas reservationis species, quam multiplicem cuiusvis reservationis finem: quatenus scilicet ad bonum Ecclesiae regimen confert, quod reservatio, timore poenae et difficilioris absolutionis, a lapsu compescat ac retrahat.

Utique, ut ait Trid. Syn. sess. 14. c. 7. reservatio spectat *ad populi christiani disciplinam*: sed haec disciplina eo tandem redit, ut a peccatis populus christianus arceatur; apta autem methodus pro hoc assequendo fine est certe etiam metus incussus, quo homines nimis

ad malum proni deterreantur a peccato: cum ipso ergo reservationis scopo optime cohaeret, quod ea poena sit medicinalis; imo hac ratione remota, vix alius fructus ex ea pro poenitente (pro poenitente, inquam, in cuius utilitatem ordinanda est, sicut ipsum sacramentum) sperari potest. Proinde sicut ignorantia excusat ab incurrendis censuris, quae non desinunt esse poenae, quamvis sint in medicinam et ferantur ad bonum Ecclesiae regimen: ita et reservatio, quantumvis referatur ad bonam Ecclesiae administrationem, cum tamen habeat rationem poenae, ex generaliori principio ab ignorante non incurritur: eo vel magis, quod quando non adest cognitio reservationis, iam et esse desinit medicina a peccato retrahens.

Ceterum mirum videri potest, quod quidam AA. heic quidem a reservatione ignorantem non excusant, quando reservatio etiam *medicinalis* est et non mere *poenalis;* agentes vero de poena *irregularitatis ex delicto*, contendunt, poenae ignorantiam non excusare ab ea incurrenda, quia est mera poena, non vero etiam medicinalis!! Quaenam heic in statuendis principiis cohaerentia theologo digna?

482. Item obiicitur, iuxta Card. de Lugo *de Poenit.* disp. 20. n. 9. *praxim esse omnium Religionum, ut ignorantia reservationis non tribuat facultatem absolvendi poenitentem, qui reservationem ignoravit. — Resp. Trans. Antecedens, Nego Conseq.;* neque enim par est, iuris communis normam desumere ac demetiri ex iis, quae in Religiosis Ordinibus pro speciali religiosae perfectionis scopo proque diligentiori disciplinae regularis iustitia servari forte aliquando consueverint.

Tandem hoc profertur principium: *Ignorantia poenitentis non facit, ut Confessarius accipiat iurisdictionem in peccatum; in quod alias non habebat et certo si haec sententia teneret, sola peccata Theologorum essent reservata, cum hi soli sciant casus in specie reservatos.* — Resp. Nemo unquam dixit, ignorantiam reservationis efficere, ut accedat facultas, quae deesset: quod recte dicitur, hoc est, eiusmodi circumstantiam efficere, ut casus sub legem reservationis non cadat, seu aliis verbis, legem reservantem non comprehendere peccatum cum ignorantia huius poenae patratum, quemadmodum non comprehendit peccatum admissum ex gravi metu (a).

(a) Hanc Ballerini doctrinam scimus non probari multis, qui casus sibi reservant. Et profecto si ipsi intendunt ita iurisdictionem inferiorem restringere, ut hi nequeant etiam in casu ignoratae a subdito suo reservationis, valide absolvere: cum negari nequeat, valere et in hoc casu reservationem: dandum est, reservatione affici quoque ignorantes. Neque id proprie Ball. negat, qui in ea hypothesi loquitur, quod voluntas superioris reservantis, per se ipsam non manifestata, desumenda sit ex verbis legis, *adhibitis communibus principiis ac regulis de interpretatione legum, quae comperta praesumuntur legislatoribus.* Atque ita arguebant ii, quorum doctrinam sequitur Ball., cuius sententia po-

Quoad *vagos* censet Mazzotta (l. c. pag. 331. q. quarto) *probabilius* incurrere casus Episcopales; quia inquit ex communi Doctorum subiacent legibus loci illius, in quo heic et nunc versantur.

At ratio est falsa prorsus et certe non est doctrina communis Doctorum, vagos teneri praeceptis locorum specialibus, ut supponimus ex tract. de Legibus (vid. cap. 2. dub. 3.). Ergo si ratio ista est, cur incurrere debeant, dicemus plane, eos non incurrere.

Itemque inanis est ratio allata a Cabrino resol. 21. pag. 15. quod scil. lex liget Confessarios, sin minus poenitentem. Nam supponit quod est in quaestione, scil Confessarium in hoc casu ligari. Videlicet semper, ut ligata dicatur iurisdictio, quaeri prius debet, an crimen et persona reservationis legi subiaceat. Sic certe non subiacet Religiosus.

Addit tamen Cabrinus: « Si Confessarius sequendo non improbabilem Ugolini sententiam, vagos a reservatis absolvat, absolutio erit valida. Nam suffragante opinione probabili, Ecclesia supplet iurisdictionis defectum ».

483. Circa reservationem ab Episcopis faciendam opportune notanda ea occurrunt, quae habemus apud Benedict. XIV. *de Synod. Dioeces.* lib. 5. cap. 5.

Quamquam vero (inquit n. 4.) *non possit quoad hoc certa regula ubique custodienda praescribi...; attamen instar regulae esse possunt quaedam generalia monita et decreta, quae a Sacris Urbis Congregationibus hac super re emanarunt.*

Sacra Congr. Episcoporum et Regularium negotiis praeposita, die 9. Ianuarii 1601. locorum Ordinarios ita monendos statuit: Ne loco-

---

tissimum in hoc est sita: inepte pro tuenda parte affirmante, quod etiam exsistente ignorantia reservationis in poenitente, peccatum maneat reservatum, provocatur ad principium, quod *reservatio sit restrictio iurisdictionis.*

Ceterum si sententia opposita communis vel communior est, merito praesumimus, Episcopos secundum eam reservare sibi quaedam graviora crimina et idcirco ignorantiam poenitentis non excusare a reservatione; nisi tamen in ipso actu reservationis significetur, eam tanquam poenam decerni. Si enim, ut cum Lugo disp. 20. n. 9. loquamur, reservatio est poena (quae hic foret extraordinaria), ea non incurritur ab ignorantibus reservationem: si autem reservatio est lex quaedam determinans casus, in quibus, pro meliori remedio applicando, debeat recurri ad praelatum vel ad eos, quos ipse delegat, qui est alius finis, omissus a Ball.; ipsa afficit etiam ignorantes.

Intentionem reservantium esse, ut ignorantia non excuset ab incurrenda reservatione, ex eo quoque colligi forte potest, quod non soleant casus ab Episcopis reservati publico edicto manifestari, ut fit ex. gr. pro casibus papalibus, sed solum Confessariis significari.

Ceterum cum in foro externo quaedam causae superiori tribunali reservantur, etsi delinquens hanc iuris vel principis dispositionem ignoret, non ideo poterit inferiori iudici se sistere, ut ab eo valide sua causa tractetur. Idem ergo per se dicendum in foro interno valere, cum reservatio fit, ut aiunt DD., ob bonam gubernationem, propter quam causa reservatur tribunali Episcopi vel eius, quem ipse ad eam causam delegat, ablata, quoad eam, inferioribus iudicibus iurisdictione. Cf. Thesaurum *de Poenis*, p. 1. c. 15. — E.

rum Ordinarii, quibus ius hoc reservandorum casuum competit, pluribus quam opus sit reservationibus, subditis aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, moneantur omnes, ut paucos eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint, reservent. — *Idemque monitum replicandum decrevit die 26. Novembris 1602.:* Sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursum magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat et in aedificationem, non autem in destructionem cedat: ne alioquin Sacramenti Poenitentiae Ministrorum potestate coarctata, sanctae matris Ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi *superflue* reservent casus in Bulla die Coenae Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicae specialiter reservatos.

Encyclicae quoque litterae ab eadem Sacra Congregatione, eadem die 26. Novembris 1602. ad Episcopos in hunc modum datae sunt: Praecipue vero haec monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus adnexa est excommunicatio maior a Iure imposita, cuius absolutio nemini reservata sit; nisi forte propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam, aliqui huiusmodi casus nominatim reservandi viderentur: neque casus in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel exsecutione eorum ad quae poenitentes tenentur, non confertur: neque illos, qui etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati et similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, in quas ob accessum ad Confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant et sequantur rationem, quae consideratis diligenter cuiusque provinciae ac populorum moribus, natura ac propensione, magis in Domino expedire videbitur.

Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Decretis consentiunt Decisiones Sacrae Congr. Concilii. Etenim cum ad hanc delatum fuerit, quod Episcopus Bellicastrensis *supra modum auxisset catalogum casuum reservatorum: die 29. Ianuarii 1661. decem aut*

ad summum duodecim gravioribus exceptis, Episcopi arbitrio designandis, ceteros e catalogo deleri iussit.

Huc usque Benedictus XIV. et responsis s. Congr. ab eo allatis addi opportune illud potest, quod Episcopo Miracensi *(Mirepoix)* datum est 3. Iulii 1677. Cum enim s. Sedem hic consuluisset de nonnullis Ordinationibus a se conditis et inter istas haec quoque proponeretur: *Quia multi ex Clero procliviores erant ad libidinem, nobis reservavimus hunc casum eaque severitas multum profuit ad morum emendationem:* s. Congregatio respondit: *Non approbatur.*

484. Quaestio etiam et quidem multiplex fit circa peregrinos, num et quandonam incurrant reservationem, ob peccatum commissum extra dioecesim, quod in eorum dioecesi est reservatum.

Ac prima quaestio est de censuris peccato adnexis. Qua de re 1° communis est sententia (vid. Suarez *de Censur.* disp. 5. sect. 4. n. 4.), peregrinum, qui extra territorium propriae dioecesis versatur, si ibi crimen aliquod committat, cui in proprio Episcopatu adnexa est censura, eandem censuram non incurrere. Et hoc clare constat ex *cap. Ut animarum* 2. *de Constit.* in 6., ubi dicitur: « Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius, furtum extra ipsius Dioecesim committentes, minime ligari noscuntur: cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune ». Ergo reservatio huius censurae non obest, quominus absolvi possit etiam regressus in suam dioecesim; quia eam reipsa non incurrit. Vid. s. Alph. n. 591.

Et hoc procedit, sive censura feratur per generale statutum, sive per sententiam (Suarez *de Censur.* disp. 5. sect. 5. n. 5.): qui tamen hanc exceptionem addit ibid. n. 16.: « Quotiescumque Superior habet ius praecipiendi subdito extra territorium exsistenti, vel imponendi ei praeceptum, cuius obligatio duret, etiamsi subditus extra territorium incedat, vel tale praeceptum, quod extra territorium exsecutioni mandandum sit, tunc si tali praecepto legitime adnexa sit censura, ubicumque subditus violet illud praeceptum, etiam extra territorium, censuram incurrit ».

Ac proinde iuxta sententiam eorum, qui tenent, cessante censura cessare quamlibet reservationem, etiam hac solum de causa posset absolvi a peccato reservato. Dixi *hac solum de causa;* quia ut videbimus, sunt qui negant, peccata, extra dioecesim commissa, subiacere eiusdem dioecesis reservationi.

485. An vero 2° peregrinus incurrat censuras adnexas crimini cuipiam *ex statutis* dioecesis alienae, in qua tunc versatur, pendet ab alia quaestione, an peregrinus teneatur legibus locorum, per quae transit.

Porro cum satis recepta sit sententia, peregrinos his legibus non teneri, ut disputatur in Tract. *de Legibus:* ergo nec censuras incurret. Proinde absolvi posset in eadem dioecesi, licet reservata foret censura.

Et Suarez quidem *de Censur.* disp. 5. sect. 5. n. 10. in oppositam ivit sententiam; sed non nisi hac ratione (vid. ibid. n. 14.), quia ipse tenuit, peregrinos ligari statutis locorum, ubi versantur; quam thesim defendit etiam in Tract. *de Legib.* lib. 3. cap. 33. n. 3. Veruntamen ipse Suarez *de Euch.* disp. 44. sect. 3. §. *Illud vero* scribit, quod « licet non sit certa, est tamen probabilis opinio, eum, qui per locum aliquem transit, quamvis bene faciat propriam aliquam illius loci consuetudinem servando, non tamen ad id teneri, per se loquendo et secluso scandalo ». Verum quando tenetur solum ratione scandali legem violans non peccat contra ipsam legem; quia ea ipse non ligatur: sed solum contra caritatem et ideo non incurret censuras. Reipsa autem communius illa doctrina recepta est et iuxta canonem generalem, quod probabilis obligatio non obligat, sicut non licet obligationem imponere, sic imo et multo minus licet gravi poena, cuiusmodi est censura, mulctare.

486. Hinc transitus ad quaestionem de reservatione absque censura, an scilicet incurrat reservationem ille, qui crimen in sua dioecesi reservatum committit extra territorium, adeo ut reversus in dioecesim suam possit a quolibet approbato absolvi.

Et quidem Bonacina, Fagundez, Ianuarius et alii cum Diana a Mazzotta allegati tom. 3. tract. 6. disp. 2. q. 3. q. quarto pag. 331. affirmativam sententiam docent, quod nempe potest absolvi, eorumque doctrinam probabilem idem Mazzotta habet. Ratio est, quia statuta dioecesana extra territorium non obligant. Neque opponi debet, iurisdictionem limitari in Confessario; nam respondetur facile, limitari quoad eos, qui legi reservationis subduntur seu legi reservanti subiacent, non vero quoad a reservationis lege exemptos.

Qua de re minus forte sibi consentire videtur et s. Alphonsus n. 589. in fine. Nam refutans sententiam Mansi, qui fraudem, efficientem (ex Constit. Clementis X.) ut quis a reservatis in alia Dioecesi non possit absolvi, explicabat de eo, qui peccatum reservatum committit extra patriam, respondet: « Sed huic ego non adhaereo, quia hic non iam migraret in fraudem reservationis pro absolutione obtinenda,... sed migraret alio, *ne incurreret reservationem* ». Quae verba supponunt, ex eius sententia reservationem in hoc casu non incurri. Sed n. 592. urget rationem, quod Confessario desit iurisdictio: de qua satis iam diximus.

487. Quod vero dicitur de crimine patrato extra dioecesim, ex communi doctrina intelligendum est quoque de patrato in loco exempto.

Et quidem si pro loco exempto intelligatur immunis ab Ordinarii iurisdictione tum ratione personarum, tum ratione territorii, cuiusmodi sunt paroeciae vel Abbatiae, quae subsunt alteri Ordinario, exercenti in iis potestatem iurisdictionis in aliquam plebem, nemo est, qui neget, haec loca aequiparanda locis extra dioecesim.

Sunt autem qui hoc extendunt etiam ad loca, quae exempta sunt tantummodo ratione personarum, adeo ut, si ipsae desint, cesset locorum exemptio, cuiusmodi sunt monasteria seu Conventus Regularium. Et horum sententiam probabilem dicit Diana ac Pellizzarius cum aliis (vid. Dian. tom. 1. tract. 5. resol. 51. n. 4.). Adeo ut Pellizzarius censuerit immunes a reservatione puellas, quae educantur in monasteriis *de Monial.* cap. 5. sect. 4. nn. 190. 191. Et s. Alph. n. 592. minus validam censet rationem, quam pro opposita sententia afferunt, quia nempe monasteria sint exempta quoad personas, non quoad locum. Subdit s. Alph.: « Sed haec ratio non omnino suadet, quia huiusmodi monasteria etiam quoad locum sunt exempta, dum Tridentinum sess. 14. c. 5. *de Ref.* appellat tam personas, quam loca exempta ».

Verum alii hanc probabilitatem in dubium revocant, maxime quoad puellas praedictas; qua de re videnda est adnotatio subiecta alterius manu in l. c. Pellizzarii, ubi contenditur, puellas istas non adeo fieri exemptas ab Ordinarii iurisdictione, ut ius eius pastorale hoc pacto cessare debeat. Tamen s. Alphonsus in alia sententia fuit n. 583. (ut superius notavimus n. 436.), ubi eximit et omnes commensales. At enim si isti confiteantur cum Confessario ordinario, ubi erit principium: iurisdictionem esse limitatam ac deesse, quod heic n. 592, urget, ut evincat incurri reservationem pro peccatis commissis in loco exempto? Ceterum Regulares intelliguntur *viri* et quoad moniales quaestio fiet *solum de exemptis.*

488. Denique quaestio est, an peregrinus incurrat reservationem, si in aliena dioecesi committat peccatum ibi reservatum.

Et Mazzotta, probabilius esse dicit reservationem incurri. Huius sententiam adoptat s. Alph. n. 591.; quia (ait) subiacet ratione delicti ibi commissi, tum etiam quia iurisdictio ibi est coarctata, quae est ratio Mazzottae. Attamen idem Mazzotta non diffitetur, probabilem esse sententiam negantem, quam plures tenent. Et horum ratio est, quod peregrini non teneantur legibus locorum, per quae transeunt.

Respondet Mazzotta l. c. pag. 331., peregrinos non teneri loci legibus quoad forum externum, tamen quoad forum internum ex consuetudine iudicari secundum leges loci, ubi confitentur nec posse eos

absolvi a sacerdote, cui restricta est iurisdictio. Verum haec sunt verba inania; quia 1° iurisdictio limitatur relate ad eos tantum, qui sunt subditi reservantis et inter hos ad eos qui reservationem ipsam incurrant et sic v. gr. potest absolvi peccans ex metu gravi. 2° quod peregrinus debeat iudicari secundum leges illius loci, alii negant, ut diximus; quia his legibus non tenetur nec absolvitur iurisdictione ab eo Ordinario accepta.

Obiicit Diana tom. 1. tr. 5. res. 49. n. 3., non imponendum onus Confessariis, ut scitentur, an poenitens sit peregrinus necne, aut quinam casus reserventur in patria eius etc. Qua quidem ratione passim utuntur alii, ut evincant, poenitentem iudicandum esse perinde ac incolas loci.

Sed haec minus cohaerenter dicuntur. Certe quando Clemens X. praecepit, ne absolvatur is, qui in fraudem reservationis confitetur extra Dioecesim, necessitatem imponit scrutandi, num peregrinus sit poenitens et num casus in alia dioecesi sit reservatus. Praeterea ipse Diana concedit, posse a quolibet Confessario absolvi eum, qui delinquit extra dioecesim aut in loco exempto; ergo et haec scitanda concedit. Nescio ergo, cur timeantur tantopere ista incommoda in uno casu, non autem in aliis (a).

489. Quaestiones nonnullas addit s. Alphonsus, quarum solutio sic brevi potest exhiberi.

1° Possunt Episcopi ab casibus occultis reservatis Papae absolvere etiam peregrinos: idem dicito de habentibus potestatem quasi Episcopalem (s. Alph. n. 593. qui dicit communem DD.). Cur vero de hoc disputatur? quia nimirum decretum Tridentinum sess. 24. *de Ref.* c. 6. facit facultatem absolvendi *subditos suos in sua dioecesi*. Intellige ergo *suos* subditos, non secus ac intelligatur generatim iurisdictio eius, quae non excludit subditos per accidens sibi commissos saltem delegatione tacita. Id tamen posse solum in sacramento Poenitentiae, non extra tollere censuram quidam dixere: alii melius oppositum docent, ut videbimus, ubi de censuris.

Episcopus hanc facultatem absolvendi ab occultis papalibus potest committere alteri; quia haec potestas in Episcopo est *ordinaria* et *adnexa officio* et concessa ex *iure communi*. S. Alph. n. 594. dub. 9.

Idcirco si ipse Episcopus incideret in huiusmodi casum, potest suo Confessario dare facultatem, ut se absolvat. S. Alph. ib. n. 593.

490. Addit s. Alph. n. 594. dub. 8. quaestionem: « An Episcopi possint absolvere a casibus occultis, reservatis ab aliis Episcopis, etiam cum censura ».

(a) Cf. notam sub. n. 482. — E.

Et respondet, id cum quibusdam aliis affirmare Bonacinam *de Censur.* disp. 1. q. 3. dub. 2. n. 6., et se olim putasse hanc opinionem probabilem; sed dein coactum se ad tenendam negativam ob duos declarationes s. Congregationis (quae habentur tom. 1. Resol. pag. 392.) et praesertim ob Constitutionem Benedicti XIV. *Pias Aures* 20. Augusti 1752.

Sed haec indigent explicatione. Et imprimis seponatur causa Bonacinae, qui l. c. tantum docet, Episcopum posse absolvere suum subditum, qui in aliena dioecesi fecerit crimen, in hac aliena dioecesi reservatum cum censura. Et rationem reddit, quia extraneus non ligatur legibus loci, et ideo neque ligatur censuris. Quae doctrina vera est, sed nihil huc facit. Vera est, inquam, nisi tamen censura lata sit ab Episcopo alterius Dioecesis tanquam a Delegato Sedis Apostolicae. Vid. Ferrar. V. *Moniales* art. 4. n. 36., vel si sit censura inflicta per praeceptum.

Quod attinet itaque ad generalem quaestionem, vix video, quaenam sit hypothesis huius quaestionis. Nam casus possibilis videtur hic tantummodo, cum nempe peregrinus confitetur extra dioecesim cum Episcopo, scil. non suo.

At enim si s. Alphonsus admittit, peregrinum posse absolvi a reservatis suae dioecesis a Confessario etiam non habente facultatem in reservata, dummodo non migraverit in fraudem reservationis; si multo magis admittit, peregrinum talem posse absolvi ab Confessario habente facultatem in reservata: cur negabimus posse absolvi ab Episcopo?

Declarationes a s. Alphonso allegatae et Benedictus XIV, in allegata Constitutione hoc solum sibi volunt, eum, qui potest absolvere a casibus papalibus, non idcirco posse absolvere a casibus reservatis Episcopo. At haec non possent applicari quaestioni nostrae, nisi si quis fingat, Episcopum venisse in Dioecesim alterius Episcopi et ibi audientem confessiones, si alter hic Episcopus dat ei ad hoc facultatem et negat tamen facultatem in casus sibi reservatos. Et in hoc casu utique etiam nos fatebimur, Episcopum extraneum, audientem confessiones in Dioecesi alterius, non posse absolvere a reservatis huius dioecesis non suae neque ei prodesse, quod alioquin possit absolvere ab occultis papalibus. Ergo non sunt ad rem.

Et de his satis.

CX. 8. Superior, auditis solis reservatis, potest ab iis absolvere et reliqua inferiori committere, ex causa urgente: qualis tamen non est multitudo negotiorum, ut docent Suarez, Fernand. et Fill. sed alia gravior; tum quia etiam occupatissimus potest dare facultatem adeundi alterum, cum onere postea comparendi, tum quia integritas confessionis est de iure divino.

491. Resolutio non spectat casum, quo poenitens prius confessus sit cum inferiori, v. gr. in necessitate communicandi et dein pergat

ad Superiorem pro absolutione reservati neque spectat ad casum, quo poenitens prius se sistat Superiori, sed hic, auditis peccatis reservatis, tantummodo tollat reservationem ac mittat poenitentem ad inferiorem, ut omnia cum isto confiteatur, vel etiam quo Superior absolvat a censura, ob quam peccatum reservabatur ac dimittat pro absolutione sacramentali ad inferiorem: sed agitur de Superiore, qui audiat in confessione tantum reservata et absolvat sacramentaliter, poenitentem dein dimittens ad inferiorem pro confessione et absolutione non reservatorum.

Et sciendum est, non paucos veteres existimasse id fieri posse, allegantes consuetudinem Ecclesiae Romanae, quando nempe Superior ratione occupationum non potest totam audire confessionem (apud Lugo disp. 20. n. 75.).

Verum merito Lugo negat hanc Romanam praxim, aut certe explicat de sola absolutione *a censuris*, cum reipsa casus papales ob censuram sint reservati (l. c. n. 76.).

Opposita ergo doctrina tenenda ob rationem allatam etiam ab Auctore, integritatem confessionis esse iuris divini nec posse dimidiari confessionem *sine gravi necessitate* et *urgenti*, cuiusmodi non est mera multitudo negotiorum aut multitudo poenitentium, ut habetur in prop. 59. damnata ab Innocentio XI.

Gravem autem illam necessitatem sic Lugo describit disp. 20. n. 78.: « Non tamen negamus, posse dari causam rationabilem, id aliquando faciendi et absolvendi sacramentaliter a solis reservatis, v. gr. si poenitens dicat, se indigere absolutione Superioris vel eius licentia ad confitendum alteri nec vellet dicere nisi in confessione sacramentali speciem peccati, quia non vult duobus manifestare idem peccatum et aliunde Superior non possit ipsum audire nec poenitens posset amplius exspectare propter necessitatem urgentem ad communicandum vel quid simile ac denique Superior iudicaret necessarium personaliter audire reservatum; quia propter aliquam circumstantiam ita valde expediret; tunc posset dari causa audiendi et absolvendi dimidiata confessione, qui tamen casus rarissimus est. ».

Quam doctrinam admittit et s. Alphonsus n. 595.; sed merito cum Lugo dicit casum esse rarissimum et comparandus reipsa est, cum casu, quo alias debeat poenitens dimidiare confessionem ob temporis angustias, aut sine confessione ad Eucharistiam accedere.

492. Tria autem ex his infert Lugo:

1° Quoties Praelatus sacramentaliter absolvat a solis reservatis, nisi adsit ex parte poenitentis mala fides aut obex, fit verum sacramentum et confert gratiam, non secus ac quando poenitens ex obli-

vione omittit aliqua peccata; integritatis defectus non obest effectui sacramenti.

2° Idcirco poenitens absolutus sacramentaliter a solis reservatis, non tenetur ea iterum confiteri inferiori simul cum non reservatis.

3° Licet Superior non absolvat sacramentaliter, sed solum vel auferat reservationem vel absolvat ab excommunicatione ac mittat ad inferiorem pro absolutione sacramentali, tamen tenetur lege sacramentalis sigilli. Ratio, quia totum illud spectat et ordinatur ad sacramentum poenitentiae. Ita Lugo disp. 20. nn. 80. 82. 84.

CXI. 9. Qui a superiore absolutus est a reservatis, potest ab iisdem postea absolvi a quovis; quia non sunt amplius materia necessaria confessionis.

493. Intelligitur, quod cum rursus quis confitetur illud peccatum v. gr. in confessione generali, vel in aliis confessionibus ordinariis, est materia absolutionis, sed non amplius reservata.

CXII. 10. Qui bona fide confitetur, nesciens suum casum esse reservatum vel Sacerdotem carere potestate circa illum, valide quidem absolvitur, cum onere tamen comparendi. Praep. Similiter si Confessarius probabiliter credit non esse reservatum, esto revera sit, valet absolutio. Less. Dian. p. 9. t. 9. res. 29.

494. Duplex est pars resolutionis. Prior pars est de eo, qui bona fide confitetur reservatum non habenti facultatem, vel quia nescit esse reservatum (quo in casu ignorantia excusaret, ut diximus), vel quia putat, Confessario inesse facultatem.

Valide in utroque casu absolvitur, sive bona sive mala fide eum absolvat Confessarius, dummodo in bona fide sit poenitens. Absolvitur autem in altero casu a reservato *indirecte* et idcirco tenetur (si quando poenitens id advertat) confiteri illud peccatum habenti potestatem in reservata (a).

Quod si non confiteretur aliud peccatum, nisi illud reservatum absolutio foret nulla ex defectu iurisdictionis et non fieret sacramentum, perinde ac si facta fuisset, confessio cum simplici sacerdote non approbato etc.

Alia pars resolutionis versatur circa absolventem cum probabili opinione de non reservatione peccati. Valida dicitur absolutio, de qua re redibit sermo inferius n. 520.

Advertendum tamen, non manere onus rursus illud peccatum confitendi alteri, qui habeat potestatem. Ratio est, quia in hoc casu Ecclesia suppleret iurisdictionem.

(a) Sane Confessarius caret iurisdictione nec eam confert ignorantia poenitentis nec est cur ecclesia suppleat iurisdictionem Confessario mala fide agenti. — E.

495. Prima autem pars resolutionis occasionem praebet illustrandi materiam, quam alias cursim tetigimus (sup. n. 438.). Cum enim sermo esset de habente reservata, diximus, gravi urgente causa posse eum apud inferiorem confiteri et absolvi directe quidem a non reservatis, indirecte autem a reservatis. Et addidimus, ex s. Alph. n. 585. hanc esse doctrinam communem. Et reapse s. Alphonsus l. c. ita eam proponit, ut nullam disputationem aut controversiam de ea iniiciat.

At enim idem s. Doctor ad eandem quaestionem hoc loco, ubi agitur de indirecta absolutione a reservatis, quaerens (n. 596. q. 1.) an confessarius simplex valide et licite ipsum absolvat, respondet: « Negat Antoine n. 529. q. 5. et per se loquendo *sua sententia satis est probabilis;* ut enim diximus n. 265. q. 1., probabile est cum Vasquez, Tourneley, idest eius continuatore Collet, Armill., Gersone, Trullench etc., confessarium simplicem omni carere iurisdictione in habentem reservata, cum non sit suus competens iudex: ideo neque a non reservatis potest eum absolvere ».

Post quae tamen subdit, communem et probabiliorem esse sententiam oppositam atque adeo tutam in praxi; quia in his adiunctis Ecclesia supplet iurisdictionem (quae ratio est falsa: quia nulla iurisdictio suppletur et manet onus subiiciendi clavibus ea peccata).

496. Haec porro indigent aliqua animadversione, ne perperam inducantur istae probabilitates et seponendi primum sunt quidam Auctores. Sane Antoine *de Poenit.* cap. 3. art. 2. q. 5. reipsa non tenet hanc doctrinam, sed utramque sententiam utcumque refert, nullum iudicium de re addens, nisi quod primam, scil. affirmativam vocat communem.

Collet vero 1° communem doctrinam admittit *de Poenit.* cap. 8. n. 568. et 573. quando ex oblivione quis reservatum omittit, aut etiam quia illud peccatum ex alia gravi causa reticere potest: unde quoad resolutionem hanc Auctoris Collet non est contrarius. 2° Negat valere absolutionem, in sola necessitate v. gr. celebrandi (ibid. n. 570.); quia, inquit, « si posset poenitens cuipiam pro reservatis non approbato propter gravem aliquam celebrandi aut communicandi necessitatem confiteri, ei etiam, qui nullatenus approbatus erit, in eodem casu poterit confiteri ». Quae verba ostendunt, Collet nihil de quaestione intellexisse: quasi nempe diceremus, in casu hoc necessitatem dare iurisdictionem, vel quasi non approbatus possit conficere sacramentum, quo indirecte remittantur reservata! Et tamen clamat deinde, rationes pro sua hac sententia aequare vel excedere rationes oppositae!

Quoad reliquos vero DD. allegatos, ipsorum auctoritas perperam et solum ob quasdam in allegando confusiones invocatur.

Et sane s. Alphonsus cit. n. 596. lectorem pro hisce allegationibus remittit ad n. 265. q. 1. Atqui ibi non fit quaestio ab eo, an valide inferior possit absolvere eum, qui reservata et simul non reservata habet (alia scil. directe, alia indirecte); sed quaerit, an qui reservata et non reservata habet, teneatur ad praemittendam confessionem, si celebrare aut communicare debeat. Et pro sententia negante, eum teneri ad confessionem, allegat praeter Vasquez et Collet, Gersonem et Alensem apud Lugo *de Euch.* disp. 14. n. 86., Silvestrum et Richardum apud Diana, part. 3. tr. 4. resol. 104., Armillam, Praepositum, Trullench apud Viva *de Eucharist.* q. 4. art. 7. n. 6. Et ex horum sententia subdit hanc rationem: « Ratio, quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret iudici non competenti, qui ob peccata reservata, quibus gravatur poenitens, caret omni potestate super illo; unde sicut non potest dividi absolutio ad remittendum peccatum sine alio, ita nec confessio ». Verum in hoc ipso ratio confusionis habetur.

497. Tota porro causa confusionis est in eo, quod s. Alphonsus adscribit omnibus hisce doctoribus illam doctrinae assertae rationem, quae reipsa tribui debet paucissimis. Namque adverte sedulo (vid. sup. n. 442.), opinionem aientem, non posse absolvi quempiam habentem reservata, nisi ac eo absolvatur, qui potestatem habet etiam in reservata, fuisse unius Vasquez post Adrianum. Et Vasquez quidem communem oppositam doctrinam respuebat absurda hac ratione (vid. in 3. part. q. 91. art. 3. dub. 9. n. 24.) 1° quod si in necessitate indirecte possit a reservatis quis absolvi, poterit etiam extra necessitatem. Est falsa haec 1ª ratio, quia citra necessitatem confessio interdicitur cum inferiori; ergo peccaret confitendo et confessio foret invalida; secus, si bona fide, ut dicemus in resol. 9. Et 2° quod non possit absolvi quispiam censura reservata innodatus, textu quodam iuris canonici vult evincere (in 3. part. tom. 4. *de Excommunic.* dub. 4. n. 9.), quo probaretur, excommunicatum nec valide ordines sacros recipere, nec sacramentum confirmationis, quae plane sunt absurdissima. Et utique sequutus est Vasquezium Gaspar Hurtadus *de Poenit.* disp. 11. difficult. 4. et accedere ex parte huius doctrinae voluit Collet, qui praeterea citat Pontas et damnatum Opus *Ethicae Amoris* cum Sylvio: de quibus utrum vere allegentur, non curamus. At planum est, reliquis adscribi falso eam doctrinam.

Et Sane Gerson et Alensis a Lugo allegantur *de Euch.* disp. 14. n. 86. utpote fatentes *veram et probabilem* doctrinam, quod in casu liceat fateri sola non reservata. Ergo ad rem praesentem non faciunt. Io. Sancius, Armilla, Trull. et Praepositus a Viva l. c. *de Euch.* Viva q. 4. art. 7. n. 6. allegantur remissive apud *Dianam* part. 2. tr. 14.

resol. 65. nunc tom. 1. tract. 5. resol. 31. n. 3. Sed Diana allegat eos velut affirmantes, « posse sacerdotem, si adest scandalum, celebrare sine praevia confessione, (nempe ex falso supposito, quod poenitens teneatur confiteri tunc *etiam reservata;* quia EADEM *peccata bis confiteri grave onus videtur*) »: quam rationem innuerat et Viva (l. c.). Male ergo hisce AA. adscribitur doctrina Vasquez.

Imo adverto, quod illis AA. suo marte Viva addidit Trullenchum, de quo nihil Diana habet et quem perperam quoque Viva allegat. Nam Trullench *Exposit. Decal.* lib. 1. cap. 3. dub. 4. n. 13. scribit: « Potest etiam haereticus occultus (scil. reus peccati haeresis), qui absolutionem ab Episcopo vel Inquisitore obtinere non potuit, ratione scandali vel infamiae, si timeantur, dum sacerdos est, celebrare; si autem laicus, Eucharistiam sumere, eliciendo prius actum contritionis et si non potest existimare, se contritionem perfectam habere, confiteatur et a confessario absolvatur directe a non reservatis, ut docet Diana... ex doctrina probabili, quam docet Reginaldus... et alii, quos Io. Sancius refert ». De qua re rursus agit dub. 7. n. 22. eam doctrinam tribuens communiter DD. cum s. Thoma et Suarez, Palao etc., licet quadantenus ei *lata* videatur. Ergo et isti inaniter allegantur, quando oppositam imo sententiam docent.

Denique Richardus et Silvester, qui a s. Alponso allegantur, apud Dianam tom. 1. tract. 5. resol. 32. n. 3. et 4., utique eximunt ab onere confessionis eiusmodi poenitentem; sed apud Dianam ne verbum quidem occurrit de doctrina, quae accedat ad absonam Vasquez opinionem et a Lugo scimus sup. n. 442. perperam pro ea doctrina allegari.

Concludamus ergo, falsum esse, hanc opinionem ab illis DD. traditam fuisse ac proinde inaniter exhiberi a s. Alphonso ut probabilem.

Ratio erroris fuit, quod s. Doctor n. 265. q. 1. eximendi ab onere confessionis rationem protulit eam solam, quam Vasquez protulerat et omisit rationem aliorum. Unde postea sua haec relegens male censuit, Vasquez doctrinam esse reliquis communem. Non sic Viva, a quo haec sumpsit; namque hic utramque rationem innuerat *de Euch.* q. 4. art. 7. n. 6. cf. n. 660.

CXIII. 11. Qui confitens habenti potestatem ordinariam delegatamve in reservata, oblitus est inculpabiliter reservatum, potest illud postea confiteri etiam inferiori et absolvi. Quod etiam valet saltem si prior habuerit potestatem ordinariam, etiamsi prior absolutio ob indispositionem, vel alium defectum poenitentis, invalida fuisset. Ratio est, quia is intendit absolvere, quantum potuit; ergo saltem sustulit reservationem, quod fieri potuit absque Sacramento. V. Praeposit. in 3. p. q. 9. d. 4. n. 24. Maerat. t. 3. d. 30. s. 3. Dian. p. 4. tr. 4. res. 124.

498. Sententiam Auctoris s. Alphonsus n. 597. vocat communissimam. Et communem dicit etiam Lugo disp. 20. n. 85. et indicat n. 86., solum *Suarezio* et *Vasquezio* eam visam esse difficilem.

S. Alphonsus tamen n. 597. praeter Concina et Antoine (de quibus tamen non erimus valde solliciti), pro opposita sententia addit Silvestrum, Angelum, Rosellam et Gabrielum apud Lugo disp. 20. n. 85. ». Sed hic fuit error oculi; nam hos Lugo affert pro communi et errorem inde ortum puto, quod Lugo dicit eos recenseri a *Suarez;* cum autem Suarez aegre admittat communem, hinc forte s. Alph. intellexit, eos pro Suarez sententia a Lugo allegatos esse; quod falsum est.

Contra vero non bene pro sententia communi s. Alphons. n. 597. allegat Thomam Sanchez, quem Lugo fatetur disp. 20. n. 86. ivisse in opinionem Suarez, ut reipsa apparet ex eiusdem lectione (*de Matrim.* lib. 8. disp. 15. n. 17.), licet in quadam particula ibid. n. 21. a Suarez tantisper declinet. Sed de his satis.

Ut aliquid prius generatim de Auctoris doctrina statuamus, cum agitur de oblivione *inculpabili* reservati, haec est doctrina, quam tuetur Lugo, qui post allatas Vasquez ac Suarez rationes oppositas, subdit disp. 20. n. 89.: « Haec (Suarez) sententia ingeniose excogitata est et argumenta habet satis solida; non tamen cogunt, ut discedamus a sententia communi: quam si possumus sustinere, non oportet eam deserere, tum quia communis est, tum quia magis favorabilis ». Et hoc est, quod dein Lugo ostendit, evincens rationes a Suarez ac Vasquez adhibitas aut minus firmas esse, aut tales, quae facerent etiam contra assertiones eorum.

Suarez disp. 13. sect. 4. distinguit duplicem casum. Vel poenitens recurrit ad superiorem, ut absolvatur a peccatis reservatis, si quae habet et hoc ei significat et tunc dicit, superiorem velle auferre reservationem pro aliis, quorum poenitens oblitus est inculpabiliter. Vel subditus id non significat, sed recurrit tantum pro confessione ordinaria et alia peccata non reservata confitetur et tunc non praesumitur superior velle auferre reservationem pro reticitis vel inculpabiliter. Nam fini et intentioni reservationis nullo modo satisfactum est nec, ut peccata ex oblivione omissa remittantur, opus est auferre reservationem: sed sicut oportebit ea, cum memoriae occurrent, confiteri, ut directe absolvantur; ita ratio non est, cur non maneat obligatio ea confitendi superiori, qui ius sibi reservavit absolvendi directe.

Lugo advertit 1° negari non posse, quod per solam absolutionem indirectam peccati possit auferri reservatio, si superior velit; cum enim vincula peccati et reservationis sint diversa, potest superior velle auferre directe reservationem etiam cum a peccatis absolvit indirecte. Quocirca advertit 2° totam quaestionem non esse circa possibilitatem, sed circa factum seu voluntatem, an nempe velit reapse superior tollere directe reservationem pro oblitis, quoties absolvit subditum. Porro

ait, probabiliter praesumi a communi sententia voluntatem hanc in superiore. Nam absolvens accedentem bona fide, intendit solvere ab omni vinculo, quantum potest et per consequens vult liberare quoque a reservatione, si qua est. Nec essentiale apparet discrimen inter voluntatem absolvendi ab aliquibus reservatis oblitis, quam concedit Suarez et voluntatem absolvendi ab omnibus oblitis; nam in illis par est ratio ac in istis. Et sane cur non praesumemus superiorem velle id facere, quod certe faceret, si explicite peteretur? si autem poenitens dicat: nullius quidem peccati reservati conscius mihi sum, ad cautelam tamen desidero solvi a vinculo reservationis, certe superior in confessione nunquam id negaret; atqui id tandem implicite petit quicumque confitetur, qui cupit absolvi quantum fieri potest: ergo merito praesumimus, ita velle absolvere, qui absolvit, ut absolvat quantum potest.

S. Alphonsus n. 597. fatetur hanc doctrinam probabilem esse et communem: quia vero tandem in praesumptione fundatur, subdit. «Omnino tamen dicendum puto, reservationem non auferri, quando adesset positiva praesumptio, quod si superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset»: quae quidem ultima exceptio non pertinet ad difficultates Suarez aut Vasquez, qui de hisce absolutionis dilationibus nihil cogitabant. S. Alphonsus igitur non prohibet, quominus quis sequatur Lugo doctrinam communem, non obstantibus Suarez obiectionibus et solum novam hanc ponit exceptionem, quae constituet tertiam quandam opinionem omnibus incompertam.

499. Verum vix ulla ratio huius exceptionis apparet, nisi quia superior praesumitur nolle tollere reservationem cum poenitente non bene disposito: nam quorsum differretur absolutio, nisi quia non esset dispositus? Atqui ipse s. Alphonsus n. 598. q. IV. eo usque progreditur, ut concedat reservationem tolli, etiam quando poenitens confitetur sacrilege, ut paulo post videbimus.

Ergo nulla est ratio, cur non teneamus etiam in eo casu generale fundamentum, quod Lugo refert n. 91. aiendo: « Tota difficultas non esse debet circa possibilitatem, sed circa factum seu voluntatem: an de facto velit superior tollere directe reservationem pro oblitis, quotiescumque absolvit subditum. Et quoad hoc dicimus, probabiliter praesumi a communi sententia voluntatem illam in superiore ».

Ceterum quod attinet ad praxim, 1° quidem concedunt omnes et ipse quoque Suarez disp. 31. sect. 4. n. 20., quod a reservatione liber maneat, qui obliviscitur reservati, quando is absolvitur virtute privilegii in favorem eiusdem poenitentis concessi, quod privilegium vel uno actu exstinguitur, vel ad ceptum tempus limitatur, uti v. gr. fit

in iubilaeis. Ratio est, inquit Suarez, quia superior concedens facultatem hanc in favorem poenitentis, quantum in se est, voluit tollere reservationem, si illo privilegio intra designatum tempus uteretur ad indulgentiam consequendam. Ita et s. Alphonsus n. 597.

2° Item concedunt omnes, reservationem tolli, quando confessio fit superiori, vel habenti utcumque potestatem privilegiatam, ad hunc finem exonerandi omnino conscientiam et consequendi absolutionem reservatorum, si quae fortasse poenitens habeat; quam intentionem exigit Suarez l. c. n. 15. ut poenitens expresserit.

3° Addit s. Alphonsus (ex Concina), idem dicendum esse, quando ex *aliquo positivo indicio habeatur praesumptio*, voluisse superiorem seu privilegiatum Confessarium reservationem tollere ».

Respondebunt alii cum Lugo, semper praesumi rationabiliter, quod Confessarius velit poenitenti succurrere, quantum in ipso est ac iuxta formulam illam « *In quantum possum et tu indiges* ».

Verum haec ad abundantiam dicta fuerint, nam sententia Lugo, quam *communem esse* alii fatentur, cum de iurisdictione agatur, in praxi tuta est.

500. Addit Busembaum, quae dixerat, ea valere saltem, quando confessio fit habenti *potestatem ordinariam:* quasi nempe dubitandum sit, si potestas sit mere delegata.

De hac re Lugo n. 105. « Idem existimo dicendum esse, quando bona fide confessus est poenitens habenti auctoritatem *delegatam;* tum quia Doctores indifferenter loquuntur de Confessario habente facultatem, tum quia etiam ipsi Auctores sententiae contrariae non videntur quoad hoc agnoscere differentiam. Nam Suarez, qui concedit, subdito confitenti aliqua reservata, seu dicenti se desiderare absolutionem a reservatis, si quae habeat, censeri iam ablatam reservationem pro oblitis; concedit n. 17. id locum habere sive confessio fiat Praelato, sive habenti iurisdictionem delegatam. Et Vasquez dub. 5. n. 34. et 35. dicit, sicut per confessionem et absolutionem invalidam factam Praelato tollitur reservatio illorum peccatorum, quae subditus confessus est, sic tolli per confessionem invalidam factam delegato ». Et rationem de hoc dubitandi diluit Lugo n. 105. advertens, poenitentem posse absolvi postea ab inferiore non ideo quia delegetur tacite ipsi iurisdictio in reservata a priori Confessario (quam delegationem non posse facere Confessarius habens ipse potestatem mere delegatam), sed quia prior Confessarius sustulit vinculum reservationis.

501. Quoad alium casum, quem Busembaum proponit, de confessione invalida, an per huiusmodi absolutionem tollatur reservatio peccati, non una, sed multiplex ibi quaestio locum habet.

Prima quaestio est, an tollatur reservatio peccati, quando confessio fuit invalida inculpabiliter ex parte poenitentis, scilicet ex defectu eius inculpabili, non autem ex defectu iurisdictionis in sacerdote, ut patet. Qui casus apud vetustiores fiebat de confessione valida, sed informi (vid. Suar. disp. 31. sect. 4. n. 9. et 22.) et peccatum reservatum dictum Superiori fuit.

Et s. Alphonsus n. 598. q. 3. respondet, communem sententiam ac probabiliorem affirmare, pro qua stat et Suarez disp. 31. sect. 4. n. 9. 10. Cur vero dixerit tantum *probabiliorem*, nescio; namque a communi hac omnium doctrina dissentit solus Concina, apud s. Alph. l. c. et quidem adducens hanc rationem, quod superior non tollat reservationem nisi per absolutionem sacramentalem; cui respondet ibid. s. Alphonsus, quod superior tollere reservationem potest absque absolutione sacramentali et vigore consuetudinis censeri superiorem id velle tunc quoque, quando confessio hoc pacto invalida fiat apud habentem potestatem delegatam.

Verum advertendum, s. Alphonsum heic disputare de eo, qui cum aliis peccatis confessus sit etiam reservata, non vero de illo, qui reservata oblitus sit in confessione.

502. Si vero quaestio Auctoris intelligatur de eo, qui fecit confessionem culpabiliter nullam, in qua tamen reservatum confessus est, s. Alphonsus n. 598. q. 4. dicit, ex Concina quidem, Holzmann, Croix ac Viva ac nescio quibus aliis, reservationem non tolli; ubi notat praeterea, Roncaglia pro ea opinione falso allegasse Lugo et Salmanticenses.

Sed subdit, pro opposita sententia stare Doctores omnes (exceptis mox allegatis) qui in praecedente quaestione affirmabant tolli reservationem, quando confessio inculpabiliter sit invalida. « Ratio, inquit, quia pro confessione sacrilega currit eadem ratio, ac pro inculpate nulla; alius est enim finis confessionis, sc. ut remittatur peccatum, alius est finis principalis reservationis, nempe ut reservata committentes subiiciantur iudicio Superioris. Cum ergo subditus peccatum suum superiori subiiciat impositamque poenitentiam acceptet, etiamsi sacrilege confiteatur, finis tamen reservationis obtinetur, quamvis non remittatur peccatum ». Leve est autem id, quod obiiciunt, poenitentem reportare commodum ex sua iniquitate. S. Alphonsus respondet, hoc evenire per accidens; sed melius responderes, commodum reportari non ex iniquitate, sed ex peccati reservati confessione facta Superiori, non secus ac si quis peccatum aperiens a Superiore peteret relaxationem reservationis, licet nondum sit tunc contritus ac in aliud tempus poenitentiam reiiciat.

Patet autem ex s. Alphonsi contextu, quaestionem fuisse de eo, qui reservata confitetur.

503. Quoad oblita vero in confessione invalida, Lugo n. 106. iuxta principia doctrinae communis, quam tuetur, censet tolli reservationem. « Infero quarto (inquit), doctrinam traditam locum habere, quando confessio facta Praelato vel habenti potestatem delegatam, fui invalida, dum tamen non fuerit defectus integritatis culpabilis... Si autem defectus valoris proveniat ex defectu doloris vel propositi; tunc dicendum erit in nostra sententia auferri reservationem pro oblitis, licet nulla reservatorum mentio facta fuerit, sicut Suarez et Vasquez *id concedunt, quando subditus se accusavit de aliquo reservato*, vel ostendit, se ob eum finem venire ad confessionem ».

504. Imo iuxta eadem principia statuit Lugo, non quemlibet defectum integritatis obstare relaxationi seu ablationi reservationis, sed reservationem non tolli solum relate ad illud peccatum, quod quis sacrilege in confessione reticeat. Ita ille disp. 20. n. 106.: « Addo, licet defectus fuerit in integritate, non tamen circa ipsum peccatum reservatum, sed circa alia, adhuc reservationem tolli, *saltem circa reservata dicta:* quod videtur esse iuxta mentem illorum Doctorum (idest Suarez et Vasquez) et ita loquuntur ». Quam doctrinam et s. Alph. n. 598. q. 4. admittit.

An vero, ubi sacrilege quis aliquod peccatum reticet, reservatio tollatur etiam circa oblita, ipse Lugo dubitat, inquiens: « An vero tollatur etiam circa oblita, magis dubitari potest: quia tunc ille subditus non se manifestavit sincere et cum simplicitate suo Superiori: quare non praesumitur Superior magis tunc velle reservationis vinculum tollere pro oblitis, quam si scienter et culpabiliter subditus reservata taceret ».

Et in eandem sententiam s. Alphonsus scribit n. 598. q. 4.: « Recte excipiunt Lugo cum Suarez et Vasquez, si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum; vel si, ut ait Lugo, in illa sacrilega confessione inculpabiliter obliviscatur confiteri peccatum reservatum: quia minime praesumitur superior in tali confessione velle auferre reservationem peccati sibi non delati ».

Quandocumque autem tollatur reservatio, iuxta dicta, in confessione etiam culpabiliter invalida, tunc valet quod monet s. Alphonsus l. c. ex Bonacina, scil. semper teneri poenitentem, etiamsi postea ab inferiore de illo reservato absolvatur, implere poenitentiam a Superiore impositam.

Qua de re Lugo disp. 20. n. 107. adoptat doctrinam Vasquez, nempe quod poenitens in casu debet monere Confessarium inferiorem, quam poenitentiam pro reservatis Superior ei imposuerit, ut eandem iterum

inferior imponat; quia cum hoc onere videtur Superior reservationem abstulisse: nec sufficere, quod eam poenitens propria sponte assumat; quia secus non erit satisfactio sacramentalis, qualem voluit esse Superior. Addit autem Lugo l. c. hoc ultimum, scilicet, quod inferior quoque Confessarius eam satisfactionem imponat, non videri necessarium P. Suarez; quia Superior potuit nihilominus obligare poenitentem ad eam poenitentiam exsequendam, sicut potuit eum obligare ad eam manifestandam Confessario inferiori, ad quem ipse forte remitteret pro absolutione. Et subdit Lugo, hoc difficile videri, quia obligatio tota debet procedere a Confessario, ut iudice. Dicamus tamen, Suarez sententiam non videri absonam; quia censeri potest veluti conditio seu medicina ac Superiorem illi conditioni praesumi alligasse ablationem reservationis.

505. Hasce quaestiones concludit s. Alphonsus n. 598. in fin., haec notans de confessione invalida, occasione iubilaei: « Item excipienda est, ut diximus n. 537., confessio invalida sive culpate sive inculpate facta in iubilaeo: quia ibi cum Pontifex non praebeat facultatem absolvendi reservata, nisi ad finem, ut fideles lucrentur iubilaeum, non censetur velle auferre reservationem, si illi iubilaeum non lucrantur. Vide dicta n. 537. q. II. » Verum ita doctrina nimis est difficilis.

S. Doctor n. 537. q. 2. provocat ad Encyclicam Benedicti XIV. *Inter praeteritos* 28. Nov. 1749. Et in ea quidem Encyclica §. 86. edicitur, facultates concessas non suffragari quoad eos, qui nolint indulgentiam consequi: « Dictum superius fuit, eum, qui facultates habet, quae per annum iubilaei conceduntur, eisdem non nisi cum illis poenitentibus uti posse, qui sinceram habent iubilaei consequendi voluntatem, quique ex hoc animo iniuncta ad eiusdem consecutionem opera adimplendi ad confitendum accedunt ».

Et exinde mota est alia quaestio de iis nempe, qui cum hoc animo ad confitendum accessissent et absoluti a censuris et peccatis reservatis fuissent, consilium implendi reliqua opera et consequendi indulgentiam deseruerunt. Quos nonnulli doctores docuere graviter peccare (et in horum sententiam inclinat Benedictus XIV. in cit. Encyc. §. 86. dicens *eam sententiam subsistenti ratione fultam esse*): alii vero *communius* (ut inquit s. Alphonsus n. 537. q. 3.) negant. Ceterum contra quosdam, qui putabant, hosce rursus incidere in censuras ac reservationem, statuit idem Bened. XIV., id non consequi: « Verum, inquit ibid. §. 86., quoniam absolutio a censuris in casu, de quo agitur, minime quidem cum *reincidentia*, sed absolute data est ac datur, idcirco in eadem Constitutione *(Convocatis)* n. LIV. declaravimus, illum nequaquam censuris, a quibus solutus fuerat, innodatum aut gratiae com-

mutationem (scil. votorum) ac dispensationum obtentarum expertem remanere. »

506. Sed ut redeamus ad quaestionem, s. Alphonsus n. 537. remittens ad n. 536. n. 13. appellat ad §. 62. eiusdem Encyclicae Benedictinae, ut evincat, per confessionem culpabiliter nullam nec censuras absolvi nec tolli in iubilaeo reservationem.

At reipsa Benedictus XIV. ita ibi aliter scribit: « Si omnes, quae tribuuntur facultates, ad iubilaei consecutionem directae ac veluti ipsius praeparatio sunt; clare inde consequitur, illarum usui minime locum esse, nisi cum eo, qui et ad consequendum iubilaeum sit praeparatus et certum habeat propositum, adimplendi opera ad eiusdem acquisitionem iniuncta »: ubi allegat et ista verba Suarez *de Relig.* tom. 2. lib. 6. cap. 16. n. 6.: « Gratia non conceditur, nisi in ordine ad hunc finem et per modum praeparationis ad effectum iubilaei; ergo qui non habet animum implendi et obtinendi iubilaeum, non potest gaudere facultate »: quae Suarez dicit de votorum commutatione. Ergo unice Benedictus XIV. requirit, ut poenitens velit iubilaeum consequi.

Ergo non apparet, quomodo haec excludant sententiam eorum, qui tenent cum Lugo (a), poenitentem absolvi a censuris et tolli reservationem. Sic Lugo disp. 20. n. 113.: « Addo, etiamsi poenitens advertat defectum confessionis, aliquando tamen posse habere intentionem lucrandi iubilaeum et ponendi omnia requisita, si v. gr. habeat animum confitendi postea valide ante finem hebdomadae: et tunc videtur valide absolvi ab excommunicatione et censuris reservatis in illa confessione invalida; quia absolutio a censuris prius datur, quam absolutio a peccatis et eius valor non dependet a valore absolutionis... Cum ergo ille habeat intentionem lucrandi iubilaeum, iam videtur esse dispositus ad obtinendam absolutionem a censuris, licet non sit dispositus ad obtinendam absolutionem a peccatis ».

Et quoad reservationem haec habet ibid.: « De ablatione autem reservationis peccatorum magis dubitari posset: sed *certe* probabile mihi videtur, quoties defectus non sit in integritate circa ipsa reservata, tolli posse reservationem virtute illius absolutionis, si poenitens habeat animum lucrandi iubilaeum et confitendi postea valide ac ponendi omnia alia requisita. Quia sicut Confessarius ex privilegio et delegatione absolvens valide, tollit reservationem peccati, licet confessio sit invalida ob defectum etiam poenitenti cognitum, dum tamen non sit circa integritatem debitam in reservatis; non video, cur non possit

(a) Nescio quomodo s. Alph. n. 537. q. 2. dicat *negandum omnino cum Lugo* et quidem disp. 20. n. 113; cum hic eo loco doceat oppositum: sed debet esse error typographi et legendum est; *contra Lugo*, ut paulo post dicitur.

etiam virtute iubilaei confessarius solvere vinculum reservationis peccati in paribus circumstantiis, licet non absolvat ab ipso peccato propter indispositionem poenitentis.

507. Quando autem confessio fuit invalida, sed tamen inculpabiliter, quia, ut ait s. Alph. n. 37. q. 2. v. gr. fuit facta bona fide, sed cum defectu doloris, idem s. Doctor dicit quidem n. 598. in fine absolute, reservationem in iubilaeo non tolli. Verum n. 537. q. 2. sincere fassus erat, alios aliter sentire, innixos rationi, quae certe valet extra iubilaeum et quae heic quoque non est cur non valeat (cf. nn. 502. 503.). Et ipse quidem cum Croix lib. 6. part. 2. n. 1449. mavult dicere probabiliorem sententiam negantem. Sed ratio, a Croix desumpta, est nulla. « Quia (inquit Croix) ut ille, qui habet mortale, lucretur iubilaeum et consequenter ut acquirat ius absolutionis a reservatis, requiritur confessio valida ». Quod est putum sophisma. Nam ex decretis Pontificiis ius habet ad absolutionem a reservatis QUI VULT *lucrari* iubilaeum, non vero, ut turpi aequivocatione ludit Croix, qui *lucratur*.

Quo vitio laborat et ratio, prout exponitur a s. Alphonso l. c. aiente: « Cum Pontifex concedit facultatem absolvendi a reservatis, ut fideles iubilaeum lucrentur, non praesumitur illam concedere pro iis, qui nequeunt cum illa confessione iubilaeum lucrari ». Quae ratio (cui am Lugo respondit: cf. n. praeced.) si valeret, verum dicerent negantes, absolvi eos, qui dein iubilaeum non lucrantur. At enim Pontifex concedit facultatem illam, ut possint se praeparare etc.; et qui eo animo accedit, tantum praestat, quantum exigi ab ipso potest.

CXIV. Resp. 2. A reservatis absolvere potest 1. Ipse reservans. 2. Eius in spirituali iurisdictione superior. 3. Cui ipse delegavit. 4. Sacerdos inferior quando superior adiri non potest: v. g. a reservatis Papae absolvere potest Episcopus eos qui Romam ire non possunt.

508. Ad 2^m^ nota, superiorem in iurisdictione intelligi, qui habeat simul actu iurisdictionem in subditos inferioris.

S. Alphonsus notat, Poenitentiarios maiores cathedralium habere quidem ordinariam facultatem, sc. ex officio, audiendi confessiones: at 1° non posse hanc delegare aliis: 2° non idcirco vi officii posse absolvere a reservatis Episcopo (scil. iure), vel reservatis ab ipso Episcopo et allegat Decis. Congr. Conc. 6. Iul. 1647. apud Piton *de Confess.* n. 881.

* Adverte praeterea discrimen inter habentem potestatem ordinariam absolvendi a reservatis et delegatam, quod ille reservationem tollere potest etiam extra confessionem; hic enim actus, sicut et reservatio, est actus iurisdictionis publici fori: ille solum potest peccati reservationem tollere in actu confessionis; quia potestas non delegatur ei,

nisi ut possit absolvere. Ita communiter. Per se vero non repugnaret, fieri ab ordinario facultatem inferiori, ut et extra confessionem tollere posset reservationem *.

CXV. Resp. 3. Extra periculum mortis, de quo v. *dicta dubio superiore,* nullus inferior per se et directe absolvere potest, nisi ex iure vel privilegio concedatur. Dicitur 1. *Per se;* quia de indirecta et per accidens colligitur ex dictis.

Dicitur 2. *Nisi* etc. quia a casibus Papalibus absolvere potest Episcopus per se vel Vicarius, quando sunt occulti, ut docet Nav. c. 27.

509. Ad 1^m^ Explic. Nota quod absolutio *indirecta* et *per accidens* reipsa non est absolutio peccati indirecte remissi.

Ad 2^m^ Quod Episcopi possint absolvere a casibus papalibus occultis, non est mera Navarri doctrina, sed Concilii Tridentini sess. 24. *de Reform.* cap. 6.: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per seipsum aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari ». Vid. dicta sup. n. 740. Et addit Synodus; « Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae tantum, non autem Vicariis sit permissum ». Verum haec facultas revocata fuit per Constitutionem in *Bulla Coenae:* qua de re plures iam s. Congregationis decisiones prodiere; adeo ut merito s. Alphonsus post Lambertinium *de Synod.* lib. 7. cap. 32. vet. edit. (sed in Nova lib. 9. cap. 5.) et communem doctrinam moneat, non amplius dici posse probabilem oppositam sententiam: vid. s. Alph. *de Privileg.* n. 38. et *de Censuris* lib. 7. n. 84. Et cf. Const. *Apostolicae Sedis* versus finem §. *Firmam.* Sed de his in tr. *de Censuris.*

Nihilominus haec addere licet. Diximus n. 489. Episcopum posse facultatem dare suo Confessario, ut se absolvat a casibus occultis papalibus, a quibus ipse Episcopus ordinaria potestate potest absolvere. Quaeritur, an idem possit Vicarius Episcopi pro iis casibus, quorum potest facultatem dare pro aliis. Sententia affirmans verior videtur Lugo disp. 20. n. 58. et sana eadem occurrit ratio ac pro Episcopo: delegatus enim pro tota communitate, potest pro se illud idem quod potest pro aliis; cum sit ipse pars eiusdem communitatis.

Ex his sequitur, praelatum regularem posse absolvi a suo Confessario a peccato quod non ipse, sed superior vel capitulum generale reservavit. « Quia si Episcopus potest circa se quae potest circa alios et hoc etiam in casibus Papae reservatis, item si Vicarius Episcopi potest mediate sibi consulere per facultatem, quam ab Episcopo ac-

cepit pro tota dioecesi: a fortiori id poterit praelatus regularis, qui non habet potestatem vicariam, sed propriam ex suo munere et qui non minus videtur comprehensus in facultate concessa praelatis cap. fin. *de Poenit. et Remiss.;* cum ibi non sit sermo de solis Episcopis, sed de praelatis exemptis, quibus consulit Pontifex, dando eorum Confessariis facultatem, quam ipsi circa subditos habent ». Ita Lugo l. c. n. 59. Excipitur, nisi superior aut Capitulum reservans restrinxerit positive hanc facultatem; cuius enim est peccatum reservare, eiusdem est reservationi maiores vel minores limites ponere. Et cf. Lugo l. c. nn. 60.-66.

Unde resolves.

CXVI. Mendicantes ex vi iuris communis non possunt absolvere a reservatis Episcopo; quia ut sic non habent potestatem maiorem Parochis et privilegium, quod circa hoc habuerunt, sublatum est decreto Urbani VIII. anno 1628. * Hoc etiam confirmatur ex prop. 12. inter damnatas ab Alex. VII.* Excipit tamen Aversa cum Diana p. 8. t. 7. res. 71. eos casus, qui Episcopis a iure tantum reservantur. Imo Quintan. t. 1. tr. 3. s. 14. affirmat, Regulares adhuc posse absolvere, sicut ante decretum, eo quod hoc in Provinciis non sit promulgatum: quod Dian. p. 9. t. 6. res. 51. non audet probare, nisi ad Episcopum non pateat recursus, tunc enim ab ipsis reservatis posse absolvere, sicut possunt a Papae reservatis. Granat. Dian. p. 5. t. 14. res. 58. V. etiam Praepos. q. 19. d. 1.

510. 1ª Pars, quod vi iuris communis non possint absolvere a casibus Episcopalibus, sive reservata sint *ab homine* (quorum reservatio cessat absque ulla revocatione, mortuo Episcopo aut episcopatui cedente), sive per synodalia statuta, certa est. S. Alphonsus tamen lib. 7. n. 100. in fin. monet ex *communiori ac probabili sententia* posse Regulares absolvere a casibus reservatis quidem in Synodo, quos tamen Episcopus non exponit in tabella. Ratio, quia eo ipso, quod in tabella non reservat, censetur velle omnibus Confessariis dare facultatem absolvendi ab iis, iuxta regulam: *Non expressum habetur pro omisso.* Idem non possunt mendicantes vi privilegiorum veterum; quia his iamdudum derogatum est: de quo multiplicia exstant decreta.

2ª Pars agit de facultate absolvendi a casibus, qui Episcopis tantum a iure reservantur.

Eiusmodi autem erant olim (vid. A. *de Cens.* cap. 2. dub. 4. art. 2. et Scavini *de Censuris* n. 920. 2.).

1º Levis percussio clerici, vel gravis facta a femina, aut puero aut alia persona detenta quoad accessum ad Sedem Apostolicam.

2º Reincidentia in censuram, qua plectitur quis in articulo mortis absolutus a non habente facultatem, si se Superiori non sistit.

3º Procuratio abortus foetus animati, effectu sequuto.

4° Communicatio in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo, scil. cum quis communicat cum criminoso in crimine, propter quod fuit antea ab Episcopo excommunicatus: de qua in cap. *Nuper* 29. et *Si concubinae* 55. *de Sententia Excommunicationis.*

5° Excom. in fratres Minores, si admittant in suis Ecclesiis ad officia divina fratres Tertii Ordinis.

6° Extractio ab ecclesia confugae facta auctoritate privata, aut percussio aut rapina rerum eiusdem confugae, auctoritate item privata.

7° Visitatio infirmi facta a medico, si postquam tertio die visitaverit, ipsi non constiterit de fide Confessarii etc.

8° Omnes censurae Pontifici reservatae ob delictum occultum.

9° Omnes censurae ac casus Papales etiam contenti in Bulla Coenae ac etiam reservati post Tridentinum, si ob legitimum impedimentum aut urgentem confessionis admittendae necessitatem obtineri nequeat a Sede Apostolica absolvendi facultas.

511. Nunc vero iure novo Const. *Apostolicae Sedis*, tres latae sententiae Excommunicationes Episcopis reservantur. Quae nempe feruntur 1° in Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum sollemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2° In procurantes abortum, effectu secuto.

3° In litteris Apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.

Adde 4° levem percussionem Clerici, ut olim erat Episcopis reservata: ex eadem Const. secunda serie n. 2.

Porro utrum mendicantes generatim possint absolvere ab his censuris, quae iure reservantur Episcopo, ipse s. Alphonsus tradit lib. 7. n. 99., sententiam *communiorem* ac *probabiliorem* esse, quod possint et hoc sufficit, ut tuto possint ea doctrina uti secundum generale principium de usu iurisdictionis probabilis.

Rationem affert idem s. Doctor l. c., quod licet Paulus V. et Urbanus VIII. generatim interdicant Regularibus, ne absolvant *a casibus reservatis Episcopo*, tamen rei natura postulat, ut ea verba intelligantur iuxta sensum Clementis VIII., cuius decretum Paulus V. et Urbanus VIII. confirmaverunt. Clemens autem interdixit solum, ne absolvant a casibus « *quos Ordinarii reservarunt aut in posterum sibi reservabunt* ».

Tum ea memorat, quae Suarez habet *de Poenit.* disp. 29. sect. 3. n. 6.: « mihi autem videtur, ex solo *iure* communi et seclusa consuetudine, nullum peccatum esse reservatum Episcopis ». Quod Suarez

applicans ad excommunicationes, quas Episcopi, non alii possunt absolvere, dicit n. 7.: « Sed hoc solum verum est, quando excommunicatio per se est reservata Papae et in aliquo particulari casu committitur Episcopo in iure, ut v. gr. saepe fit in excommunicatione Canonis *Si quis suadente diabolo* et in Tridentino sess. 24. cap. 6. fit in omnibus occultis: *tunc enim illa non est tam reservatio, quam delegatio* ». Ex quibus efficacissimum dicitur argumentum. Nam si nomine peccati reservati Episcopis veniret quidquid, Pontifici reservatum, ab Episcopo in quibusdam adiunctis potest absolvi, comprehenderentur etiam casus omnes Papales occulti. Ergo a nullo casu Papali occulto possent Mendicantes absolvere: atqui hoc aeque falsum est et absurdum. Accedit pondus auctoritatis; nam reipsa contra paucos, nempe Cabassutium, Milante, Bordonum ac Vivam stat communis sententia atque, uti ipse Viva fatetur in prop. 12. Alex. VII. n. 13., iam inde ab aetate sua ultra triginta doctores pro doctrina hac communi allegabat Thomas Hurtado t. 1. tr. 5. resol. 17.

Quocirca vix ulla probabilitas neganti sententiae tribui potest.

512. Ceterum Mendicantium facultas quoad absolvendos casus Papales, quorum absolutio ex iure permittitur Episcopis, limitationem olim habebat in Italia extra Urbem (et quidem nomine Urbis venire videtur Districtus Romanus, quo protenditur ordinaria iurisdictio Cardinalis Vicarii Pontificii in spiritualibus: ita et Maschat tom. 2. p. 253. n. 24. in notis Giraldi). Nam ideo Mendicantes habebant facultatem ab huiusmodi casibus absolvendi, quia vi suorum privilegiorum poterant absolvere ab omnibus casibus et censuris Apostolicae Sedi reservatis. Porro, praeter casus reservatos in Bulla Coenae, Clemens VIII. alios sex casus addidit, a quibus mendicantes extra Urbem et intra Italiam absolvere non possunt. Sunt autem (a).

1° Violatio immunitatis ecclesiasticae in terminis Constitutionis Gregorii XIV. *Cum alias*, quae est de libertate et immunitate asyli ecclesiastici.

2° Violatio clausurae monialium ad malum finem.

3° Provocatio et pugna in duello iuxta decretum Tridentini Concilii et Constitutionem Gregorii XIII.

4° Iniectio manuum violenta in clericos iuxta Canonem *Si quis suadente* etc., ac iuris dispositionem.

(a) Nunc hi casus, excepto 6., inter eos continentur, qui sunt reservati simpliciter Romano Pontifici Const. *Apost. Sed.* serie 2. Excomm.; a quibus omnibus prohibentur absolvere etiam Regulares cuiusvis speciei et loci. Nihil idcirco peculiare occurrit modo, quod casus Clementinos a ceteris discernat. Sextus vero casus praetermissus est a Pio IX. — E.

5° Simonia realis scienter contracta atque etiam confidentia beneficialis.

6° Absolutio praetextu suorum privilegiorum a casibus vel censuris, quos vel quas Ordinarii locorum sibi reservaverint. Nam qui absolvunt (sine facultate ab Ordinario facta) a casibus vel censuris Episcopo reservatis, incurrunt excommunicationem reservatam Pontifici (vid. Thesaur. part. 1. cap. 3.).

Ergo etiamsi aliqui ex istis casibus reperiantur inter iure reservatos Episcopis, a quibus possunt Mendicantes ex regula generali absolvere, ab his tamen nequeunt absolvere.

Unde merito s. Alphonsus lib. 7. n. 100. reiicit sententiam Vivae, qui dixit *saltem probabile, de Censuris* q. 5. art. 3. n. 8. et artic. 4. n. 5., posse Mendicantes absolvere a casibus Clementinis, saltem si sint occulti (a).

513. Et quoniam de Clementinis (b) sermo incidit, quorum absolutio Mendicantibus tantum extra Urbem et intra Italiam interdicitur, notanda est alia limitatio quoad Urbem Romae. Specialis enim Congregatio ad id designata a Clemente XI. ann. 1711. die 13. Martii praecepit, ne Confessarii sive Regulares sive Seculares, etiam Poenitentiarii basilicarum Urbis, non obstantibus quibuscumque privilegiis absolvendi a sequentibus casibus, ne, inquam, « in posterum in foro conscientiae absolvant extra mortis articulum quoscumque poenitentes tam incolas Urbis, quam ad eam confluentes ab infrascriptis casibus, nempe 1° A casu PUBLICO violatae clausurae monialium ad malum seu inhonestum finem; 2° A presbytericidio PUBLICO, et 3° a casu PUBLICO violatae immunitatis ecclesiasticae in terminis Constit. Gregorii XIV. incip. *Cum alias nonnulli* et etiam 4° in casu occulto dictae violationis immunitatis, si fuerit secuta *auctoritate publica* » et declarat, irritam fore absolutionem. Vid. Thesaur. *de Poen. Eccl.* part. 1. V. *absolutio* cap. 3.

514. Non praetermittenda reprehensio sententiae, quam incidenter tradit Viva in prop. 12. Alex. VII. n. 13. in fin., nempe, quod Mendicantes possint absolvere a casibus papalibus, qui alioquin iure evadunt

---

(a) Tamen Auctor operis: *Istruzione per li novelli Confessori*, part. 2. pag. 550. scribebat: « Si avverta, che stando ferme tutte le dottrine addotte per la riserva dei cinque casi espressi nel decreto di Clem. VIII..., nondimeno, se dopo il detto decreto la Santa Sede avrà conceduto alcun nuovo Privilegio generale di assolvere da tutti i casi riservati alla Sede Apostolica, fuor di quelli della Bolla *Coenae*, potranno i nuovi privilegiati assolvere ancora da' detti cinque casi, salva la limitazione novissima, che tocca solo i Confessori di Roma..., massimamente se in detto privilegio sieno poste le solite clausole amplissime derogatorie e non sieno eccettuati, come si suppone, se non i soli casi della Bolla *Coenae*. Vedi Diana part. 5. tr. 10. res. 55. con molti Autori da lui citati ».

(b) Cf. notam praeced. — E.

Episcopales, « nisi (inquit) forte Episcopi in suis edictis illos etiam sibi reservent; quia tunc procul dubio nequeunt ab iis Regulares absolvere ».

Tangenda autem materia haec est, tum quia ad praxim spectat in re valde gravi, tum quia periculum est, ne quis in hanc sententiam eat propter auctoritatem s. Alphonsi, qui suam hanc Vivae doctrinam facit tum lib. 3. n. 397., ubi quaerit, quis possit absolvere a censura pro abortu foetus animati, ubi dicit: « Ceterum post prop. 12. damnatam ab Alexandro VII. certum esse debet..., quod si alicubi Episcopus sibi reservavit casum abortus, vel homicidii voluntarii, nullus Regularis poterit ab eo absolvere sine Episcopi licentia », allegans Cabassutium et Elbel; tum lib. 7. n. 99. in fine, ubi de casibus iure reservatis Episcopo ait: « Si vero Episcopus hunc casum sibi specialiter reservaverit, tunc nullo modo Regulares possunt illum absolvere »; quo loco allegat et lib. 6. n. 599., sed non bene, quia nihil de hoc ibi habet.

Illud admitti nullo modo debet et negari debet suppositum nempe posse Episcopum sibi reservare peccatum seu causam, quam sibi reservavit Pontifex; quippe per Superioris reservationem illa causa subtracta est adeo potestati praelati inferioris, ut hic ne absolvere possit ab eo peccato, vel certe non possit absolvere nisi per potestatem sibi delegatam et ex mera Superioris permissione. Absurdum est autem quod qui ne facultatem quidem habet absolvendi a peccato, illud sibi reservet et quidem ita sibi reservet, ut non possint ab eo absolvere illi quoque, qui facultatem a Superiore reservante acceperunt.

515. Hanc quaestionem egregie tractat Suarez *de Poenit.* disp. 31. sect. 4. n. 26. « Si idem peccatum sit reservatum a duobus Superioribus subordinatis, ut ab Episcopo et Papa, tunc clarum est, facultatem Episcopi non sufficere ad tollendam reservationem simpliciter respectu Papae; quia non potest inferior restituere iurisdictionem, quam Superior abstulit sibique reservavit. E contrario autem Navarrus sentit cap. 27. n. 261. *Manual.*, ablata reservatione papali per privilegium Pontificis, auferri Episcopalem, non *tam de rigore iuris, quam ex usu.* Sed in primis difficile est *ad intelligendum, posse idem peccatum absque censura esse reservatum Papae et Episcopo* et sic de aliis cum proportione. Nam hoc ipso quod pastor supremum seu altior sibi reservat peccatum, extrahit illud a iurisdictione omnium inferiorum; nihil ergo habent inferiores, quod possint sibi reservare. Quod si hoc ita est, recte sequitur, per facultatem eiusdem pastoris supremi *(qualem recipiunt mendicantes)* tolli sufficienter reservationem; quia Superior iurisdictionem potest concedere, inferiore etiam renuente; atque hoc non solum *ex usu (sicut Navarrus dicit de censuris)*, sed etiam *ex rigore iuris verum est* ».

Et n. 27.: « De ipsa vero censura reservata, restabat dicendum, quae facultas sufficiat, ut auferatur, quod spectat ad propriam materiam; quanquam si considerentur quae diximus de reservatione a culpa, quando sola sit, facile intelligetur, idem esse dicendum cum proportione de tali censura: nam per solam facultatem supremi iudicis reservantis auferri poterat; quia illa sufficit ad dandam iurisdictionem *nec potest ab inferiori impediri nec praeveniri*, ipso per reservationem resistente. Atque hoc sensit Navarrus *Man.* cap. 27. n. 261., dum dixit, reservationem episcopalem auferri ablata papali; loquitur enim quando aufertur per ablationem censurae etc. ».

Non aliter Lugo, qui postquam doctrinam Suarez retulit *de Poenit.* disp. 20. n. 149., dein ex sua sententia haec subiicit n. 151.; « Addo denique, quod dictum est, non posse VALIDE Episcopum reservare sibi peccatum, quod summus Pontifex sibi iam reservaverat (quod idem est de quocumque praelato inferiori respectu Praelati Superioris), locum habere, quando etiam Episcopus vel Praelatus inferior reservavit sibi prius aliquod peccatum. Si enim postea Papa vel Praelatus superior illud idem peccatum sibi reservet, eo ipso cessat reservatio Episcopi vel Praelati inferioris; quia tunc etiam per reservationem Papae aufertur Episcopo facultas absolvendi ab illo peccato atque adeo non potest illud sibi reservare de novo nec continuare reservationem prius factam quoad culpam: licet quoad censuram possit. Denique s. Congregatio Cardinalium de mandato Clementis VIII. in suo decreto edito an. 1602. circa casus reservatos, prohibuit, ne de cetero Episcopi reservarent sibi casus legi solitos in Bulla Coenae, nec alios Sedi Apostolicae specialiter reservatos ». Ita Lugo plene Suarezio consentiens et neminem dissentientem innuens.

516. Decretum autem Congregationis Episcoporum ac Regularium negotiis praepositae, datum 26. Nov. 1602. quod Lugo innuit, continet plures declarationes ad aliud decretum eiusdem Congregationis, quod prodierat 9. Ian. 1601. Utrumque vero dedimus ex Benedicto XIV. sub n. 483., quem cf. Porro ea confirmant Lugo sententiam. Etenim non solum huiusmodi reservatio reservatorum Pontifici interdicitur, adeo ut non possint Episcopi sine reatu haec peccata reservare; sed insuper haec reservatio dicitur *superflua*. Porro nullatenus *superflua* dici posset, si ablata per privilegium papali reservatione, nihilominus peccata manerent reservata, ob reservationem Episcopalem. Ergo talis reservatio dicenda est inanis et vana ac nullius effectus.

De Lugo tamen quaedam habet, quae animadvertantur. Nam quoad peccata reservata sine censura, cum Suarez consentit, inquiens n. 149.: « Eo ipso quod Pontifex reservaret sibi peccatum absque censura, iam

Episcopus non posset ab illo absolvere: quomodo ergo posset Episcopus reservare sibi illud peccatum, a quo ipse non potest absolvere, et ad quod non potest dare iurisdictionem? Inutilis ergo et vana esset talis reservatio ».

Verum quando reservatio fiat cum censura, non videtur Lugo ire in sententiam Navarri: licet concedat, reservationem peccati auferri, sublata censura papali. Sic enim disserit disp. 20. n. 150.: « Addo, quando praelatus inferior prohiberet denuo sub excommunicatione sibi reservata peccatum iam prohibitum a Praelato Superiore v. gr. Papa sub excommunicatione sibi reservata: tunc licet obtenta absolutione ab excommunicatione Pontificis, adhuc non auferatur excommunicatio Episcopi (atqui id est, quod negant Navarrus et Suarez), fuisse tamen ablatam reservationem peccati; quia cum Episcopus non potuerit reservare sibi peccatum, quod Papa sibi reservaverat, consequens est, ut solum reservaverit excommunicationem a se latam. Quare ablata excommunicatione Pontificis, qui sibi reservaverat peccatum, aufertur tota reservatio peccati. Per accidens tamen non poterit absolvi a peccato propter excommunicationem Episcopi, quae manet. Ceterum in veriore sententia dicente, quod excommunicatus valide absolvitur a peccatis, poterit contingere, quod aliquando poenitens ille absolvatur valide et *directe* ab illo peccato, manente excommunicatione Episcopi et quidem licite, sive quia ignorata fuit invincibiliter illa perseverantia excommunicationis sive quia non erat copia Superioris et urgebat necessitas celebrandi vel communicandi: quo casu diximus, posse licite excommunicatum confiteri peccata non reservata inferiori et tunc non esset obligatio confitendi iterum tale peccatum postea, cum iam directe fuerit absolutum, sed solum obtinendi absolutionem ab excommunicatione Episcopali.

Sed nullus dubitabit, praeferendam doctrinam Suarez; nam ratio, quam et Lugo admittit, cur nulla sit inferioris reservatio quoad meram culpam, aeque militat quoad culpam cum censura. Adde, quod prohibitio Episcopi facta, ne reservent casus Apostolicae Sedi reservatos, quia *superflua* foret talis reservatio, versari non potuit nisi circa censuras; quippe tunc nullus casus Papae reservabatur nisi ob censuram, cum unicus modo reservatus sine censura additus fuerit a Benedicto XIV.

517. Quoad tertiam partem resolutionis, utique Diana part. 9. tr. 5. resol. 51. (nunc tom. 7. tr. 1. res. 272.) refert argumenta allata a Quintanadvena pro privilegio absolvendi a reservatis Episcopo etiam post decretum Urbani VIII.; verum ipse a n. 6. eam doctrinam reiicit et n. 78. rationes Quintanadvenae refutat, prout et Viva in Prop. 12. Alex. VII. n. IV.-XI.

Quod vero additur, de potestate absolvendi, quando ad Episcopum non patet recursus, Diana in loco allegato part. 5. tr. 14. resol. 58. (nunc tom. 1. tract. 5. resol. 19.) mere exhibet doctrinam, quam et nos tradidimus superius circa habentes casum reservatum Episcopo, impeditos tamen ab ipso Episcopo adeundo, qui scilicet pro ratione impedimenti modo indirecte, ob aliquam necessitatem communicandi, modo directe absolvi queunt. Sed haec doctrina nihil pertinet ad privilegia Mendicantium ac spectat ad omnes Confessarios.

Ergo tertia ista pars resolutionis negligenda est, uti antiquata.

Huc usque de Privilegiis Regularium quoad absolvendos fideles seculares. Quod attinet autem ad Praelatos Regulares erga suos subditos communis est DD. sententia (s. Alph. lib. 7. n. 101.), eos id ipsum posse, quod Episcopi ex cap. *Liceat.*

Prob. ex motu proprio Pii V. apud Salmantic. *de Poenit.* cap. 13. n. 33.: « Quia s. Oecum. Conc. Tridentinum concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animae seu conscientiae ab omnibus peccatis et dispensare in irregularitate, prout sess. 24. c. 6. habetur: ne Prior Conventualis et Superiores Praelati dicti totius Ordinis (Praedicatorum nempe)... in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici aut seculares, exsistant, iisdem Priori Conventuali et Superioribus Praelatis, ut ipsi per seipsos idem omnino possint in Fratres et Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos et laicos sibi subiectos tam quoad absolvendi et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates, eadem auctoritate ac tenore etiam perpetuo concedimus et indulgemus atque etiam declaramus, decernentes, praesentes litteras perpetuo durare ac valere ». Hasce litteras Pii V. confirmavit Benedictus XIII. Const. *Pretiosus* 26. Maii 1727. §. 21.

Benedictus XIII. ead. Const. §. 21. concesserat FF. Ord. Praedic., ut absolvere ac dispensare possent etiam in casibus Bullae Coenae, exceptis solum *relapsu in haeresim, falsificatione litterarum Apostolic. et delatione prohibitorum ad infideles* et excepta irregularitate *ex homicidio voluntario:* licet magistro Gen. fiat facultas dispensandi ab hac *suos subditos, dummodo homicidium non fuerit appensatum et intra claustra exstiterit consummatum.* Et proinde per privilegiorum communicationem haec facultas ad alios Regulares transierat. Verum Clemens XII. tum praedictas tum alias Benedicti XIII. litteras, quibus privilegia privilegiis cumulaverat, abrogavit Const. *Romanus Pontifex* 30. Mart. 1732., *perinde ac si illae non emanassent et in pristinum statum ac terminum omnia reduxit.* Et s. Alph. lib. 7. n. 101. has quidem Clementis litteras memoraverat; sed earum mentionem debuisset iniicere etiam n. 106., ubi dicit litem diremptam per litteras Bene-

dicti XIII. et idcirco facultatem tribuit Mendicantibus absolvendi a casibus Bullae Coenae. Debuisset et hoc loco addere, litteras Benedicti a Clemente fuisse revocatas.

518. S. Alph. lib. 7. n. 102. dicit, Regulares posse absolvere novitios suos a censuris papalibus (exceptis casibus Bullae Coenae), quas contraxissent ante ingressum. Et hoc consentiendum est, quia in favorabilibus censentur novitii ut religiosi.

Sed quoad censuras, quas sibi Episcopi specialiter reservaverint, idem s. Alph. lib. 7. n. 103. negat posse absolvi ac litem diremptam putat ab Alex. VII. in damnata propos. 12.: « Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate ». Eamque in rem urget etiam Decretum Urbani VIII. 17. Novembris 1628. apud Novarium pag. 217., dicentem vanas esse rationes, quibus hanc potestatem Mendicantibus quidam asserere conati sunt.

Verum melius hanc quaestionem tangit s. Alph. *de Privileg.* n. 95. ubi Bullam Clementis VII. innuit, qua Regularibus conceditur privilegium ut novitios possint absolvere ab omnibus casibus reservatis (excepta Bulla Coenae) incursis ante ingressum et a censuris annexis; quod DD. extendunt ad illos, qui proximi sunt ut recipiantur, v. gr. si quis manet in monasterio in probatione, ut habitum assumat.

Quoad decreta vero Clementis VIII. et Urbani VIII., responsio congruentior, ut ait ibid. s. Alph., esse videtur, quod decretum Urbani, sicut et prop. 12. damnata ab Alex. VII., loquitur de secularibus, non autem de novitiis, qui in favorabilibus communiter a DD. reputantur ut religiosi..., eo vel magis, quod Clemens VIII. id declaraverit. Excipiendum tamen, nisi inceptum iam fuerit Episcopi iudicium contra novitium, antequam intraret; quia tunc posset Episcopus illum extrahere et punire. Quod de novitiis dicitur, Mazzotta cum aliis extendit ad familiares Regularium.

519. Ceterum ratio altior horum omnium peti debet ex conditione, quam ex privilegio sortitur novitius, dum religiosum Ordinem ingreditur. Comparari enim debet cum eo, qui e dioecesi egressus in aliam dioecesim domicilium transferat. Etenim post mutatum domicilium quis non amplius prioris sed novi domicilii legibus tenetur nec prioris sacerdotis, sed alterius iurisdictioni subditur. Ita et novitius, qui Religionem vixdum ingressus, ab Episcopi iurisdictione eximitur et Superiori Regulari subditur. Nihil ergo obesse potest Episcopalis reservatio, quominus a Superiore Regulari absolvi possit: quippe iurisdictio Superioris Regularis in novitiis absolvendis nullo modo ab Episcopo pendet.

Heic adverte, Lucium Ferraris V. *Praelatus Regularis* n. 14.-29. et V. *Absolutio* n. 29.-39. plura congessisse, quibus assereret Regula-

ribus facultatem absolvendi subditos suos Regulares etiam a casibus contentis in Bulla Coenae et etiam a crimine haeresis etc. et insuper evinceret, Constitutiones omnes Pontificias ac ss. Congr. Decreta, quibus aut tolluntur aut limitantur privilegia Regularium, intelligenda esse de facultatibus absolvendi seculares non vero de facultatibus Praelatorum circa suos subditos. Sed nunc standum Const. *Apost. Sed.*, quae annullat quaelibet privilegia concessa pro absolutione a censuris Papae reservatis.

Addi heic possent, quae spectant ad absolvendum Regularem a censura Canonis, scil. ob percussionem clerici; nam ipsa Const. *Apost. Sedis* in 2. serie Excomm. n. 2., intactam reliquit facultatem, quam in hac re ius vel privilegium Episcopis aut aliis concedit. Sed de his melius in Tr. *de Censuris*.

S. Alph. n. 600. recte quoad Moniales advertit, eas subiacere reservationi casuum Episcopalium, si non sint exemptae: secus vero si sint exemptae; quippe ipsae non pendent a iurisdictione Episcopi, uti alias monuimus contra Viva: imo nec evincitur, ut monet s. Alphonsus n. 602. q. VII., eas (exemptas) subiacere reservationi pro violatione legum, quas Episcopus ferat in ordine ad clausuram custodiendam. Quippe delegatio ista respicit solum forum externum.

CXVII. Resp. Si Confessarius dubitet, an poenitens lapsus sit in mortale reservatum, si quidem dubium sit positivum, potest (sequendo opinionem probabilem et iudicando probabiliter non esse reservatum) absolvere. Si vero dubium sit negativum, posse absolvere negant aliqui, ut Armill. Cord. etc. Probabilius affirmant Suar. Filliuc. Henriq. Hurt. Bonac. Lugo d. 20. s. 2.

520. Egregie hanc materiam proponit s. Alphonsus n. 600. Ac 1° communis doctrina est, a quolibet Confessario absolutionem posse dari, quando intercedit dubium facti, nempe num peccatum sit grave. Ratio, quia reservatio pertinet ad materiam odiosam et ideo est strictae interpretationis. Ita s. Alph. n. 600.

Item quando dubium sit *iuris*, idest quando dubitatur num peccatum, per se certe grave, lege reservationis comprehendatur, v. gr. an reservatio comprehendat peregrinum, vel delinquentem extra territorium: quilibet Confessarius potest absolvere. Et haec pariter sententia communis est inter DD. contra Antoine, Concina et Wigandt, ut habet s. Alphonsus n. 600.: quod valet, sive dubium positivum sit, sive negativum; quia in utroque eadem ratio currit.

Ratio autem est 1° quia reservatio, utpote strictae interpretationis, locum non debet habere, nisi certo de re constet. 2° Quia facultas absolvendi est in possessione Confessarii. 3° (et haec solvit omnes quaestiones), quia ubi sententia communis et probabilis quidpiam hac in materia tradit, Ecclesia supplet iurisdictionem.

Neque obstat, quod in Decreto Congr. Episcoporum et Regular. an. 1601. sub Clemente VIII. apud Novarium pag. 285. prohibeatur Confessariis, ne absolvant a casibus *etiam dubie in Bulla Coenae reservatis;* nam exceptio imo firmat regulam in contrarium. Praeterea in Decreto anni 1602. qua praecedens mitigatum fuit, illa verba sublata sunt.

Addit s. Alph. l. c. absolvi posse casum dubium etiamsi in foro externo habitum sit ut certum. Nam in foro externo non creditur reo; sed in foro interno creditur ei pro se et contra se.

Communis item est doctrina, quod si quis absolutus fuerit a peccato dubie reservato, tollitur reservatio nec tenetur rursus illud confiteri Confessario privilegiato, si postea detegatur, peccatum fuisse vere reservatum. Communis est contra Concina. Ratio, quia fuit peccatum *directe* absolutum ac proinde directe manet ablata reservatio. Ita s. Alphonsus n. 600. q. II.

Dub. V.

De Officio et obligatione Confessarii.

CXVIII. Respond. 1. Munus Confessarii est absolvere dispositum et non alium; item curare rectitudinem istius iudicii, praesertim quando coeptum est et reos iuvare ac monere, cum prudentia tamen. Ratio primi est, ne sit iniurius poenitenti. Ratio secundi, ne fiat sacrilegus. Ratio tertii est eadem et quia debet curare, ut absolutio sit efficax.

Nihil addendum.

Unde resolves.

CXIX. 1. Etsi interdum utiliter differatur absolutio etiam eius, qui potest licite absolvi: id tamen raro nec fere nisi de poenitentis consensu faciendum; quia potest vergere in grave eius periculum vel damnum. Vid. Dian. p. 1. t. 4. res. 35.

521. Si quando differatur, cum est dispositus, id ea ratione quoad tempus, finem, opera iniuncta fieri debet, ut magnum dilatio fructum afferat. Ceterum quam gravis debeat esse causa, propter quam Confessarius hoc remedio, alioquin non necessario (si enim poenitens non est dispositus, non differtur, sed negatur absolutio), sed mere utili cum poenitente disposito, clare intelligitur ex iis, quae superius (n. 257. seqq.) disputavimus in quaestione: an liceat complicem peccati revelare in confessione. Ibi enim (n. 260. coll. 250.) vidimus, ex communi DD. sententia tam grave esse absolutionis beneficio quempiam invitum privari, ut dilatio ultra unam vel alteram diem, iuxta Suarez, Viva, Renzi, Fagundez, Herinckx aliosque apud Salmanticenses (s. Alphonsus lib. 6. n. 490.) sufficientem causam praebeat, cur poenitens aut na-

turale praeceptum non infamandi proximum in re gravi, aut divinum praeceptum de confessionis integritate posthabere licite queat; *quia* ut ait Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 416. *gravis res est per triduum esse in statu peccati: quod merito timere potest, cum sit difficile habere verum actum contritionis; quare non parum faciet, si propter famam proximi per biduum differat confessionem.* Quinimo s. Alphonsus non modo bidui, sed et unius diei dilationem nimiam censuit. *Sed mihi*, inquit l. c., *videtur, durum esse ei, qui est in mortali, manere sine absolutione etiam per diem et huic non videtur dissentire Antoine* cap. 2. q. 13. resp. 3., *ubi dicit absolute, non teneri ad expectandum, qui est in statu culpae mortalis.* Quocirca si absolutio, ut innuit A. cum communi DD. sententia, differenda non est, quando dilatio cadat in poenitentis haud leve incommodum, facile patet, quanta cum cautela ac prudenti sobrietate hoc remedium adhibere Confessarius debeat.

Sane ad experimentum potius quam ad remedium pertinere videtur, quod absolutionem Confessarius differat ob dubium non quidem de futura constantia in aliqua obligatione implenda, sed de praesenti poenitentis voluntate; quo spectare ex parte videntur, quae habet Lugo *de Poenit.* disp. 14. n. 167., ubi, nemine forte e Doctoribus ipsum praecedente, quaestionem instituit: *An aliquando cum Confessarius posset credere probabiliter poenitenti dicenti se hîc et nunc habere dolorem et propositum, possit tamen ad* MELIUS PROBANDUM *et confirmandum illud propositum differre absolutionem per aliquot dies.* Conferantur ergo quae de hac re diximus c. l. a n. 179. deinceps.

CXX. 2. Absolvendus est, qui adhaeret sententiae probabili; quia est dispositus.

522. Intelligenda est resolutio, quando poenitens tenere vult opinionem probabilem et contrariam opinioni Confessarii, qui uti patet, ideo tenet oppositam, quia hanc putat probabiliorem.

Non posse hunc poenitentem absolvi contenderunt homines rigidi Fagnanus, Vinc. Baronius, Mercorus, Elizalde, Thyrsus Gonzalez et cum aliis Concina, qui putabant illicitum sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris: quando autem probabilior habenda esset opinio, propria ratione id decernendum esse statuebant. Vellem tamen scire, num isti homines tam durae cervicis id probassent, si incidissent in Confessarium, qui suam opinionem probabiliorem putans, negasset ipsis absolutionem, nisi, v. gr. hac ipsa in re proponerent, se absolutionem daturos poenitenti volenti sequi probabilem sententiam. Ipsis enim dici posset: *Ex ore tuo te iudico, serve nequam.*

Contra istos s. Alphonsus n. 604.: « Sententia *communis* et *sequenda* docet, non solum posse, sed etiam teneri SUB GRAVI Confessarium absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur probabilior Confessario (a).

Parco auctoribus numerandis et solum adverto cum s. Alphonso, quod « in hoc consentiunt adhuc plures auctores rigidioris sententiae, ut Pontas ».

Hinc affert haec verba Cabassutii rigidioris lib. 3. tit. 1. cap. 14.: « Quivis Confessarius absolvere debet poenitentem, qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem piorum et doctorum aliquot hominum non reprobatam in Ecclesia auctoritatem est licitum, quamvis iuxta probabilem pariter aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur Confessarius, habeatur ut minus probabilis (s. Alph. addit intra parenthesim « *intelligendum non notabiliter minus* », quorsum id? dummodo probabilis vere sit opinio, satis est: cetera non nisi ad angustias animi et scrupulos creandos conducent) ut ostendunt Navarrus, Sylvius etc. ».

Et Sylvius e Duacensibus rigidis 2. 2. q. 154. art. 2.: « Si Confessarii non possint clare percipere, utrum ibi sit mortale vel veniale, persuadeant quoad possunt, ut poenitens abstineat; si tamen nolit, non eis faciant conscientiam de mortali, ne deinceps mortaliter peccent, ubi alioquin non peccarent neque absolutionem negent ».

523. Ratio autem huius sententiae (scil. quod Confessarius non modo possit, sed teneatur *sub gravi* huiusmodi poenitentem absolvere) est, ut inquit s. Alphonsus n. 604., « quia poenitens, facta confessione cum sit dispositus, habet strictum ius ad absolutionem, quam denegando Confessarius gravem illi iniuriam irrogaret; tum quia privaret gratia sacramenti, tum quia obligaret ad magnum onus subeundum, nempe ad repetenda apud alterum sua gravia peccata ».

Quidam excipere voluerunt, quod hanc obligationem absolvendi habeant ad summum pastores, qui ex officio tenentur audire confessiones, non item alii.

Insipienter omnino. Qui non tenetur audire confessiones, poterit ab audiendis abstinere; sed quando semel peccata audire voluit, tenetur

---

(a) Auctor (Giordanini) operis *Istruzione per li novelli Confessori*, p. 1. c. 2. n. 56. ait: « Quanto al peccar mortalmente, se non lo fa, a noi pare dura cosa, che un Confessore si metta tanto alle strette, quand' egli non per iscrupolo, nè per attacco alla sua opinione o alla sua scuola o per altro storto fine ma con retto giudizio (!) e dopo aver implorato l'aiuto divino, creda e risolva di non doversi conformare all' opinione del suo penitente ». Sed nega, *rectum esse iudicium*, aut *divinum Lumen* ad hanc iniquam praxim impellere. Et cum *ius sit poenitenti* ad absolutionem et haec sit *materia gravis*, implere debet cfficium suum nec *durum* est, hoc ab eo exigere etiam *sub gravi*.

ex iustitia dispositos absolvere non minus quam qui audit ex officio; quia, facta confessione, ius est poenitenti ad absolutionem.

Obiicit Auctor operis *Instruz. pei novelli confessori* l. c. n. 57.: « Il Confessore, che in quel sacro tribunale è giudice insieme e medico, padre, maestro e superiore e rappresentante di Gesù Cristo, ha maggior ragione di guidare il penitente ed ammonirlo e tirarlo ne'*suoi giusti* sensi ». Responde: non esse *legislatorem;* de rectitudine autem sensuum non ipse iudex est.

Simile sophisma istorum memorat s. Alph. quod nempe poenitentes teneantur se submittere iudicio Confessarii.

Atque ita reponit ad hominem s. Alph. l. c.: hodie putabunt poenitentes quidpiam illicitum et cras erit eis illicitum oppositum et tenebuntur quoque ad obligationes inter se repugnantes, si plures Confessarios audierint.

Ceterum respondet s. Alphonsus: « Confessarius non est iudex opinionum, quas poenitens sequi teneatur, sed tantum dispositionis sui poenitentis, ut patet ex Tridentino sess. 14. cap. 5., ubi Sacerdotes ad hoc tantum dicuntur iudices a Christo Domino constituti, ut ad eos deferant fideles peccata sua et ipsi absolutionem eis vel impertiantur vel denegent iuxta eorum dispositionem, ac pro modo culparum debitam poenitentiam imponant. Dispositio autem poenitentis consistit tantum in habendo verum dolorem de peccatis confessis et firmam voluntatem non peccandi in posterum. Ergo iudicium Confessarii circa dispositionem poenitentis in hoc tantum consistit, nempe in cognoscendo, quod poenitens vere doleat de suis culpis et vere proponat eas non iterare. Quod vero poenitens velit hanc vel illam opinionem sequi, hoc impertinenter se habet ad iudicium Confessarii, *nisi hic iudicet opinionem poenitentis esse evidenter falsam* ».

Tum memorat illa rigidi Cabassutii: « Praescribat sibi quisque quascumque libuerit austerae vitae leges; caveant tamen tetrici isti censores aliorum apud Deum licitam libertatem tyrannice opprimere ». Praemiserat autem s. Alph. « Quamvis hic Auctor rigidioris disciplinae sit fautor ».

Quo s. Doctor revocat illam sententiam Adriani: « Si a pluribus Doctoribus contrarium teneatur, non debet sacerdos adeo de se praesumere ut totum velit in suam opinionem, quae forsitan erronea est, coarctare » (a).

(a) Obiicit Auctor operis *Instruz. per li novelli Confess.* (l. c. n. 58.): « Un tal penitente, che si ostina nella sua opinione e quasi vuole soperchiare il suo giudice, anzi padre, mostra indocilità e superbia, molto impropria di chi cerca misericordia e dà sospetto

524. Et velim, attente perpendatis illa s. Doctoris verba. « *Nisi hic iudicet opinionem poenitentis esse evidenter falsam.* ».

Hoc ipsum enim saepius ibidem inculcat: « Hinc (inquit), quando ex una parte poenitens sibi efformat iudicium de honestate alicuius actionis et alias Confessarius *non habet certitudinem evidentem* de illius falsitate, *tenetur* illum absolvere utpote sufficienter dispositum ».

Et rursus: « Ex his omnibus concluditur, quod Confessarius non est quidem iudex opinionum, quae versantur circa obligationem poenitentium, *modo illi non appareant evidenter falsae;* sed tantum est iudex dispositionis eorum, nempe quod doleant et proponant Deum non offendere et credant tuta conscientia ac non temere, se aliquam opinionem sequi ».

Et rursus: « Confessarius, quoties sua opinio non est evidenter vera, non potest obligare poenitentem ad illam sequendam; unde tunc non solum potest, sed tenetur eum absolvere, permittendo, ut ille opinionem suam sequatur, semper ac poenitens cum illa opinione efformet sibi iudicium de honestate actionis: quia tunc iam satis est dispositus et ius habet ad absolutionem ob confessionem peractam ».

Et hanc quidem doctrinam s. Alphonsus ex gravissima DD. auctoritate adeo certam habet, ut praedictam agendi rationem tenendam doceat, etiamsi Confessarius opinionem poenitentis censeat falsam; dummodo opinio illa habeat aliquam existimatam probabilitatem, v. gr. si probabilis putetur inter DD. probatae auctoritatis et poenitens vere censeat, illam esse probabilem: tunc Confessarius non poterit ei absolutionem denegare.

Huc facere potest sententia s. Antonini, quam eo loco s. Alphonsus allegat: « Si credit (Confessarius) quod sit peccatum, debet ei (poenitenti) conscientiam facere, quod confitens diligenter se informet de illo facto, utrum sit peccatum. Sed dato, quod ille non vellet cognoscere, illud esse peccatum, nihilominus tenetur eum absolvere nec reputare eum inhabilem ad confessionem; quia ex ratione et non ex protervia illa opinio est ».

Tum et sententiam affert Dominici Soto: Quia Sacerdos existimet, opinionem esse falsam, non tamen inde existimare debet, sibi non licere ipsum absolvere; siquidem propter probabilitatem excusabitur ille a culpa.

---

di indisposizione, e di secreto affetto al peccato ». Quae plane exaggerata et falsa sunt. Nam sunt officia, in quibus humilitas et docilitas etc. ostendantur; sed hae non postulant, ut se submittat cuilibet Confessarii nutui: qui potius durus, pervicax, superbus dici debet, dum exigit, quae exigere nec debet nec potest.

S. Alphonsus tamen addit l. c., hoc tunc solum admittendum esse, quando opinio poenitentis habet aliqualem probabilitatem, ita ut Confessarius, esto eam non habeat ut solide probabilem, tamen non reputet omnino falsam ac plane falso inniti fundamento ac fallaci aequivocationi. In quo tamen casu, iuxta s. Alphonsum ibid. inquirendum restat, an poenitenti, qui supponitur in bona fide, monitio facienda sit nec ne; de quo infra et prorsus in casu suadendum est consilium s. Antonini. Atque haec quidem s. Alphonsi doctrina non differt a praedicta aliorum doctorum, ut consideranti patet.

525. Movet s. Alphonsus etiam quaestionem n. 605., an in delectu opinionum expediat, ut Confessarius utatur opinionibus rigidioribus, an benignoribus.

Sibi autem arridere ostendit doctrinam Croix lib. 6. part. 2. n. 1737., « quod si poenitens ostendat se paratum ad sequendum id, quod est tutius, TENETUR Confessarius, per se loquendo, eum dirigere secundum sententias tutiores (et *probabiliores,* inquit Croix); quia cum hoc sit maioris perfectionis, tenetur quidem Confessarius incumbere maiori profectui sui poenitentis. Spectat autem ad Confessarii prudentiam deinde perpendere, utrum tutioris vel minus tutae sententiae usus suo poenitenti sit profuturus. Ideo dixi, *per se loquendo;* quia licet id per se sit tutius et perfectius, tamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias ». Ita s. Alphonsus.

Si de directione sermo est, qua *consulat* Confessarius *tutiora et meliora*, non repugnamus; dummodo Confessarius clare significet poenitenti, non agi de re praecepta, sed in arbitrio eius sita: si vero ea directio intelligatur, qua quid obligatorium sit docetur poenitens: falsum est prorsus, debere vel decere Confessarium in huiusmodi animabus dirigendis tutiores proponere doctrinas.

Nam neque lex naturalis neque divina, neque ecclesiastica praecipit, ut sequamur opinionem tutiorem aut probabiliorem. Et hoc quidem Croix et s. Alphonsus quoque contendunt et huic doctrinae nititur id, quod s. Alphonsus paulo ante tam vehementer inculcabat, Confessarium sub gravi teneri ad absolvendum poenitentem, qui velit vitam suam regere secundum opiniones probabiles, relictis tutioribus ac probabilioribus opinionibus Confessarii. Et ratio manifesta est; quia poenitens non tenetur actus suos exigere ad regulas probabiliores et tutiores. Quid ergo est, quod Croix et cum eo s. Doctor probant morem *imponendi* his hominibus *obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias, per se loquendo?* Puto eos non satis accurate locutos et plus verba significare, quam voluerint ipsi dicere. Nam tandem obligatio

nulla est et idcirco cum mendacio affirmaret Confessarius, poenitentem ad hoc vel illud obligari. Ergo ne, quia poenitens creditur libenter morem gerere, Confessarius non solum poterit, sed tenebitur dicere mendacia, affirmando poenitentem reipsa ad id teneri ad quod nimirum non tenetur? Et quod magis lepidum est, si Confessarius dein deprehendat, hoc cadere in damnum poenitentis, tunc debebit docere eundem poenitentem, illam obligationem non exsistere nec eum ad id teneri.

526. Dices, poenitentes haec nescire. At licebitne abuti ignorantia poenitentis, ut Confessarius licite mentiatur praetextu maioris perfectionis ac profectus spiritualis: adeo ut v. gr. obliget sub gravi peccato ad abstinendum ab usu coniugii per quadragesimam, vel tempore lactationis aut praegnationis, vel die qua sumpsit Eucharistiam, aut ad abstinendum a quibusdam cibis, ne nocturna sequatur pollutio, aut ad eleemosynas non debitas faciendas, aut ad confitendum circumstantias non mutantes speciem, aut ad confitenda peccata dubia etc. etc.?

Addit Croix n. 6737.: « Si possit (confessarius), debet sequi tutiores; nam sine iusta causa velle se aut poenitentem exponere periculo erroris, quantumvis materialis est imprudentia; unde si poenitens ostendat se paratum,... tenetur Confessarius eum dirigere secundum probabiliores et tutiores ».

At 1° Nonne error materialis adesse potest etiam in sequenda opinione tutiori? Nonne error materialis heic adest, si erratur circa obligationem legis? hoc enim contingit etiam, quando praeceptum non adest et creditur adesse.

Sed 2° Nonne absurdum est, errare formaliter, ut vitetur error materialis? Atqui cum ibid. n. 1738. fateatur La-Croix, licere poenitenti sequi suam opinionem probabilem, relicta probabiliore Confessarii, profecto per errorem omnino formalem obligatio imponitur et affirmatur, eum teneri ad vitandum materialem.

Paucis: haec methodus imponendi obligationes poenitentibus vel non imponendi pro Confessarii arbitratu, repugnat prorsus primis moralitatis seu iuris principiis. Nam vel adest lex seu obligatio v. gr. confitendi peccata dubia, vel non adest: hac lege seu obligatione christiani aut tenentur aut non tenentur. Si lex adest et fideles ea tenentur, nulla lex consentit Confessario, ut praetextu utilitatis in usu opinionum benignarum affirmet, poenitentem non teneri: vel lex non adest nec ea christiani tenentur et nullum ius tunc permittit Confessario, ut praetextu maioris perfectionis mendaciter dicat, poenitentem ea lege teneri.

Tota haec methodus seu fallax doctrina nullam habet originem, nisi exaggeratam quandam ideam potestatis Confessarii, vi cuius Confes-

sarius absurde evehitur ad dignitatem legislatoris et haec exaggeratio debetur primum illis pseudodoctoribus, inflatis, superbis, tetricis, qui, ut vel ipse rigidus Cabassutius non dissimulat, tribunal poenitentiae convertunt in exercitium tyrannidis, quam durissimam poenitentium cervicibus imponunt. Et eos refutat praecedens doctrina, qua libertas et fit et fieri debet sequendi opiniones quasvis probabiles; nam eorum pseudodoctorum sententia fuit, teneri poenitentes ad habendum Confessarios ceu totidem legislatores. Confessarius est merus praeco obligationis: si non adest certa, ipse non potest nisi iniquissime eam imponere; si adest, ipse non potest relaxare.

527. Quod si promovendi sunt fideles ad perfectiorem vitam, ad hoc non opus est mendaciis, queis fingantur obligationes.

Curet Confessarius, ut poenitens servet tum leges divinas tum ecclesiasticas certas et habebit optimum christianum.

Si vero ad ulteriorem perfectionem promovere filios spirituales vult, Christus Dominus docuit, quo pacto id praestandum sit. Illi sane adolescenti, qui dixerat, se omnia mandata custodivisse ab adolescentia sua, Christus dixit: *Si vis perfectus esse* etc. Christus liberae voluntati permisit, non legem imposuit vendendi omnia. Discipulus ergo non sit supra Magistrum neque assumat partes legislatoris; neque spiritu iudaico, qui minis mortis iugiter utebatur, putet sibi inesse potestatem, ut quae pertinent *ad consilium*, ipse erigere possit in legem, et hoc est quod inculcat Auctor *Instr. pro novellis Confess.* p. 1. c. 2. a n. 30.: « id per modum consilii agendum et per modum consilii insinuandas opiniones, quae magis spiritui legis Christianae et evangelicae perfectioni accedunt, non per modum praecepti ».

Eodem vitio laborant ea, quae s. Alphonsus refert ex Holzmann l. c.: « Sapienter dicit Holzmann, quod Confessarius in delectu opinionum tunc debet benigniores sententias sequi, quando illae potius ducunt poenitentem ad vitandum peccatum (quando scilicet nullum aliud perculum erit quam peccati materialis): secus vero, si illae potius inducant ad legis transgressionem (idest ad peccata formalia), prout sunt (ut bene advertit Roncaglia *de Poenit.* q. 5. c. 2. ql. 3.) opiniones illae, quae licet speculative probabiles videantur, tamen in praxi sunt periculosae ».

Sed 1° Roncaglia loquitur de opinionibus, quae licet theoretice videri possint probabiles, ipse in praxi contendit tantum periculi habere, ut probabiles dici reipsa non debeant. Et nunc quidem nihil attinet examinare, an iure id ipse affirmet (a): hoc tantum in rem praesentem

(a) De hisce opinionibus, quae theoretice, non practice sunt probabiles, multa disserit Auct. *Instruct. pro novell. Confess.* p. 1. c. 2. a n. 45.

facit, quod in hypothesi Roncagliae nullus superesse potest locus eligendi inter opiniones severiorem aut benigniorem, quia si altera non est probabilis, non licet Confessario eam praeeligere.

2° Quod si revera agatur de opinionibus, quarum utraque vere probabilis sit, tunc redibit superior ratiocinatio, cuius conclusio est, quod nulla adsit Confessario potestas imponendi hanc vel illam, quam poenitens teneatur amplecti; vel enim adest obligatio et Confessarius non potest mentiendo eam negare aut auferre: vel obligatio non adest et Confessarius non potest mentiendo eam adesse affirmare aut eam imponere.

CXXI. 3. Moraliter ei constare debet de bona dispositione poenitentis, alias absolvendo peccabit mortaliter. *Quod sane adverte contra Prop. 60. inter damnatas ab Innocentio XI.*

528. Moralis cognitio dispositionis, uti alias iam diximus, consistit in *prudenti probabilitate*, ut ipse s. Alphonsus fatetur (vid. dicta sup. a n. 185. deinceps).

CXXII. 4. Non licet absolvere, 1. qui nullam praebet materiam: qualis tamen non est, qui post absolutionem mox confitetur, cuius erat oblitus: 2. qui cum possit, non est paratus restituere et proximas peccandi occasiones fugere. V. Navar. c. 15. Suarez d. 32. s. 2.: 3. ignorantem ea, quae omnes scire tenentur, v. gr. decem praecepta et quae ad fructuosam confessionem et communionem spectant: unde talis communiter prius est instruendus, vel alio mittendus ad instructionem. Vid. supra Tr. *de Fide* c. 1. *Quod est apertissime contra Propos. 14. inter proscriptas ab Alexand. VII.*

529. Prima causa est defectus materiae, scil. peccati aut gravis aut levis, etiam alias confessi. Porro de sufficientia materiae in generica accusatione peccatorum praeteritorum, nullo speciatim expresso, iam superius (nn. 243. 261.) dictum est.

Auctor monet, non carere materia qui mox post absolutionem confitetur peccatum oblitum. Et sane peccatum oblitum in confessione est materia non modo sufficiens, sed si grave est, erit materia necessaria, ut patet.

S. Alphonsus n. 606. intra parenthesim addit; « Vide dicta n. 448., ubi oppositum tenuimus ». Quae non referenda sunt ad sufficientiam materiae quoad peccatum, sed ad renovationem doloris. Nos alibi (n. 81. seqq.) vidimus, fatente ipso s. Alphonso, communiori ex sententia non opus esse renovare dolorem et hanc doctrinam a Roncaglia dici *moraliter certam*, a Sporer *probabilissimam* et s. Alphonsum in aliam sententiam inclinasse ex falsa ratione, quod praecedens dolor non sit elicitus in ordine ad absolutionem: quod quidem et falsum est in se, quia iste elicuerat dolorem dum volebat confiteri nec oblivio efficit, ut non doluerit in ordine ad illud peccatum confitendum) et dein

innititur debili rationi, quod dolor *in ordine ad confessionem* elici debeat, ut iam vidimus sup. n. 76. seqq.

530. Quoad eum, qui non est paratus ad restituendum, res patet et id valet generatim de eo, qui non est paratus satisfacere *gravi ac certae obligationi*.

Dixi *gravi ac certae*. Nam 1° si agatur de peccato levi, ut sit capax absolutionis, necesse non est, ut cavere illud proponat. 2° Confessarius non potest negare absolutionem poenitenti, qui renuat *ipsi obedire*, nisi quando lex aut naturalis aut divina aut ecclesiastica *sub gravi* illud exigat.

Et hoc animo bene infigendum; quippe, nisi Confessarius vigilet, non difficile sua eum impatientia abripiet, ut gravem hanc iniuriam poenitenti faciat et velit hoc medio cogere ad id, ad quod sub gravi non tenetur.

Quoad 3° ignorantes scitu necessaria, distinguendum inter necessaria *necessitate medii* ac necessaria necessitate praecepti.

Si priora ignoret, incapax est prorsus absolutionis. Sed remedium non est difficile; nam brevi instrui potest. Quam in rem s. Alphonsus (in *Praxi Confess.* n. 22.) ea refert ex s. Leonardo a Portu Mauritio, quae dedimus in vol. II. n. 21.

Quoad scienda autem necessitate praecepti, poterit absolvere Confessarius, si doleant de praeterita negligentia et propositum habeant ea addiscendi, prouti poterunt. Cf. ibid. tradita ex Benedicto XIV.

Addit A. *de ignorantia* eorum, quae spectant ad *fructuosam* confessionem et communionem: nempe distingue quoad haec quoque, necessaria necessitate medii ac necessaria necessitate praecepti et regula utere mox tradita quoad reliqua.

CXXIII. 5. Rudiores ordinarie iuvandi sunt, nisi sint incapaces instructionis, vel ob poenitentium multitudinem fieri non possit nec videatur expedire, ut dimittantur vel sint peregrini, qui mox communicare et abire debeant; tunc enim, si alioqui bona fide agant et temporis angustiae vel poenitentium multitudo longum examen vel instructionem non permittant, sufficere aliquando integritatem formalem, docet Laym. c. 13. n. 10. qua scilicet, auditis aliquibus peccatis, absolvantur, cum onere redeundi ad confessionem pleniorem.

531. Iuvandi dicuntur rudiores scil. per instructiones, ut necessaria sciant et utiliter confiteantur.

Subiicit A., quando parcere huic labori Confessarius possit, nempe 1° si sint incapaces, ut patet: 2° si vel multitudo poenitentium, vel temporis angustiae non permittant.

3° Quod si non expediat eos dimittere, instructio vel longius examen ad aliam confessionem remitti potest et interim poterunt ab-

solvi. Et quoad instructionem nulla est difficultas. Potius quoad examen difficilis videtur doctrina, quippe si defectus est in examine, iam confessio evadet minus integra, seu dimidiata. Idcirco non probatur haec doctrina s. Alphonso n. 607.; quia, inquit, haec opinio videtur expresse damnata ab Innocentio XI. prop. 59.: « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut Indulgentiae ».

Sed reipsa longe Auctoris doctrina distat a propositione damnata, licet displiceant illa verba: *quod auditis aliquibus peccatis absolvatur*, quae, si negligatur contextus et natura quaestionis, reipsa offendere possunt.

532. Auctor proponit doctrinam, de qua alias egimus (ad Resol. ultim. dub. III. cap. 1. ubi de confessione: vid. sup. n. 217.), et cuiusmodi ea sit, clarius elucet ex Laymann, ex quo eam referre Auctor dicit expresse.

Haec itaque Laymann *de Poenit.* cap. 13. n. 10.: Dico 2.: « Si poenitens a Confessario absolutionem petat, nullo secundum speciem aut numerum explicato peccato, interdum potest illum dimittere, admonitum, ut prius conscientiam examinet ac paratus et dispositus postea revertatur. Interdum vero non debet dimittere, sed interrogationibus iuvare et dispositum reddere ». Huc usque nemo dissentiet. Pergit: « Ita docet Suarez disp. 32. sect. 3., Hieronym. Llamas part. 2. *Meth. Conf.* cap. 1. §. 2. ubi ait, in montanis Hispaniae, Cantabriae etc. multos esse (quales et nos in Germania inter rusticanos experimur), qui si sibi relinquantur, ut conscientiam discutiant et peccata sua ipsimet narrent, sine interrogatione, nunquam audies ab eis vel unum veniale, sed solum: *Pater male feci.* Quapropter tales ex lege caritatis interrogationibus disponendi erunt, quatenus tamen tempus permittit, nisi Confessarium aliorum confitentium multitudo urgeat et homo rudis de pluribus forte annis examinandus esset, in quo casu interdum dimitti debet, alio tempore rediturus. Si autem redire non potest, quia est peregrinus, aut mox communicaturus, interdum intellectis aliquibus eius peccatis, absolvendus erit: cum onere ipsi imposito, ut cum primum poterit, ad sacram confessionem redeat, plenius examinandus. Loquor de eo, qui bona fide agit. Si vero aliquis per malitiam, aut negligentiam crassam accedat omnino imparatus, talis dimitti debet; modo spes sit postea magis dispositum rediturum esse: sunt enim multi, qui vix semel in anno adduci possunt ad confessionem, ut, etsi reditum promittant, tamen parituri non videantur. Hos praestabit, adhibita monitione et formatis interrogationibus statim

disponere: modo Confessario vacet et poenitentium multitudine non obruatur: alioquin homo adeo indispositus dimitti debet, uti recte Barthol. Medina l. 2. *Instructionum* cap. 6. ». Ex quibus patet sermonem esse de rudiori, qui per se nihil valet dicere et hypothesis fit de eo, qui de *multis annis* interrogandus foret, qui in bona fide supponitur, ut reus non sit negligentiae in examine et quoad peccata, quae non dicit, tanquam eorum oblitus seu ignarus censeatur. Cf. l. sup. cit.

533. Et hanc esse Laymann doctrinam ex eo patet, quod mox de eo, qui peccata sua IPSEMET confiteatur, sed non integre, quia vel numerum mortalium non exprimit vel unam aut plures species peccatorum omittere videtur, statuit, quod plerumque non est dimittendus, ut conscientiam suam discutiat: « sed confessarius *sub peccato mortali* (quae doctrina forte severior videbitur) obligatus est, eum examinare. Ratio est (inquit), quia poenitens omnia peccata mortalia secundum speciem et numerum, quatenus id fieri potest, explicare tenetur; consequenter Confessarius illum absolvere non debet, si id non praestitit. Sed neque eum non absolutum sine gravi causa dimittere potest; quia causa sacramentalis iudicii coepta est: quare et ipsi poenitenti onerosum et sacramento indecens est, si non perficiatur, cum commode fieri possit ».

Et quidem id postulat Laymann etiam quoad rudes. Neque refert (inquit), tametsi Confessarius intelligat, poenitentem propter invincibilem ruditatem vel oblivionem, peccata sua integre non explicare; nihilominus enim adiuvare tenetur... Quia ad rationem iudicii spectat, per se loquendo ut causa integra cognoscatur, antequam iudex sententiam ferat... Ergo si poenitens propter imperitiam etc. non integram causam proponat, ad officium Confessarii... *per se et ordinarie* pertinet defectum eius supplere ».

Tum reddit rationem limitationis: « Id vero intelligi debet *per se et ordinarie*. Interim nullus theologorum negat, quin per accidens contingere possit, ut Confessarius debeat absolvere poenitentem etiam non secundum omnes species aut numerum explicantem peccata: videlicet si poenitens capax non esse videatur instructionis a Confessario faciendae; nam is examinationem non debet instituere maiorem, quam quae fructuosa fore creditur et nihilominus poenitentem debet absolvere, si aliquod peccatum in specie sit confessus quippe qui dispositus sit ex hypothesi quod ignorantia eius invincibilis sit ».

Deinde sic ad potiorem difficultatem transit; « Alia causa impotentiae esse potest ex parte Confessarii, si propter multitudinem poenitentium aut aliam similem causam, non possit diu morari in examinando

poenitente: tunc citius se expedire poterit; modo confitens bene dispositus sit ad absolutionem accipiendam, quia suum officium in examinanda conscientia et dicendis speciebus peccatorum, quae ipsi occurrunt praestitisse videtur. Nam, ut saepius dictum est, integritas materialis ac perfecta peccatorum enarrandorum non est de essentia sacramenti: sed est tantum praecepti positivi, quod cum magna difficultate non obligat ». Ita Laymann.

534. Verum haec doctrina longe distat a propositione damnata; quia haec agit de eo, qui noscit peccata, quae scit se debere confiteri: in casu nostro autem agitur de eo, qui ignorans obligationem ea non est confessus, neque aptus per se est ad ea confitenda. Vid. sup. dicta l. c.

Et sane posse absolvi poenitentem, cui adhuc supersit obligatio melius excutiendi conscientiam suam, ibi meminimus tradi aperte in Catechismo romano, eamque doctrinam ab ipso s. Alphonso proponi. Et quidem ibi sermo est non de rudi, qui ex inculpabili ignorantia, sed de eo, qui imparatus ob negligentiam accedit et dispositus creditur si induci queat ad dolendum de negligentia et ad pollicendum, se defectum hunc meditatione dein compensaturum.

Ergo non est generatim absurda doctrina, quod ille absolvi possit, qui heic et nunc non servat integritatem materialem, sed solum formalem et cui imponatur onus deinde supplendi defectum, scil. confitendi peccata, quae heic et nunc sive ex ruditate sive etiam ex negligentia aperire non potuit.

Quaestio ergo eo adducetur, an quando poenitens in bona fide confessus est, prouti melius potuit et Confessarius videt, deficere in integritate materiali, sed non vult neque potest immorari in eo instruendo, quia requireretur multum temporis, cum a multis annis confessus sit imperfecte et tamen urget multitudo poenitentium: poenitens dimittendus sit, an possit absolvi cum monitione etc.

Ubi adverte non agi de validitate absolutionis; nam cum rudis sit dispositus et Confessarius habeat potestatem, valide absolveretur. Quaeritur solum, an licite sic agat Confessarius? Et propositae sic quaestioni respondimus iam n. 278.

535. Praestat heic referre resolutionem Leandri a ss. Sacramento tom. 1. tract. 5. disp. 5. n. 58.: An dimidiatio Confessionis liceat solum eo tempore, quo urget praeceptum confitendi. Et sic resolvit. « Probabilius respondeo, non solum licere poenitenti dimidiare confessionem in articulo mortis et quando obligat praeceptum Ecclesiasticum confitendi (in quo Auctores conveniunt) verum etiam in casu, quo longo tempore differenda esset confessio etiam cum praeceptum non

obligat; quia diu privari fructu huius sacramenti est notabile nocumentum. Ergo ad illud vitandum licebit non integre confiteri, quando aliter non potest ex defectu Confessarii. Sic Suarez, quem citat et sequitur Granado *Contr.* 7. t. 9. disp. 5. n. 22. pag. 1251., Sotus, quem affert et sequitur Lopez *Summ.* part. 1. cap. 32. q. 6., addens, id a fortiori dicendum, quando ex exspectatione Confessoris... aliqua incommoditas sequatur; ut si mulier antea erat assueta confiteri et communicare festis trium paschatum et Dominae nostrae et si viderint eam iam non communicare et confiteri, eam suspectam habebunt infamiaeque notam sibi comparabit apud virum, consanguineos vel populum; tunc poterit sic dimidiate confiteri cum proposito se emendandi et alias confiteri alia, habita opportunitate, ubi cesset periculum. Sic Lopez et sic Caietanus apud ipsum et sic tandem Suarez *de Poenit.* disp. 23. sect. 2. n. 7. et Lugo disp. 16. n. 416., Trullench lib. 4. cap. 6. dub. 7. n. 8. Sà V. *Absolutio* Bonac. Henriq. et alii apud ipsos ».

Porro si licet id poenitenti et quidem scienti, se habere peccata quae fateri debet: a fortiori id licebit Confessario, qui ideo solum tenetur, ut suppleat defectui poenitentis ac propterea minus tenetur ad id, quam teneatur poenitens.

Multo vero magis, quod non desint DD., qui censuere Confessarium non teneri ad efficiendum, ut confessio materialiter sit integra cum rudibus, qui bona fide quaedam omittunt, etiam cum absint causae, quae afferuntur in casu nostro. Vid. Diana tom. 1. tract. 5. resol. 121. in fin., et Lugo disp. 22. n. 16.

CXXIV. 6. Si Confessarius notet, poenitentem ignorare aliqua necessaria ad hoc sacramentum, tenetur eum instruere et admonere officii, quantum fieri potest: v. gr. si nesciat illa, quae necessitate medii sunt ad salutem necessaria, debet ea docere; item obligatus ad ponendum odium, ad restitutionem honoris, famae aut bonorum aut ad occasionem peccatorum tollendam aut amovenda vel reparanda scandala aliave damna illata aut ad corripiendos delinquentes, iuvandos indigentes, ad denuntianda delicta vel delinquentes in praeiudicium communitatis vel innocentium et denique, si quam censuram incurrerint etc., tenetur ea de re monere et hortari ad satisfactionem quam si recusent, negare absolutionem; quia alioqui se ipsorum criminum participem et sacrilegii reum faciet. Aver. quaest. 16. n. 12.

536. Mera indiget explicatione, neque aliquid continet, quod specialem difficultatem habeat. Quae dicit Auctor de ignorantia eorum, quae pertinent ad hoc sacramentum, intellige de *dolore, proposito, confessione*, etc.

Munus doctoris in Confessario per se pertinet tantum ad rectam administrationem sacram. Poenitentiae. Non ergo *per se* tenetur poenitentem instruere de omnibus quae is scire debet. *Per accidens* tamen adesse

posset obligatio ex caritate, quando difficillime aut per se ipsum aut per alios hanc scientiam poenitens comparare sibi poterit.

Haec tamen obligatio, non est specialis Confessariorum, sed communis omnium, qui noscant proximi necessitatem et sine gravi incommodo possint ei prospicere: specialis autem obligatio inest parochis, qui id ex officio debent.

Obligatio Confessarii tunc maxime aderit, quando poenitens ignorat ea, quae scitu necessaria sunt necessitate medii. Quae obligatio quomodo sit accipienda, bene sic exponitur a Sporer *de Poenit.* n. 796. pag. 272.: « Confessarius *(hac ignorantia laborantem)* advertens (idque in pueris et rusticis frequens est), tenetur instruere eo modo, quo heic et nunc est capax, *non quidem doctrinaliter, ut ea capere, intelligere, memoriter retinere ac recitare possit*, sed sufficit pro tempore, ut ei obligationem discendi insinuet eiusque ignorantiam suppleat proponendo ei articulos credendos, ut ad singulos actum fidei exerceat. Ex. gr. Credis, quod Deus unus sit essentia et tres personae etc. sicut et ego et Ecclesia credit? Credo... Credis quidquid credit s. Romana Ecclesia et vis mori in ipsa? Credo... Ulterius: doles, te ita ignarum esse et negligentem fuisse etc...? Doleo. Proponis firmiter, nactus occasionem opportunam, quod curabis te instrui et velis diligenter discere, quae sunt ad salutem necessaria? Utique. Si hos actus exerceat, sufficit ad instructionem a Confessario heic et nunc praestandam et ad dispositionem sufficientem ad sacramentum etc. ».

CXXV. 7. Tenetur monere eum, qui ex ignorantia vincibili et moraliter culpabili est in malo statu; quia alias nec ipsi nec Sacramento consulet, cum poenitens sit indispositus. Si vero ignorantia sit invincibilis, v. g. si bona fide teneat rem alienam aut sit in matrimonio irrito, tenetur quidem monere et instruere, quando speratur fructus nec timentur incommoda graviora: quae si prudenter, metuantur, aut fructus non speretur, non tenetur, imo non potest (excipit Card. de Lugo *de Poen.*d. 32. n. 24 nisi silentium officiat bono communi); quia debet bonum poenitentis procurare ac consequenter licite etiam suadet, ut secundum suam ignorantiam operetur, v. g. Caiae ut reddat debitum Titio, quem invincibiliter credit suum esse maritum, cum non sit. Vide Sanchez l. 2. *de Matr.* d. 38. Nec obstare, etiam si sit in praeiudicium tertii particularis, ait Lugo et Tamb. *de Exp. conf.* l. cit. c. 4. Hinc si Confessor praevideat poenitentem non restituturum, si ipsi detegatur nullitas tituli, quem pro se esse putat, non esse illi talem nullitatem a Confessario non interrogato detegendam. Quod si tamen poenitens ipse dubitet ac roget, tenetur dicere veritatem; quia tacere esset errorem approbare, prudenter tamen non plus dicendo, quam rogatur: v. g. si roget Titius, an post votum simplex castitatis matrimonium contractum valeat possitque ac teneatur reddere debitum, respondeas, quod sic, tacendo obligationem non petendi debiti. Vid. Laym. hic. et Lugo l. c.

537. Doctrina de obligatione monendi poenitentem, quando ignorantia sit vincibilis et *letaliter culpabilis*, certa est apud omnes et res per se patet ex ratione, quam Auctor quoque tangit, quod nempe poenitens sit in statu peccati et ideo indispositus.

Verum rite intelligenda est indoles ignorantiae, de qua sermo est.

Nam 1° notatur, quod debet esse *graviter* culpabilis. Et ratio patet; quia si venialiter tantum sit culpabilis, deficiet allata ratio, quod poenitens sit in malo statu ac indispositus.

2° Non debet heic intelligi quaevis ignorantia, quae ortum habuerit a gravi culpa. Nam fieri potest, ut aliquis graviter peccaverit in negligenda instructione sibi necessaria, seu in assumendo officio, cui impar esset ob defectum appositae scientiae et deinceps licet illius peccati egerit poenitentiam, non potuerit tamen ignorantiam illam excutere ex omni parte. Huius ignorantia in casu nostro diceretur merito invincibilis nec hominem in malo illo statu constitueret.

3° Doctores itaque, qui addunt aliquam huius ignorantiae notionem (quod male alii omittunt), ita illam explicant, ut poenitens *actu* censeatur esse in mala fide, sive quod dubitet de re quapiam speciali et angatur scrupulis, v. gr. an contractus, testamentum etc. sint licita sive quod generatim adeo incuriose et incogitanter se habeat circa graves obligationes, ut huius incuriae gravem reatum saltem in confuso ipse non possit non advertere, v. gr. paterfamilias circa obligationes erga filios, Episcopus relate ad eligendos parochos aut approbandos Confessarios etc.

538. Quocirca dum DD. indicant, quomodo explorandum, an ignorantia sit culpabilis, *statum dubitationis* pro indicio habent seu assignant: ita tamen explorandum volunt, ut non sit periculum tollendi bonam fidem, quae forte adsit! Ita Lugo *de Poenit.* disp. 22. n. 23.: « Debet autem prudenter examinare statum et qualitatem ignorantiae, an sit culpabilis: ita tamen ut ipso examine ac interrogatione non det occasionem dubitandi poenitenti et inferat ei malam fidem, quam non habeat: quare solum dicat in communi et quasi aliud agens debet interrogare, *an habeat conscientiae remorsum* circa aliquam materiam gravem ».

Ita Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 4. n. 1.: « Primum omnium debet considerare Confessor, an talis ignorantia sit inculpabilis: quod colliget ex conditione poenitentis et scientia eius et *dubitationibus* quas patitur, et *interrogationibus* quas facit »: unde apparet, omnia referri ad statum et dispositionem praesentem, non ad culpas negligentiae praeteritas.

Et Sanchez *de Matrim.* lib. 2. disp. 38. n. 3.: « Erit autem optimus investigandi modus, an talis ignorantia sit culpabilis, curare bono modo intelligere, an poenitens credat, se esse in bono statu vel dubiam conscientiam habeat: quod prudenter faciendum est, ne ex interrogatis aut interrogandi modo *constituatur poenitens in dubia fide,*

qui prius illaesam concientiam habebat. Potest etiam contingere, ut aliquando in mala fide fuerit, nunc autem in bona sit; quia forte consuluit aliquos, qui conscientiam sedarunt, cum docti existimarentur et tunc reputandus est poenitens tanquam ignorantia invincibili laborans ». Ita et alii.

Unde non probanda ratio, quam docet Roncaglia *de Poenit.* cap. 3. in fin. Cum dixisset enim, « non tam facile credere debere Confessarium, ignorantiam poenitentis esse invicibilem » ; subdit; « Ut de hoc certioretur, interroget, saltem, ut ita dicam, a longe, quare faciat illud, in quo videt ignoranter peccare, an aliquid faciat saltem cum dubio de illius honestate etc.; eo enim ipso, quod cum dubio aliquid alias illicitum operatur, non amplius invincibiliter ignorat ». Illae duae interrogationes sunt imprudentes, quia facile iniicere possunt dubium et malam fidem. Caeterum patet istam ignorantiam vincibilem reduci semper ad malam vel dubiam fidem praesentem.

Et dolendum, quod Auctor *Instruzione per li Confess. Nov.* part. 1. cap. 8. n. 180.-182., sophisticis Gonzalez rationibus motus nunquam intermitti posse putet monitionem, nisi gravia damna plane independentia a voluntate poenitentis sequantur.

539. Quando autem ignorantia sit invincibilis « sive sit facti sive iuris humani sive divini vel naturalis » (ait Lugo disp. 22. n. 24.) et potius quam speretur fructus ex admonitione, timeri possint mala et gravia incommoda, tunc non modo potest, sed debet Confessarius dissimulare.

Fructus, qui sperari posset, est promptus animus in poenitente ad exsequendum id, quod debet. Damna, quae timeri possunt, sunt vel ruina spiritualis poenitentis, qui non servabit legem vel, licet absit huius rei timor, scandalum aliorum aut infamia quae sequeretur, puta filiorum damnum et scandalum quod proflueret ex separatione matrimonii, quod Confessarius invalidum credat. Vid. Lugo disp. 22. n. 27. s. Alphons. nn. 611.-14.

Rationes huius doctrinae praestant apud s. Alph. n. 610. qui, quibusdam auctoritatibus citatis, subdit: « Maxime autem sententia probatur ex illa validissima ratione; scilicet quod de duobus malis minus est permittendum, ut maius evitetur ». Dein respondet obiectionibus Concinae, Gonzalez et Elizalde. Idque cum Sanchez *de Matr.* disp. 38. n. 10. affirmat Lugo disp. 22. n. 27. valere, « etiamsi Confessarius speret, poenitentem libenter monitionem suscepturum, sed tamen videt remedium esse difficillimum, ut si scandalum et infamia notabilis sequatur.

Quod etiam videtur, ait, sentire Suarez disp. 32. sect. 4. n. 3., exem-

plum afferens de detrimento, quod filiis advenire potest ex separatione ex. gr. matrimonii. Ratio autem esse potest, quia officium docendi, quod Confessario competit, sicut non obligat cum gravissimo detrimento proprio, sic nec cum tali detrimento alieno, quando res ipsa, propter ignorantiam invincibilem, fit sine peccato ».

Inter obiectiones notanda est praecipua, quia oggerunt, poenitentem qui non creditur facturus, quod debet, si moneatur, *non esse dispositum;* quia non est paratus ad obediendum legi Dei et dimittendum peccatum. Respondet Roncaglia l. c.: « Id non semper verum est. Nihil enim impedit, quin aliquis hîc et nunc possit habere generalem sinceram voluntatem abstinendi ab omni peccato, a qua tamen appareat recessurum, si proponatur illi fugere ab aliquo particulari peccato. Porro illa prima sincera voluntas reddit illum sufficienter dispositum ad absolvendum, ut alias dixi ». Quae itidem habet et bene explicat s. Alphonsus l. c.

Et sane sincera potest esse voluntas poenitentis, quae tamen stulte tentaretur dicendo: diligeresne illum proximum, si te conspueret in faciem, si incenderet domum vel segetes tuas, necaret filiolos tuos et daret carnes canibus etc. et ita porro de aliis tentationibus. Vid. locum Suarez sup. n. 158. Cf. quae ex s. Alph. dedimus V. 2. *de Iuram.* n. 48.

540. Quidam iniecerunt scrupulum, quod *illicite* suadetur illud, quod materialiter est malum, v. gr. Caiae ut reddat debitum etc.; quia (inquiunt) hoc est suadere fornicationem: ergo (subdunt) tantum poterit dicere in genere, quod coniuges tenentur reddere debitum.

Sed oppositum inquit s. Alph. n. 64. probabilius est et communius. Bene Sanchez *de Matrim.* lib. 2. disp. 38. n. 8.: « Fateor, me non assequi, quid distet inter haec: *Redde debitum* et *Uxor tenetur reddere debitum,* cum uterque loquendi modus ad eundem scopum tendat, nimirum ad inducendum illum coniugem, ut reddat debitum et si inducere verbis directis culpa esset, non ea vacaret inducere verbis indirectis; siquidem ex parte Confessarii eadem est intentio in utroque loquendi modo et poenitens idem prorsus intelligit. Praeterea quia cum poenitens relinquendus sit in illa ignorantia, peccat letaliter ea supposita, non reddendo; ergo Confessarius tenetur non absolvere, nisi proponat se deinceps redditurum. Ergo potest cogere ut reddat et ita Confessarius non praecipit rem malam, sed rem debitam, propositis circumstantiis occurrentibus ».

Quod autem attinet ad matrimonium nulliter contractum, scite monet Lugo disp. 22. n. 14., posse monitionem omitti, licet poenitens confiteatur peccatum commissum in ipso matrimonio contrahendo cum

tali impedimento, dummodo ille non putet esse invalidum v. gr. si confiteatur quod clam contraxit, seu quod prius peccaverat cum uxoris consanguinea, seu quod promiserat matrimonium sorori aut matri aut filiae eiusdem uxoris. Ita Sanchez, *de Matrim.* lib. 2. disp. 38. n. 3.

541. Ad id, quod additur de casu, quo ignorantia cedit in detrimentum tertii puta creditoris, cui restitutio esset facienda, addenda est optima ratio, quam post Sanchez tangit Lugo disp. 22. n. 26.; quia nempe monitio ne creditori quidem quidquam prodest et solum poenitenti nocet. Ita et. s. Alphonsus n. 614.

Id tamen non valet, quando agatur de bono communi, uti Auctor iam paulo ante praemiserat, quam doctrinam s. Alph. n. 615. *communem* vocat; quia bonum publicum praeponderat bono privato poenitentis.

Exempla sunt, inquit Lugo disp. 22. n. 30., quando parochus invincibiliter haberet opiniones erroneas circa mores, quas subditis ingereret. Item si quis bona fide putaret, se esse sacerdotem cum non esset; cuius ignorantia redundaret in damnum commune eorum, qui ab eo sacramenta suscipiunt. Item si publica fama esset nullitatis matrimonii, coniux autem eam ignoraret. Item si poenitens ex silentio Confessarii suadere sibi posset doctrinam falsam contra fidem aut mores, v. gr. quod licite retineat plura beneficia curata, quod licite possit sine iusta causa non residere, vel fornicationem licere etc. Quae omnia si deducerentur ex tacita approbatione Confessarii (et reipsa populus saepe utitur hoc argumento: *rem Confessario aperui et nihil mali in hoc ipse reperit),* silentium redundare in damnum commune ac omnibus nocere posset falsa illa opinio, si spargeretur.

542. Ad rationem boni communis pertinet etiam casus denunciationis faciendae; qui casus non raro angit animum Confessarii.

Et quidem si agatur solum de obligatione ex lege positiva humana et ordinata ad bonum privatum personae peccantis, ut v. gr. denuntiatio exercentis aliquam superstitionem, minus adest difficultatis; quia casus pertinet potius ad quaestionem generalem de fraterna correptione. Sed quaestio difficilis evadit, quando denuntiatio ordinatur ad cavendum damnum commune, uti v. gr. si qui sint, qui occulte insidientur fidei, vel errores spargant contra bonos mores, vel contra societatem adsit periculum.

Duplicem autem in hoc casu quaestionem instituere debet Confessarius secum ipse: 1° an urgeat obligatio, 2° an si haec urgeat et eam poenitens ignoret, monere ipse debeat.

Et quoad primum fieri potest, ut obligatio non urgeat, quia cessat finis denuntiationis, sive quod ea nota sunt Superiori sive quod Su-

perior non vult aut non potest remedium adhibere. Valet heic ratio: *ad actum inutilem nemo tenetur*. Item quia grave incurrere potest periculum ille qui denunciat; quod tunc maxime locum habet, quando dubitatur, an secretum sit certum. In quo tamen ordo servandus est; nam si reipsa grave malum societati immineret, obligatio urget etiam cum periculo vitae: quamquam Confessarius indagare prius deberet, an ad vitandum illud periculum necessaria sit denunciantis notitia; neque enim ad vitandum incendium opus est, ut sciam nomen illius, qui periculum incendii asserit, ut caveam.

Quoad secundum vero ex lege positiva, ut quidam volunt (sed cf. dicenda inferius *de sollicitatione*), Confessarius nunquam potest absolvere poenitentem *sollicitatum* in Confessione, nisi moneat de obligatione denuntiationis; sed hic est casus singularis, de quo cf. dicenda l. c.

Quoad reliquos manet locus deliberando. Et siquidem agatur de imminenti gravi societatis damno, Confessarius dissimulare non potest, licet prospicere simul debeat, ne poenitens, utcumque fieri potest, subeat grave periculum.

Si vero non agatur de huiusmodi imminenti damno, tunc pensanda erunt hinc gravitas damni, cui occurri debeat per denuntiationem, inde vero difficultas faciendi denuntiationem, quod pendet ex adiunctis personarum, locorum, negotii etc. Tum ex prudenti horum consideratione decernet, an gravitas damni impellere debeat, ut poenitentem moneat cum modica spe fructus atque adeo cum gravi periculo iniiciendi inutiliter in malam fidem poenitentem, an vero nulla spes fructus efficere potius debeat, ut non coniiciat poenitentem in malam fidem, nullo sperato adversus damnum commune remedio.

543. Pergit Auctor proponens casum de poenitente, qui dubitet atque ideo interroget.

In primis certum est, Confessarium teneri semper ad veritatem proponendam, quando ignorantia est contra ipsum poenitentem (ut ait Lugo disp. 22. n. 23.); quia ex conscientia erronea putat esse peccatum, id quod revera peccatum non est, aut etiam gravem culpam existimat eam, quae levis tantum est.

Neque ad id docendum exspectare debet interrogationes poenitentis; sed quando ipsemet Confessarius per se advertat aut suspicetur eiusmodi errores, statim occurrere debet. Ita v. gr. si accuset, quod omiserit preces confraternitatis, quod non servaverit abstinentiam ab ovis in sabato, quod aegrotans non audierit Missam aut carnes comederit etc. Item cum se accusant de imprecationibus contra ventos, pluviam, saxa, muscas, boves etc. aut quod dixerint quaedam verba ex trivio etc., aut quod manifestaverint aliorum culpas iis, qui ius habent sciendi etc.

Et hoc etiam et maxime quoad usum iurium matrimonialium et de actibus imperfectis aspectus, tactus, sermonis huc spectantibus, vel de satisfactione libidinis etc.

Et heic notanda venit stultitia Confessarii, qui putet utiles erroneas huiusmodi opiniones ad assequendum aliquod bonum, v. gr. assiduitatem in precibus quibusdam recitandis, quia scil. videt, poenitentem moveri ad eas timore peccandi.

544. Ceterum quod interrogatus a dubitante Confessarius debeat respondere secundum veritatem, est doctrina communis et certa. Ratio quia taciturnitas Confessarii (ut ait Lugo disp. 22. n. 29.) esset erroris approbatio; quod nunquam licet. Vid. et s. Alph. n. 616.

Sanchez *de Matrim.* lib. 2. disp. 38. n. 14. censet, quando merus est scrupulus (scrupulus dicitur iudicium aut dubium ex apparenti ratione), quo poenitens movetur ad interrogandum, posse Confessarium tacere vel respondere, ut deponat scrupulum; quia scrupulus non aufert bonam fidem, quam aufert solum conscientia ex sufficienti fundamento dubitans. Et allegat Cordubam et Henriquez.

S. Alphonsus contra hanc sententiam citat Lugo, qui reipsa l. c. ait de Sanchezii dicto: « Hoc tamen non videtur satis consequenter dici; quia etiamsi poenitentes ex scrupulo interroget, non potest Confessarius affirmare licitum quod est illicitum; ergo nec poterit tacere: quia silentium Confessarii, proposita interrogatione, poenitens interpretatur pro affirmatione et per consequens auctoritate Confessarii faceret, quod prius ex ignorantia faciebat ».

Addit tamen Lugo: « Posset quidem Confessarius in illo casu fingere, se non audivisse vel non attendisse vel oblitum fuisse respondere (a) ut sic remaneat poenitens in illa bona fide, quam prius habebat, non tamen auctoritate ipsius Confessarii confirmata ». Sed si ratio interrogandi revera esset futilis, nescio, cur Confessarius non posset respondere, *eam esse rationem inanem et futilem.*

Denique quod Auctor in fine dicit, prudenter Confessarium id tantum respondere debere, de quo interrogatur, ceteris omissis, est doctrina quam probat et s. Alphonsus n. 616. et auctoritate Suarez ac aliorum confirmat.

545. Quaerunt, quid agat Confessarius, qui dubius est, an monitio profutura, sit necne.

Quidam (scil. Lugo disp. 22. n. 31.) dicunt, quod « si confessarius

---

(a) At sic non vitatur incommodum, quod notat in Sanchez dicente, *posse silere:* neque enim poenitens intervidet, qua de causa Confessarius nihil responderit, num ex oblivione, an data opera.

dubitat de profectu, sed non timet damnum, certo tenetur admonere tum ex caritate, tum ex officio Magistri et Pastoris, ut in simili docet Iacob, Granadus in 2. 2. *Contr.* 3. tr. 12. disp. 1. n. 6. de eo, qui dubitat, an correctio fraterna sit profutura ».

Verum non video, locum esse huic hypothesi, quando dubius sit Confessarius de animo poenitentis quoad explendam obligationem, de qua moneatur. Ratio est, quia tunc, si non sequitur profectus, sequitur certe ruina spiritualis ob malam fidem, quae iniicitur.

Nec valet in casu paritas ab obligatione correctionis fraternae. Nam qui corrigendus esset ex hypothesi Granadi, est in mala fide et in statu peccati et utique tunc eatenus poterit non timeri damnum, quia correctio non afferet periculum peioris damni.

Ad summum igitur hypothesis locum habere poterit, quando animus poenitentis supponitur paratus et dubium versatur circa *possibilitatem* alicuius damni seu mali amovendi, v. gr. restitutionis faciendae aut solvendi matrimonii aut quando agitur tantum de suadendo bono perfectiori, ad quod poenitens non tenetur.

Quando vero dubium est, an profutura vel obfutura sit monitio; tunc videtur bona illa regula, quam circa eandem correctionem fraternam adhibet Filliuccius tom. 2. tract. 28. cap. 6. n. 135. ut scil. comparetur utilitas et damnum, et gradus timoris et spei ac omnibus pensatis, illud eligatur, quod praeponderare iudicatur. Ita Lugo disp. 22. n. 31. et s. Alph. n. 916. in fin.; ubi tamen monet Lugo, non esse methaphysice considerandum, ita ut si parvus sit excessus ex altera parte, sit culpa gravis oppositum facere.

« Ceterum (inquit s. Alph. l. c.) in dubio regulariter mihi videtur dicendum, quod mala formalia potius evitanda sunt, quam materialia ». Et ideo nisi gravis probabilitas sit profectus, praestat eam omittere.

546. Quaerit Lugo disp. 22. n. 28. post aliquos alios, quid faciendum quando Confessarius verosimiliter credit, ipso tacente, alium non ita cautum Confessarium rem manifestaturum, qui *imprudentius* medebitur illi malo.

Alii cum Cano putaverunt, melius facturum Confessarium, *suaviter* nunc admonendo, nisi remedium sit intollerabile.

Sanchez contra *de Matrim.* lib. 2. disp. 38. n. 13. id non probat; 1° quia casus (inquit) moraliter non continget (scil. quod alter imprudentius moneat) et 2° licet moraliter contingat, semper Confessarius tacendo faceret, quod in se est: culpae autem alterius imprudentis imputabitur admonitio postea *male* facta.

Lugo inclinat in sententiam Cani; quia (inquit) inter circumstantias

a Confessario pensandas debet etiam attendi ad periculum illud maioris mali ex sequenti admonitione imprudenti secuturi.

Lugo disp. 22. n. 24. inter casus, in quibus potest Confessarius dissimulare, ponit etiam. « Si ignorantia sit circa matrimonium nondum contractum sed iam contrahendum, quando ex manifestatione veritatis timet, quod poenitens prosequetur ad faciendum cum mala fide id, quod absque peccato nunc facit ».

S. Alph. n. 611. id probat, nisi sit aliqua spes profectus, ob gravia inconvenientia, quae frequenter dein, cessante forte ignorantia, sequuntur. Sed non puto aliam esse doctrinam Lugo. Monet tamen, petendam dein dispensationem et ea obtenta monendum poenitentem etc.

Memorat dein s. Alphonsus n. 613., quid agendum Confessario, qui impedimentum detegat, quando sponsi mox contracturi iam venerunt ad ecclesiam.

Quam in rem memorat et fuse firmat illa, quae nos alias innuemus *de Matrim.* suo loco scil. in eo casu posse Episcopos dispensare et si non possit adiri Episcopus, posse parochum declarare, heic et nunc legem impedimenti, utpote cuius finis cessat contrarie, non obligare: petita tamen postea a s. Poenitentiaria dispensatione ad cautelam.

CXXVI. 8. Quando Confessarii Principum, Praelatorum aliorumque Magnatum sciunt ipsos non satisfacere officio verbi gratia circa collationem Beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa eleemosynas ex bonis Ecclesiasticis faciendas etc., regulariter tenetur Confessarius monere poenitentem de sua obligatione: alias si absolvit, suis humeris peccata illa imponit et caecus caecum ducens, ambo in foveam inferni cadunt. Ratio est, quia in talibus raro est ignorantia invincibilis: raro item contingit, ut illa secum non afferant scandalum in subditis, existimantibus illa licere: vel certe non afferant damnum commune. Si tamen videat ignorantiam esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum aut damnum commune, contra vero admonitionem fore in maius malum poenitentis aut allaturam scandala vel incommoda, potest secundum paulo ante dicta dissimulare, nisi interrogetur. Ita Lugo d. 22. n. 37.

547. Totidem fere verbis haec transscripta sunt ex Lugo disp. 22. n. 37.: qui addit sequens monitum: « Si formidat ergo (confessarius) potentis faciem, non assumat sibi pastoris officium, sed modeste se excuset, tanquam minus aptus ad illud onus portandum. Haec autem dicta sunt de Confessario, qui scit, poenitentem non satisfacere revera suo debito. Si autem hoc non scit, sed habet rationem dubitandi, interroget poenitentem, qualiter se gerat in his. Si vero dubium Confessarii sit circa ipsum ius et obligationes poenitentis, consulat Auctores atque etiam homines doctos et pios, salvo tamen sigillo confessionis et tunc si errorem poenitentis inveniat, modeste moneat, rationem in promptu habens suae monitionis ».

CXXVII. 9. Si etiam poenitens teneretur, licet sub peccato mortali, ad aliquid adeo difficile, ut non crederetur tunc aequo animo accepturus et alia vice melius suscepturus, posset prudens Confessor tunc illum relinquere in bona fide excusante a peccato et monitionem differre in tempus opportunius, ne territus a confessione abstineat graviusque detrimentum incurrat. Tamb. c. 14. Lugo d. 22. sess. 2. n. 27.

548. Differendam monitionem tradunt DD. (vid. Lugo disp. 22. n. 27.) etiam quando Poenitens sub gravi tenetur ad aliquid adeo difficile, ut non credatur *tunc* aequo animo suscepturus et melius suscepturus alia vice: poterit enim tunc relinqui in sua bona fide, quae a peccato excusat et servari admonitio in commodiorem opportunitatem, ne deterritus abstineat a confessione et in peius ruat.

Sic de celebri viro (Bolgeni) audivi, cum accessisset ad eum vir in omnem libidinem quam maxime effusus et absolutus rediisset aliquanto post quasi exultans ac gratias Deo agens, quippe turpem consuetudinem cum feminis abrupisse se diceret et solum (quod veluti quid adiaphorum iudicabat) cum bestiis aestui satisfecisset, ad aliquod tempus Confessarium dissimulasse; donec videns poenitentem gratia divina ac virtutis exercitio magis corroboratum, monuit ac plenam emendationem obtinuit.

Contra vero quando Confessarius censeat, poenitentem tunc quidem fore ut non facile acquiescat, hoc tamen scandalum eius breve ac momentaneum fore creditur et spes sit, quod, licet tunc non habeat effectum, brevi tamen monitionis effectus secuturus sit: tunc DD. censent monendum. Quamquam, ut ait Lugo disp. 22. n. 30. in fin., melius sit admonere poenitentem post absolutionem, ne impediatur fructus sacramenti.

CXXVIII. 10. Minus recte dispositus 'excitandus est ad dolorem et propositum emendationis, proposita peccati foeditate, bonitate Dei et periculo damnationis etc.' Item remedia opportuna praescribenda contra peccata futura.

549. De his s. Alphonsus n. 608.: « Confessarius tenetur, *quantum potest*, ad disponendum suum poenitentem, qui indispositus accedit. Quocirca nescio, quando a culpa excusari possint desides illi Confessarii, qui statim ac noverint poenitentem non satis dispositum dimittunt, nulla aut valde modica praemissa diligentia ad eum curandum ».

« Dico enim, quod Confessarius tenetur ex rigorosa obligatione caritatis eum disponere, quantum valet, exponendo illi deformitatem peccati, valorem divinae gratiae, periculum damnationis et similia; etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat. Nec ei curae esse debet, quod alii poenitentes exspectent; nam tunc Confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum ad bonum sui poenitentis et pro illo, non vero pro aliis rationem Deo est redditurus ».

Quod postremum monitum impedire non debet, quominus Confessarius in quibusdam adiunctis, quod nempe longa mora grave afferret aliis incommodum ac murmurationibus ansam daret, prospicere utrique incommodo possit ac debeat. Sane non huius tantummodo poenitentis bonum curare debeo; cum alii adesse possint, qui forte in maiori necessitate versantur. Ergo verba s. Alph. accipiantur de *necessariis* nunc dicendis, non de iis, quae ex abundantia superaddi possent et si commode potest Confessarius differre curam illius, qui multo eget tempore, praestat id facere.

CXXIX. Resp. 2. Ut Confessarius licite hoc Sacramentum administret, debet esse in gratia, alioqui peccabit mortaliter: item debet esse talis, ut per hoc non exponatur proximo periculo peccandi mortaliter. Pars prior constat ex dictis de Sacramentis in genere. An vero audiens plures una quasi vice morali, tot numero peccata committat, alii negant, ut Rodriq. alii affirmant, ut Bonac. hic. Pars posterior patet.

550. Quod Sacerdos debeat esse in statu gratiae, satis disseritur, ubi de Ministro Sacramentorum in Tract. *de Sacram. in genere.* Cf. ibi dicta Vol. IV. n. 669. seqq.

Quod addit Auctor, peccare eum, qui se exponat periculo peccandi proximo, aeque clarum est ex principiis communibus. Periculum esse potest huiusmodi, quando Confessarius soleat consentire in tentationes carnales — quando noverit, se non satis instructum scientia necessaria — quando sciat, se ex pusillanimitate non audere poenitentes monere etc.

Quoad dubium, an plures confessiones audiens in peccato, plura sacrilegia committat an unum, s. Alphonsus remittit ad ea, quae dixerat in Tractatu *de Peccatis* lib. 5. n. 50. et inde sumpta est notula subiecta huic loco Auctoris. Et cum dicit, *verius* committi plura sacrilegia, eo ipso indicat, se non habuisse ut probabilem oppositam sententiam.

Quidquid sit, eam absolute docuerunt Salmanticenses *de Censur.* cap. 1. n. 182. et *de Princip. Moral.* cap. 12. n. 46., allegantes pro eadem Diana, Fagundez, Leandrum, Remigium, Ludovicum a Conceptione. Pro eadem stant Sporer et Gobat apud Croix lib. 5. n. 171., et Rodriguez apud Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 135. et 558., qui eam n. 558. probabilem appellat.

Si presbyter confiteretur, se *plures* eodem temporis decursu audivisse confessiones in peccato et non exprimeret, quot audiverit, non posset eum Confessarius repellere ut indispositum; quia sequeretur opinionem probabilem. Rationes huius sententiae vid. apud Lugo et Salmantic.; nam eas examinare pertinet ad tract. *de Peccatis* ubi et nos quaestionem tetigimus Vol. I. n. 643. Cf. ibi dicta cum iis quae eadem praevertunt.

Unde resolvitur hic Casus.

CXXX. Confessor conscius sibi peccati mortalis tenetur, antequam audiat vel saltem absolvat poenitentem, ipse confiteri vel conteri de suo peccato. Si tamen vocatus improviso ad moribundum, recolligere se tam subito non possit ad contritionem eliciendam, vel bona fide putet se elicuisse, non peccat absolvendo. Praep. Lugo, Tamb. l. 3. c. 2. §. 3.

Nihil addendum cf. Tr. hunc *de Sacram. in genere* n. sup. cit.

CXXXI. Respond. 3. Si male absolvit, committendo defectum essentialem, verbi gratia si non protulit formam, vel absolvit a reservatis non subditum, tenetur inducere ad repetendam confessionem, si sine scandalo, infamia, fractione sigilli et nocumento suo possit; sin minus, non tenetur. Si non absolvit a censura, potest ab eadem (si vel quando habuerit potestatem) absolvere absentem. Bonac. *de Cens. in com.* d. 1. qu. 3. p. 5. ex Suar. Fill. tr. 11. c. 10. q. 6. Reg. Nav. Rod.

Si non interrogavit sufficienter numerum, species vel alias circumstantias, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad poenitentiam agendam; monere enim extra confessionem non debet, cum iudicium sit finitum. Si tamen redeat ad confessionem idem poenitens, debet moneri de defectu commisso; quia alioqui haec confessio non erit integra, cum quaedam non sit debite confessus.

Dixi, *si non interrogavit:* quia si positive dixit, non teneri confiteri numerum, speciem etc., debet monere, si sine gravi scandalo et detrimento potest; quia est causa, quod alter praeceptum grave, scilicet confiteri illa peccata, violet. Lugo d. 22. s. 3.

Si neglexit monere de restitutione, moneat si quidem commode potest vel in confessione vel extra, obtenta prius ab ipso venia: ea vero negata ad nihil ultra teneri docet Tamb. l. 3. c. 8. Sanch. contra Suar.; quia tenetur ex caritate: si non commode potest, Deo commendet. Laymann l. 5. t. 6. c. 9. Henr. Suar. Sylv. Mercer. in 3. p. q. 9. a. 1. Dian. p. 4. res. 198. et p. 1. t. 4. res. 109. Quod si tamen (ex gravi seu mortali culpa contra ius alterius) dixisset, eum non teneri ad restitutionem, vel aliter (v. g. opinionem falsam persuadendo) esset causa efficax, cur non restituat, vel aliunde detrimentum accipiat ipse, vel alius: tenetur ipsemet restituere, nisi moneat tempestive priusquam poenitens fiat impotens; quia actione sua fuit iniusta causa damni. Si vero sine gravi culpa id fecit, tenetur nihilominus monere poenitentem, si commode potest: alioqui ipse obligatur, sicut casu priore. Si non commode potest, excusabitur. Vid. Suar. Con. d. 8. d. 77. Bon. Dian. t. 1. misc. r. 1. Lugo d. 22. s. 3. n. 61. et supra t. 8. c. 2. d. 2. cas. 12.

551. Defectus Confessarii ad tres classes reduci possunt. In prima classe sunt defectus pertinentes ad substantiam ac valorem sacramenti, ut v. gr. si absolvat sine iurisdictione, aut sine dispositione poenitentis, aut etc. In secunda sunt defectus in damnum tertii vel ipsius poenitentis, ut v. gr. si non obligavit ad debitam restitutionem vel obligavit ad indebitam. In tertia possunt esse defectus sine alterius praeiudicio, sed solum contra integritatem confessionis, ut v. gr. si, quando oportebat, non interrogavit circa species aut numerum etc. Ita Lugo disp. 22. n. 50. Huc revoca, si poenitentiam non imposuit.

De his seiunctim et Auctor in hac 3. responsione.

Quoad errores circa substantiam, seiungatur ultima particula

Auctoris, de eo scil. qui non absolvit a censura. Remedium enim in promptu est, quia certum est, a censura posse absolvi etiam absentem. Ita et Suarez disp. 32. sect. 6. n. 3. Ergo et ad hoc tenetur Confessarius, nec opus est hac de causa quaerere aut monere poenitentem. Nec dici debet, quod fiat extra sacramentum; quia id reipsa pertineret ad actionem sacramenti confessionis auditae et una causa constitueretur.

Ceterum potestatem absolvendi a censura in *foro conscientiae* exerceri posse extra confessionem, communis est sententia, ut dicemus in Tr. *de Censuris*.

552. Quod ergo attinet ad confessionem invalidam ex Confessarii defectu, allegantur DD. (vid. Lugo, disp. 22. n. 55.) contendentes, in tali casu nihil superesse faciendum Confessario, sed dolendum de culpa praeterita et relinquendum poenitentem in bona fide; quia illa peccata per sequentem absolutionem in alia confessione indirecte remittentur et aliunde Confessarius non potest sine gravi honoris et famae detrimento poenitentem monere.

Non ita tamen Auctor cum *communiori sententia*. Quia licet admittat non teneri Confessarium ad monendum, quando sequantur ex monitione ea mala, quae enumerat; tamen monet, haec mala abesse posse atque adeo non semper praeclusam esse viam remedium adhibendi.

Et in primis notandum id, quod generatim dicitur, posse obstare *sigillum*. De hac quaestione apposite Auctor agit cap. 3. dub. 1. resp. 2. resol. 2. Nam, ut ait Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 5. n. 2., « dicendum est, non licere Confessario post perfectam confessionem loqui de rebus in confessione auditis etiam cum ipso poenitente sine facultate eius. In hoc conveniunt omnes; quia hoc per se loquendo, esset valde onerosum poenitenti, si exprobrari vel pudore affici posset..., quod sine dubio redundaret in iniuriam sacramenti ».

Et hoc subdit pertinere ad sigillum. « Assumptum constat ex interpretatione Doctorum omnium, tum etiam communis sensus et consuetudinis Ecclesiae. Ratio vero est, quia ad finem huius legis et bonum sacramenti non tantum necessarium est non loqui cum infamia poenitentis, verum etiam cum rubore et pudore eius et alioqui fieret valde onerosa confessio... Atque ita communiter Doctores loquuntur (scil. pertinere ad sigillum), uno vel altero excepto ».

Porro si licentiam hanc poenitens non concedat, Confessarius, ut patet, ad nihil aliud tenetur, quippe non tenetur ad impossibile.

553. Et haec quidem est sententia (generatim sumpta) *communis* et *verior*, ut inquit Lugo disp. 23. n. 140. contra nonnullos, qui post Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 5. n. 3. dixerunt, etiamsi licentia haec negetur, posse tamen imo et debere Confessarium monere. Ita

Suarez l. c. n. 3. « Respondeo, dicere illi posse et debere, se velle cum illo loqui de re necessaria ad confessionem pertinente. Et quidem si ille consentiat, iam habet facultatem: si vero renuat, dicat nihilominus, si commode possit: quia tunc iam vere non loquitur extra confessionem, sed supplet et perficit eam, quae inchoata et imperfecta manserat et poenitens tunc est irrationabiliter invitus ». Respondit Suarez ad casum hunc: « Solum est casus communis, quando Confessor commisit defectum in confessione, ex quo obligatur ad poenitentem monendum ». Qui casus latius patet forte, quam solus casus invalidi sacramenti.

Quos quidem Lugo l. c. merito redarguit ut minus sibi cohaerentes. Nam ipsis fatentibus, haec licentia non petitur ratione merae urbanitatis, sed propter obstaculum sigilli necessariam dicunt. Si haec ergo non datur, sigillum obstat. Secus, posset Confessarius loqui ex abrupto; quod sane ipsi non admittunt.

Neque valet, quod dicunt, Confessarium tunc non loqui extra confessionem, quia imo perficit confessionem. Nam, ut recte respondet Lugo, 1. c. n. 141., hac ratione posset Confessarius per totam vitam praetextu v. gr. correptionis, monitionis, directionis, adhortationis interpellare poenitentes; quia haec pertinerent semper ad perficiendam illam confessionem.

Et hanc sententiam probat s. Alph. n. 622.; quia iudicium iam completum est: unde monitio non est coniuncta cum praeterita confessione et odiosam facit confessionem etc. S. Alph. ibid. dicit, ex sententia Lugo disp. 29. n. 130., oppositam sententiam *repugnare communi Theologorum et fidelium sensui;* sed Lugo non de quovis casu loqui videtur, sed solum quando *ad bonum spirituale poenitentis* PROMOVENDUM Confessarius loqui velit de auditis in confessione. Addit tamen s. Doctor, « hoc intelligendum, si Confessarius iudicium perfecerit absolutionem impertiendo; nam si non absolverit, vel quia oblitus sit absolutionem dare vel quia male eam protulit, tunc valde probabiliter dicit Croix n. 1776. posse Confessarium, non petita licentia, dicere poenitenti, se eum non absolvisse; quippe nulla hîc intervenit peccati exprobratio ». Quae quidem animadversio non recidit in sententiam Suarez, quatenus s. Alph. hoc concedit solum in casu omissae absolutionis, Suarez vero propugnat pro quolibet defectu supplendo.

Hac tamen s. Alphonsi animadversione quando utendum sit, ex aliorum adiunctorum consideratione pendet.

554. Etenim diversa potest esse mensura obligationis ad monitionem faciendam. Et in primis s. Alphonsus n. 619., recte advertit post Lugo disp. 22. n. 58., magnum discrimen interesse, culpabiliterne an inculpabiliter errorem commiserit. Nam secundum quamdam propor-

tionem differt obligatio inter utrumque casum, non secus ac differt obligatio servandi alium indemnem, prouti quis iniuste aut citra culpam damni causa fuit et prouti differt obligatio quaerendi dominum rei, quam casu quispiam invenit, ac obligatio in fure restituendi rem inique ablatam. In confesso enim est apud omnes, iniustum damnificatorem, ut alium servet indemnem, teneri ad subeunda huiusmodi incommoda atque etiam damna, ad quae non tenetur ille, qui sine culpa aut rem possidet alterius aut damnum intulit.

Deinde vero spectanda est indoles incommodi, quod consequitur ex errore Confessarii.

Etenim fieri potest, ut incommodum ita teneat se tantum ex parte sacramenti non rite administrati, ut nihilominus poenitens non incurrat ullum animae periculum. Huiusmodi est casus ab Auctore memoratus, *si quis absolvit a reservatis non subditum,* videlicet (ut explicat Filliuccius, e quo tract. 11. *de Censur.* cap. 10. q. 6. n. 323. hanc doctrinam Auctor se dicit sumpsisse) si quis alterum absolvat a censura (vel a reservato simpliciter), in quam iurisdictionem nec ordinariam nec delegatam ad id habet; nam si alioquin non caret iurisdictione ad eum absolvendum saltem ab aliquo peccato et poenitens est in bona fide, valide eum absolveret, directe quidem a non reservatis, indirecte autem a reservato, a censura vero nullo modo; in quo casu non periclitatur salus poenitentis, quem supponimus ignarum huius defectus, et incommodum in eo residet, ut materiali quodam defectu non satisfiat praeceptis pertinentibus ad legitimam sacramenti administrationem.

Et huc revocari potest duplex casus a s. Alph. memoratus n. 619. in fin. quando nempe vel nullo modo Confessarius absolvit, vel absolvit invalide ita ut non conficiatur sacramentum, v. gr. si careat omnino iurisdictione, ut si sine venia Superioris Religiosus confiteatur seculari presbytero, aut monialis non approbato pro monialibus, aut si quis confessionem audiat extra territorium, in quo fuerat approbatus etc. Si enim poenitens, aut nullatenus aut invalide absolutus, deinde confessus sit alteri in bona fide, iam indirecte absolutus est a peccatis praecedentis quoque confessionis non secus ac quis absolvitur a peccato, quod non fateatur propter oblivionem. Itemque si poenitens post invalidam illam confessionem bona fide Eucharistiam sumpserit, quae ex doctrina communi cum s. Thoma per accidens homini attrito conferret primam gratiam; eo ipso iam iustificationem consequitur: adeo ut in utroque casu habeatur tantum defectus materialis, quod nempe haec peccata non subiiciantur clavibus, ut fit de peccatis oblitis.

Interdum vero contingere posset, ut poenitens ob eum errorem grave subiret animae periculum, v. gr. si invalide prorsus aut nullo modo

absolvisses infimum, qui cum invalida illa absolutione periculum aeternae damnationis incurreret, aut etiam si poenitens, ut ait s. Alph. n. 619., esset in gravi periculo non amplius confitendi, v. gr. dum longum iter maritimum suscipit.

555. Hisce ita praemissis, haud aegre explanari ea poterunt, quae Auctor conglobatim innuit.

Ac 1° si error Confessarii induceret poenitentem in praedictum periculum, manifestum est, eum graviter obligari, ex caritate quidem, inquit s. Alph., si error fuit inculpabilis, ex iustitia vero si culpabilis, ad defectum emendandum. S. Alph. addit, ex iustitia teneri ad id Confessarium errantem, si sit parochus; quia hic habet specialem obligationem cavendi damnum spirituale etc. Sed haec est obligatio alterius generis, de qua modo non disputamus. Potius non intelligo, cur dicatur teneri ex mera caritate eum qui advertit, se invalide absolvisse etiam *inculpabiliter*. Nam ex caritate quidem audit confessionem: sed ea audita, tenetur ex iustitia ad perficiendum sacramentum; quia tenetur ex officio et quodam quasi contractu, ut idem s. Alph. ibi adnotat n. 619. Porro si ex iustitia tenetur absolvere, eadem virtus exigit, ut, si advertam me id non praestitisse, idipsum prestandum curem. Discrimen ergo erit tantummodo circa suscipiendum maius aut minus incommodum ad defectum supplendum, prouti defectus contingit aut ex culpa aut sine culpa iuxta praemissa n. praeced. quod incommodum excogitari posset in adeundo rursus infirmo, aut in quaerendo poenitente et forte in subeundo aliquo discrimine famae ex eo quod poenitens posset hunc errorem aliis et forte etiam superiori aperire.

Ceterum non teneretur Confessarius fateri, se errasse *culpabiliter;* satis enim foret dicere, se errasse aut etiam solum *opus esse*, ut illum iterum absolvat.

556. Et in hoc casu utique petenda esset venia et monendus poenitens; quamquam tunc valere potest, quod ex s. Alphonso retulimus sup. n. 553. posse Confessarium omissis aliis exordiis rem aperire, dicendo v. gr. sibi necesse esse aliquid dicere, quod oporteat ipsum absolvere, ob errorem etc. Et hic modus aptior videtur ad prospiciendum etiam saluti poenitentis. Nam s. Alph. affert n. 619. sententiam ceu probabiliorem (quam tamen non videtur deinde ipse sequi n. 622. vid. sup. n. 841.), quod non teneatur Confessarius etc., si ex monitione sequeretur gravis offensio poenitentis et sic frangeretur sigillum. Profecto heic nulla fractio sigilli, nec apparet, cur graviter offendi possit poenitens, qui certe, re cognita, non potest esse invitus.

Ubi advertendum, quod Auctor dicit, inducendum esse poenitentem ad repetendam confessionem, intelligendum id esse non de rursus sin-

gulis peccatis aperiendis, sed de contritione elicienda ac generali formula confitendi generatim peccata iam prius exposita.

Et siquidem Confessarius reperiret infirmum sensibus destitutum, deberet eum nihilominus absolvere.

Si vero poenitens, nondum monitus, ad eundem Confessarium rediret et confiteretur, tunc neque necessarium foret monere eum de errore, sed satis esset interrogare, an doleat de omnibus etiam ante confessis in praecedenti confessione, et an de iis iterum se modo accuset: nam tunc absolutio directe terminabitur ad illa quoque peccata. Ita et Suarez disp. 32. sect. 6. n. 6. Licet nec necessaria sit haec repetitio doloris et confessionis, ut patet ex dictis alibi, nisi forte dolor praesens sit ex motivo peculiari. Merito autem Lugo disp. 22. n. 51.-54. reiicit opinionem dicentium, posse absolvi etiam absentem; tum quia constat, absolutionem a peccatis in absentem dari non posse, tum etiam quia non potest prudenter absolvi absens et ignorans se absolvi, qui forte novum peccatum commisit et non est dispositus ad absolutionem recipiendam.

557. Quando vero nullum sequatur damnum poenitentis ex errore Confessarii, iuxta ea quae diximus sup. n. 554., sed urgeat sola ratio sacramenti integritati prospiciendi, v. gr. si poenitens iam apud alium rursus confessus fuerit et absolutus... tunc nihil differret casus ab eo quem Auctor proponit de omissione interrogationis et ideo idem erit statuendum.

Quoad defectus igitur non quidem validitatis, sed vel solum integritatis confessionis, vel alterius erroris, Suarez quidem generatim ut videtur, statuit hanc doctrinam. Sic enim ille *de Poenit.* disp. 32. sect. 6. n. 8.: « Breviter respondeo, si inde non pendent damnum tertiae personae, *regulariter*, ad nihil teneri, nisi ad poenitentiam agendam (scil. si culpa intercessit); quia poenitens non tenetur illam confessionem iterare: unde per attritionem potest supplere defectum, si aliquis fuit ex parte eius. Dico autem *regulariter;* quia si fortasse Confessarius decipit poenitentem in re aliqua pertinente ad salutem animae eius, v. g. ex qua pendet ut maneat in occasione proxima, tenebitur illum monere... vitando scandalum, quod fieri possit ». Ex quibus patet, non recte s. Alph. hunc citasse pro sententia Lugo, quando Lugo imo discedere a Suarez fatetur disp. 22. n. 72. 73.

558. S. Alphonsus n. 620. ergo cum Lugo disp. 22. n. 73. et communiori, rem enucleatius exponit iuxta diversos casus.

Ac 1° si Confessarius positiva causa fuit, cur poenitens non confiteretur integre, dicendo v. gr. non opus esse confiteri species aut numerum aut etiam ita omittendo interrogationem, ut perinde sit ac

suadere non esse necessarium alia explicare; tunc teneri videtur Confessarius etiam extra confessionem monere poenitentem, sive in errorem induxerit culpabiliter, sive inculpabiliter. Ratio est, inquit Lugo l. c., quia qui causa est alteri violandi grave praeceptum etiam materialiter (sicut alteri diceret mendaciter non esse ieiunium, non esse hodie audiendam Missam, licere ova comedere etc.) debet, si commode fieri potest, de errore deceptum admonere. Ergo et Confessarius tenetur auferre errorem, ut poenitens non violet divinum praeceptum confessionis etc. secundum species etc.

Monet tamen s. Alphonsus l. c. post Lugo l. c., magis stricte ad monendum teneri Confessarium, qui induxit in errorem cum culpa gravi, quam qui induxit sine culpa aut cum culpa levi et hic posterior, ut dicit s. Alph., ex causa multo minori excusabitur a monitione facienda. Imo inquit Lugo disp. 22. n. 74.: « Raro teneretur fortasse Confessarius, qui bona fide decepit poenitentem circa integritatem Confessionis ad eum admonendum extra Confessionem; quia *regulariter* absque incommodo et detrimento suo id non potest facere ». Quod ex parte incidit in Suarez doctrinam.

559. Si vero ex culpa gravi in errorem induxit, tenetur utique etiam extra confessionem monere, sed, inquit s. Alph. n. 620. si possit sine scandalo aut *gravi suo damno;* nam sicut grave damnum excusat poenitentem ab integritate confessionis, ita etiam Confessarium.

Quae ratio desumpta est ex Lugo disp. 22. n. 74., qui mensuram obligationis, atque adeo causae excusantis videtur desumere ex obligatione poenitentis ad integram confessionem. Sic enim ait: « Ceterum quia praeceptum de integritate confessionis tale est, ut solum obliget, quando sine gravi detrimento observari potest; consequenter dicendum est, illud sufficere ad excusandum Confessarium, ne admoneat postea poenitentem de illo defectu, quod sufficeret ad excusandum ipsum poenitentem ab integritate confessionis; cum non habeat maiorem obligationem Confessarius, quam poenitens, ad servandum illud praeceptum. Et hoc intelligo, quando defectus procedit ex gravi culpa Confessarii ».

Quae quidem admitti poterunt, quatenus sufficere huiusmodi causam dicemus ad Confessarium ab admonitione excusandum; sed non aeque facile videntur admittenda, quatenus eiusmodi causam *requiri* insinuant. Nam non par videtur esse ratio obligationis in poenitente ad implendum praeceptum integritatis sibi notum et in Confessario ad impediendum materialem defectum integritatis: ut facile patet ex aliis exemplis a Lugo superius allegatis n. 554.; quasi eadem gravis causa, quae excusat a ieiunio, requiratur etiam ad deobligandum a monitione eum, qui falso dixit, non esse diem ieiunii.

560. Duae aliae rationes accedunt, quae hanc obligationem minuere prorsus videntur.

Nam 1° Tota ratio, cur facienda sit admonitio, est, quia secus ob Confessarii culpam non observaretur a poenitente praeceptum integritatis in confessionibus sequentibus, quippe non exprimet ea, quae erronee didicit, haud opus esse ut exprimantur. Atqui ut id obtineatur vix opus est monitione Confessarii praecedentis; nam in sequenti confessione alius Confessarius interrogabit tum species tum numerum et forte cunctantem ob errorem, quo fuit imbutus, corriget et auferet errorem. Et exinde poenitens locum habebit emendandi praecedentis quoque confessionis errorem.

2° S. Alphonsus adverterat n. 619., quod etiamsi agatur de monendo poenitente tantum circa absolutionis invaliditatem, monitio omittenda esset, si gravis timeretur offensio eiusdem poenitentis. Porro si haec offensio timeri tunc potest, quando nihil dicit Confessarius, quod iniicere verecundiam poenitenti possit, a fortiori id timendum est, quando sermo expresse de peccatis et quidem gravibus (nam solum quoad ista tenemur exprimere species et numerum) misceri sermo deberet. Et si in tali casu omitti debet monitio, licet agatur de invalida absolutione, quae in tantum poenitentis detrimentum cedit, a fortiori id valebit, cum agitur solum de providendo integritati materiali citra ullum damnum poenitentis.

Spectatis igitur tum scopo monitionis, tum poenitentis gravamine, non censeo in praxi Suarez sententiam ita a vero abludere, ut tuto quis eam tenere non possit.

561. Quando autem Confessarius mere negative seu omissive hunc defectum non interrogandi commiserit, consentiunt DD. cum s. Alphonso n. 620. et Lugo disp. 22. n. 75. 76. non teneri Confessarium ad monendum extra confessionem.

Ratio, quia (inquit s. Alph.) obligatio integritatis directe afficit poenitentem, non Confessarium; unde licet Confessarius teneatur intra confessionem interrogare poenitentem, ut iudicet de statu causae, finito tamen iudicio, cessat in Confessario huiusmodi obligatio. Quod verum est sive culpabilis sive inculpabilis fuerit haec omissio.

Neque Confessarius, inquit Lugo n. 75., est causa quod poenitens postea non confiteatur illa peccata (quippe nihil dixit formaliter aut virtualiter, quo moveatur poenitens ad ea omittenda), sed causa erit poenitentis oblivio aut imperitia.

Idque verum est, licet sit poenitentis parochus, qui ex officio docere tenetur; non enim exigit hoc munus nec consentit, ut doceat ex notitia confessionis. Minus aliunde urget obligatio docendi ignorantem, ne

sequatur materialis violatio praecepti. Respondet enim Lugo disp. 22. n. 76. « hanc obligationem esse tenuissimam circa aliqua praecepta, quando sine peccato violantur; quare illud *incommodum et taedium*, quod secum affert loqui cum poenitente post confessionem de rebus confessionis et admonere de defectu commisso, videtur sufficiens ad excusandum in hoc casu ab obligatione, si qua est; cum aliunde nihil detrimenti patiatur poenitens ex illo defectu et illa peccata remissa iam sint indirecte per absolutionem directam ab aliis ». Cui rationi si addatur et ratio vitandi molestiam poenitentis, cui aegre memoria refricatur suorum peccatorum et quidem gravium, res certa videri debet.

562. Denique Auctor subdit, monendum de hoc quoque defectu, si poenitens ad eundem Confessarium redeat.

Quod intelligendum tum de mera omissione interrogationum, tum multo magis de erronea iniecta suasione circa obligationem explicandi species ac numerum.

Rationem addit, quia ad integritatem huius confessionis pertinet supplere defectum confessionis praecedentis. Ita Lugo disp. 22. n. 77. et s. Alph. n. 620.

Addiderim, valde dextere id exsequendum. Nam etiam intra confessionem, nisi longa consuetudo confitendi apud eundem sacerdotem induxerit quandam familiaritatem inter hunc et poenitentem, grave poenitentibus accidit, quod refricetur memoria peccatorum, quae iam alias sunt confessi. Quin etiam minus prodest nec gratum est poenitentibus, quod post longum tempus Confessarius memor appareat peccatorum et e contra valde prodest in poenitentibus persuasio, quod Confessarius exhibeat in se, quod de Deo dicitur: *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea: non recordabor amplius: proiecisti in profundum maris* etc. Dexteritas in hoc erit, si dum interrogat et simul monet, ea necessario exprimenda, scitetur an alias ea reticuerit utpote forte non interrogatus etc. Sic non apparebit, quod auditam olim confessionem semper ante oculos ac in memoria retinuerit etc.

563. Quoad damnum tertii (de his habes et resol. 12. dub. 2. *de Restitutione* apud A.), duplex fit hypothesis: 1ª quod Confessarius mere negligat monere: 2ª quod positive deobliget sive expresse dicendo, poenitentem non teneri, sive tacendo in iis adiunctis, ut omissio aequivaleat expressae negationi obligationis, ut si interrogetur etc.

Quoad primam ergo hypothesim *communis et certa* doctrina est, quam Auctor proponit, Confessarium, qui monitionem neglexit, teneri ad poenitentem deinde monendum. Quod intelligi debet, si poenitens non restituit et adhuc potens est ad restituendum.

Et hoc verum est, etiam quando omissio monitionis contingit sine culpa Confessarii. Ratio, quia unusquisque tenetur efficere, ne ex sua actione vel etiam omissione officii sui alii incitamentum accipiant ad peccandum vel etiam ad materialiter transgrediendam legem Dei vel Ecclesiae. Quando ergo ex illo silentio Confessarii poenitens occasionem sumat non restituendi, eo quod Confessarius nihil ei dixerit, debet Confessarius curare, ne ex sua omissione sequatur tale scandalum et violatio saltem materialis praeceptorum. Ita Lugo (disp. 22. n. 65.). Cui rationi addi potest, ALIA RATIO CARITATIS, quae suadet, ne ex mea omissione sequatur damnum seu incommodum tertii.

Si autem tenetur, qui omisit sine culpa; a fortiori ille, qui cum culpa. Hoc tamen differt inter omissionem culpabilem et inculpabilem, quod qui culpabiliter neglexit, teneatur ad maius subeundum incommodum, ut monitionem facere possit, quam qui mere inculpabiliter non monuerat.

Id suadetur ex generali principio, quod sicut ex iustitia magis quis obligatur ad impediendum damnum, quod consequitur ex sua iniusta actione, quam quod consequatur ex actione sua inadvertenter facta; sic ex *caritate* magis obligatur ad impediendum scandalum qui culpabiliter, quam qui sine culpa est eiusdem causa.

Dixi autem *ex caritate,* quia (ut docet Lugo disp. 22. n. 67.) sententia *communis* est, quod obligatio monendi, quando Confessarius omissione sive culpabili sive inculpabili mere neglexit non sit ex iustitia sed ex sola caritate.

Ratio est, quia (inquit Lugo ibid.): « Confessarius non habet officium procurandi utilitatem aliorum et quod ius suum unicuique servetur, sicut iudex temporalis, sed solum intendit bonum sui poenitentis, contra quod formaliter peccat, non contra alios, quando omittit facere quod debebat. Quare omittens monitionem de restitutione, non omittit aliquid, quod ipse debeat creditoribus poenitentis, sed solum quod debebat poenitenti ad bonum animae suae ».

564. Exinde deducitur doctrina, quam s. Alphonsus n. 621. merito dicit *communissimam*, Confessarium, etiamsi omittat monitionem, non teneri ad restitutionem.

Idque non solum de Confessario delegato dici debet, sed etiam de parocho (contra ac docuit Antoine); nam etiam parochus Confessarius ad monitionem tenetur tantum pro bono spirituali subditorum non vero pro impediendis damnis aliorum temporalibus, ut inquit s. Alph. l. c. Et hoc verum est non modo de parocho, uti Confessario, sed etiam uti pastore. Nam munus parochi v. gr. in traditione catechismi non

tendit ad tutanda aliorum negotia, sed ad docendos et ducendos ad bonum fideles oves sibi commissas.

Quando vero Confessarius positive deobligavit a restitutione, aut siluit in iis adiunctis, ut silentium aequivaleret deobligationi expressae idque *ex gravi culpa:* certum est ex omnium sententia, quod tenetur admonere poenitentem de errore, ut restituat, etiam (inquit s. Alph.) cum gravi incommodo, vel intra confessionem, si poenitens rediturus brevi aut certe antequam credatur fieri impotens, aut etiam extra confessionem (petita eius licentia), si non credatur reversurus ad eundem Confessarium.

Alioquin si non moneat, vel tunc solum moneat quando impotens factus sit, ipse tenetur ad restitutionem. Et ratio manifesta est, quia hic comparatur prorsus consulenti furtum ex malitia et culpa gravi: fure enim non restituente, tenetur ad restitutionem consulens, qui fuit efficax causa damni. Dummodo tamen (ut notat s. Alph. n. 621.) poenitens monitus restituturus fuisset.

Idem dicendum, si Confessarius obligavit poenitentem ad indebitam solutionem.

565. Quod si Confessarius poenitentem deobligavit, vel obligavit ad indebitam restitutionem, sed sine gravi sua culpa: sententia communis est, quod aeque tenetur, ad poenitentem monendum vel intra vel extra confessionem, prout n. praec. diximus. Hoc tamen intercedit discrimen a praecedenti hypothesi, quod ad id praestandum non teneatur cum tam gravi incommodo suo: licet non excusetur ab aliquo huiusmodi incommodo.

Rationem heic reddit s. Alphonsus n. 621.: « Quia ex caritate quisque tenetur cum levi incommodo reparare grave damnum proximi ». Sententia haec vera est: sed non est plena ratio dictorum; quippe non ex mera caritate, sed ex iustitia tenetur ad damnum hoc praecavendum, ut mox ipse s. Alphonsus fatetur nec bene hanc rationem s. Alphonsus ibi tribuit Lugo; quia in loco citato a s. Alphonso, scil. disp. 22. n. 66., Lugo loquitur de alio casu, nempe de mera monitionis omissione, non vero de positiva deobligatione.

Itaque s. Alphonsus n. 621. advertit cum sententia, quam dicit merito *communiorem* et *veriorem* (adeo ut probabilis opposita dici non possit) et ex professo probat Lugo disp. 22. n. 63., eum, qui cum commode posset, poenitentem non monuit, ex iustitia ad restitutionem teneri.

Et rationem affert s. Alph. l. c. n. 621. post Lugo n. 62., quia licet Confessarius sine culpa, saltem gravi, poenitentem deobligaverit; quando tamen advertit erroneum consilium suum adhuc cedere in

damnum alterius, ipse ex iustitia tenetur auferre causam damni, si commode possit; alias obligabitur restituere, non secus ac qui sine gravi sua culpa ignem alienae segeti aut aedi immiserit, ex iustitia tenetur postea, si commode potest, ignem exstinguere.

Imo s. Alph. n. 621. adoptat doctrinam Lugo disp. 22. n. 64. contra Antoine, non *videri* excusandum a restitutione Confessarium, quando, si poenitens monitus fuisset tempore Confessionis, restituturus erat, mutato autem consilio non vult restituere postea, cum monetur. Hoc tamen Lugo affirmat intelligendum solum de eo, qui malitiose deobligaverit alium, scil. cum gravi culpa.

Illud unum addendum cum Lugo de natura seu mensura incommodi subeundi, videlicet spectandam esse indolem damni, cui occurri debet. « In hoc casu (inquit Lugo disp. 22. n. 63.) commodum et incommodum Confessarii debet accipi respective ad damnum, quod ex illo errore consequi potest; nam si inculpabiliter dixit, non esse obligationem restituendi regni, cum revera esset, non excusabitur a monendo poenitente, eo quod debeat expendere decem nummos aureos et tres vel quatuor dies in itinere: quia respective ad rem, de qua agitur, satis commode potest admonere, sicut qui inculpabiliter incendit aedes alienas, quae valent centum mille aureos, non excusabitur ab exstinguendo incendio, si possit uno aureo vocare sibi socios, qui illud exstinguant; commode enim potest illud exstinguere respective ad damnum, de quo agitur ». Qua in re, ut patet, res prudentium arbitrio potius quam quapiam regula decerni debet.

CXXXII. Quaeres. Quae et quanta sit obligatio Confessarii audiendi poenitentes? Respond. 1. Quivis Sacerdos etiam simplex, quando non est alius paratus, tenetur in extrema necessitate, v. gr. in periculo mortis, audire et absolvere volentem confiteri. Ratio est lex caritatis.

566. Lugo disp. 22. n. 11. dicit, veriorem et communem esse sententiam, quod in *extrema* necessitate sacerdos teneatur ad confessionem audiendam et ad absolvendum etiam cum periculo vitae propriae.

S. Alphonsus n. 624. dicit, sibi magis placere sententiam, quae addit, ad id teneri cum *probabili* periculo mortis etiam quando necessitas proximi non videatur *extrema;* quia licet absolute loquendo a periculo damnationis posset adultus se liberare libertate sua et ope divinae gratiae per actum contritionis: tamen, si sibi relinquatur, magno periculo aeternae suae salutis exponitur. Quam doctrinam tribuit Suarezio.

Subdit tamen, probabilem haberi a Lugo disp. 22. n. 12. aliorum sententiam, qui in eo casu negant hanc obligationem.

Sed forte sententiae doctorum reipsa non discrepant; quippe loqui videntur de diversis rei circumstantiis.

Profecto Lugo l. c. sic exhibet aliorum scil. Navarri, Coninck, Soto, Malderi etc. (a quibus discedere se dicit s. Alph.) doctrinam, quam dicit probabilem: « Difficultas est, quando non est necessitas extrema, sed *gravis*; quia aliquis in mortis articulo *propter difficultatem, quam timet, ad contritionem habendam,* petit Confessarium; an teneatur sacerdos... exponere se *periculo* vitae, ut eum audiat ». Ubi vides non agi de mere *probabili* periculo vitae. Ergo non repugnant s. Alphonso.

Suarez contra, quem pro se allegat s. Alphonsus, quasi contrarium praecedentibus, loquitur de necessitate, quae dici queat *extrema.* Ita ipse (*de Carit.* disp. 9. sect. 2. n. 3.): « Idem censes (scil. teneri ex caritate ad subveniendum etiam cum *evidenti periculo vitae*), si aliquis sit in periculo aeternae mortis, quod moraliter, si a me non iuvetur, difficillime vitare potest... Ratio est, quia in re gravissima pro materiae qualitate haec est *extrema* necessitas, ut si videam hominem, qui diu *vixit in consuetudine peccandi*, mori sine sacramento confessionis etc. ».

Aliunde s. Alph. loquitur de mere *probabili* periculo mortis et solum de *gravi* periculo aeternae salutis et mere de eo, *qui sit in peccato mortali.* Ergo nec pugnat cum Navarro, nec stat cum Suarez doctrina praesenti.

Et rursus, qui tenent sententiam propositam a Lugo, excipiunt casum (vid. Lugo l. c. n. 12.), quo moribundus exsistens in mortali ignorat omnino sibi necessariam esse contritionem aut quid sit contritio et quomodo debeat se ad eam excitare et ideo non cogitat de illa habenda »: qui casus, ut patet, pertinet ad extremam necessitatem. Ideo non discrepant a Suarez.

Adeo ut vix possit casus proponi, in quo vere possit dici, allegatos doctores sibi esse adversos invicem, sed potius dicendum sit, consentire eos, si idem casus proponatur.

Addit deinde s. Alph. n. 624. in fin., non teneri sacerdotem ad absolvendum cum periculo vitae, si nesciat eum esse in peccato mortali.

CXXXIII. Resp. 2. Parochus et quivis Sacerdos curatus tenetur audire confessionem sui subditi, non tantum in casu necessitatis aut praecepto confessionis urgente, sed etiam, saltem per se vel per alium, quoties poenitens id rationabiliter petit: v. gr. si sit in gravi aliqua difficultate spirituali, vel velit promereri Iubilaeum etc. Quia tenetur eius bonum spirituale promovere. Suarez, Vasq. Lugo etc. Si tamen nimis frequenter vel intempestive peteret, excusaretur. Avers. q. 16. s. 11. Quod si etiam semel tantum vel bis negaret aut differret, non peccaturum graviter ob levitatem materiae, docet Suarez contra Bon. admittitque Aver. l. c., si non petat ex urgenti occasione, v. g. sollemnis festi etc.

567. Dicitur 1° parochus teneri ad audiendum etc. vel *per se* vel *per alium.* Quia, ut communiter DD. docent, non tenetur parochus ad

audiendum subditum, quando illi providet de alio bono et apto, cui possit confiteri; nisi forte aliqua specialis subditi necessitas exigat, ut ab ipso parocho audiatur. Ita Lugo cum aliis disp. 22. n. 3.

Dicitur 2° *quoties rationabiliter poenitens id petit.* Quando scilicet (inquit Lugo l. c. n. 4.) tanta Confessionis frequentia expedit saluti et profectui spirituali subditi. « Nam aliquando non expedit, quia et Confessionis virtus contemnitur. Imo et aliquando expedit conscientiae subditi cessare a confessione propter scrupulorum perturbationem ».

Dicitur 3° *Si sit in gravi aliqua spirituali difficultate.* Quod maxime intelligendum est vel de gravibus tentationibus, de angustiis in deliberatione quapiam capienda et de statu peccati mortalis. Nam (ut ait Lugo disp. 22. n. 2.) « si cetera omnia deessent, ipsa perseverantia in peccato mortali habituali gravissimum malum est. Cum ergo parochus constitutus sit spiritualis medicus subditorum, consequens est, ut sicut medicus corporalis, qui stipendium a communitate accipit, debet curare omnes graviter aegrotantes, qui curari volunt, sic parochus debeat medicinam sacramenti adhibere omnibus graviter aegrotantibus, ne vulnera putrescant, si in illo periculoso statu mortalis peccati insordescere sinantur; cum ipsemet status secum afferat carentiam gratiae, iacturam meritorum, periculum damnationis aeternae et similia ».

Nec onus hoc nimis grave dici debet. Nam, ut ait Lugo disp. 22. n. 6.: « Si ille sit in statu peccati et desideret remedium Confessionis ad suam iustificationem, puto regulariter debere parochum illum audire, si non habet alium, cui possit confessionem eius remittere. Quia eiusmodi poenitentes, qui lapsi in peccatum mortale, remedium confessionis statim quaerant, pauci sunt; qui enim facile in mortalia labuntur, non solent esse molesti nimium Confessario nec adeo solliciti in procuranda breviter confessione: quare ex hoc capite non cogetur parochus grave onus subire ».

CXXXIV. Respond. 3. Quotiescumque poenitens ex mera devotione vult confiteri, Parochum teneri illum audire, contra Sylv. Regin. etc. docent Azor. Suar. Conin. Bonac. Molf. Lugo etc. Sed recte limitat Avers. l. c. si non adsint alii Confessarii delegati et Parochus non legitime impediatur.

Res clara est.

CXXXV. Respond. 4. Reliqui Sacerdotes, per se loquendo, non tenentur audire confessiones; si tamen audire coeperint, tenentur absolvere, nisi quid obstet neque possunt remittere ad alium; quia poenitens eo ipso habet ius ad absolutionem nec potest fructu et gratia sacramenti privari. Avers. l. c.

568. S. Alphonsus n. 625. quaestionem addit, an tutus sit in conscientia sacerdos, qui negligat confessiones excipere vel, cum possit,

negligat se habilem ad eas excipiendas reddere, si ob penuriam Confessariorum in oppido, ubi degit, incolae GRAVI spirituali necessitate laborent.

Et allata auctoritate anonymi Auctoris: *Il Parroco di Villa*, et P. Pavone (quippe dicit, a nemine hanc quaestionem agitatam se vidisse), aientium, eiusmodi sacerdotem ad id obligari, multis contendit, non posse tutos esse in conscientia; quippe ad hoc constituti sunt sacerdotes, ut pro Christo fungantur legatione ac praecipuam Sacerdotum obligationem esse administrare Sacramenta: secus damnandos uti servum inutilem, qui abscondit talentum etc.

Verum eo ipso, quod DD. hanc quaestionem non agitent, indicium habemus ex ipso Sacerdotis statu obligationem non esse repetendam, sed generaliori praecepto caritatis et misericordiae, ut innuit Suarez *de Poenit.* disp. 32. sect. 1. n. 1. et *de Eucharist.* disp. 16. sect. 2. n. 3.

Et cum quaestio nunc sit de gravi spirituali necessitate, Suarez ipse (*de Poenit.* disp. 9. sect. 2. n. 5.) haec habet quae quaestionem solvunt: « Dico quarto: In *gravi* necessitate proximi obligat caritas, etiam... cum aliquo damno temporali proprio: extra casum vero talis necessitatis, non est gravis obligatio. Utrumque patet: quia gravis necessitas in rebus spiritualibus est gravis momenti; ergo secundum ordinem caritatis praeferenda est alicui damno gravi temporali proprio. Oportet autem ad talem obligationem (definiendam) comparare gravitatem necessitatis spiritualis cum gravitate damni temporalis; quod certe non potest definiri in universali, sed in particulari prudenter iudicandum est, servata rerum proportione. Secunda pars probatur ex illo principio: quia praecepta affirmativa obligant solum in articulo necessitatis. Esset autem laudabile interdum id facere; quia bonum spirituale proximi de se est maius, quam temporale proprium; unde illud praeferre erit consentaneum caritati: non tamen semper quicquid est consentaneum caritati, est in praecepto ».

Et quidem ex hoc principio praestat eam sacerdotis obligationem deducere potius quam ex officio sacerdotali; secus induces facile obligationem, ubi non habetur necessitas sed mera utilitas: quod est contra mentem ac sensum Doctorum.

Dub. VI.

Quae scientia et prudentia in Confessario requiratur.

CXXXVI. Respond. 1. Ut Sacerdos rite absolvat, debet, quantum moraliter fieri potest, omnia peccata poenitentis intelligere; quia alioqui is frustra teneretur recensere.

569. Cum necessitatem intelligendi peccata deducat A. ex necessitate confitendi ea in poenitente; patet, id sumendum esse de peccatis gravibus, nunquam alias rite confessis et absolutis.

Unde resolves.

CXXXVII. 1. Peccat, qui absolvit eum, cuius peccata per negligentiam non satis intellexit; quia fert sententiam incognita causa. Validam nihilominus esse absolutionem, sive propter somnium etc. ut dictum supra cap. 1. dub. 3. a. 4. sive propter cantum vel linguam impeditam poenitentis (sine huius tamen culpa) aliqua non intellexerit, docet Dian. 3. p. 4. t. 4. r. 109. et p. 4. t. 4. r. 198. Item Laymann. lib. 5. tr. 6. c. 9. ex Henr. Suar. Sylv. Merc. in 3. p. eo quod essentia et effectus Sacramenti consistere possit absque integra et specifica peccatorum explicatione, si sine culpa poenitentis omittantur. Vide Dian. l. c.

570. Intellige resolutionem de gravibus peccatis; validitas tamen absolutionis tribuenda est bonae fidei poenitentis.

CXXXVIII. 2. Si tamen poenitens post confessionem intelligat, unum vel plura mortalia non fuisse intellecta, debet ea repetere in sequenti confessione, sive apud eundem sive alium Confessarium. Laym. Dian. ll. cc.

571. Debet poenitens repetere tantum peccata non intellecta a Confessario, quia quoad alia rite et directe fuit absolutus.

CXXXIX. 3. Confessarius absolvens ex ignorantia, quem absolvere non poterat, dupliciter peccat, nimirum ignorantia eorum, quae ad officium suum spectant et indebite absolvendo. Tann. in 1. 2. d. 4. q. 4. dub. 1. n. 12. Lugo d. 16. s. 4. n. 185.

572. Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 184. hanc doctrinam non ut suam proponit, sed refert ceu doctrinam Malderi « *cui doctrinae* (inquit) *videtur consentire Tanner* etc. ». Imo Lugo n. 184. init. dicit. Malderum *aliquantulum discedere a communi doctrina* et mox n. 185. subdit: « Hoc tamen, nisi sano modo... intelligatur, in rigore non est universaliter verum ». Ergo non bene A. refert doctrinam Lugo.

Iudicium suum autem sic Lugo explicat: « Poterit quidem contingere quod committens homicidium ex ignorantia Decalogi, committat peccatum aliquod diversum etiam specie a puro homicidio; quia nimirum per ignorantiam totius Decalogi non solum se exposuit periculo homicidii, sed aliorum peccatorum contra Decalogum: quod idem de Confessario et quolibet alio ignorante quae ad officium suum pertinent

cum proportione dicendum est et tunc oportet explicare etiam malitiam ignorantiae ».

Conclusio est, quod fateri debeat, se ex ignorantia indebite absolvisse et sic se reum fatetur confuse etiam aliorum peccatorum, in quae ob illam ignorantiam prolabi potuit. Ceterum quo se porrigat huiusmodi reatus, difficile est explicare: pendet enim ab secuturum incommodorum praevisione, quam iste habuit, vel dum instrui debebat vel dum conscius ignorantiae suae ad sacramentum administrandum accedebat: cuius reatus naturam ac pondus solus Deus commensurare potest. Sed de his melius, ubi de *Ignorantia:* idcirco cf. tr. 1. vol. I. 51. seqq.

CXL. Resp. 2. Ut Confessarius valide absolvat, requiritur et sufficit cognoscere peccata, saltem sub confusa ratione peccati. Ut vero licite, requiritur ea scientia, ut possit ferre prudens iudicium in hoc foro; ideoque scire debet 1. quae sint mortalia, quae venialia, saltem ex genere suo: 2. species et circumstantias necessario explicandas: 3. spectantia ad restitutionem bonorum et famae: 4. casus reservatos et excommunicationes saltem communiores: 5. censuras et irregularitates communiores pro Sacerdotibus: 6. requisita in poenitente ad bonam dispositionem: 7. remedia peccatis opportuna. Circa quae omnia notantur haec tria.

Primo sufficere, si ea sciat mediocriter, ita ut saltem norit prudenter de omnibus dubitare et doctiores se vel libros consulere.

Secundo, maiorem minoremque requiri ac sufficere scientiam, pro diversitate locorum et poenitentium. Bonac. d. 5. q. 7. p. 2. §. 2.

Tertio, graviter peccare tum eum, qui sine sufficiente scientia huic muneri se ingerit, tum eum, qui talem sine necessitate constituit aut, cum possit corrigere, tolerat. Laym. l. 5. c. 15. Bonac. l. c. Lugo.

573. S. Alphonsus n. 627. quoad iudicium de mortalibus ac venialibus, proponit doctrinam hanc communem cum Lugo *de Poenit.* disp. 21. n. 70.: « Haec scientia non debet esse tanta, ut de omnibus, quae poenitens dicit, possit discernere an sint mortalia vel venialia: saepe enim id nec doctissimi possunt: partim quia non possunt scire perfecte ipsum factum (atque id frequenter contingit circa peccata cogitationum, aestus irae, detractionum, imprecationum, aspectuum etc.), an consenserit poenitens cum plena deliberatione vel non, partim quia nec ipsum etiam ius in omnibus sciri potest. Satis ergo est, si sciat, in iis quae communiter occurrunt, an sint mortalia vel venialia ». Et mox n. 71.: « Hinc infero non requiri, quod Confessarius *de omnibus,* quae audit a poenitente, iudicet, an sint gravia vel levia: imo neque an sint vel non sint peccata, sed *de communibus;* reliqua vero audiat et intelligat ac postea absolvat cum debita intentione ».

Addit s. Alph. n. 627. cum Suarez « quod licet in aliquo casu Confessarius non discernat, quae sint gravia aut levia, si tamen poenitens bona fide dicit peccatum suum, confessio valet et quamvis postea advertatur, fuisse mortale, non est cur repetatur in alia confessione ».

574. Quoad species et circumstantias, 1° adverte intelligi circumstantias speciem vel moralem vel theologicam mutantes: 2° quando lis est inter Doctores, num habeatur diversitas speciei, v. gr. in gradibus incestus, sicut poenitens non tenetur fateri, sic nec Confessarius interrogare. 3° Hinc necessitas addiscendi tum ex generalibus principiis tum ex quaestionibus singularibus, quando species mutetur (de qua re utiliter legetur Tamburini opusculum: *Methodus expeditae Confessionis*). 4° Non opus erit scitari speciem, quando appareat, poenitentem de speciali illa malitia nihil cogitasse. 5° Ad prudentiam Confessarii pertinet, num poenitentem de speciali illa malitia monere debeat, iuxta regulas superius traditas *de poenitente monendo*.

Quoad casus reservatos, recte monet Lugo disp. 21. n. 70., melioris conditionis eos esse, qui habent facultatem absolvendi a reservatis per Bullam vel aliud privilegium. Et certe minus difficultatis patitur, quisquis brevi catalogo meminisse possit, quid interdicatur absolvere.

Catalogum papalium censurarum et irregularitatum de quibus mox A., dabimus in ultimo volumine. Porro non tantum harum notitia est curanda, sed et distincte sciendum, quando incurrantur tum ex principiis generalibus, tum ex specialibus quaestionibus quoad singulas.

575. Quoad remedia proponenda, 1° noscenda sunt tum generalia, tum specialia.

2° Prudenter insinuanda, ut apta sint conditioni et circumstantiis personarum.

3° Non putet Confessarius, se posse haec aut illa speciatim sub praecepto imponere.

4° Sed efficiat, ut ultro suscipiantur; qua in re opus est multa industria.

5° Cum ex libris disci possint, melius ea noscet et praescribet ille, qui asceticam non mere speculative sed practice noverit et in se expertus fuerit.

Quoad primum ex tribus notandis s. Alphonsus n. 607. mavult, ut dicatur « satis esse, si Confessarius intelligat, quae frequenter accidunt et de aliis sciat dubitare ».

Et ita Lugo disp. 21. n. 70.: « Non est necesse, quod in dubiis, quae occurrunt, possit ipse omnia resolvere; satis est, si communia sciat et de difficilioribus sciat saltem dubitare, ut libros vel peritiores consulat ».

Atque hoc sensu accipienda sunt verba Auctoris, ut scil. multa noverit, nihil vero sit, de quo saltem dubitare non sciat. Neque enim tam stultus existimandus Auctor, ut satis putaverit, quod Confessarius dubius sit *de omnibus;* quasi vero pro omnibus confugere deberet ad libros vel ad peritiores.

Ceterum Lugo aliud suggerit pro adiunctis, in quibus nec ad libros aut viros peritos confugere possit. « Quando dandum est consilium in futurum vel imponenda restitutio aut prohibendus contractus dubius vel quid simile, si ipse Confessarius non potest se ipso id resolvere, erit bonum consilium, petere a poenitente, an sit paratus ad consulendos homines peritos et ad standum illorum iudicio circa illud dubium: quod si poenitens promittit, absolvat, dicendo illi obligationem, quam habet, consulendi aliquem vel aliquos de illo dubio ».

576. Quod spectat ad secundum notandum, ita Lugo disp. 21. n. 70.: « Unde apparet, scientiam, quae in Confessario requiritur, non esse eandem pro omnibus; aliquibus enim minor sufficit ad audiendas confessiones puerorum vel rusticorum, in aliis maior requiritur ad audiendos mercatores, iudices etc., qui casus habent difficiliores. Ad confessiones vero hominis docti, multo minor requiritur...; quia potest Confessarius instrui ab ipso poenitente... ».

In tertio notando, ait A. peccare et eum qui ignorantem constituit: addit Lugo disp. 21. n. 72. « non solum Praelatus, sed etiam poenitens qui habet facultatem eligendi Confessarium et scit hunc non esse idoneum, licet hic sit approbatus, peccat eum eligendo, nisi sua doctrina possit supplere inscitiam Confessarii, ut dictum est ».

Iuvat referre hanc aliam animadversionem Lugo n. 72.: « Infero secundo, peccare graviter eum, qui sine scientia *respective* requisita exponit se ad audiendas confessiones: in quo non est differentia inter confessarium regularem et secularem, *formaliter* loquendo, nam uterque obligatur praecepto naturali. Poterit tamen esse differentia materialis, quatenus Religiosus, qui dubitat de sua aptitudine et sufficientia ad illud ministerium, facilius poterit deponere illud dubium, quando Praelatus, qui eum bene novit, iudicat illum aptum et imponit ei tale munus ».

Id tamen admitti potest etiam quoad secularem, si pari modo Episcopus bene novit subditum atque adigit ad ministerium.

Addit tamen A., *sine necessitate*. Nam in casu necessitatis Lugo disp. 21. n. 73. « licet sacerdos sit ignarus et indoctus, debet audire confessionem et absolvere; quia scientia Confessarii requiritur ad integritatem confessionis: cum autem in illo periculo non requiratur materialis integritas, sed sufficiat percipere aliquod peccatum vel etiam peccatum in genere; non obstabit Confessarii inscitia in eo casu. Unde idem dicendum erit, quando christiani, qui apud infideles in servitute detinentur, non habent nisi unum sacerdotem ignarum et indoctum, ut docet Suarez *de Poenit.* disp. 28. sect. 2. n. 6.; quia illa quoque reputatur necessitas moraliter extrema ».

Quam necessitatem excusare ait s. Alphonsus n. 628. « si aliter poenitentes deberent diu carere confessione, ut evenit in captivis... Et idem dicunt DD. pro parvis oppidis aut triremibus, ubi, ut aiunt, si haberi nequeunt docti sacerdotes, deputari possunt minus docti: admonendi tamen de obligatione discendi ».

Quam in rem Lugo disp. 21. n. 74. docet, excusandos in hisce adiunctis Praelatos deputantes. « Addo, ex hoc capite excusari saepe Praelatos, qui in aliquibus oppidis exiguis et remotis praeficiunt parochos indoctos et rudes; hoc enim plerumque faciunt, quia propter exiguum stipendium et penuriam rerum ac pauperiem incolarum, non invenitur homo doctus, qui velit curam illam suscipere. Unde cum aliter non possit ovibus illis subveniri, ut suppono, melius est, quod habeant Confessarium indoctum in tali necessitate, quam quod omni remedio prorsus destituantur. Deberet tamen Praelatus admonere parochum de defectu scientiae, quem patitur et de obligatione, quam habet, comparandi, si possit, doctrinam necessariam ad suum ministerium obeundum. Hanc enim obligationem semper habet parochus et Confessarius, licet Praelatus ob necessitatem ovium excusetur aliquando mittendo ministrum minus sufficientem ».

577. Praestat porro heic subiicere sententiam s. Alphonsi n. 628., ne quis forte nimis sibi blandiatur et illudat: « Ceterum (inquit), qui ad hoc munus excipiendi confessiones inhiant, non facile sibi suadeant, quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiae moralis; pro qua certe non sufficit aliquam percurrere summulam earum, quae circumferuntur, nec satis est generalia principia huius facultatis scire, ut quidam, qui (casuistas contemnentes) litteratorum arrogant sibi nomen, autumant. Moralis enim scientia non solum valde necessaria est christianae reipublicae; cum ex ea pendeat bonum regimen animarum: sed etiam est *summopere difficilis;* tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium, tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quae non nisi apud casuistas allatae inveniuntur et maxime apud recentiores, cum huiusmodi leges in dies prodeant: demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet variatio; nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia et in hoc difficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione vel plurium accurata lectione librorum, qui res examinant ac dilucidant ». Ita s. Alphonsus.

Unde resolves.

CLXI. 1. Si poenitens advertat, Sacerdotem non percipere peccati gravitatem, tenetur illum monere, se peccasse mortaliter.

578. Nulla difficultas: sed ut teneatur poenitens, debet advertere et nosse hanc monendi obligationem.

CXLII. 2. Qui sciens prudens confitetur ei, quem scit suam conscientiam diiudicare non posse, tenetur confessionem repetere apud peritiorem; quia graviter peccavit sic confitendo.

579. Intellige, nisi ipse poenitens suppleat defectum Confessarii quoad scientiam; nam tunc potest esse dispositus.

CXLIII. Resp. 3. Prudentia requiritur tum in instructione, monitione, curatione poenitentis, tum in interrogatione. Et quidem si prudenter iudicet integre esse confessum, v. gr. quia bene instructus potest et solet adhibere diligentiam debitam, non tenetur quidquam interrogare, alias tenetur, ut habet communis (Dian. tamen p. 2. t. 15. r. 7. ex Nav. et Valer. negat esse mortale, non examinare aliquam circumstantiam ex oblivione vide etiam Card. de Lugo d. 22.); quia tanquam iudex debet curare integritatem iudicii et tanquam medicus, ut morbi et vulnera perfecte detegantur; cavendo interim, 1. ne examen sit curiosum de non necessariis, unde Confessarii existimatio, Sacramenti dignitas et poenitentis profectus minuatur: 2. ne sit indiscretum, v. gr. de iis, quae moraliter certum est a tali non solere committi, vel ex quibus discat peccare poenitens, vel de inverecundis inverecunde, vel de numero nimis anxie, si ex dictis probabiliter aestimari possit: 3. ne sit intempestivum et sinatur prius se explicare, quantum potest, ne importunitate terreatur. Quod vero quidam monent, expedire, ut poenitens inter confitendum non interrumpatur, id Card. de Lugo d. 22. n. 15. universim non probat, praesertim si confessio non sit brevis; quia facile aliqua excidunt a memoria.

580. Tria A. proponit et primo nihil adiiciendum: quia de instructione monitione, interrogatione, curatione iam in praecedentibus dictum est. Videat tamen Confessarius, ne curiose inquirat non necessaria.

Doctrina Diana, de qua in parenthesi A., scil. non esse mortale non examinare circumstantiam ex oblivione, significat (Dian. tom. 1. tract. 2. resol. 44. n. 4.), « quod omittere aliquam interrogationem necessariam per inadvertentiam aut oblivionem, non erit peccatum mortale ». Quae doctrina communis est et esse debet, ut patet ex primis rudimentis theologiae moralis.

Quoad tertium cavendum, sapienter monet Lugo *de Poenit.*, disp. 22. n. 15.: « Quod aliqui monent, ne Confessarius poenitentem interrumpat interrogationibus, sed, si quid interrogandum, reprehendendum vel monendum sit, reservetur in finem, ne terreatur vel turbetur ab iis dicendis, quae praemeditatus fuerat: hoc in universum non probo; quia plura memoria Confessarii excident, praesertim si confessio brevis non sit. Quare si advertatur obligatio restituendi, si ignorantia culpabilis atque etiam conscientia erronea circa aliqua, vel quod simile; satius

erit suaviter eum successive adiuvare: quod idem magis expedit circa numerum, species et circumstantias peccatorum, quae dicit, quae omnia si in finem reserventur, confusionem et oblivionem plerumque afferunt Confessario ».

Duo monet s. Alphonsus n. 607. nempe, melius esse, ut Confessarius examinet ad singula, quae poenitens dicit, quam ut omnia referat in finem. Sed nihil impedit, quominus aliqua reservet in finem. Id ex adiunctis pendet.

Aliud est, cavendum esse Confessario, ne acriter reprehendat poenitentem, dum adhuc confitetur, ne forte deterritus alia peccata reticeat. Non tamen (subdit bene) erit incongruum, si inter confessionem aliquando *humaniter* gravitatem criminum poenitenti exponat, dummodo illico animum praebeat ad alia confitenda.

581. Subiicere heic iuvat quaedam s. Alph. et Lugo monita quoad poenitentes interrogandos. 1° S. Alph. n. 607. « Rustici qui putantur non satis examinati, communiter non sunt dimittendi ad se melius examinandos. Ita communis DD. Ratio, quia dimissi, vix unquam paratiores redibunt; imo absterriti difficultate examinandae conscientiae facile a confessione se retrahent. Etiamsi *negligenter*, inquit Lugo disp. 22. n. 20., inveniantur examinati, communiter non sunt dimittendi, ut se examinent et redeant; quia de iis praesumitur, licet millies se examinent, non fore magis aptos, quam si ab ipso Confessario breviter interrogentur et examinentur ».

Qua de re ipse Lugo disp. 16. n. 593. habet haec notatu dignissima: « Hinc constat, quomodo excusentur Confessarii, qui inveniunt quidem poenitentem non praeparatum sufficienter nec facto sufficienti examine ad confessionem accedere et tamen illum non dimittunt, ut se praeparet ac diligenti facto examine redeat, sed potius illum interrogant et quidem circa aliqua peccata (N. B.) quorum poenitens non meminerat, ex improvviso interrogant numerum, quem quidem non videtur poenitens posse absque aliqua recogitatione dicere, nisi temere vel cum magna confusione; quare videtur remittendus ad cogitandum de iis cum maiori attentione. In contrarium tamen est praxis communis; vix enim unus aliquando remittitur ad examen iterum faciendum. Ratio autem est, quia eiusmodi homines rudes et ignari, quantumcumque millies remittantur, nunquam se melius examinabunt, nec poterunt ita bene dicere peccata sua, sicut nunc, si ab ipso Confessario mediocri diligentia interrogentur. Imo (N. B.) contingere poterit, ut Confessarius inveniat poenitentem indigere confessione generali propter confessiones irritas praecedentes et tamen persona sit talis, ut possit statim examinari et audiri de tota vita; quia non est spes,

quod sibi relicta melius examen faciat, quam illud, quod iuvante Confessario ibi facere poterit ». Praeterea periculum est, ne territus poenitens labore et difficultate despondeat animum.

582. Secundum s. Alphonsi monitum est: « Non est obligatio interrogandi eos, qui videntur satis instructi et diligentes in dicendis peccatis cum suis circumstantiis ».

Neque solum non est obligatio, sed cavere debet ab interrogando; quia cum huiusmodi personis interrogatio est quaedam reprehensio. Quod tamen non impedit quin aliquando, ubi interrogatio apparet ut subsidium memoriae, haec fieri possit.

Tertium s. Alphonsi monitum est: « Confessarius non sit nimis anxius in interrogando: sed interroget tantum de iis, quae probabiliter poenitenti conveniunt: alias interrogatio erit onerosa ».

De hac re sapienter Lugo disp. 16. n. 589.: « Observandum summopere, neque in ordine ad confessionem praesentem obligari Confessarium ad examinandum poenitentem exquisita industria et exactissimo examine, sed suavi et humano. Ad cognoscendum autem gradum huius diligentiae... advertendum est in hoc errari posse vel per defectum, prout rudiores et ignari Confessarii deficere solent, nihil interrogando vel solum crassissima et generalia, vel etiam errari posse per excessum, nimium interrogando et examinando; *in quo* (N. B.) *docti Confessarii maius periculum* habent, quia ipsis occurrunt plures et plures interrogationes, quae circa peccata fieri possunt ad melius speciem ac numerum cognoscendum ».

Dein disp. 16. n. 590. id confirmat exponendo, quae sit obligatio poenitentis, notando, quod minus quam poenitens, teneatur Confessarius. « Circa hoc itaque advertendum est, per se loquendo, non esse in hoc puncto maiorem obligationem Confessarii ad interrogandum, quam sit ipsius poenitentis ad examinandam suam conscientiam ac recogitanda sua peccata. Imo poenitens obligatur primo loco et in eius defectum obligatur Confessarius ad eum iuvandum (N. B.) IUXTA IPSIUS CAPACITATEM, atque ideo minus obligatur, quam ipse poenitens. Certum est autem, poenitentem ipsum non obligari ad exactissimum examen suorum peccatorum, sed ad humanum, hoc est tale, quo Sacramentum istud non reddatur nimis grave et onerosum: minus ergo tenebitur Confessarius ad examen et interrogationes tales, quibus confessio reddatur poenitentibus gravis et onerosa nimis. Unde non est bona regula (N. B.) si dicas: talis vel talis interrogatio faciet aperire magis distincte numerum vel speciem peccatorum; ergo illa etiam interrogatio adhibenda erit. Sicut neque in ipso poenitente est bona regula, si dicas: si hic homo cogitaret adhuc alia hora de suis pec-

catis, recordaretur alicuius peccati, cuius non recordatur, vel posset computare melius numerum peccatorum; ergo tenetur cogitare alia adhuc hora. Ratio autem est eadem, quia scilicet non est attendendum solum ad exactam et integram confessionem peccatorum sed etiam est *maxime* attendendum ad conditionem humanam et ne ex eo capite Sacramentum reddatur grave et odiosum, nec detur ansa impudentibus et ignaris haereticis vocandi illud *conscientiae carnificinam* ».

Hinc concludit ad necessitatem prudentiae, addens exemplum damni secus timendi disp. 16. n. 591. « Et ad hoc maxime requiritur prudentia Confessarii, ne nimium poenitentem torqueat aliis et aliis interrogationibus minutissimis, sciens, quod nunquam ita exacte illum examinabit, ut ab alio doctiori non posset ulterius interrogari de aliqua circumstantia vel differentia omissa. Sicut etiam ex parte poenitentis prudentia requiritur, ne se in examine conscientiae nimium vexet sed humano examine contentus sit; quod quidem experientia didici in iuvene quodam nobili et quoad reliqua prudenti, sed in hac parte nimis scrupuloso; qui cum confessionem generalem totius vitae facere vellet, per quindecim dies se praeparavit et plurima folia de suis peccatis scripsit, quibus legendis multi dies non sufficerent: sed neque his contentus, novum adhuc examen instituit; quo facto, cum iam per dies aliquot confiteri coepisset Vallisoleti, ubi ipse cum regia curia morabatur, in eas tandem angustias, confessionis occasione redactus est, ut ipsemet pugione se letaliter percusserit, Deo tamen providente, ut ante mortem posset iterum confiteri: certum est itaque, quod iuvenis ille non tenebatur ad tantum studium adhibendum circa examen, licet nova illa et assidua cogitatio nova peccata vel maiorem illorum distinctionem in mentem revocaret. Minus ergo tenebitur Confessarius ad eas interrogationes et examen, quod ex se aptum sit ad generandum taedium et horrorem circa hoc sacramentum ».

583. Regulas deinde sic aliquas proponit disp. 16. n. 594.: « Constat, circa examen et interrogationem humanam, quam solum requiri diximus, non posse dari unam et eandem regulam pro omnibus personis; pendet enim ex capacitate et dispositione corporali, ex attentione et aliis circumstantiis. Quare pauciores et crassiores interrogationes debent fieri homini inculto et barbaro, quales sunt Indi Occidentales, quam alicui Europeo: levius item examinandus est rusticus noster, quam homo civilis: levius qui aegrotat et difficilius potest ad subtiliora attendere propter capitis debilitatem, quam homo sanus et robustus: denique (quod notandum etiam est) levius et minus exacte interrogandus est circa singula qui plura habet peccata; quam

qui pauciora. Ratio colligitur ex dictis; quia cum solum requiratur diligentia et examen humanum: hoc autem sit illud, quod non generat ex se fastidium et taedium huius sacramenti; consequens est, ut minus distincta notitia requiratur ab eo, qui vel propter incapacitatem vel propter morbum vel propter peccatorum multitudinem vel aliam ob causam difficilius posset exactam notitiam reddere. Nam illi, qui confiteri debet peccata totius vitae, quam in omni peccatorum genere expendit, difficillimum esset et aptum ex se ad reddendam illi confessionem odiosam et gravem nimis illud examen, quod alteri facienti confessionem menstruam non esset difficile, sed facile. Et haec est ratio, cur a meretrice et concubinario et similibus minus exacte et distincte petamus numerum peccatorum, quam si per mensem vel hebdomadam solum v. gr. in eo peccato fuissent; quia nimirum diligentia quae pro peccatis unius hebdomadae distincte confitendis sufficeret, eadem, si pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem et molestiam ingereret talem, ad quam praeceptum confessionis integrae non obligat; quia redderet praeceptum ipsum et confessionem nimis molestam et gravem. Debet ergo Confessarius accommodare se poenitenti et notitiam peccatorum a singulis petere *iuxta capacitatem singulorum:* subtiliorem a subtilioribus, crassiorem a crassioribus, breviorem ab infirmioribus; haec enim notitia et interrogatio humana est, quam solam hoc sacramentum desiderat » (a).

Unde resolves.

CXLIV. 1. Si Sacerdos advertat poenitentem, etiam post sufficientem diligentiam, peccatum aliquod aut circumstantiam necessariam omittere, probabilius ac verius est per se loquendo, teneri interrogare; etsi neget Sà v. *Confessor* et Medin. docens, si diligenter examinata conscientia unius sit oblitus, non teneri Confessarium illud revocare in memoriam, nisi cedat in damnum proximi; quod Vasq. q. 93. dub. 7. n. 3. videtur dicere esse probabile: verum alii reiiciunt. Vide Card. de Lugo d. 22.

584. Admittenda nota s. Alphonsi, consentientis ex communi sententia his, qui reiiciunt nec ut probabilis habenda opposita opinio.

(a) Prodiit nuper opusculum magno plausu a non paucis exceptum (la Confession d'après les grands maîtres par le p. I. Zelle S. I.), quo, supposita prius, propter auctoritatem veterum et recentium Doctorum id testantium, frequentia poenitentium qui vel ex negligentia vel ex pudore peccata gravia reticent, commendatur confessariis, ut sedulo per interrogationes tum directas tum indirectas investigent conscientiam poenitentis, eique sanandae confessionem generalem instituendam proponant. Non crediderim, hac aetate inter eos, qui ad sacramenta accedant, multos esse qui dum confitentur, peccata scienter reticeant: porro si omissio, quod non raro in rudibus continget, haud sit graviter culpabilis, non sunt vexandi acriter poenitentes, nec remedium idoneum erit repetitio omnium praecedentium confessionum. Illud praesertim cavendum est, ne paulatim, sensim sine sensu methodo hactenus adhibitae ex Christi institutione, quae est, ut confessarius iudex procedat *per accusationem*, alia substituatur, qua iudex procedat e contrario *per inquisitionem*. Quam differant hae methodi vide in Vol. IV. nbi de Iudiciis. E.

Vix tamen locus erit, nisi poenitens ex distractione vel verecundia taceat: quomodo enim scit Confessarius aliquid aliud superesse? Casus ergo fere erit, quando eodem actu plura violantur praecepta et poenitens unam violationem aperit, reliquas tacet.

CXLV. 2. Etsi Confessarius, cui evidenter constat peccatum poenitentis, quod tamen ipse neget, non debet illum absolvere, quando vero ex aliorum relatione vel suspicione id habet, standum sit poenitentis confessioni, cui in hoc foro, tam pro quam contra se fides habetur. (Suar. tom. 4. d. 32. s. 3. Fagund. p. 2. l. 6. c. 4. n. 38. citati a Dian. p. 3. t. 4. r. 105.): in utroque tamen casu prudentis Confessarii est. 1. caute et a longe, tum propius interrogare. 2. Si nihilominus neget, prudenter iudicare, an non potuerit oblivisci, vel confessus esse alteri, vel putare non esse peccatum, vel simili de causa excusari, ita ut debeat absolvi. Dian. l. c. ex Sylv. Nav. Tol. etc. 3. Si peccatum illud norit ex confessione complicis, non uti illa scientia, nisi in genere quaerendo, an non aliud conscientiam gravet et excitando ad maiorem contritionem, ob periculum indirectae revelationis, aut, etsi complex dederit veniam, ob periculum scandali. Vid. Laymann c. 14.

585. Tota doctrina huius resolutionis (quoad duas priores partes) potest comprehendi brevi hac formula Lugo *de Poenit.* disp. 22. n. 22.: « Omnes debent convenire, quod si sacerdos sciat evidenter, poenitentem *sacrilege* negare peccatum, non potest eum absolvere; posse vero, si hoc non sciat ».

Sic ergo intelligenda verba A. — *cui constet evidenter peccatum poenitentis* — scil. constet de peccato, quod *sacrilege* ille negat.

Et ita docet et s. Alph. n. 631. ubi melius rem explicans dicit: « Si scit extra confessionem et noverit ex propria scientia, puta furantem aspiciendo, vel audiendo blasphemantem, sine dubio non debet absolvere, si ille negat; *modo non adsit prudens dubium, an alteri fuerit confessus, vel iustam habeat causam tacendi.* Ita communiter omnes ».

Circa autem *prudens dubium* de iusta tacendi causa, quam suspicari Confessarius possit, advertenda sunt ea, quae Lugo disp. 22. n. 21. affert ex Megala: « Saepe (inquit) contingere potest, quod poenitens habeat causam rationabilem, saltem in sua apprehensione, tacendi illud peccatum, ad vitandum v. gr. damnum suum vel alterius (id in carceribus saepe, dum socii huiusmodi metum respectu Confessarii aliis persuadent): poterit ergo saepe Confessarius existimare, quod poenitens id neget ex rationabili causa, saltem existimata; atque adeo non esse defectum formalem, sed solum materialem integritatis requisitae ». De qua doctrina mox Lugo subdit n. 22.: « *In hoc non potest esse controversia* nec Suarez et alii negant, quod quando dubitat Confessarius, an poenitens licite neget, saltem iuxta suam existimationem, peccatum, quod commisit, possit illum absolvere. Suarez enim *de Poenit.* disp. 22. sect., 3. n. 9. expresse dicit, non posse absolvi, quando *evidens* est

Confessario, poenitentem mentiri *contra integritatem confessionis;* in praedicto autem casu *non mentiretur; nec faceret contra integritatem confessionis*, cum posset uti aequivocatione licita et non violaret praeceptum integritatis, cum haberet legitimam causam excusantem, saltem iuxta suam existimationem ».

Ex quibus patet, quam caute interpretandae et allegandae sint DD. opiniones. Ita etiam reipsa Suarez l. c.: « Si autem OMNINO SIT EVIDENS illum MENTIRI CONTRA INTEGRITATEM CONFESSIONIS, non tenetur ita stare dictis poenitentis, ut non possit uti scientia sua ad convincendum et redarguendum ipsum poenitentem (hanc convictionem et redargutionem non video aliis probari). Unde si *evidenter videat*, illum esse indispositum non debet illum absolvere, quidquid ille dicat: idem ergo erit, si evidenter videat non integre confiteri ».

586. Quoad alteram partem doctrinae A., quando scil. Confessarius noverit ex relatione aliorum vel suspicione, etiam s. Alph. fatetur *communem esse doctrinam,* quod post prudentem explorationem seu interrogationem, si poenitens neget, absolvendum esse: quia uti omnes docent, in foro poenitentiae credendum poenitenti et pro se et contra se fatenti.

Veruntamen s. Alphonsus n. 631. addit, sibi non videri alienum a ratione, quod docet Elbel *de Poenit.* conf. 13. n. 454., non valere praedictam regulam, si ex certa aliorum relatione confessarius *moraliter evaderet certus* quod poenitens ex erubescentia tacet. Haec est doctrina difficilis, nec liquet cur idem Elbel subdat, ita sentire *omnes;* nam hoc aperte falsum est, quia ipse solus hanc additionem habet. Certe Suarez disp. 32. sect. 3. n. 9.: « Regulariter standum est confessioni et dicto poenitentis; unde *quantumcumque* Confessor sciat peccatum poenitentis *ex aliorum relatione*, TENETUR *in hoc iudicio magis credere ipsi poenitenti,* propter rationem factam ».

587. Monita, quae addit A., clara sunt. Quod spectat ad tertium de casu complicis, s. Alph. n. 631. relata sententia Lugo, qui docet complicem negantem esse absolvendum et Elbel, qui docet absolvendum sub conditione, s. Doctor, inquam, velut meliorem adoptat opinionem Croix lib. 6. part. 2. n. 1969., qui dicit, nullo modo absolvendum poenitentem, sed aliquid orandum ad occultandam negationem absolutionis et addit s. Doctor, huic doctrinae adhaerere etiam Vivam.

Sed 1° falsum est, Vivam approbasse hanc opinionem; sed solum *de Poenit.* q. 8. art. 5. n. 2. scripsit, non absolvendum poenitentem, si Confessarius *prudenter* iudicet, poenitentem *negare ex erubescentia.* Sed non dicit Viva haberi prudens hoc dubium in casu s. Alphonsi. Qua in re tamen Viva male allegat Suarez et Lugo; nam hi non

dixere: si sciat *prudenter*, sed SI OMNINO SIT EVIDENS. Et iuxta hos, nisi sit evidens, iudicium non foret prudens.

2° Croix vero utique citat, ut ait et s. Alphons., Suarez, Dicastillo et Illsung. Sed ex his solus Illsung reipsa favebat Croix, qui imprudens ab eodem Illsung duas citationes Suarez et Dicastilli transscripsit. Imprudens inquam; quia Illsung *Theolog. Practic. Universa* tract. 6. disp. 6. q. 4. art. 7. §. 4. n. 128. non citat Dicastillum pro eiusmodi doctrina, sed solum ut evincat, aliquando posse sacerdotem simulare administrationem alicuius sacramenti, v. gr. dando particulam non consecratam homini rei conscio; ex quo (vid. Dicastill. *de Eucar.* tract. 4. disp. 3. dub. 21. n. 491.) Illsung infert, quod Confessarius potest pro absolutionis formula recitare aliquas alias preces. Suarez vero falso ab ipso Illsung allegatur, cum oppositum plane doceat.

Ergo tota series seu historia haec est, quod Illsung omnium primus hanc opinionem invexit, innixus falsa Suarezii allegatione: Croix vero transscripsit Illsung et falsam Suarezii allegationem, et abs re inadvertenter addidit Dicastillum. S. Alphonsus autem abs re addidit et Vivam, qui insuper Suarez sententiam falsis coloribus proposuerat. Atqui opinio spuriis eiusmodi orta natalibus spuriisque aucta praesidiis non est tanti ponderis, ut doctrina communis deseri propterea debeat. Ergo ista opinio, ut nova et arbitraria, posthabenda est.

Hinc licet videatis, quomodo tot opiniones a veterum doctrinis alienae oriri et gliscere potuerunt. Videlicet cursus Theologiae debet utique esse quaedam anthologia seu florum collectio: sed perperam ii putant, se anthologiam praebere, qui omnia ab omnibus corrogant indiligenter (ne scil. libello suo quidquam desit) nec perpendunt, utrum accessiones ad veterum doctrinam sint fructus solidi studii et scientiae profectus, an vero sint aberrationes hominum.

CXLVI. 3. Interrogationes in materia castitatis debent esse paucae et cautae, ne vel occasionem det investigandi aut traducendi confessionem, aut ignorantem doceat aut offendat, aut se vel illum periculo exponat. Ac si haec timeat, potius pati debet, aliquid deesse integritati materiali. Et quidem si in hac materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera: rudiores tamen cogitationes negant, verba et opera rogati fatentur; quod illas non aeque agnoscant aut advertant. Vide Laym. hîc c. 13. Conin. d. 7. dub. 7. Fag. Praec. 4. l. 4. c. 2. Dian. p. 3. tr. 4. res. 99.

588. Lugo disp. 16. n. 595. sobrietatem et cautelam commendat pro quibusdam materiis. « Ultimo advertendum est, hanc temperantiam in interrogando potissimum desiderari in rebus turpibus et obscenis...; tum ne forte ex eiusmodi interrogationibus poenitens male discat, quod bene ignorabat, tum etiam ne refricata memoria periculum generet novum, aut ipsemet Confessarius descendendo nimis ad particularia sibi scandalum praeparet et ruinam ».

Gury n. 615. affert haec ex Rituali Romano: « Caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim iuniores utriusque sexus, vel alias de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur indeque peccare discant ».

Et primam maxime ob causam valet sententia, quam post Coninck et Homobonum apud Diana tom. 1. tr. 3. resol. 195. inculcat P. Segneri in opusculo: Il *Confessore istruito,* nempe « praestare aliquando, sacerdotem minus perfecte peccatum poenitentis intelligere, quam vel illi vel sibi aliquod scandalum creare ».

Ergo imprudenter Confessarius pueros confitentes generatim actus turpes, quos variis nominibus *immodestiae, indecentiae, spurcitiae, immunditiae* et huiusmodi appellant, interrogaret de pollutione, aut eiusmodi. Unice scitari potest, an alias confessus sit, quid dixerit Confessarius, an solus peccaverit, *an aliis videntibus*, an alii sciant: quae ultimae interrogationes ducunt ad agnoscendum, an forte (ut accidit non raro) ab illis actibus absit quaevis culpa luxuriae: vel etiam deteget, an cum aliis peccaverit.

Item imprudentissime interrogaretur de sodomia, si quis e pueris confiteretur de indecentiis aut actibus incompositis cum aliis. Praeter dicta, si ratio adesset suspicandi, posset interrogare « *quid fecerit ipse, quid socii cum eo* ».

Item puellae, quae confiteantur de molestiis a viro toleratis, imprudentissime interrogarentur de aliqua expresse specie turpis peccati. Interroget prius, an culpa eius aliqua intervenerit, an consenserit in aliquod generice malum et si respondeat affirmative, tunc scitetur quid ipsi contingerit, aut quid fecerit etc., an solum manibus, quid actum et si responsio suadeat, tunc solum generatim poterit dicere: an se gesserit *ut uxor*, quod satis est.

Qua in re si speciem peccati satis iam intelligat, parcat omnino ab alio inquirendo et a scitandis circumstantiis non necessariis: quod interdum fieri potest; etiamsi clare non intellexerit speciem peccati ob tria pericula superius notata.

589. Et quidem cum sibi videtur satis perspexisse speciem peccati, moneat satis esse nec ulterius dicendum quidpiam; ut scilicet poenitens non maneat in mala fide: licet addi possit, ut dicat, an quidpiam habeat ulterius, quod remordeat conscientiam.

Item imprudenter, si quis confiteatur turpes aut cogitationes aut aspectus aut sermones, interrogaret quid cogitaverit aut dixerit aut viderit, nisi si quid aliquando necessarium sit generali quadam dictione inquirere, num obiectum peccati pertineat ad culpam vere luxuriae. Nam alias distinximus partes turpes et partes minus honestas et in-

terdum nomine *sermonum malorum* (discorsi cattivi) puellae significant sermones non de turpibus, sed de amoribus; alii vero significare volunt detractiones de peccatis turpibus, v. gr. quod quaepiam lapsa sit etc.

Item cum quis fatetur speciem peccati, non interrogandum de aliis circumstantiis. Quod si prudens suspicio sit, ne intercesserit circumstantia mutans speciem, v. gr. num, quando vir se versatum dicit cum muliere aut viceversa, peccaverint contra naturam, quae suspicio non est imprudens, quando mulier non sit ligata matrimonio nec publica sit, quippe timent de praegnationis infamia, prudens interrogatio potius fiat indirecte: v. gr. dum deterretur ab eiusmodi crimine propter periculum illud praegnationis (quod valet etiam de viro peccante cum uxorata) sponte poenitens occurret fatendo, an caverit hoc periculum: quod quidem prodit per se crimen contra naturam.

Quando vero sponte fateantur hoc crimen effusionis seu peccati extra vas, caveat omnino Confessarius (prouti monent Doctores apud Diana tom. 1. tr. 3. res. 195.) ne quaerat, quomodo peccaverint etc.; cum adiaphorae omnino sint hae circumstantiae ad speciem peccati.

Denique huc revocanda illa sunt, quae alias innuimus de personis matrimonio iunctis, nempe non esse instituendas interrogationes ac multo minus quosdam quasi processus, quo pacto munia matrimonialia impleant.

590. Diximus ad summum duo permitti posse: 1° Interrogari *aliquando* posse (videlicet quando quaedam adiuncta vel indolis personae vel discordiarum inter coniuges aliquam suspicionem prudentem iniiciant), interrogari posse (inquam) non quidem viros, sed uxores modesta interrogatione, an viro morem gerant in omnibus, in quibus debent. Raro vero aliquando, posse generatim ipsos interrogari (sub finem confessionis, quando alioquin interrogat, an quidpiam aliud habeant) aiendo ex. gr. num scrupulum aliquem habeant, an sint tranquilli.

2° Si vero poenitens ipse innuat se habere aliquod circa matrimonium (quod ut plurimum generali quidam phrasi solent significare), poterit utique Confessarius (pro adiunctis) interrogare, quid illud sit, vel potius.

3° Per se nullas quaestiones faciat, sed proposito generali principio, de quo alias diximus, regulam statuat generalem pro futuro.

4° Quoad praeteritum, sive grave malum intercesserit reipsa, sive solum ex falsa conscientia, rem componat, contentus generalis confessionis vel mali contra naturam, si affuit, vel generatim mali contra conscientiam.

5° Doceat, quomodo non sint ulterius alia inquirenda a Confes-

sario, sed generatim si vult, fateri possit venialia aut speciatim aut etiam generatim.

Interdum oportet ut confessarius moneat poenitentem de obligatione denuntiationis: qua de re cf. dicenda, infra, ubi de sollicitatione et in postremo volumine ubi de censuris speciatim.

CAPUT III.

DE ADIUNCTIS POENITENTIAE

Dub. I.

De sigillo Confessionis.

CXLVII. Respond. 1. Sigillum hoc est obligatio iuris divini strictissima in omni casu, etiam quo integri regni salus periclitaretur, ad tacendum, etiam post mortem poenitentis, dicta in confessione (idest in ordine ad absolutionem sacramentalem) omnia, quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum vel odiosum.

591. Sigillum est obligatio immutabilis, iure divino imposita, ad silentium circa ea, de quibus est sacramentalis confessio. Obiectum eius proinde est illud ipsum quod est materia confessionis, illud nimirum, quod ab ipso poenitente per suam sacramentalem confessionem manifestatur eademque confessio non quidem indefinite, sed determinate huius vel illius rei.

Cum obligatio sit silentii; non sola revelatio prohibetur, quae aliis fieret, sed ipsa collocutio (citra factam ab eo facultatem) cum poenitente de auditis in confessione.

Ratio obligationis est bonum poenitentium et reverentia sacramento debita, ne scilicet difficilior et odiosa reddatur confessio et sic deterreantur homines a sacramento. Quoniam cessat quodlibet huiusmodi damnum, si ipse poenitens facultatem faciat loquendi aut revelandi, dicta obligatio cum tali limitatione intelligitur: nisi poenitens ipse facultatem loquendi concedat.

Obligatio non oritur ex lege ecclesiastica; novit enim Ecclesia, se non posse ab ea dispensare neque immediate oritur ex ipsa sacramenti natura, quod potuisset idem manens publice administrari ac reapse potest, quoties consentiat poenitens: sed est ex lege positiva Christi, qui voluit hoc ius salvum semper esse poenitentibus, ut eorum confessio esset secreta. Hoc ius non viget, nisi exsistente sacramentali confessione.

Istud proinde ius distinguendum est a iure naturalis secreti commissi vel tacite promissi, quod habere potest locum inter Confessa-

rium et poenitentem respectu eorum, quae sub sigillo proprie non cadunt.

Huic iuri et obligationi sigilli a Deo statuti nulla humana lex derogare valet, nec ulla auctoritas postulare potest, ut secretum confessionis sibi reveletur: est enim notitia, quae non naturali sed supernaturali potestate atque pro dominio, quod Deus unus in conscientias habet, a Dei gerente vices, ipsius Dei nomine, conscientias scrutante obtinetur: atqui talia subducta sunt prorsus ab humana auctoritate. Civilis auctoritas ea a subditis requirat, quae naturalis ordinis finibus continentur, quaeque ipsa plus minus moderari potest: quae autem divini ordinis sunt liberaeque divinae supernaturalis institutionis ne attingat. Quid faceret, si sacramentalis confessio non obtineret? an prohibere valet, ne Deus secretum confessionis praecipiat? Ipsi perinde esse debet, ac si talis institutio, talis confessio non exsisteret.

Honor autem sacramenti et christianorum utilitas exigunt, ut nulla unquam ratione, nullius amore boni vel mali timore violari possit sigillum illud atque talem esse Dei legem, Ecclesia testatur. Sed conferendi hac de re dogmatici.

592. Duplici modo sigillum frangitur, *directe* et *indirecte*. Directe, cum illud revelatur aut dicitur quod silentio premendum est: indirecte, cum id dicitur aut fit vel omittitur, ex quo secretum confessionis alius arguere, divinare aut suspicari potest vel ipse poenitens pudorem aut quodvis aliud gravamen subire cogitur propter suam confessionem.

S. Alphonsus praemittit n. 633. quaestionem, an in materia de sigillo confessionis liceat uti opinionibus probabilibus, quae minus eidem sigillo favent.

Et quidem videtur ipse alibi affirmativam sententiam tenuisse aut certe non reprobasse; ast heic negativam sententiam omnino tenendam inculcat. « Quidquid igitur (inquit) alibi dixerim, re accuratius perpensa, puto, heic omnino dicendum, non licere uti opinionibus, ex quarum usu certum non sit moraliter, nullum poenitenti gravamen inferri posse ».

Et rationem urget, quod « licitum non est sequi opinionem probabilem in praeiudicium iuris *certi*, quod alter possidet. Poenitens autem possidet ius, ne occasione suae confessionis ullum patiatur gravamen ». Ergo.

Alias rationes ex aliis congerit Croix lib. 6. part. 2. n. 1945.-1946. Praestabit autem subiicere ea, quae de hac re habet Diana in Prooemio ad Tractatum *de Sigillo sacramentali*, part. 5. tract. 11. (nunc tom. 1. tract. 8.): « Miraberis fortasse, amice lector, me in sequenti Tractatu strictiores semper opiniones amplecti, qui tamen in aliis ad exonerandas

conscientias benignioribus libenter adhaesi. Sed ita merito faciendum esse duxi. Laxae enim opiniones circa praesentem materiam, odiosum ac onerosum efficiunt sacramentum poenitentiae, quod facile ac leve a nobis reddendum esse, omnis recta ratio expostulat. Igitur in his materiis quando duae adsunt opiniones, semper illa debet seligi, quae favet sacramento; ad cuius sacrosanctum tribunal alliciendi potius, quam retrahendi sunt poenitentes. Adde quod licet speculative loquendo multae ex infrascriptis opinionibus contra sacrum sigillum sint probabiles, tamen, prout concedunt ipsi Doctores contrarii, ut in praxim sine peccato deducantur, cum tantis circumspectionibus agendum est, ut difficile sine aliquo scandalo fieri posse existiment. Recte igitur in hac materia semper a Confessariis in favorem sacri sigilli tenendum esse puto ».

Unde resolves.

CXLVIII. 1. Violatio huius sigilli duplicem habet malitiam, sacrilegii, contra reverentiam Sacramento debitam et iniustitiae, ex pacto virtuali inter poenitentem et Confessarium de secreto isto servando in omni casu. Dian. p. 5. t. 11. r. 2. ex Fagund. Kellisson etc. Neque hîc datur parvitas materiae. Dian. p. 5. t. 5. r. 8. ex Malder, Baldel etc.

593. S. Alph. 635. mavult triplicem haberi malitiam, scil. 1° sacrilegii, 2° gravis infidelitatis ob tacitam promissionem servandi secreti, 3° detractionis, si peccatum non sit publicum. Ita, inquit, Sporer, Roncaglia, Croix et alii etc. Sed reipsa ea s. Doctor sumpsit ex solo Roncaglia *de Poenit.* quaest. 6. cap. 1. q. 2. resp. 1., qui alioquin ibi minus feliciter exhibet communem doctrinam. Nam virtus fidelitatis, quae ex communi doctrina nunquam obligat nisi sub veniali culpa, locum habere potest in promissis *gratuitis;* quando vero habetur secretum *commissum* (et heic erit etiam tacite *promissum*), debetur secretum ex virtute *iustitiae.* Unde utique haberi potest triplex peccatum; sed unum erit sacrilegii, alia vero duo contra iustitiam.

Quod vero addit, gravem semper esse culpam, certum est et commune. At 1° id intelligitur de sacrilegii peccato; nam quoad peccatum detractionis, posset esse leve.

2° Intelligitur de revelatione alicuius peccati etiam levis; alioquin si ageretur de alia re, quae eatenus dicitur ad sigillum pertinere, quia alias odiosa fit confessio, merito videri poterit, posse dari levem materiam.

Ita Lugo *de Poenit.* disp. 23. n. 17.: « Potest aliquando contrahi malitia gravis sacrilegii in hoc peccato sine malitia gravi iniustitiae, quando v. gr. id quod revelatur, est res parvi momenti, nempe aliquod

peccatum veniale, cuius revelatio parum vel nullum nocumentum poenitenti affert ». Unde concludit n. 18., Confessarium, qui forte peccet in hoc, debere explicare, an materia sit gravis contra iustitiam.

Addit Lugo disp. 23. n. 69. « Ex defectu advertentiae non est dubium, quod possit saepe contingere, ut in violatione sigilli detur culpa venialis: ut si narrat aliquam historiam, putans non agnosci personam quae tamen agnoscitur et intervenit aliqua imprudentia Confessarii, sed levis. Item si Praelatus fervore correctionis aliquod verbum acrius adiungit cum advertentia veniali ex aliqua notitia, quam habuerat ex confessione mediate vel immediate ».

594. Quidam levitatem culpae etiam ex parte materiae admiserunt, quando sacerdos dicat peccatum veniale poenitentis Titii, nullo modo indicans, se illud scire ex confessione; quasi tunc nec gravis iniuria fiat poenitenti ob materiae levitatem, nec sacramento, cum non constet, illud sciri ex confessione.

Sed merito subdit Lugo n. 70. non esse hanc exceptionem admittendam; quia reipsa gravis iniuria fit sacramento. Et sane si sacerdos diceret, se illud scire ex confessione, omnes gravissime horrerent et confessio fieret summopere odiosa: at horror iste non abest, ubi timeant fideles, suas culpas eo pacto vulgatum iri.

« Facilius (inquit Lugo n. 71.) levitas materiae admitti posset, quando res, quae narratur, est talis, ut sit utique periculum aliquod ingerendi alicui suspicionem, sed adeo tenue periculum ac remota suspicio, ut non sufficiat ad imprudentiam gravem nec ad gravem irreverentiam contra sacramentum. Negari enim non potest, obligationem non loquendi de auditis in confessione non consistere in indivisibili; quia aliquando de illis licite loquimur, quando nullum est periculum manifestationis: aliquando manifestum est periculum et tunc ita loqui est grave peccatum: aliquando vero potest esse adeo remotum periculum, ut *licet melius esset tacere* et possit esse veniale loqui, non tamen sufficiat ad mortale ».

Lugo disp. 23. n. 72. carpit morem audiendi plurium simul puerorum confessiones et probat sententiam Navarri, qui hanc praxim damnat ut graviter sacrilegam. 1° Quia (confessores huiusmodi seu parochi) sacramento utuntur ad iocum et risum: 2° quia exponunt moraliter pueros periculo revelandi peccata sociorum: 3° quia est contra id, quod dicitur in cap. *Omnis Utriusque Sexus*, quod *solus soli confiteatur*. « Quare, subdit Lugo, ille abusus (audiendi plures simul pueros, doli capaces aut de quibus dubitatur an sint doli capaces) nullo modo est permittendus, sed gravissime reprehendendus ».

CXLIX. 2. Non inducitur haec obligatio 1. per confessionem factam ficte, v. gr. ad furandum, illudendum vel Sacerdotem pervertendum; etsi hoc casu adhuc prudenter tacendum sit. Vide Dian. p. 5. tr. 14. r. 26. 2. Si quis extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo confessionis; quia tantum est obligatio secreti naturalis gravior aut levior, pro rei exigentia.

595. Principium, quo innititur duplex resolutio huius paragraphi, istud est (Lugo disp. 23. n. 43 vid. Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 2. a n. 6.): Quando poenitens confitetur (seu generalius *secretum aperit sacerdoti*) sine ulla intentione obtinendae absolutionis, non oritur sigilli obligatio. Ratio est, quia etiam in eius apprehensione non habet haec manifestatio rationem sacramentalis illius confessionis, quam Christus instituit.

Hinc consectarium, quod licet poenitens protestetur, se loqui sub sigillo, nihil refert, si vere constat, non accedere ad finem consequendae absolutionis. Exemplo sit mulier, quae recurrit ad Confessarium pro remedio seu auxilio, quia praegnans est.

Quam in rem Lugo disp. 22. n. 46.: « Non approbo quod aliqui faciunt, qui ut sacerdotem ad sigillum obligent, dicunt se velle confiteri et postquam rem, quam volebant, quasi in confessione narrarunt, dicunt: *Pro nunc non curo de absolutione; volo enim illam in aliud tempus differre.* Hoc, inquam, non approbo; quia hi ab initio accedere videntur absque ullo animo absolutionis exigendae, sed solum in fraudem et ut privilegium sigilli lucrentur, fingunt, se animo absolutionis obtinendae velle confiteri, cum revera habeant animum omnino contrarium. Ad inducendam ergo hanc sigilli obligationem, oportet bona fide accedere cum animo non impediendi absolutionem, si Confessarius absolvendum iudicet vel certe absque animo contrario. Alioquin quoties aliquis cum sacerdote loquitur, posset dicere se loqui in confessione et cum animo absolutionem suo tempore obtinendi ». Haec Lugo.

Quod autem quis accedat sine animo obtinendi absolutionem, id (inquit Lugo n. 43.) vel ex ipsius dictis constare potest, vel ex factis.

Ex dictis, si poenitens ipse significet, se non venisse ut confiteretur et absolveretur, sed ad petendum consilium, ad habendam dubii solutionem, ad rogandum pro aliquo beneficio etc. vel subsidio aut eleemosyna, corona, scapulari etc.

Ex factis, si appareat (quod memorat Auctor) eum venisse ad furandum, illudendum, pervertendum Confessarium, ad querelas movendas vel contra ipsum Confessarium vel contra alios, ad obtinendas commendationes et, ut supra innuebat Lugo, si demum facto testetur, se nolle absolutionem ex proposito iam praeconcepto.

Egregie autem monet Auctor, nihilominus tacendum esse; quippe scandalum vix abest, quando eiusmodi scaenae aperiantur et praeterea

lex iustitiae vetat, ne peccatum proximi (cuiusmodi esset confessio ficta ad illudendum) secretum auribus aliorum sine causa deferatur.

Quando autem agatur de re, quae ex natura sua secretum exigit ac propterea postulari ab committente solet secretum confessionis, semper manet obligatio secreti naturalis, ut Auctor advertit. Quod tamen in eo differt a sigillo sacramentali 1° quod illius violatio non importat sacrilegium: 2° quod pro ratione materiae admittit levitatem culpae: 3° quod occasio adesse possit, qua secretum servare Confessarius non teneatur, prouti suo loco disputatur.

596. Scite tamen monent DD. (ita Lugo disp. 23. n. 44.), licet sacerdos ad sigillum non teneatur, quando poenitens non venit ex ulla intentione recipiendi sacramentum poenitentiae, non item requiri in sacerdote, ad sigillum inducendum, ut habeat animum absolvendi; si enim poenitens peccata aperuit ex absolutionis obtinendae intentione, sigilli obligatio oritur, utut sacerdos non habeat intentionem absolvendi.

Qua de re Lugo reiicit sententiam Suarez, qui *de Poenit.* disp. 33. sect. 2. n. 5. censuit, ad inducendam obligationem sigilli requiri in sacerdote intentionem audiendi confessionem. « Si a principio (inquit Suarez) dicat sacerdos, se nolle audire confessionem, quidquid poenitens conetur et velit eum obligare, non poterit obligationem sigilli inducere; quia non potest invitum cogere, ut sacramentaliter audiat. Et hoc modo voluntas audiendi confessionem est necessaria ex parte sacerdotis ad obligationem sigilli, sive habeat intentionem absolvendi sive non ».

At, reponit Lugo disp. 23. n. 44., hoc non videtur in rigore omnino verum « nec ad audiendam confessionem praerequiritur consensus Confessarii. Et sane si, ipso nihil tale cogitante, aliquis moribundus occurrat ei et dicat: *Pater, ego me accuso de tali peccato, absolve me:* illa certe erit confessio sacramentalis et poterit eum absolvere: quia in iudice, ad iudicandum, non praerequiritur intentio audiendi accusationem, sed sufficit eam et legitimas probationes audisse, etiam absque intentione, ut possit proferre sententiam, ad quam requiritur intentio. Quamvis ergo sacerdos dicat, se nolle audire confessionem; si tamen eam etiam invitus audit, illa confessio sufficiet ad absolvendum intentione mutata, absque nova confessione: ergo illa confessio, quantum est de se, sufficit ad sacramentum conficiendum atque adeo afferet obligationem sigilli, licet fortasse non afferet obligationem illam secreti naturalis, quae oritur ex pacto explicito vel implicito, cum non potuerit invitus et reluctans obligari aliquo modo etiam ex pacto implicito. » Ita Lugo: qui tamen per haec non probat, idem valere si in antecessum Confessarius protestetur se nolle audire sacramentaliter, priusquam poenitens peccatum ullum aperiat et ingerenti notitiam reluctetur. Et pro casus diversitate conciliari duae sententiae possunt

597. Ceterum cum diximus, ad inducendam obligationem sigilli non sufficere, ut quispiam veniat ad petendum consilium, sicut posset venire ad diaconum vel laicum; sed requiri, ut veniat veluti ad iudicem et cum intentione confitendi sacramentaliter in ordine ad absolutionem obtinendam, ex quo fiat, ut putet se sacrilegium committere, si mentiatur, contra veritatem et integritatem confessioni sacramentali debitam ac propriam: non tamen requiritur, ut actu sit dispositus ad absolutionem. Hinc Confessarius tenetur ad sigillum, etiamsi poenitens discesserit non absolutus, modo, ut ait s. Alph. n. 637., peccata dixerit in ordine ad obtinendam absolutionem.

Idque valet, licet vel ipse poenitens cognoscat, se non esse sufficienter dispositum, v. gr. qui utique confitetur, licet nondum animo paratus sit v. gr. ad dimittendam occasionem vel ad restitutionem. Eatenus enim aperit conscientiam suam, ut saltem remote viam quaerat ad absolutionem quapiam ratione aliquando obtinendam suasque culpas ut iudici promit.

Imo addit ulterius Lugo disp. 23. n. 46., non esse necessarium ad obligationem sigilli, quod poenitens in ipsa confessione habeat animum paratum seu propositum recipiendi absolutionem, si eum dispositum iudicet Confessarius; posset enim poenitens tunc velle inchoare confessionem ex se sufficientem in ordine ad absolutionem, reservando sibi potestatem, si velit, postea non exigendi absolutionem, sed eam differendi ad occasionem magis opportunam. Et sane multiplices de hoc casus fingi possunt et non chimaerici incipientium confessionem cum proposito recipiendi alio tempore absolutionem.

Denique retinendum est, quod s. Alphonsus n. 637. proponit uti doctrinam communem, Confessarium teneri ad sigillum, quando dubius sit, an quidpiam sibi poenitens dixerit in ordine ad confessionem.

Et ratio patet, quia secus maxime odiosa fieret confessio et ius certum poenitentis praevalere debet, ne praetextu dubii in Confessario periculum immineat haud improbabile revelandi peccata seu quidvis aliud, quod ex animo aperiendi conscientiam in ordine ad confessionem manifestatum fuerat (n. 901).

CL. 3. Non frangitur sigillum. 1. si in genere dicas, Titium tibi confessum esse venialia aut esse probum, innocentem: modo non dicas in iis circumstantiis, ex quibus colligi possit, alios esse nocentes vel confessos mortalia. 2. Si dicas, N. tibi esse confessum: etsi in certis circumstantiis hoc quoque periculosum sit Laym. c. 14. n. 21. Imo si poenitens verbo vel facto (v. gr. clam accedendo) significaverit se nolle sciri quod sit confessus. Confessarium revelare sigillum volunt Regin. Nav. et Mercer, apud Dian. t. 5. t. 11. res. 47.; quia poenitens confitendo Confessario extraordinario veniret in suspicionem gravioris criminis, quod Tambur. in append. c. 3. dubie confirmat, asserens, se vereri, ne talis accedat ad fractionem sigilli. 3. Si peccata ita referas ut, moraliter

loquendo, persona innotescere non possit neque communitas aliqua etiam parva infametur, ut quod ibi talia vitia regnent. Vid. Dian. l. 2. t. 15. r. 13.; id enim esset contra sigillum. Unde Turrian. apud Dian. p. 5. t. 11. r. 45. et Tamb. in append. cap. 3. reprehendunt Superiorem localem, qui Provinciali forte dicat, in sua domo saepe postulari licentiam absolvendi a reservatis; quia potest redundare in ignominiam et damnum domus: etsi idem Tambur. cap. 4. n. 2. dicat probabile esse, quod non sit contra sigillum, si dictae licentiae petitae fuerint extra confessionem. 4. Si utaris notitia extra confessionem acquisita, imo ipsum peccatum, quod aliunde tibi innotuit, aperias; modo nullam circumstantiam ex sola confessione notam nec certius referas, quam extra confessionem nosti: quo in casu opus est magna cautela et tutissimum est silere. Laym. c. 14. n. 16.

598. Omnia plana sunt et quoad 1^m^ habes claram doctrinam Lugo disp. 25. n. 50. « Certum est, inquit, peccata omnia mortalia imo et venialia esse materiam sigilli, cum hoc tamen discrimine, quod mortalia non solum in specie, sed etiam in genere, venialia vero in specie et non in genere; potest enim dicere Confessarius: iste mihi confessus est sua peccata venialia. Nam eo ipso, quod confessus est, supponitur (saltem) confessus venialia. Quare sicut potest dicere, confessum esse, ita potest dicere, confessum esse venialia et pro illis poenitentiam accepisse ».

Ac si confessarius ab ea universali generalitate peccatorum venialium, ad certam classem descenderet peccatorum plus minus gravium, dicens, poenitentem peccata venialia non levia confessum esse, sigillum frangeret, quod nemo negat.

599. Quod spectat ad n. 3^m^ difficultas est in iis, quae referuntur ex Tamburini de Superiore regulari, quasi nempe non teneatur hic ad sigillum, si venia absolvendi petita fuerit extra confessionem. Tamburini in append. *de Sigillo* cap. 4. n. 2. reipsa non uni potius quam alii sententiae adhaeret sed dicit utrumque probabile: « Prius (scil. sententia affirmans esse contra sigillum); quia ea petitio videtur inchoata confessio. Posterius; quia praesumitur poenitens avocare velle ab obligatione sacramentali ea negotia, quae volens et prudens extra sacramentum tractat ». Quae ultima ratio debilis est; quia 1° materia et finis ordinantur ad confessionem: 2° ut iudici huius fori revelantur: 3° nunquam praesumitur contrarius animus; quia satis poenitens id expressum putat in natura actus.

Hanc autem negantem sententiam tradidit Aegidius Coninck disp. 9. dub. 3. n. 47. inquiens: « Secundo infertur, idem dicendum esse (scil. non ligari lege sigilli) de Superiore, a quo extra sacramentum petitur venia absolvendi a casu reservato, quando aut poenitens hanc per se petit, ut possit ab eo absolvi, aut quando poenitens Confessario extra confessionem dixit, ut eam facultatem peteret ».

Verum haec doctrina communiter reiicitur. Hinc Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 4. n. 3.: « Adverto, sub hoc membro (scil. Confessarii

obligati ad sigillum) contineri Superiorem ipsum: quando ab illo petitur licentia absolvendi a reservatis; quia tunc defertur ad illum causa, tamquam ad Superiorem iudicem, petendo delegationem eius et ideo fertur sub eodem sigillo; nam ille etiam est quidam usus clavium in hoc foro et alias fieret odiosa confessio ipsique Superiores haberent viam cognoscendi delicta extra confessionem, occasione ipsius confessionis, quod illi valde nocivum esset. Propter quae diximus, in his casibus et similibus obligare sigillum ».

Et Lugo disp. 23. n. 34.: « Hoc (scil. teneri Superiorem ad sigillum) dicendum est plane sine distinctione (sc. veniae petitae extra confessionem, aut post confessionem a confessario ex licentia poenitentis); quia notitia illa, quam accipit Praelatus a Confessario, semper oritur ex notitia quam ipse in confessione inchoata accepit a poenitente: quare iuxta regulam supra positam transit cum eadem obligatione ex intentione poenitentis ».

Et de casu poenitentis petentis per se a Praelato mox n. 35. subiicit: « Adhuc in eo casu videtur esse obligatio sigilli: quia Auctores citati fatentur, tunc etiam Praelatum teneri ad secretum arctissimum nullo unquam casu violabile. Haec autem tam stricta obligatio non potest esse solum ex iustitia aut ex secreto naturali, ut vidimus, sed esse debet ex virtute Religionis propter reverentiam Sacramenti, atque adeo non differt a sigillo nisi in vocibus, quatenus non oritur ex confessione immediate sed per ordinem ad confessionem. Ratio autem est, quia hoc etiam necessarium est ad finem Sacramenti, cum a peccatis reservatis non possit obtineri absolutio directa sine consensu Superioris ».

Resolvit dein Lugo n. 36. 37. ratiunculas contrarias et quidem levi negotio, quia nullius momenti sunt.

600. Quoad eandem 3^{m} partem resolutionis, ubi agitur, an liceat referre peccatum, non nominata persona poenitentis: « Fatentur omnes, inquit Lugo disp. 23. n. 63., id licere, dummodo non sit periculum, ut in suspicionem poenitentis veniri possit; ad quod maxima cautela necessaria est propter nasutum aliquorum ingenium ad colligendum auctorem ex aliquo facto narrato. Excipitur autem ab hac regula, quando ex paucis poenitentibus, quos audisti, refers aliquod peccatum: iam enim singuli ex illa relatione aliquid suspicionis contra se patiuntur ». Ita Lugo.

Notanda sunt praeterea quae habet et sub n. 2. Nam et secreti indirecte revelatio aut gravamen poenitentis vel in eo haberi potest. quod Confessarius dicat, aliquem apud se confessum esse: si e. gr. religiosus sit, qui solet ordinario Confessario confiteri et nunc apud te

extraordinarium Confessarium confessus sit; suspicari quis poterit, aliquid solito gravius ei contigisse. Quod potissimum valet, si ipse poenitens clam aliis accedens significaverit se nolle sciri, ut ait A.

Identidem etiam si Confessarius dicat de aliquo, peccata venialia sibi confessum esse vel nonnisi venialia confiteri; potest esse indirecte revelatio. Quid enim si haec coram iis dicantur, qui aliunde sciunt peccata gravia poenitentis et forte eius complices fuerunt? iam illius sacrilega confessio manifestaretur.

Item si Confessarius unum poenitentem laudet, quod sola venialia habeat et sermonis adiuncta ea sint, ut videri possit instituta quaedam comparatio cum aliis eiusdem Confessarii poenitentibus, iam horum graviora peccata in genere saltem revelaret. Itaque in hac re nunquam satis cautela commendabitur.

CLI. 4. Quando plures, v. gr. studiosi vel aulici etc. tenentur ferre testimonium confessionis, Confessarium teneri id dare etiam iis, quos non absolvit, docet Con. disp. 6. dub. 1. Fagund. et Dian. par. 3. t. 15. r. 22.; tum ne id negando prodat aliquo modo sigillum et poenitentem, tum quia dando non mentitur, cum tantum testetur, esse confessum. Verum Bonacin. d. 5. q. 6. sess. 5. p. 4. et Card. de Lugo d. 21. sess. 3. docent, tali schedam negare non esse contra sigillum (idemque concedit Avers. p. 18. sess. 2. si non constet poenitentem accessisse ad hunc Confessarium); tum quia nihil dicit, sed tantum non approbat testimonio positivo confessionem, ad quod non tenetur nec quidquam facit, ex quo possint cognosci delicta poenitentis, tum quia alias via aperiretur fraudibus et multi improbi Parochos in Paschate deciperent, tum quia potest esse consuetudo, ut scribatur, *absolutum esse*, quod falsum erit, si scribat et si omittat, sigillum franget: tum quia scandalosum erit et iniquum, publicae meretrici perseveranti (uti et occulto peccatori, sic pallianti suam iniquitatem) testimonium dare confessionis neque Confessario imputandum erit, quod eum positive non defendat.

601. Cum casus praesens non sit infrequens, praesertim in quibusdam locis, diligenter est perpendendus.

Auctor videtur duas opiniones quasi oppositas exhibere, alteram Coninck et aliorum, qui dicunt dandam etiam iis, quos Confessarius non absolvit: aliam Bonacinae ac Cardinalis Lugo, qui dicunt, non esse contra sigillum, si negatur et posse negari. Et quaestionem hanc eodem modo accepisse videtur s. Alphonsus n. 639., cuius sunt verba ad calcem pagellae allata et quae s. Doctor profert adversus sententiam Bonacinae ac Lugo: doctrina autem est eiusdem s. Doctoris, quod « probabilius est et communis, quod si in schedula scriptum sit solum, poenitentem esse confessum, schedula sit concedenda ». Pro qua sententia allegat Laymann, Croix cum anonymo apud eundem, Sporer, Elbel, Roncaglia, Holzmann, Stoz et Diana.

Veruntamen non videntur Doctores adeo inter se distare, ut conciliari nullo modo possint.

Et sane Doctores a s. Alphonso allegati quasi docentes dandam, id

docent de casu in quo schedae denegatio aequivaleat indirectae violationi sigilli sacramentalis.

Ita Laymann *de Poenit.* cap. 14. n. 8.: « Si studiosi, officiales principis, vel subditi Magnatum, teneantur ferre testimonium factae confessionis, Confessarius dare debet, tametsi ob indispositionem vel similem causam (v. gr. quia non habet facultatem pro certis casibus) eos non absolverit. Nam Confessarius graviter peccat et confessionis sigillum violat, si directe vel indirecte significet, se poenitentem suum ob indispositionem non absolvisse. Hoc ipsum vero indirecte Confessarius significat, quando aliis omnibus confitentibus schedulam testimonii dat et huic soli negat ». Ubi apparet ratio specialis, revelationis nempe ob distinctionem illam inter plures poenitentes.

Et Croix lib. 6. part. 2. n. 1944.: « Probabilius est..., teneri dare *si soleat dare aliis eam petentibus;* quia negare in talibus circumstantiis esset indirecte dicere, quod non sit rite confessus vel absolutus ».

Et Sporer *de Poenit.* n. 839.: « Ad sigillum sacramentale aliquatenus spectat scheda..., adeo ut quando Scholares, Aulici, Clerici et tempore paschali fideles apud Mendicantes confessi (hoc heic non est in usu) tenentur Superioribus testimonium suae confessionis afferre, Confessarius teneatur iis dare, qui confessionem saltem inchoarunt, etiamsi propter indispositionem eos non absolverit... Ratio non spernenda est, quia ex una parte Confessarius graviter peccat et sigillum violat, si directe vel indirecte significet, se poenitentem suum ob indispositionem non absolvisse; et hoc ipsum Confessarius directe significat quando *aliis omnibus confitentibus* confessionis schedulam dat et huic soli negat ».

Elbel Confer. 19. n. 492.: « Si poenitens adiit Confessarium vero animo confitendi et quidem in loco publico, ubi aliis omnibus poenitentibus dare solebat schedam, probabilius etiam huic (alioquin indisposito) tenebatur eam dare ».

Negligenter Elbel dicit se haec docere contra Tamburinum, quem refutari ait a Diana. At Diana (l. mox citando) pro se affert Tamburini. Elbel merus collector est nec semper diligens.

Sic et Diana tom. 1. tract. 8. resol. 63. n. 6. E. Coord., « Confessarius violat sigillum confessionis, si directe vel indirecte significet, se poenitentem suum ob indispositionem non absolvisse. Hoc autem Confessarius significat, *si dans aliis huiusmodi schedulam*, negat illi propter indispositionem ».

602. Roncaglia vero adeo non potest allegari contra doctrinam Auctoris, ut expresse eam tradat cum circumscriptione ab Auctore ap-

posita. Ita enim *de Poenit.* quest. 6. cap. 2. q. 4.: Quamvis non pauci putent, Sacerdotem posse schedulam denegare...; nihilominus opinio contraria amplectenda est, *quoties sciatur poenitentem ipsi confessum fuisse*. Ratio est, quia denegatio schedulae huius ostendendae parocho, patri, hero etc., vehementem ingerit suspicionem casus reservati vel indispositionis poenitentis etc. ».

Et quidem haec ratio solvendi quaestionem et indicandi alium modum, quo noceatur sigillo, est Aversae quem Auctor allegat. Sic enim Aversa *de Poenit.* q. 18. sect. 2. § sexto: « Aliter distinguendum videtur. Aut nescitur, poenitentem ad talem Confessarium accessisse, ut contingit in civitatibus et ecclesiis, in quibus est copia Confessariorum et tunc potest Confessarius tuto negare schedulam poenitenti, quem non absolvit absque ullo revelationis periculo: quia si ipsemet poenitens dicat, se accessisse ad illum Confessarium et ab eo sibi negatam fuisse schedulam, ipse se prodet. Debebit etiam Confessarius (schedam) negare nec poterit licite concedere, quando videt poenitentem velle ea abuti ad decipiendum Superiorem et eludendum praeceptum... Aut scitur, poenitentem ad hunc Confessarium accessisse, ut quando parochus dedit licentiam suo subdito ad alterum, qui solus est in ea villa, vel quando poenitens aliis videntibus accedit ad illum Confessarium et tunc videtur Confessarius per se posse ac debere concedere schedulam: quia alioquin revelaretur confessio seu defectus in confessione detectus, etiamsi, inquam, poenitens esset abusurus schedula ad decipiendum Superiorem et persistendum in peccato; quia Confessarius non proprie concurreret ad hanc fraudem, sed illam permitteret, ne re revelet ipse confessionem, sicut aliis pluribus modis contingit ».

603. Porro neque Bonacina disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. n. 7., nec Lugo disp. 23. n. 87. tractant de casu, in quo ex negata schedula sequi possit etiam indirecte revelatio confessionis, quae lege sigilli interdicitur. Ergo, per se, non possunt haberi isti doctores et istae doctrinae tanquam inter se pugnantes.

Quinimo iidem illi Auctores, quos s. Alph. allegat contra Lugo et Bonacinam, excipiunt casus ab his propositos et concedunt posse negari imo et negandam schedam quandoque esse: quos casus et Auctor innuit.

Ita Elbel l. c. n. 493.: « Si venisset animo dumtaxat simulato, ut puta vel poenae vel solum infamiae vitandae causa etc., non tenebatur Confessarius eidem dare testimonium peractae confessionis ».

Ita et Sporer l. c. n. 839.: « Si simulato animo accedat, quia v. gr. concubinam dimittere, haeresim, qua infectus est, abiurare nolit, sed

solum poenae infamiae vitandae causa ad sacram synaxim accedere velit, talibus utique (quos supponit, ne inchoate quidem confessos peccata) confessarius schedam negare debebit ». Imo Sporer n. 840. mox subiicit, sibi veriorem videri sententiam Bonacinae et Card. Lugo.

Et praecesserat Laymann, e quo praedicta verba conscripserat Sporer. Laymann tamen non loquitur de eo, qui ne inchoaverit quidem confessionem: « Si aliqui, inquit *de Poenit.* cap. 14. n. 8., simulato animo ad confessionem accedant, quia v. gr. haeresim, qua adhuc infecti sunt abiurare nolunt solumque poenae aut alicuius infamiae vitandae causa ad sacram synaxim accedere cupiunt, talibus Confessarius negare debet schedam testimonii, ne eorum simulationi cooperari videatur ».

Et haec nimirum est causa, quam urget Bonacina *de Poenit.* disp. 5. quaest. 6. sect. 5. punct. 4. n. 7., « quia (inquit) alioquin via fraudibus aperiretur, nam multi improbi deciperent parochos in paschate allato testimonio confessionis ».

Et Lugo disp. 13. n. 87.: « Nunquid publicae meretrici perseveranti in suo statu debebit dare schedam confessionis? Sibi ergo imputet poenitens, si Confessarius non vult positive eum defendere nec etiam condemnare... Aliquando tamen (dare schedam) poterit habere malitiam scandali, ut si detur peccatori publico, qui non est emendatus, vel etiam occulto, qui eo modo palliat suam iniquitatem et satisfacit parochis ac dominis, eos decipiendo sub specie virtutis. In his et similibus non deberet Confessarius cooperari ».

Ceterum Lugo ibid. consentit dari posse, ubi haec incommoda absunt: « Posset tamen alicui, cui per accidens debet differri absolutio ad breve tempus et sperat rediturum, dare illud testimonium, ne interim incurrat iram domini vel principis. Idem dicerem de illo, cui ex causa imponitur a Confessario in paschate, ut praeparet se per aliquos dies ad confessionem generalem faciendam cui posset etiam dari interim schedula, quando speratur reditus et profectus ».

Contra vero in hisce casibus Laymann l. c. censet « negari schedam posse si res moram patiatur, imo negandam, addita exhortatione, ut se recte disponat ac postea redeat testimonium una cum absolutione accepturus ». Et tamen allegatur a s. Alph. contra Lugo!

604. His inspectis, videtur dicendum, quod, ubi absunt illa externa adiuncta, in quibus, ob comparationem cum aliis, indirecte manifestari potest confessio, videtur omnino verum, quod cum aliis docet Lugo, nullam importari sigilli fractionem si scheda negetur.

Et sane si dicatur frangi sigillum ex eo, quod poenitens non potest testimonium factae confessionis afferre hero vel Superiori etc., eodem modo habebimus sigilli fractionem, quando, negata ob aliquam causam

absolutione, poenitens cernitur a sacra mensa abstinere: quod tamen nemo suspicatus est; etsi non raro (ut in collegiis) vix ulla alia ratio eius abstinentiae menti spectantium occurrere possit.

Ceterum si vera docent DD. aientes, schedam confessionis dari posse ac porro fere dandam, si poenitens saltem inchoavit confessionem; non minus sapienter monent alii, cavendum esse Confessario, ne improbitati eorum faveat, qui ope schedae eludere volunt praeceptum Ecclesiae de paschali communione etc. Prudentiae erit dispicere, quando benigne, quando severe agendum in bonum ac commodum spirituale ipsius poenitentis sit.

605. Nuspiam modo solent adhiberi schedae, in quibus dicatur poenitens etiam *absolutus;* sed forma esse solet: Testor *de sacramentali confessione* aut me *excepisse confessionem* etc. Si tamen alicubi imprudentissime adhiberentur schedae, in quibus additur testimonium *de absolutione,* monet s. Alph. n. 639. in fin. ex quorundam suffragio probabile esse, quod tradi possit haec scheda etiam non absolutis, saltem si publice petant. Ratio, quia tunc Confessarius nullum profert aut scribit mendacium sed tantum materialem actum operatur, talem schedam tradendo. Aliqui addunt, schedam ponendam supra mensam, ut ipse poenitens per se eam sumat!!

Melius forte dici posset, ideo nullum adesse mendacium; quia, semel ac constet, schedam illam tradi etiam *non absolutis*, valet axioma, quod signa illud tantum significant, pro quo ex communi pacto accipiuntur, prouti in multis aliis formulis usuvenit.

CLII. 5. Sub sigillum cadunt 1. Omnia peccata poenitentis, tam futura, quam praeterita (si quidem haec animo se accusandi sint manifestata, secus si per modum simplicis narrationis vel ut Confessarium ad simile peccatum induceret. Dian. p. 5. t. 11. res. 25. ex Suar. et aliis 8.) ideoque peccat mortaliter, qui sive directe sive indirecte aperit aliquod veniale in particulari etiam leve Titii; quia materia sigilli parvitatem non habet, ut est omnium fere sententia apud Dian. p. 5. tract. 5. res. 8. et Tambur. in append. cap. 8. vel qui in genere dicit, eum sibi confessum esse aliquod mortale vel casum reservatum vel excommunicationem vel non esse absolutum ob indispositionem. Imo Confessorem, qui dicat absolute, Ego Petrum non absolvi, frangere sigillum dicit Dian. par. 5. tr. 11. res. 42. ex Suarez et aliis 9. 2. Etiam peccata complicis, sive prudenter sive imprudenter detecti. Suar. Vasq. et comm. apud. Dian. p. 3. t. 4. r. 111. An vero liceat interrogare de complice ad eius correctionem faciendam illamque ex licentia poenitentis facere affirmant Suar. et Fagund. contra Bonacin. Lorcam, Nugnum et alios Thomistas. Vide Dian. p. 3. t. 4. r. 113. Cardin. de Lugo d. 16. n. 426., ubi docet posse aliquando poenitentem a Confessario obligari et cogi ad manifestandum complicem extra confessionem. 3. Poenitentia imposita si gravis sit, hoc est, quae consuevit iniungi pro mortali (qualis nunc esset, ait Dian. par. 5. t. 11. res. 31. Corona B. V. non vero Miserere) Aversa quaest. 18. s. 6. 4. Peccatorum circumstantiae, quas taceri poenitentis interest, etsi dictae sint post absolutionem, verbi gratia si spurius sacros Ordines susceperit, si nobilitatem iactaverit etc. Bona vero poenitentis et cetera imper-

tinentia, quae per accidens interponuntur nec odium Sacramento pariunt, verbi gratia propositum religionis, vel matrimonii, saepe quidem (si nimirum poenitens ea tecta velit) sub obligationem secreti naturalis, non tamen sacramentalis, cadunt. Excipiunt Tann. et Con. nisi poenitens talia dixerit in ordine ad explicanda peccata; tunc enim sigillo sacramentali claudi tenent cum Dian. par. 5. t. 11. res. 5. Idem de virtutibus et vitiis affirmant Gran. contra Reg. et Mald. apud Dian. loc. cit. r. 30. de defectibus naturalibus (v. gr. illegitime natum esse) et de vitiis occultis corporis, Conin. Hurt. et Kellison contra Gran. Mald. etc. qui ea sub sigillum cadere absolute aiunt apud Dian. loc. cit. r. 29. Item de iis, quae alias concernunt et tamen peccata non sunt, Mald. et Dian. loc. cit. r. 38. Denique de scrupulis (contra Conin. et Gran. qui eos sigillo claudi absolute affirmant et contra Marchant, qui absolute negat) idem tenet Card. de Lugo, nimirum si poenitens scrupulositatem confiteatur aut, ad declaranda peccata vel conscientiam, afferat, ait cadere sub sigillum; quia est in obliquo saltem materia confessionis. Secus si non cognoscatur ex poenitentis relatione, sed videatur et percipiatur, v. gr. ex modo confitendi. Idem dicit de aliis defectibus naturalibus, v. gr. quod sit blaesus, rudis, hebetis ingenii etc. Et sic excusat Confessarium, qui de poenitente dixit, quod impertinentiis et naeniis caput sibi frangat. Vid. d. 23. sect. 3. num. 60. Gran. tamen id improbat et Coninck apud Dian. p. 5. t. 11. r. 50. ait esse periculosum et posse facile frangi sigillum indirecte. Denique Tambur. in append. c. 3. doctrinae isti ne ut probabili quidem acquiescit atque eam a Diana l. c. immerito vocari communem, cum Gran. Hurt. Palaus, Banny etc. refragentur aliterque limitans ipse ait: si isti defectus, v. gr. esse blaesum, rudem, scrupulosum etc. sint passim noti, non cadere sub sigillum, secus, si sint ignoti; quia confessio immunis esse debet ab omni odio.

606. Quoad I. dicitur peccata tum *futura,* tum praeterita. Nomine peccati *futuri* intelligitur peccatum adhuc opere seu effectu committendum; quod fit, quando aliquis fatetur malum aliquod propositum, sive ab eodem proposito cessaverit, dum confitetur, sive in eo adhuc perseveret, sive exsecutus sit illud ex parte, sive nondum exsequi inceperit. Qui quidem diversi casus apposite recensentur contra opiniones falsas quorundam, qui docuerunt, non esse materiam sigilli malum propositum, in quo quis vult perseverare, sed nondum coepit exsequi: unde inferebant, a confessario posse praemoneri quempiam, ut caveat, si forte damnum illi ex malo poenitentis proposito immineat, v. gr. si cui velit furari, si occidere aliquem aut percutere, si seducere uxorem aut filias etc. Quae quidem doctrina eo adduceret, ut ait Lugo disp. 23. n. 52. et Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 3. n. 4., ut revelari possent omnia peccata illius, qui non absolvitur propter indispositionem.

Ratio doctrinae est, quia peccatum futurum habet connexionem cum peccato mali propositi, quod fuit materia, sin minus absolutionis, at certe confessionis atque adeo est materia sigilli.

Hoc autem intelligitur, inquit Suarez l. c., « si supponamus propositum illud revelari per modum accusationis et subiectionis in hoc foro, etiamsi non sit propter absolutionem. Si autem omnino diceretur extra accusationem, iam tunc non esset confessio: tamen hoc modo

non solum res futura, sed etiam peccatum commissum potest revelari sine fractione sigilli; quia nondum est appositum fundamentum sigilli ». Quod notat et Lugo l. c. n. 53. inquiens: « Limitatur merito haec doctrina, quando confessio illius propositi non fit vere animo confitendi, sed v. gr. inducendi Confessarium ad illud peccatum: ut si haereticus animo pervertendi Confessarium confiteatur illi tentationes, quas habet ad deserendam fidem et motiva; tunc enim, si de tali animo constat, posset et deberet Confessarius perversum illum haereticum denunciare ».

Et haec est doctrina, quam Auctor intra parenthesim innuit ex Diana aiente tom. I. tract. 8. resol. 25. n. 2.: « Quando poenitens confitetur tale propositum vel animo inducendi Confessarium ad simile peccatum, vel animo illudendi illum, vel irridendi confessionem, vel simpliciter narrandi tale propositum ut historiam quandam: tunc certum est, non obligare sigillum; quia tunc neque adest confessio valida neque aliquis animus efficiendi illam, sed tantum simplex narratio ».

607. Ad venialia quod spectat (cf. dicta sub resol. 3.), s. Alphonsus n. 640. dicit, non violari sigillum, « si confessarius dicat poenitentem confessum fuisse *materiam venialem*, bene autem si dicat, *plura venialia* » et allegat Sporer, Laymann, Salmantic., Suarez, Lugo etc. Porro s. Doctor videtur adhibuisse voces *materiam venialem*, quia timuit forte ne sit sigilli fractio, si Confessarius significet, aliquem confessum fuisse plus quam *unum* veniale.

Verum s. Doctor hoc pacto proposuisset sententiam *propriam*, aut certe paucorum, non autem eorum AA., quos allegat. Et sane Salmantic. *de Poenit.* cap. 14. n. 22. dicunt: « Secus est, si diceret, poenitentem fecisse seu confessum fuisse *peccata venialia*, nihil aliud addendo, vel dicendo illum non habuisse nisi materiam venialem: quia manifestum est, eo ipso quod quis confitetur et absolvitur, confiteri saltem peccata venialia eaque fecisse, alioquin non posset esse confessio ».

Et Sporer *de Poenit.* n. 830.; « Confessarius licite potest dicere: hic mihi confessus est *sua venialia* ».

Laymann *de Poenit.* cap. 14. n. 6.: « Non violat sigillum, si generatim et indefinite dicat, confessum sibi esse *venialia* tantum ». Quae et a Lugo sup. n. praec. dicuntur.

Ergo quando s. Alph. dicit violari sigillum, si dicatur, quis confessus *plura venialia*, non est intelligendus (siquidem velimus videre ibi relatam communem DD. sententiam) de mero numero plurali, sed de *multitudine* venialium. Hinc Sporer l. c. subdit, contra sigillum esse tantum, si dicat, sibi confessum fuisse poenitentem *multa* vel *gravia venialia;* quia, inquit, hoc non arguitur ex mera confessione. Et Lugo

disp. 24. n. 50., si dicat, confessum esse peccata venialia *grandiuscula* vel *plurima*.

Unde non esset contra sigillum dicere: « confessus est aliquas *venialitates* ».

608. Materia sigilli sunt peccata complicis. Dicit A. *prudenter* vel *imprudenter* dicta. *Imprudenter* enim manifestatur complex peccati, quando persona eius sine causa sufficienti indigitatur, v. gr. si quis dicat: feci furtum cum fratre vel patre meo etc.: peccavi cum consobrina uxoris meae etc. *Prudenter* vero manifestatur, quando aliter peccatum proprium manifestari in confessione non potest: quando quidem dicitur iuxta eorum DD. opinionem, qui putant id licere imo deberi et nos diximus, *licere* quidem (quando alius Confessarius, cui ignota sit complicis persona haberi non potest); quia auctoritas DD. pro hac sententia satis probabilem efficere potest eam et conscientiam consequenter tutam: at negamus obligationem id faciendi adesse; quia non minus probabilis est sententia docens, circumstantiam, ex qua sequatur tertii infamia, sileri tuto posse in confessione, donec occurrat Confessarius, cui aperiri sine alterius damno queat.

Sive itaque *imprudenter*, sive ex quorundam sententia aliquando *prudenter* poenitens prodat complicem peccati; vera et communis doctrina est, etiam hanc partem confessionis ad secretum sacramentale pertinere.

Hoc autem statuitur contra unum aut alterum (vid. Lugo disp. 23. n. 68.), qui docuit, posse complicem *pro bono communi* revelari, sicut alia secreta naturalia, dummodo ex occasione non reveletur peccatum poenitentis; quippe (inquiebant) peccatum complicis materialiter se habet ad confessionem peccati proprii, ad quam non erat necesse illud declarare.

Cui respondent (DD. Lugo l. c. n. 68.), non solum quae sunt necessaria, sed ea quoque omnia, quae sunt utilia, vel quae poenitens putat dicenda esse ad suum peccatum declarandum, manere sub eodem sigillo. Ratio est manifesta, quia alioquin onerosa nimis et difficilis redderetur confessio, praesertim illis, qui nesciunt discernere, quaenam sint omnino dicta necessaria aut quae possint imo et debeant in confessione omitti in proprii peccati confessione.

Addit heic Auctor mentionem quaestionis, an liceat poenitentem interrogare de complice ad eius correptionem faciendam eamque ex poenitentis licentia facere et indicatis nonnullis DD. hinc inde disputantibus, remittit ad Lugo, docentem posse aliquando a Confessario obligari poenitentem ad manifestandum complicem extra Confessionem.

609. Et quidem controversiae de hoc argumento excitatae adeo efferbuere et occasione harum doctrinarum tot tumultus moti sunt, ut intercedere debuerit auctoritas Sedis Apostolicae. Quomodo autem acres controversias excitari facile contigerit, patet consideranti, quaestionem plures habere hypotheses, pro quarum varietate varium iudicium ferri potest. Quocirca Lugo postquam memoravit *de Poenit.* disp. 16. n. 424., acriter praecedenti seculo controversum fuisse, quibusdam contendentibus id utile et necessarium esse, aliis esse inutile et omnino illicitum; merito de re ipsa pronunciat n. 426.: « Ceterum si distincte et seorsim casus examinentur, vix potest manere controversia de re et alicuius ponderis quoad praxim ».

Porro Sedes Apostolica intercessit per litteras Benedicti XIV. *Suprema omnium* ad Episcopos Regnorum et ditionum Portugalliae et Algarbiorum datas 7. Iulii 1745.: has confirmavit poenisque sanxit Const. *Ubi primum* 2. Iun. 1746. atque alia *Ad eradicandum* data pro tota Ecclesia 28. Sept. 1746. in qua id pro tota Ecclesia statuitur, quod pro Portugallia prius decretum fuerat. Successit tandem quarta Const. *Apostolici ministerii* 9. Dic. 1749. circa modum procedendi contra violantes hac in re officium suum.

Damnata praxis sic in prima Constitutione designatur. « Pervenit... ad aures nostras, nonnullos... Confessarios, falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quandam ac perniciosam praxim in audiendis... confessionibus... invehere atque introducere coepisse, ut videlicet si forte in poenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii huiusmodi seu complicis nomen passim exquirerent atque ad illud sibi relevandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent; imo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed insuper habitationis locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandae complicis correctionis aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarunt: cum revera opiniones huiusmodi falsas et erroneas sequendo, VEL VERAS ET SANAS MALE APPLICANDO, perniciem tam suis, quam poenitentium animabus consciscerent ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo... constituerent. Et vero iam sequuta fuisse multa eiusmodi damna infelici experientia compertum est nec fieri potuit, quin ea de causa et ob loquutiones et scandala et non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium et animorum ingens conturbatio in populo fideli orta sint ».

610. Poenae autem iuxta Constit. *Ubi primum* sunt: 1° poena excommunicationis ipso facto ac Romano Pontifici reservatae in quemlibet, qui *ausus in posterum fuerit docere, licitam esse eiusmodi praxim, prouti in relato... Brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari.* — 2° Contra eos vero, qui *conformiter ad praedictam reprobatam praxim poenitentes, qui peccatum seu crimen aliquod, cuius socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii vel complicis, loco habitationis, vel aliis eiusmodi adiunctis sive circumstantiis expressiorem magisque individuam eiusdem complicis manifestationem concernentibus, eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando,* decernitur, *ultra peccati letalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum aliisque etiam gravioribus poenis fore subiiciendos;* quae, uti patet, sunt ferendae sententiae. Istae autem poenae in suo robore manent etiam post Constit. *Apostolicae Sedis,* in qua excommunicatio, a Benedicto XIV. lata, confirmatur.

Quandoquidem vero in eadem Constitutione haec causa committitur tribunali s. Officii, hinc de obligatione denuntiandi delinquentes haec subduntur: « Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverit, eum intra terminum dierum in Edictis s. Officii eiusmodi inquisitioni praefigi solitum (in edicto praefigitur mensis) eidem s. Officio denuntiare teneatur: alioquin poenas non denuntiantibus per eadem edicta infligi consuetas (poena haec est excommunicatio reservata summo Pontifici, Inquisitoribus et Ordinariis) incurrant » (a).

Ab hac tamen denuntiandi obligatione sic eximitur poenitens, qui est in causa: *Veruntamen ab eiusmodi onere denuntiandi iustis de causis eximi volumus et eximimus personam ipsam poenitentem dumtaxat in causa propria, idest in casu, quod suum peccatum confitens a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato...*

(a) Difficile vero fieri posse puto, ut tertius aliquid deferat hoc crimen confessarii ad tribunal s. O. quin hoc ipso instet periculum manifestandi peccati poenitentis. Nam delator unde hac noverit nisi ab ipso poenitente? et si a delatore sciscitetur iudex probationes criminis (neque enim ipsi simpliciter asserenti credendum erit), quomodo probabit delator delationem suam nisi prodito poenitente, cuius idcirco peccatum vulgabitur. Cf. A. Muratori Opusc. de hac quaestione editum.

In hac autem hypothesi non est credendum, voluisse Pontificem fieri delationem. — E.

Causa autem ad s. Officii tribunal tunc solum pertinere dicitur, cum prava accedat suasio circa doctrinam damnatam; secus enim ad Ordinarium spectabit. « Quod si (inquit) Confessarii de complicis nomine perperam interrogantis absolutionemque, nisi sibi detegatur, denegantis actum contingat eiusmodi esse, ut quamvis imprudens et malus, simplex tamen et nudus actus fuerit, idest iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate vel de mala adhaesione ad praxim... in dicto Brevi reprobatam, tanquam ad licitam, eundem suspectum reddant, tunc istiusmodi delictum... neque s. Officii... cognitioni subiectum erit, sed de illo cognoscere atque delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas et legitimas poenas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cuiusque Dioecesi omnino spectabit ».

611. Veruntamen et quarta Constitutione opus fuit, qua prospiceretur quibusdam incommodis, quae ex praescripta methodo faciendi denunciationes exoriebantur et haec data est 9. Dec. 1749. incip. *Apostolici ministerii etc.*

Etenim, ut in hac quarta Constitutione dicitur §. 6., « quoniam delictum idem *(scil. interrogandi nomen complicis et extorquendi etiam per negatam absolutionem)* in certis quibusdam circumstantiis ad tribunal s. Officii, in aliis vero ad Ordinarii iudicium deferendum fore statueramus », quidam pacis ecclesiasticae studiosi insinuarunt, « in huiusmodi methodi exsecutione novis perturbationibus aditum apertum iri, propterea quod nemo esset, qui in casibus discrepantiae (cum quaestio nimirum esset, ad quodnam tribunal causa esset deferenda) iudicium proferret » ac praeterea hac ratione « dempto in aliquibus circumstantiis metu denunciationis eidem Inquisitionis Officio faciendae, id sane sublatum dici poterat, quo maxime homines a patrando tam pernicioso et profligato delicto retraherentur ».

Ut hisce incommodis iret obviam, statuit Benedictus XIV. §. 7. ut sive propter adhaesionem reprobatae praxi aut suspicionem erroneae opinionis, sive tantum per imprudentiam sine praedictis circumstantiis sacerdos putetur deliquisse, denunciatio fiat semper tribunali s. Officii. Et siquidem (§. 8.) Ordinarii Procurator crediderit, casum pertinere ad forum Episcopi et (§. 9.) proponat controversiam *de pertinentia causae;* tunc in ipso s. Officii tribunali examen de causae pertinentia fiat et, deposita quacumque animi affectione aut praeoccupatione erga proprium tribunal, de ea quaestione sententia feratur prolatoque iudicio (§. 10.) reus vel s. Officio relinquatur, si ad illud causa pertinere putetur, vel dimittatur iudicandus ab Episcopo.

612. Dubium tamen incessere potest, an haec dispositio lata sit pro sola Portugalliae ditione, an vero pro aliis quoque locis. Et primum verisimilius videtur.

Nam 1° In Synopsi Bullae dicitur: « Sanctae Inquisitioni in Portugalliae et Algarbiorum regnis adiudicatur cognitio pertinentiae causarum contra Confessores etc. ».

2° In constitutione ipsa mentio quidem iniicitur duarum praecedentium, quae scriptae ac datae fuerant pro regnis Portugalliae et Algarbiorum, altera 7. Iul. 1745. incip. *Suprema omnium*, altera 2. Iun. 1746. inc. *Ubi primum;* at tertiae, qua declarabatur, damnationem pravae tum praxis tum doctrinae pertinere ad totam Ecclesiam, nulla mentio iniicitur.

3° Cum in tertia, quae ad totam Ecclesiam pertinebat, praeciperetur ea promulgationis ratio, quae propria est decretorum pertinentium ad omnes provincias, scil. ut exemplaria publice Romae affigerentur ad valvas Basilicarum et in acie Campi Florae, in hac quarta, prout etiam in prima et secunda, nulla huius promulgationis mentio fit.

4° Praeterea non agitur heic de materia doctrinali, sed solum de methodo procedendi in tribunalibus; unde non valet ratio, quae militabat pro extensione priorum ad universam Ecclesiam.

5° Denique §. 1. et 2. sermonem ita quarta haec miscet de controversiis in Portugallia excitatis deque earum regionibus, Archiepiscopis et Episcopis, ut iis reipsa consulere voluisse prorsus videatur.

613. Quinam autem teneantur ad huiusmodi denuntiandum Confessarium, clare edicit Benedictus XIV. in quarta Constitutione quae incipit *Apostolici ministerii* inquiens §. 7.: « Exceptis dumtaxat *personis poenitentium in causa propria* », quas quidem iustis ex causis ab omni denunciationis onere eximimus et pro exemptis in tali casu semper haberi decernimus, omnibus et singulis, qui sacerdotem aliquem sive secularem sive regularem (cuiuscumque gradus et conditionis et ordinis... etiam speciali et individua mentione digni... exsistat) *quocumque alio modo, praeterquam ex ipsa Confessione a semetipsis apud eum peracta*, cognoverint, in administrando Poenitentiae sacramento interrogasse poenitentem de nomine complicis eidemque indicare recusanti absolutionem denegasse... iniungimus et mandamus, atque in virtute sanctae obedientiae, sub iisdem poenis, quibus ad debitas aliorum denunciationes adstringuntur... ut huiusmodi Confessarium quocumque modo in praemissis delinquentem... s. Inquisitionis Officio intra consuetum temporis spatium omnino deferant ac denuntient ».

Iusta causa, cur eximatur hac obligatione persona poenitentis in

causa propria, per se patet; quia secus crimen suum aperire deberet, cuius complex a Confessario exquisitum fuisset et in hoc, ut patet, longe haec differt a causa sollicitationis, in qua denuncianda nihil opus est suum crimen fateri.

Ceterum praeter poenitentem, qui de complice suo interrogatus fuit etc., certe excusandus est ab onere denunciationis sacerdos, cui Confessarius reus illius damnatae interrogationis, hoc peccatum suum confessus in sacramento fuerit: imo et alter confessarius qui in confessione hoc crimen didicit a poenitente, quem prior Confessarius interrogaverit complicem; comprehenduntur enim omnes ii verbis: *praeterquam ex ipsa confessione apud eum peracta;* etsi paulo impedita sit phrasis, propter numeri mutationem: *qui cognoverint*, apud *eum* et propter illam vocem *a semetipsis* (forte *ab illis ipsis*). Praeterea excusandus et ille, cui extra sacramentum reus crimen aperuerit, ad petendum consilium. Id enim exigit lex secreti commissi.

614. Verum, quod magis interest, quaestio fieri potest et debet, an per hasce Benedicti XIV. Constitutiones ita interdictum sit quaerere nomen complicis, uti id nullo in casu liceat.

S. Alphonsus lib. 6. n. 491. scribit post Carboneano: « Ceterum Confessarii bene possunt et tenentur, ad integritatem confessionis servandam, exquirere circumstantias necessarias, nempe quae vel speciem mutant, vel exquirendae sunt, ut poenitentis conscientiae consulatur, puta si Confessarius exquirat, an persona complicis sit in primo vel secundo gradu, an ligata voto, si sit ancilla, si habitet in eadem domo, licet veniat in cognitionem complicis ».

Et plane verissimum est, haec nihil habere commune cum praxi, quam damnat Benedictus XIV., quaerendi nomen complicis. Veruntamen et ista rite sunt intelligenda. Nam licet verum sit, Confessarium subinde interrogare debere de aliquibus circumstantiis ob fines a s. Doctore memoratos; at

1° Alias vidimus non esse necessarium quaerere de gradu incestus; quippe sat solide probabilis est sententia, non diversificari speciem peccati ex diversitate gradus. Et si non est necessarium, tunc neque erit licitum; quia ubi non est necessaria cognitio sciendi gradum, praeponi debet certa obligatio servandi famam alterius in re gravi.

2° Circumstantia personae ligatae voto non est ordinarie inquirenda; quia eiusmodi est, ut raro contingat et scandalum ingeret; praeterea, si adest, poenitens sponte dicere eam solet.

3° Neque necesse est aut opportunum quaerere de *ancilla* aut de *habitante in eadem domo:* sed generalioribus interrogationibus, nempe *an peccandi occasio sit proxima*, utendum est.

4° Denique ea omnia supponunt doctrinam, quae alioquin non est necessario tenenda, de exprimenda scil. specie peccati, quando id in complicis cognitionem adducit.

615. Ut ergo ad cardinem quaestionis veniamus, dicendum est, vi Constitutionum praedictarum non ita absolute prohiberi interrogationem de nomine complicis, ut haec aliquando non liceat.

Et in primis Benedictus XIV. In Const. *Suprema* 7. Iun. 1745. praxim, quam damnat, novitiam dicit: « Pervenit (inquit) haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos, istarum partium Confessarios falsa zeli imagine se decipi passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam et perniciosam praxim in audiendis... confessionibus et in saluberrimo Poenitentiae Sacramento administrando *invehere atque introducere coepisse* etc. ». Atqui doctrina et praxis interrogandi poenitentem de complice aliquibus in casibus vigebat, ut a Lugo testante audivimus sup. n. 686., ante duo saecula. Ergo quidpiam aliud Benedictus XIV. damnavit.

Praeterea Benedictus XIV. in cit. Constit. loquitur de praxi, quae ortum habet ex falsa zeli imagine, et quam, ut subdit, « intolerandam imprudentiam (scitandi nomen, locum habitationis etc.) procurandae complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare non dubitarent ». Atqui veterum doctrinae non his characteribus praeditae sunt. Ergo.

Denique Benedictus XIV. auctores novae illius praxis reprehendit (in ead. Constit.) quod illam « emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera (inquit) opiniones huiusmodi vel falsas et erroneas sequendo, vel *veras et sanas male applicando*, perniciem tam suis quam poenitentium animabus conciscerent ». Ergo fatente ipso Pontifice ferebantur de hac re sententiae *verae* et *sanae,* quae tamen ad alios casus male transferebantur.

616. Quando porro liceat talis interrogatio, nemo, ut puto, melius declarat, quam Card. Lugo disp. 16. a n. 427., totam hanc implicitam materiam paucis complectens per nonnullas positiones.

Ac primo quidem n. 427. advertit, tripliciter posse Confessario dari notitiam criminis complicis: 1° ut Confessario et sub sigillo confessionis: 2° ut Confessario quidem, sed cum facultate utendi illa notitia cum tali aut tali persona in ordine ad hunc vel illum effectum solum: 3° non ut Confessario formaliter, sed ut talis persona est, (v. gr. P. Christophorus); quod sive fiat ibi flexis genibus sive finita confessione, parum refert, si poenitens dicat, se nolle dare illam notitiam sub sigillo sacramentali. Quibus praemissis, ponit quaestionem « an possit Confessarius obligare poenitentem, ut eiusmodi notitiam liberam

ipsi det et renuenti denegare absolutionem ». Cui quaestioni respondet per varias hypotheses.

Ac primo (inquit) « dicendum est, Confessarium nunquam posse obligare poenitentem, ut dicat illi complicem *ut Confessario sub sigillo confessionis,* nisi necesse id sit ad explicandum proprium peccatum. Ratio est clara, quia Confessarius, ut talis, non potest uti ea notitia extra confessionem ad ullum effectum. Ergo inutiliter et sine ulla causa obligarentur poenitentes ad infamandum complicem ». Ita Lugo n. 428.: advertere est tamen duo circa exceptionem quam facit de casu necessitatis ad exprimendum proprium peccatum. Nam 1° ut exprimatur peccatum non est necesse dicere *nomen* complicis; per accidens autem erit, si expressa aliqua circumstantia incestus v. gr. vel sacrilegii, Confessarius veniat in complicis notitiam, v. gr. si sacerdos adiutor parochi ex parochi famula audiat eam peccasse cum persona sacra, quae nulla alia esse posset (quippe nemo alius advenit) nisi parochus ipse. 2° Doctrina, cui ea exceptio innititur, non est necessario tenenda; quia probabile solide est, poenitentem excusari ab exprimenda circumstantia, quae hanc infamiam tunc afferret tertiae personae. Et si sententia haec est probabilis; ergo obligatio exprimendi tunc eam circumstantiam non est certa, sed mere probabilis. Ergo eo ipso Confessarius non habet ius obligandi poenitentem ad circumstantiae confessionem, seu ad revelandum utcumque complicem.

617. Pergit Lugo n. 428.: « Secundo, nec etiam potest Confessarius obligare poenitentem ad manifestandum complicem *intra confessionem* formaliter, seu notitia secundo loco assignata. Ratio, quia si necesse fuerit dare Confessario notitiam complicis in aliquo casu, qua uti possit extra confessionem, poterit poenitens hanc notitiam dare extra confessionem et haec erit aptior et utilior Confessario, quam si sit praecise notitia sacramentalis, qua non nisi cum magna alligatione uti poterit. Ergo non habet Confessarius ius obligandi poenitentem, *ut in confessione* detegat complicem ». Ita Lugo, qui tamen, ut patet, supponit, posse poenitentem obligari ad revelandum Confessario complicem sin minus notitia sacramentali, at saltem extrasacramentali. Verum si aptior et utilior et commodior est Confessario haec ratio manifestationis, minus tamen favet poenitenti.

618. Pergit Lugo n. 429.: « Dicendum tertio, licitum esse ipsi poenitenti dare Confessario eiusmodi notitiam sive extra sive intra confessionem cum facultate, ut possit illa uti ad talem effectum etc. » Ita Lugo: « si poenitens non confiteretur, posset illam dare sacerdoti ad petendum consilium, sive ad remedium suum vel complicis. Ergo etiamsi confessus fuerit, poterit illam notitiam dare: quid enim im-

pedit praecedens confessio? Unde similiter poterit talem notitiam intra confessionem dare cum facultate, ut Confessarius ea uti possit ad talem vel talem effectum. Imo hoc pacto magis consulit famae complicis, cum Confessarius maneat magis stricte obligatus arctiori vinculo sacramentalis sigilli ad non manifestandum illud complicis crimen. Aliunde autem certum mihi est, sigillum confessionis licet comprehendat peccatum complicis, non tamen respicere ipsum complicem, sed poenitentem, cuius solius licentia sufficit ad utendum illa notitia. Denique non est contra reverentiam sacramenti, quod assumatur ut medium secundario ad alios effectus extrinsecos praeter iustificationem poenitentis: ex quibus facile diluuntur omnia, quae contra hanc conclusionem aliqui congerunt, quae singillatim optime dissolvit Suarez disp. 34. sect. 4. ».

Quae quidem Lugo confirmat hisce exemplis n. 430.: « Non est dubium, quod possit Confessarius ex licentia poenitentis uti notitia illa ad aliquod damnum temporale complicis impediendum, ut si uxor adultera sciens, virum suum velle occidere adulterum, moneat illum per Confessarium ut sibi caveat. Item si aliquis in mortis articulo restituat damnum, quod simul cum alio socio intulit, poterit Confessarius ex licentia poenitentis admonére illum complicem de restitutione facta et quomodo socius moriens condonavit ei suam partem. Neque haec sunt contra reverentiam sacramenti, ut patet. Cur ergo repugnabit, quod ex licentia eiusdem poenitentis utatur Confessarius eadem notitia ad bonum spirituale complicis, vel ad impediendum damnum commune? » Ita Lugo ex Suarez disp. 34. sect. 34. n. 23., qui plura alia in eadem sectione congerit de hoc argumento.

619. Pergit Lugo n. 431. « Quarto: non nisi raro contingere potest, ut Confessarius obligare possit poenitentem ad declarandum sibi nomen complicis. Nam ea omnia, quae Confessarius potest cum tali notitia facere, poterit ipse poenitens immediate per se ipsum, vel certe per alium, de cuius prudentia non minus sed fortasse magis fidat, quam de Confessario; non est ergo cur debeat poenitentem adstringere, ut sibi nomen dicat complicis, vel renuenti absolutionem neget. Si enim poenitens dicit, se bene agnoscere obligationem suam, quam habet, et velle per se vel per alium idoneum omnino satisfacere, Confessarius debet in illo foro ei credere ». Ita Lugo; ubi videtis casum, in quo damnatur iuste Confessarius etiam supposita in poenitentibus obligatione aliqua relate ad complicem.

Pergit Lugo n. 432.: « Quinto non tamen repugnat, dari casum, in quo possit Confessarius poenitentem obligare ad manifestandum sibi nomen complicis: non quidem quasi Confessarius obligationem im-

ponat, sed quia revera poenitens eam habebat et Confessarius, qui ex eius confessione hoc agnoscit, admonet illum de sua obligatione; cui si non vult satisfacere, iam merito ei absolutionem negat, quem non invenit ad absolutionem dispositum ».

« Porro posse illum casum contingere, constat aperte; quia potest Confessarius videre, ea occultatione complicis gravissima damna imminere ad quae impedienda poenitens omnino tenetur, rursus videt, poenitentem per se ipsum immediate id non posse exsequi, nec habere alium, per quem id possit, praeter ipsum Confessarium: quo casu certum est, teneri poenitentem ad illud medium unicum eligendum, quod si eligere nolit, iam non est aptus ad absolutionem recipiendam ».

Et hic quidem casus ad *doctrinas veras et sanas* dicendus est pertinere, quas Benedictus XIV. dixit, male ab aliquibus applicari ac trahi ad defensionem pravae doctrinae, quando scil. ista obligatio poenitentem non urgeat, cum unicus sit reipsa casus, in quo Confessarius comminari debet poenitenti, utpote alioquin indisposito, negationem absolutionis, si obligationi revelandi complicem satisfacere nolit.

620. Atque hinc est, quod Mazzotta prout innuit et s. Alph. n. 492.) memorata Constitutione Benedicti XIV., subdit (tr. 6. disp. 1. q. 4. cap. 7. n. 1. tom. 3. pag. 268.): « Si autem gravia damna timerentur a complice, quae solus Confessarius posset impedire, esset ei manifestandus; quod expediret etiam fieri extra confessionem ».

Eandem in rem allegat s. Alphonsus P. Philippum de Carboneano, qui n. 10. appendiculae de hoc argumento, quam subdit Antoine cap. 1. *de Poenit.* art. 2. q. 6., scribit: « Accidere interdum potest, ut adigendus sit poenitens ad revelandum complicem; cum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quae in perniciem Reipublicae vergere possunt, sicuti accideret, si principis vita periclitaretur, si aqua mortifera populo propinaretur, aut ex farina, cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur poenitens ad exquirendum consilium Confessarii (hoc per se falsum est), qui pro sua prudentia aut per se aut per ipsum poenitentem remedia conquirat (sed ad haec praestanda opus haud est nosse nomen complicis). Nisi revelare velit poenitens, minime est absolvendus; nam ex lege iustitiae (nisi is sit causa damni, quae lex iustitiae intercedit?) non minus quam caritatis, tenetur ille pro viribus curare, ut in tuto sit publica salus ».

Huius hominis porro verba attuli, non quasi aliquam auctoritatem ei tribuens, sed ut inde pateat Romae quoque (docebat enim ipse in Collegio de Propaganda Fide) non ita intellectas Litteras Apostolicas Benedicti XIV., ut casus omnes comprehenderent sub damnatione.

621. Veruntamen s. Alphonsus n. 492. non audebat acquiescere. Hinc ad sententias Mazzottae et Carboneani subdit: « Hic tamen quid de hoc sentiam, libere dicam. Nulli dubium, quod aliquando tenetur poenitens complicem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum; sed spectata tam rigorosa (ut vidimus) Pontificis prohibitione, ad finem vitandi *proximi infamiam*, sacramenti iniuriam, sigilli violationem, scandalum etc., prout exprimitur in Bulla, non est licitum Confessario nomen complicis exquirere ad finem faciendae correctionis. Unde casu, quo poenitens vere teneatur complicem patefacere, tantum poterit Confessarius poenitenti imponere in genere, ut complicem *revelet alicui*, qui scandalum possit impedire, sed numquam licebit Confessario dicere, *revela mihi* ».

Porro ex his patet, s. Doctorem non considerasse hypothesim, qua poenitens nec per se nec per alium tertium, sed solum per Confessarium possit exsequi id, ad quod alioquin tenetur. In hac hypothesi corruit tota ratiocinatio s. Alphonsi, nec tunc (ut aiebat Lugo n. praec.) Confessarius imponit legem ut sibi dicatur complex, sed declarat, hanc esse obligationem poenitenti a lege superiore impositam.

Bene proponit casum Lugo n. 433.: « Hic casus (inquit) facilius potest occurrere Praelato Regulari, qui, si ex confessione subditi sciret, latere in domo vel conventu religiosum notabiliter perniciosum, qui suis pessimis moribus alios corrumpat et inficere possit brevi tempore magnam partem cum maximo damno communitatis et videt aliunde, perditum illum hominem corrigendum non esse secreta correctione ipsius poenitentis vel aliorum, nec posse commune damnum impediri, nisi de medio auferatur incorrigibilis ille per mutationem loci vel expulsionem; potest quidem poenitentem admonere de obligatione, quam habet (scil. revelandi complicem), si absque suo gravissimo detrimento possit. Quod si poenitens id nolit, non debet Praelatus assumere Superioris personam, et cum censuris vel praecepto obedientiae obligare; quia notitiam illam non accepit ut Praelatus sed ut Confessarius ac tantum in foro illo sacramentali, in quo solum potest et debet negare absolutionem ob defectum dispositionis debitae. Quare quoad hoc, idem potest et debet cum proportione facere alius Confessarius, cui religiosus ille confiteatur. Nam illum debet similiter obligare, ut per se vel per alium adeat Praelatum et det illi notitiam complicis, quantum sufficit ad impediendum commune damnum. Quando vero et quomodo excusetur poenitens a manifestando complice ob propriam infamiam aut damnum, quod sibi timet, ex particularibus circumstantiis diiudicandum erit. Tam grave enim esse potest communitatis damnum, ut poenitens teneatur illud impedire etiam cum gravi aliquo suo detrimento ».

Ita Lugo et aliquem casum similem excogitare haud aegre possumus de parocho v. gr. qui haeresi et pravis doctrinis aut moribus corrumpat secreto plebem.

622. Croix lib. 6. part. 2. n. 1144. et 1958. alios allegans tria monet, nempe 1° quod Confessarius non debet se exhibere aut petere. Quam regulam non probamus, si videat aliud medium non esse.

2° Si necesse sit remedium apponi per Confessarium, quia poenitens nec per se nec per alium potest, tunc si agatur de denuntiando sollicitante, poenitens ad nihil aliud tenetur, qui per se id facere non potest. Sed haec regula fallit, si dignoscatur, ex pravo illo sacerdote sollicitante grave damnum imminere, nempe si non fortuita fragilitas, sed pessimus mos sollicitandi appareat.

3° Si de publica alia causa agatur, aut etiam de gravissima privata, tunc suadendum, ut poenitens id revelet ipsi Confessario extra confessionem. Quod sapienter cavetur. Et melius id consulitur, quam ut poenitens scripto tradat licentiam utendi notitia pertinente ad confessionem sacramentalem, ut Lugo advertit n. 435. Sed hoc gravius accidit, ut videbimus n. 639., poenitenti et etiam complici, ut Lugo sup. n. 616. notabat.

623. S. Alphonsus n. 641. ad h. locum A. quaestionem facit, an possit Confessarius monere complicem de licentia poenitentis.

Et recte respondet, communissimam et veram esse sententiam, quae affirmat id posse: sed non bene dicit, aliter sensisse Tamburini *Meth. Confess.* append. *de Sigill.* cap. 3. n. 7. cum Vasquez, item Soto cum aliis apud Croix lib. 6. part. 2. n. 1959. et horum sententiam dici probabilem a Diana p. 5. tr. 2. res. 24., nunc tom. 1. tr. 8. res. 51.

Nam Tamburini docet ibid. n. 8. de licentia poenitentis posse moneri complicem etc.; in loco autem allegato a s. Alphonso, scil. ibid. n. 7. aliam quaestionem facit, scil. an de licentia poenitentis revelare aliis complicis peccatum sit contra sigillum et affirmat, ceu probabilius, requiri consensum complicis. Et haec pariter est doctrina quam docet Vasquez q. 93. art. 4. dub. 5. n. 5., qui tenet, sub sigillo peccatum complicis manere, usque dum poenitens extra confessionem referat totam historiam et complicis peccatum etc.

Et haec pariter est quaestio a Diana l. c. mota: « An sit contra sigillum confessionis etiam cum licentia poenitentis revelare peccata complicis absque complicis licentia ».

Confusionem porro induxit Croix, qui loco cit. male duas simul, quasi nihil differrent, quaestiones ita coniunxit: « Ut Confessarius sine laesione sigilli possit MONERE vel REVELARE complicem, putant Vasquez, Tamburini etc. non sufficere poenitentis sed requiri etiam complicis

licentiam etc. ». Male, inquam, nam quis somniat, requiri complicis consensum, ut possit ipse moneri?

Ceterum in eandem rem addit Suarez disp. 34. sect. 3. n. 7., » de licentia poenitentis posse Confessorem uti scientia, quam per confessionem accepit de peccato complicis, in bonum ipsius poenitentis et praesertim in spiritualem utilitatem vel etiam necessitatem, v. gr. ut poenitentem defendat ab importuna complicis insectatione et inductione ad peccandum: vel ut ab eo aliquam debitam satisfactionem accipiat, si tamen prudenter fiat. *Hanc assertionem communiter docent* Theologi etc. ».

624. Quoad licentias istas tamen et quoad suscipienda a Confessario haec munia, monent DD. omnes, summa opus esse cautela.

Tamburini append. *de Sigill. Conf.* cap. 3. n. 8. postquam dixit: posse Confessarium ex licentia poenitentis monere complicem, subdit ex Suarez disp. 34. sect. 4. n. 4. duos esse vitandos scopulos: 1° ne Confessarius facile ad hoc se ingerat: 2° ne nimio zelo ductus eam licentiam facile a iunioribus exposcat; in his enim non raro extortae concessionis periculum latet.

Et de eadem re s. Alph. n. 492.: « Si poenitens ex se et sponte sua rogaret Confessarium, ut complicem corrigeret, tunc Confessario multa prudentia opus est; nam ordinarie loquendo non expedit, ut se immittat in huiusmodi rem; ipsi enim tantum incumbit (prout confessarius est) curare de damno sui poenitentis, non de alieno et solummodo intra confessionem, non extra. Et ex altera parte Confessarius difficulter exsequetur munus corrigendi sine periculo scandali et offensionis sacri ministerii » Quia loqui Confessarius debet de peccato quoque, quod alter confessus est; secus interpellare complicem de ea re nequit: at loqui de peccatis auditis (utut supponatur licentia) saepe aliquid habet offensionis.

Et consonat Lugo disp. 16. n. 436.: « Sicut dicendum est raro obligari poenitentem ad manifestandum nomen complicis Confessario: ita rarius obligabitur Confessarius ad acceptandum illud munus et imponendum sibi illud onus corrigendi complicem, vel denunciandi illum. Aliquando tamen poterunt concurrere tales circumstantiae, in quibus ipse etiam Confessarius obligatur ad exquirendum complicem et assumendum sibi illud munus etc. ».

Et inter cautelas, hanc etiam Lugo suggerit (ibid. n. 435.): « Debet etiam praemonere poenitentem, an speret, quod per ipsum Confessarium obtinebitur fructus, qui intenditur: item an sit peculiare aliquod inconveniens, si Confessarius agnoscat complicem; posset enim contingere, quod esset frater vel consanguineus ipsius Confessarii, qui prudenter non deberet ei manifestari etc. ».

625. Eadem resol. 5. n. 3. negat A. revelari posse poenitentiam impositam, si sit gravis.

Regula, quae traditur, eo redit, esse contra sigillum, si manifestetur poenitentia imposita, ex qua indirecte proditur, poenitentem confessum fuisse peccatum mortale.

Verum haec regula videtur adhuc imperfecta. Nam sicut foret contra sigillum revelare generatim etiam venialia *plura* ac *grandiuscula*, ita sigillo adversaretur manifestatio poenitentiae, quae tales culpas indicaret.

Tunc ergo non laedetur sigillum quando Confessarius aut generatim dicat, se poenitentiam levissimi momenti imposuisse, aut specialiter hanc indicet, v. gr. Ter *Ave* aut *Gloria*.

626. Quoad 4^m^ DE PECCATORUM CIRCUMSTANTIA, quae sit obiectum peccati. In primis memoranda est circumstantia, quae dici etiam solet *obiectum* peccati. De qua re Lugo disp. 23. n. 52.: « Certum est, obiecta et circumstantias peccatorum esse materiam sigilli; neque enim minus retraheret a confessione horum revelatio, quam ipsius peccati: v. gr. si aliquis confiteatur, se petiisse debitum ab uxore, licet haberet votum castitatis, non potest sine violatione sigilli dici, quod ille habeat votum castitatis ».

Et in eandem rem s. Alph. n. 641. ad dub. 2.: « Sub sigillum cadit, si v. gr. filius confiteatur, odisse se matrem ob adulterium, vel non corripuisse fratrem de furto; adulterium enim illud et furtum cadunt sub sigillum tamquam obiecta peccati ». Idem dicitur, si poenitens v. gr. confiteatur, se sine causa manifestasse alteri turpe crimen occultum Titii, vel usuras Iacobi etc., vel odisse se Caiam sponsam, quia haec fuit infidelis, aut Sempronium, quia hic suam famam iniuste laceravit etc.

Subdit s. Alph. l. c.: Probabiliter dicunt Tamburini et Sporer, quod si poenitens confiteatur, se gavisum de occisione Petri, inimici sui, in publico foro commissa, non teneretur Confessarius ad sigillum circa nudum factum occisionis; quia cum homicidium sit publice notum et tantum per accidens lateat Confessarium, non censetur poenitens illud velle sigillo subiicere. Et generatim ubi non est ullum revelationis periculum vel gravaminis poenitentis, minime cadit sub sigillo obiectum peccati (v. s. Alph. n. 657. in fin.).

Ita si quis confiteatur se omisisse sacrum die festo, ut adiret theatrum, videret advenientes milites aut areostaticam machinam elevari etc. haec facta non censerentur materia sigilli.

Veruntamen male diceret Confessarius, se ea a poenitente in confessione didicisse, aut diceret in iis adiunctis, ut id arguatur; ne scilicet suspicio oriatur, poenitentem habuisse causam dicendi de illo obiecto.

627. Quoad circumstantias peccatorum haud mediocris adest difficultas. Et Auctor quidem regulam illam proponit: *quas taceri poenitenti interest* ac dein ad aliquot casus applicat. Sed indigent haec uberiori explicatione.

Et quoad primum casum (scil. defectus natalium) nonnulli quidem (pro ea sententia Lugo disp. 23. n. 54. citat Vasquez) tenuerunt, has peccati circumstantias non esse materiam sigilli, quando nullum iudicium dare possunt peccati commissi, v. gr. si confessus est voluntatem suscipiendi aliquod officium, quod suscipi non potest cum illo occulto defectu natalium, vel nobilitatis. Secus vero, si iam illud officium sic suscepisset: quia tunc revelato illo defectu, revelaretur peccatum a poenitente commissum in tali officio suscipiendo.

Et reipsa Vasquez quaest. 93. art. 4. dub. 3. n. 2. scribit: « Nescio, qua ratione sit verum, quod docet Dominicus Soto, contra sigillum esse confessionis revelare defectus naturales parentum, natalium, aut status personae, etiam quando nullum indicium esse possunt peccatorum aut peccati alicuius; sic enim cum non pertineant nec per accidens ad confessionem, nescio quomodo sub sigillo continentur, cum sigillum tantum videatur esse respectu eorum, quae sunt materia confessionis ». Conciliari potest cum aliis si intelligatur de casu, in quo nec onerosa redditur confessio.

Sed contraria sententia (inquit Lugo n. 55.) communis est et vera. Ratio, quia ex horum revelatione magis odiosa et onerosa redderetur confessio, quam ex revelatione peccati: mallet enim non raro homo peccata sua manifestari, quam huiusmodi defectus, quos tamen saepe oportet Confessario aperire ad explicandam speciem peccati, atque adeo *obiective* videntur pars esse peccati.

Veruntamen etiam quoad circumstantias peccatorum atque ea omnia, quae dicuntur ad melius peccatum explicandum, habenda est prae oculis norma Auctoris: *quas taceri poenitenti interest.* Et hac limitatione omnino circumscribenda est huiusmodi doctrina, quam v. gr. Suarez sic proponit (disp. 33. sect. 3. n. 5.): « Non solum peccata et circumstantiae peccatorum, sed etiam omnia illa, quae dicuntur ad declarandum peccatum, manent sub sigillo Confessionis ».

Atqui huic doctrinae opponi plura possunt. Nam (ut ait Lugo disp. 23. n. 56.) si ad explicandam speciem adulterii in turpi desiderio, poenitens dicat se esse coniugatum, vel ad aliam speciem explicandam dicat, se esse sacerdotem, aut se esse gubernatorem, vel dominum temporalem, aut parochum, aut similia; nunquid haec omnia continebuntur sub sigillo, adeo ut contra sigillum peccet sacrilege Confessarius, si dicat se audivisse in confessione hominem coniugatum, sacerdotem,

gubernatorem, dominum, parochum, ex quibus tamen nullo modo indicetur eorum peccatum?

628. Difficultatem hanc, paulo evolvens Auctoris regulam, sic Lugo explanat (disp. 23. n. 57.): « Ex uno capite (inquit) non possumus negare, aliqua eiusmodi, maxime defectus poenitentis, manere sub sigillo ob rationem adductam (sup. n. praec.) et ab absurdo confirmatur. Alioquin enim, si poenitens se accuset, quod voluerit celebrare Missam cum irregularitate occulta ex defectu lenitatis absque peccato contracta, posset absque sigilli violatione publicare eius irregularitatem; quippe non ipsa irregularitas, sed solum voluntas celebrandi cum illa irregularitate est peccatum. Hoc autem est contra omnium sensum. Aliunde vero negare non possumus, quod multa dicuntur a poenitente, etiam initio confessionis ad explicandum statum suum, quae necessaria sunt ad praebendam notitiam peccatorum, quae tamen non videntur exigere sigillum, v. gr. quod sit coniugatus, paterfamilias, artifex, mercator sacris initiatus, parochus, gubernator etc.

« Distinguendum igitur (pergit Lugo) videtur circa huiusmodi circumstantias et recurrendum est omnino ad intentionem poenitentis; quippe hic aliquando eas narrat solum quasi praesuppositive et quasi extra Confessionem, ut aliquam notitiam praesupponendam det Confessario ad melius postea intelligendum suum peccatum, *volens supplere notitiam communem, quae deest Confessario de eius persona aut de rebus aliis publicis, quas per accidens Confessarius ignorat* et haec non videntur committi sub sigillo, quando non sunt peccata. Alia vero dicit poenitens, sed coactus, ut manifestet peccatum suum, quae alioquin non diceret, nisi ad eum finem et haec videntur ab eo dici sub eodem sigillo; quia ex modo dicendi satis indicat, se illa ita dicere, ut extra confessionem nunquam ea dicturus esset: *et hoc modo videtur dicere* ILLA OMNIA, *quae dicit, nisi ex* IPSA PUBLICITATE REI CONSTET *solum priori modo dicta esse.*

Hinc nescio, quomodo s. Alphonsus recedendum putet a doctrina Tamburini (Append. *de Sigill.* cap. 3. n. 13.) aientis: « Si defectus naturales paupertatis, ignobilitatis et similium, ita referantur a poenitente, ut ex adiunctis colligatur, eos esse communiter notos, tunc non cadunt sub sigillum; quia tunc non praesumitur poenitens narrare ipsos, nisi ut cognitos nec velle subiicere clavibus, quando expresse aliter non declarat ». Reponit s. Alph. n. 643.: « Sed huic opinioni merito non consentit Holzmann; quia cum defectus illi ex peccatorum confessione cogniti sint a Confessario, manifestatio eorum retardaret poenitentes a confessione ». Nam quomodo retardat a confessione manifestatio rei, de qua publice constat?

629. Ab his autem, quae a poenitente dicuntur ad peccatum suum explicandum, recte distinguuntur quaedam alia, quae Auctor dicit *impertinentia et per accidens interposita* et alii appellant *dicta concomitanter*.

De his Suarez disp. 33. sect. 3. n. 10.: « Dicendum est, cetera omnia, quae *concomitanter* in confessione dicuntur, proprie non contineri sub sigillo, si nullo modo inserviant accusationi peccatorum. Ita docent omnes; quia illa per se non sunt materia nec ad illam reducuntur et quod ibi dicantur, est impertinens. Item si sola dicerentur, non inducerent sigillum; sed concomitantia confessionis non habet, ut sic dicam, causalitatem in illa. Ergo. Nihilominus tamen semper spectat ad prudentiam Confessoris de his etiam rebus parum loqui ».

Quod postremum monitum semper prae oculis habendum est; quia fideles aliquod semper scandalum patiuntur et timent, ne de suis etiam rebus aut ille aut alius Confessarius loquatur. Imo recte addit A., saepe haec cadere sub secreti naturalis obligationem, quando (inquit) *poenitens ea tecta velit;* sed non est necesse, ut id expresse dicat poenitens et ipsa rei indoles aut modus dicendi de eo Confessarium potest sufficienter monere.

630. Veruntamen cum ad circumstantias mere concomitantes reducimus ea, quae ad explicandum peccatum per se non deserviunt, excludi ab hoc censu atque ad sigillum pertinere ea dicenda sunt, quae licet non necessaria omnino sint ad explicandum peccatum, utilia tamen ad melius declarandum sunt *aut certe talia a poenitente aestimantur*.

« Ratio (inquit Suarez disp. 33. sect. 3. n. 5.), quia haec omnia saltem per reductionem sunt materia confessionis, cum ordinantur ad accusationem peccati. Deinde quia alioquin etiam fieret confessio odiosa, cum peccata non possint revelari sine huiusmodi rebus vel circumstantiis, nec possent poenitentes loqui cum fiducia et securitate. Unde addo, non solum cadere haec sub sigillo, quando necessaria sunt, sed etiam quando sunt utilia et quoties a poenitente dicuntur propter hunc finem, etiamsi fortasse minus prudenter agat, quia posset aliter dicere. Ratio est, quia hoc est necessarium ad communem modum confitendi hominum *et oportet ut etiam simplices et ignorantes possint secure et sine timore revelationis confiteri* ».

Subdit Lugo disp. 23. n. 59., secus nimis onerosam fore confessionem; « cum poenitens non sciat frequenter discernere, quae sint necessaria, quae utilia, quae inutilia ad eum finem. Quare sicut sufficit intentio confessionis sacramentalis, licet reipsa ex aliqua causa sacramentalis non sit: sic sufficit intentio dicendi illa tanquam partem,

saltem in obliquo, confessionis sacramentalis ad explicandum peccatum, ad hoc ut oriatur obligatio sigilli ».

Unde infert Lugo ibid. « non solum vera peccata, sed etiam ea, quae peccata non sunt et a poenitente dicuntur, quia putabat esse peccata, manere sub sigillo propter eandem rationem ».

631. Quod subditur ab Auctore de virtutibus et vitiis, notabis 1° male prorsus coniungi heic *virtutes* et *vitia* (scil. animae); nam de vitiis nulla debet aut potest esse controversia, neque DD. dissensio, quam Auctor innuit, ullatenus pertinet ad revelationem vitiorum, quae sub sigillo cadere dicenda prorsus sunt et DD. allegati solum de virtutibus agunt.

2° Quod vero attinet ad virtutes (et huc revocant doctores reliqua etiam Dei dona, v. gr. revelationes, extases, dona extraordinaria contemplationis, lacrymarum etc.), s. Alphonsus (n. 642. intra parenth.) adoptandam putat hanc distinctionem Lugo disp. 23. n. 58.: « Aliquando (inquit) praedicta Confessario aperiuntur ad percipiendam ab eo instructionem, vel ad integre manifestandum conscientiae seu animae statum et tunc non sunt materia confessionis, atque adeo non sunt materia sigilli sacramentalis, sed solum secreti naturalis. Aliquando vero dici possunt ad declarandum melius aliquod peccatum (seu defectum) v. gr. ingratitudinem erga Deum post haec vel illa dona ac beneficia Dei, vel inconstantiam in bono proposito post tale propositum firmum procurandae propriae perfectionis et similia et tunc credo, quod pertinet ad sigillum, cum iam sint, saltem in obliquo, materia confessionis et aliunde apparet, quod poenitens non vult illa extra confessionem manifestare, sed retinere illa sub sigillo arctissimo confessionis ».

Et pro hac sententia s. Alph. addit Roncaglia, Mazzotta, Croix cum Stoz et Vivam, qui tamen falso allegat Dianam part. 5. tr. 11. res. 30. nunc tom. 1. tract. 8. res. 19.: quippe qui allata sententia Granadi, qui consentit cum Lugo, mox subiicit: « At ut verum fatear, hae virtutes et dona quasi semper non manifestantur ad explicationem peccati, neque ex earum manifestatione redditur poenitentibus odiosa confessio. Et ita hanc negativam sententiam tenet Malderus..., ubi tamen recte notat, posse poenitentem obligare Confessarium sub secreto naturali has virtutes et dona celandi ».

Fateor et ego sincere, doctrinam hanc Lugo non satis videri cohaerentem. Namque num magis ordinatur in casu ad peccatum explicandum circumstantia donorum Dei, quam circumstantia status coniugalis aut muneris magistri aut magistratus etc. (sup. 628.) aut v. gr. donorum temporalium a Deo receptorum sanitatis, divitiarum, bonae familiae, ingenii, doctrinae, providentiae speciatim benevolae, ad propriam in-

gratitudinem explicandam? Nonne ipse Lugo sup. n. cit. restrinxit id *ad defectus?* Dices, poenitenti grave esse, quod haec revelentur. At id non statim inducit sigillum confessionis, sicut non inducit sermo v. gr. de proposito religionis amplectendae; nam satisfit iustae voluntati poenitentis per secretum naturale.

Aliunde haec doctrina contraria videtur sensui communi. Nemo enim dubitat, post mortem sancti viri, extraordinarias gratias illi factas revelare et tamen de iis, quae cadunt sub sigillum confessionis, nemo docuit, licitam esse revelationem post mortem poenitentis.

Neque vim habet, quod dicit Lugo, nolle poenitentem haec revelare nisi sub arctissimo secreto confessionis. Nonne idem dici posset de iis, quae revelat poenitens ad statum suum manifestandum, et ad petendam instructionem, directionem etc.? Scilicet obligatio sigilli non oritur, neque pendet ex voluntate poenitentis, sed ex rei natura. Et si natura rei non subiicitur per se legi sigilli sacramentalis, voluntas poenitentis potest exigere utique secretum, sed illud secretum, cuius capax sit res revelata.

632. Quoad defectus naturales, Coninck, Hurtadus, et Kellisonius apud Diana part. 5. tr. 11. res. 29., nunc tom. 1. tr. 8. resol. 18. docent, contra sigillum esse, revelare defectus naturales poenitentis, quando ab ipso dicuntur in confessione, ut conducentes ad explicationem sui peccati; secus vero dicendum, quando a poenitente narrantur incidenter et non tanquam conducentes ad id; sed in hoc casu a manifestatione nihilominus Confessarium debere abstinere. Malderus vero, ab Auctore ut contrarius citatus, vix discrepat ab hisce: nam solum addit (apud Dian. l. c.) hosce defectus sub sigillum cadere, si eos explicando sua peccata poenitentes revelent, etiamsi *parum* (nota bene: non dicit *nihil*, sed *parum*) conducat eorum explicatio ad peccati narrationem, sed ex simplicitate poenitentis addantur. Adeo ut vix sit aliqua discordia iuxta ea, quae sup. n. 630. dicta sunt.

Et quidem haec est doctrina, quam amplectitur et fuse exponit etiam s. Alphonsus n. 642., dicens valde probabile, non cadere sub sigillum defectus naturales quos poenitens sine ullo ordine ad explicanda peccata aperit, cum ad confessionem nihil pertineant; licet secretum naturale sit servandum, si sint occulti. Huius tamen doctrinae paulo post videbimus s. Doctore pene oblitum.

Eandem fere regulam proponit A. post Malderum et Diana p. 5. tr. 11. res. 38., nunc tom. 1. tr. 8. r. 44. de defectibus *naturalibus* aliorum. « Si confitens (inquit Diana post Malderum) occasione suorum peccatorum, utpote tanquam circumstantias aut obiecta, aut quia pro sua ruditate, cum non pertineant, putat ea pertinere ad explica-

tionem suorum peccatorum, aliqua talia (scil. quia alios concernunt et peccata non sunt) *secreta* narret, existimant Doctores, talia quoque comprehendi sigillo: si vero solum concomitanter in confessione narrentur, tenetur Confessarius solum secreto naturali, nisi forte propter scandalum, quando putarentur ad confessionem pertinere, etiam aliquid admisceatur obligationis sigilli ».

Ita si Episcopus se accuset, quod sine iusta causa dispensaverit Titium ab irregularitate ex occulto natalium defectu, haec notitia defectus natalium Titii pertinebit ad sigillum.

Pertinebit ad secretum mere naturale, si sartrix narret se vestes consuisse idoneas ad tegendos quosdam defectus corporis pro domina Clementina. Dictum est, si *talia sint secreta;* nam secus iuxta dicta n. 628. non censebuntur narrata nisi ad notitiam praesuppositivam etc., sive demum ea addiderit poenitens ad explicandum suum peccatum, sive mere concomitanter.

633. Quoad reliqua, scil. scrupulositatem, defectus etc., sic ait Lugo disp. 23. n. 60.: « Tertia difficultas est circa defectus alios poenitentis, quos Confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest. Circa quos aliqui videntur supponere, contineri sub sigillo atque ideo non posse, sine eius violatione, Confessarium dicere, poenitentem esse scrupulosum, impertinentiis et naeniis tempus conterere et caput audientis rumpere, esse morosum et his similia. Ita Coninck. Sed verius credo, non contineri, ut Nayarrus cap. 8. n. 12. dicit, non esse contra sigillum, si dicat aliquis, talem poenitentem obtundere caput Confessarii suis minutiis. Ratio est, quia defectus alii manifestantur a poenitente ad declarandam suam conscientiam et peccata et hi continentur sub sigillo. Alii fiunt ibi ab ipso poenitente, quos Confessarius non audit ex relatione poenitentis, sed ipse eos videt et percipit et hi sicut non dicuntur secreto, sic non sunt sub sigillo. Nam si poenitens sit blaesus, si rudis, si hebetis ingenii, qui defectus et similes in confessione percipiuntur, non manent sub sigillo. Similiter ergo si ostendit se naturae molestae, irresolutae, durioris ad credendum, qui omnes defectus ibi fiunt et per *consequens non sunt materia confessionis illius*, non erunt sub sigillo: sicut, si ibi committeret aliquod peccatum blasphemiae, contumeliae in Confessarium et similia, non erunt sub sigillo, quia illa peccata non confitetur, sed committit vidente Confessario, nisi peccatum versetur circa ipsam confessionem ».

S. Alphonsus tamen (vid. n. 960.) magis putat adhaerendum sententiae Tamburini. Unde praesertim de defectu *naturae molestae*, *irresolutae*, *durioris ad credendum* etc. subdit; « Huic sententiae (scil. Lugo) merito contradicunt Palaus etc. Ratio, quia cum defectus illi

sint odiosi, et Confessarius noverit eos occasione confessionis, dum poenitens sua peccata explicabat, eorum manifestatio semper redderet aliquo modo confessionem odiosam et ab ea retardaret ».

Verum s. Alphonsus non videtur advertisse, quod Tamburinius non bene quaestionem instituit nec ad rem facere, quae ipse opponit Lugo. Etenim Tamburini quaestionem ponit (Append. *de Sigill.* cap. 3. n. 17.) « an LICEAT detegere defectus, quos Confessor animadvertit in ipsa confessione, v. gr. proferendo: *Hic est scrupulosus, impertinentiis et naeniis caput conterit, est morosus, indoctus* etc. ». Et dein subdit: « Concedit Lugo cum Navarro etc. ».

Atqui falsum omnino est, Lugo concedere, *licitum esse detegere* ea, de quibus est quaestio: sed Lugo et Navarrus tantummodo contendunt, eam manifestationem non esse *violationem sigilli sacramentalis.* Aliud est autem quidpiam *non esse violationem sigilli confessionis;* aliud *esse licitam manifestationem*, ut vidimus ex ipso s. Alphonso sup. n. 632. in fin., quia adesse potest obligatio secreti naturalis.

Interim Tamburini l. c. n. 18. ex eo quod non liceat eos defectus propalare, concludit, eos cadere sub sigillum, adhibens praeterea generale effatum: *quidquid iniuriam facit poenitenti,* seu *quidquid aegre is fert, ut evulgetur, cadit, ne odiosa sit confessio, sub sigillum.*

Verum alii non immerito negabunt consequentiam. Et quod spectat ad effatum illud, negabunt ad sigillum pertinere omnem *iniuriam* factam poenitenti; quia iniuria fit etiam negando absolutionem disposito: neque tamen negatio absolutionis est violatio sigilli. Item negabunt pertinere ad sigilli violationem quidquid evulgetur, quando aegre ferat id poenitens; nam materia sigilli refertur ad peccata et ad omnia, quae liberam ac tutam efficiant peccatorum manifestationem, seu accusationem, adeo ut certissime sciat poenitens, nihil unquam revelatum iri eorum, quae ad eam accusationem pertinent. Et haec quidem est definitio communissima materiae sigilli.

Neque demum valet ratio, quod sic confessio reddatur odiosa. Etenim non quaelibet manifestatio, quae molestiam afferat poenitenti et sic ei confessionem gravem reddat, est contra obligationem sigilli. Et sane quod attinet ad defectus, certe aegre fert poenitens, quod reveletur v. gr. ipsum gerere caliendrum (la parrucca), aut halitum eius male olere (sive quia viscera habet corrupta, sive quia allia aut cepas edit aut fumo tabaci utitur...). His tamen manifestatis non violatur sigillum. Exinde nemo putat Patrem Spiritualem v. gr. Seminarii peccare contra sigillum confessionis, si halitum male olentem advertens alicuius adolescentis, moneat Superiorem, ut sanitati illius prospiciat, licet male hunc defectum coram aliis aperiret.

Ceterum nos non admittimus quidem theoriam Tamburini, ad sigilli obligationem referentis quidquid aegre poenitens revelari patitur, licet id nihil pertineat ad accusationem peccatorum: at fatebimur simul, eum in hac doctrina constare sibi. At mirari subit, quomodo secutus eum sit s. Alphonsus, qui tamen in casu pari, videlicet poenitentis aegre ferentis revelari quidpiam, apte distinxit pertinentia ad accusationem peccatorum et huc impertinentia ac priora sub sigillum cadere docuit, posteriora autem pluries negavit, asserens sub secreto tantum naturali celanda. Vid. sup. n. 632.

634. Melius s. Alph. n. 643. notat, periculum revelationis contra sigillum adesse, quando Confessarius narret contumelias in se a poenitente iactatas etc.; quippe coniici posset ab audientibus, poenitentem id egisse ob gravem causam ad confessionem spectantem, v. gr. ob negatam absolutionem, aut graves reprehensiones culpae gravis etc. At Lugo spectabat peccata haec in se, nempe prout sunt facta a poenitente et non sunt per se materia confessionis illius.

Denique s. Alph. n. 644. testatur, se non acquiescere doctrinae Lugo quoad *scrupulositatem*, « quia non pauci (inquit) aegre ferunt scrupulosos appellari »: praesertim, subdit, « si dicatur de Praelato, Confessario et similibus, in quibus scrupulositas est signum mentis confusae et irresolutae ».

At reipsa 1° haec non valent contra doctrinam Lugo, quasi hic doceat, *licite* ea revelari: 2° non probant Confessarium teneri lege sigilli sacramentalis, sed solum obligari lege secreti naturalis. Quamvis enim incommoda ex revelatione timeantur, non ideo sequitur lex sigilli; nam ad obligationem sigilli sacramentalis semper requiri debet, quod exsistat materia huius sigilli, quod in casu falsum est. Ita si quis confessionem vespere facturus diceret Confessario, se quaeri ad necem, id ad naturale secretum, non ad sigillum pertinebit. 3° Ceterum si scrupulus a poenitente manifestetur, quia putat esse peccatum, ipsum sub lege sigilli cadere affirmat etiam Lugo disp. 23. n. 59.; quaecumque enim a poenitente dicuntur, quia putat is esse peccata, cadunt sub sigillum, ait idem.

Duo hoc loco monet s. Alphonsus n. 644. Primum: Confessarius fugere potest poenitentem, qui communiter dignoscitur esse prolixus, inquietus in fatendo etc.; quia clare apparet, Confessarium fugere, ne ab eius naturali prolixitate et inquietudine afficiatur taedio. Haec s. Alph. ex Roncaglia, dicens esse probabile, *si communiter constet, illum esse timoratae conscientiae*. Verum limitatio ista non est ad rem; quia eadem ratio militat.

Secundum: Si Confessarius deprehendat poenitentem esse surdum

ex interrogationibus, quibus non respondet adaequate, si initio id advertit, inducat, si fieri potest, ut alio tempore et loco audire eum possit. Si vero in progressu Confessionis, cum excitare possit suspiciones de gravibus peccatis, si alta voce iniungat ei redire, audiat et absolvat, si apparet dispositus, levi poenitentia iniuncta.

Ceterum surdi isti solent esse instructi: solent dicere rite peccata et corona ostensa vel recensitis certis precibus aliisve operibus bonis, poenitentiam indicare solent approbandam a Confessario: idcirco etiamsi ab initio surditatem advertat, perpendat Confessarius, an rem ad alium locum et tempus reiicere necesse sit. Nam id grave esse posset poenitenti et forte impossibile et sic sine confessione abiret.

CLIII. Respond. 2. Ad sigillum tenentur omnes, ad quos quomodocumque notitia sacramentalis confessionis pervenit: qualis est 1. Confessarius, qui, si de auditis in confessione rogetur, potest negare, etiam, si opus est, cum iuramento, subintelligendo quod possit dicere, vel potius (ut dicit Cardin. de Lugo d. 23.) quod sciat scientia utili ad respondendum interroganti extra confessionem; excipit Henr. et Granad. cum Dian. p. 5. t. 11. res. 43. nisi ex illa negatione sequeretur, confessionem non fuisse integram: v. gr. si de publica meretrice rogaretur, an non esset confessa fornicationem: tunc enim, declinando directam responsionem, dicendum esse, illam confessam esse peccata sua et se functum officio suo. Imo, si peccatum suum salvo sigillo non possit confiteri, debet omittere; quia sigillum strictius obligat, quam integritas confessionis. 2. Superior, cui se sistit absolutus a reservato, vel a quo petitur licentia absolvendi a reservato. Suar. Cardin. de Lugo, etc. contra Henriq. Vasq. Con. et Palaum qui secreto tantum naturali teneri volunt. 3. Interpres. 4. Qui furtive, vel casu aliquid audit, licet inculpate. 5. Omnes, quibus aliquid sacrilege revelatum est: unde de hoc nec inter se colloqui possunt. 6. Laicus, qui pro Sacerdote est habitus. 7. Doctor, vel alius, qui cum venia poenitentis consulitur, ut habet communior sententia, contra Vasq. Vide Dian. part. 2. tract. 15. res. 15. 8. Qui alterius rudis confessionem scripsit. 9. Qui scriptam invenit ac legit, ut docet Rodriq. Fagund. Mald. etc. apud Dian. par. 3. tract. 4. res. 112. et p. 5. tract. 11. res. 27. contra Suar. Bonacin. et Laym., quorum sententia probabilis est. Iuxta quam, etsi talis teneatur secreto naturali peccetque mortaliter, si gravia ac diffamantia vulget: secus tamen, si sciens levia tantum esse, ea legat ex curiositate. Unde consequenter in casu gravissimae necessitatis, talem confessionem scriptam liceret revelare (excipit Lugo, nisi tamen per scripturam voluerit confiteri, ut mutus, vel petere facultatem absolvendi a casu reservato. Vide d. 23. num. 48.) 10. Etiam secundum aliquos, ipse poenitens. Verum probabilius est, eum tantum teneri secreto naturali, ratione materiae, si ea id requirat, tacere audita a confessario: V. Laym. Dian. p. 5. t. 11. r. 8.

635. Quod possit dicere, se nescire etiam cum iuramento, est doctrina communis cum s. Thoma, vide s. Alph. n. 646. et quidem etiamsi interrogetur ut minister Dei et insuper impellatur ad respondendum sine aequivocatione. Semper enim voces *scio hoc* vel huiusmodi retinent significationem quoque reflexam *scio me scire hoc* atque ex his duobus τὸ *prius scire* valere semper potest, quaecumque fiat importuna et circumscripta interrogatio, pro significanda scientia tali, quae idonea

sit ad respondendum: quam proinde semper interrogatus negare potest. Cf. Lugo disp. 23. nn. 74.-82. Quanquam in his adiunctis praestat interrogationes retundere alia ratione, scil. exprobrando has interrogationes facientem aut similes v. gr. num *absolverit.*

Addit s. Alph. casum non rarum: Si clericus a Confessario, qui cuiusdam confessionem excepit sed non absolvit, sciscitetur, an debeat apponere *formulam* pro Communione; reiiciat Confessarius sciscitantem ad ipsum poenitentem: *interroga illum.* Quod facere debet etiamsi absolverit. Idem servandam, quando excipitur Confessio infirmi, cui viaticum deferendum sit.

Quoad ultimam particulam responsionis, verum est, Confessarium debere omittere in confessione peccatum suum, si secus revelaret peccata audita vel utcumque frangeret sigillum.

Verum iste casus vix habere locum potest; quia ut suum peccatum manifestet, satis est si specie peccati manifestata, addat, se praeterea reum esse sacrilegii in administratione sacramenti. Et hoc valet, etiamsi cum gravi culpa deobligasset poenitentem a restitutione; neque enim opus est, ut id exprimat, sed sufficit fateri se graviter peccasse in fungendo munere Confessarii et praeterea graviter peccasse contra iustitiam.

636. Ad n. 2. De hoc iam diximus (sup. n. 599.) et statuimus id valere, sive in confessione sive extra haec licentia a Superiore postuletur: unde reiicimus, quod solum secreto naturali obligentur.

Casus prior adest, quando aliquis absolutus est a censura ab inferiore sive articulo mortis sive quia impeditus ad longum tempus erat ab adeundo Superiore, vel quando ob iustam causam a reservatis indirecte absolutionem ab inferiore obtinet etc.

Ad n. 3. *De interprete.* Auctoris doctrina communis est contra unum aut alterum, qui secreto arctissimo quidem, non tamen sacramentali interpretem teneri dixerunt.

Ceterum alibi (sup. n. 234.) iam advertimus, neminem, ne in mortis quidem articulo, teneri ad confitendum per interpretem. Lugo *de Poenit.* disp. 15. n. 62.: « Haec sententia (scil. negans obligationem confitendi per interpretem) propter auctoritatem saltem communem probabilissima est ». Et quoad eos, qui tenent, ex caritate sui teneri hominem in articulo mortis, (advertit num. 63.) sufficere confiteri per interpretem aliqua venialia.

Subdit tamem Lugo ibid. a n. 65. de ea sententia, licet probabilissime, se non convinci; tum plura disputat usque ad n. 75., ut evincat, rationes allatas non satisfacere. Sed sincere fatendum, nec solutiones ab eo allatas satisfacere.

Quare doctrina praesens valebit solum, quando quispiam sponte ad maiorem sui consolationem vult uti interprete, ut etiam cesset obligatio qua obstrictus secus maneret, peccata scilicet sacerdoti linguae suae gnaro exponendi, quando occurreret.

Quidam excogitaverunt varias methodos confitendi per interpretem, nempe vel tabellis bilinguibus, vel, si poenitens nesciat litteras, interrogationibus factis per interpretem ita, ut responsio fiat digitis, quos solus confessarius videat. Sed haec non sunt necessaria atque adeo imponi non debent; tum quia ad extraordinaria haec obligatur nemo, tum quia confessio semper erit imperfectissima, tum quia molestissima evadit ob infinitas interrogationes faciendas, tum quia revelationis periculum manifestum est; ubi alii adsint (uti in nosocomiis) tum quia saepius in ridiculam scaenam vertuntur.

637. Ad n. 4. *De aliis, qui audiant.* Doctrina communis est, sive culpate sive inculpate audiant: quod populo explicandum est, nempe sacrilegii culpam intercedere in eorum revelatione.

Addit s. Alph. n. 647. teneri ad sigillum adstantes, in quorum praesentia confessio fiat ex necessitate, v. gr. in naufragio, conflictu etc. Verum alias iam advertimus sup. n. 246., neminem teneri in hisce casibus ad peccatum aliquod speciale exprimendum et sufficere generica peccati confessionem.

Melius addit s. Alph. ibid. ex communi sententia, non induci obligationem sigilli, quando aliquis ad sui confusionem publice confiteatur.

Ad n. 5. *De iis, cui confessio reveletur.* Non solum ii, quibus sacrilege aliquid revelatum fuerit, sed etiam illi, qui ex imprudenti vel malitiosa Confessarii aut alterius locutione venerint in cognitionem confessionis alicuius, eadem lege tenentur. Et doctrina haec est *communis.*

Ad n. 6. *De laico habito pro sacerdote.* Casus esse potest, quando quis se sacerdotem fingat, ut interdum contigit.

Id ipsum dicendum de sacerdote, qui se finxerit approbatum et absit titulus erroris communis.

638. Ad n. 7. *De doctore consulto.* S. Alph. n. 648. notat triplicem sententiam haberi. *Prima* tenet, doctorem a Confessario consultum teneri tantum *secreto naturali*, quia eam notitiam non habet ex confessione.

Secunda tenet, consiliarium obstringi secreto sin minus sacramentali, at certe arctissimo, adeo ut illud in nullo casu possit prodere. Ratio fere eadem est, ac supra, quia nempe peccatum consiliario manifestatur non ad obtinendam absolutionem sed ad instructionem Confessarii.

Tertia demum, quam et adversarii fatentur esse fere omnium communem (apud s. Alph.), docet, teneri lege sigilli sacramentalis. Ratio autem, et quidem solidissima est, quia huiusmodi instructio ordinatur ad confessionem et eodem prorsus iure, quo exigitur secretum ab interprete exigendum ex Christi institutione ab iis omnibus, ad quos peccati notitia occasione confessionis, sive ob necessitatem sive ob opportunitatem, perveniat. Ceterum, cum tertia haec sententia et auctoritate et ratione sit longe probabilior, patet, priores duas sententias in praxim deduci non posse.

Addit duo s. Alph., scil. 1° eum, qui consulitur, posse de proposito negotio pluries loqui cum Confessario, donec iudicium completum fuerit. 2° Si duobus Confessariis poenitens seorsim confessus sit cum venia consulendi tertium quemdam, hic poterit cum alterutro Confessario loqui libere de auditis ab alio, quia id pertinet ad recti consilii successum et licentia poenitentis, cuius est causa eadem, praesumitur.

Probabilius tamen censet s. Alph. n. 649. solo secreto naturali ligari eum, quem ipse poenitens consulat circa confessionem faciendam. Ratio, quia non est, cur poenitens, sponte se huic aperiens, possit ad sigillum sacramentale obligare, cum posset id, si volebat, cum Confessario ipso praestare.

Recte tamen idem s. Doctor l. c. ad sigillum teneri autumat eum, cui poenitens rationem vitae suae aperuerit in antecessum, ut dein cum ipso confiteatur. Haec enim manifestatio est quaedam inchoata confessio.

639. Ad n. 8. *De eo, qui scribit pro rudi chartam confessionis.* Nempe hic tenetur ad idem secretum, ac teneatur interpres. Notamus autem, nunquam necessitatem scribendi, vel per se vel multo minus per alios imponi posse.

Ad n. 9. *De inveniente ac legente chartam confessionis.* Sententiam, quae negat, peccari contra sigillum sacramentale ab eo, qui scriptam alterius confessionem legit atque aliis revelat, communissimam dicit s. Alphonsus n. 650. ac probabiliorem. Quia ius sigilli non provenit nisi ex confessione: illa autem scriptura non est confessio, sed materia confessionis praeparata, ut fiat confessio, sicut, si poenitentem se examinantem et clara voce sua peccata proferentem quis audiret, obligatione sigilli non teneretur. Ita Lugo disp. 23. n. 47.

Duplicem casum excipit Lugo n. 48. et 49., prouti innuit Auctor.

Primus est, si aliquis mutus confiteatur per scripturam Confessario praesenti et hanc scripturam aliquis casu legeret, maxime dum in ipso actu confessionis est in manu Confessarii. Imo (addit Lugo, quod A. non innuit) licet post absolutionem aliquis invenisset eam in confes-

sionali, probabile videtur, quod teneretur ad sigillum; quia illa videtur esse ipsa confessio manens. Adderem vero, etiam si quis (quamvis non mutus) ex scripto confiteretur et aliquis legeret chartam, dum ille confitetur. Addit Laymann *de Poenit.* cap. 14. n. 19. extra hypothesim quoque hominis muti: « Excipi debet, nisi sacramentalis confessio sacerdoti in scripto data sit et ab eodem amissa fuerit. Nam talis manifestatio facta sacerdoti per scripturam in ordine ad absolutionem accipiendam (cuiusmodi confessio quandoque valide ac licite fieri potest) vere sacramentalis est etc. Porro in hoc casu prudentia exigit, ut scriptura poenitenti restituatur.

Secundus est, quando aliquis per litteras a Praelato peteret licentiam, ut absolveretur a tali peccato reservato; nam per has litteras loquitur formalissime cum Praelato atque adeo notitia inde habita, haberetur ex petitione, qua subditus petit licentiam pro casu reservato; quae petitio sub sigillo includitur, ut alias diximus.

640. Fatendum est, locum esse difficultati, quae oritur ex collatione duplicis doctrinae. Dictum est enim, superiorem, a quo quis petit pro alio facultatem absolvendi a reservato, teneri sigillo (636): qui vero chartam confessionis legit, non eo teneri.

Porro ratio huius alterius ea est, quia illa non est confessio, sed praeparatio ad confessionem; verum neque petitio facultatis absolvendi est confessio: quod verum est, etiamsi ea petitio fieret ab ipso poenitente per litteras absenti; nam nulla est confessio sacramentalis facta absenti. Et tamen, quia haec petitio fit occasione confessionis et est praeparatio quaedam pro obtinenda absolutione seu pro confessione valida facienda, si petatur prius, adesse dicitur lex sigilli. Atqui et illa charta conscripta est occasione confessionis et praeparatio est ad illam: cur ergo qui illam legit antequam ex. gr. ex ea confessio fiat, non tenetur sigilli lege?

Discrimen in eo esse videtur, quod, posita institutione sacramenti, petitio facultatis exigitur ab ipsa institutione Christi et est quoddam elementum integrans debitam subiectionem clavibus et est per se praeparatio ad absolutionem: conscriptio autem peccatorum in charta per se est adhuc quid indifferens nec ullo modo requisitum ad confessionem faciendam et absolutionem obtinendam. Usque dum ergo ex ea confessio fiat, nondum habetur actus, quo quis se subiicit potestati clavium in ordine ad absolutionem ideoque nondum est locus legi sigilli.

Itaque exceptis iis casibus, quos ex Lugo et Laymann indicavimus, legendo chartam confessionis, quam poenitens apud se habet, vel quam amisit, peccaretur tantum contra secretum naturale, et quidem tam *legendo* (postquam adverteris contineri confessionem personae cognitae),

quem *revelando* aliis: ius enim inest scribenti, ut et tibi sua maneant occulta aeque ac aliis.

Et quidem si gravia sint ac diffamantia, consulto legens aut lecta aliis evulgans, graviter peccat. Si tamen schedulae repertor moraliter certus sit, non nisi levia ac non diffamantia peccata in ea scripta esse, ideoque ex mera curiositate legat, vel lecta aliis evulget, non censebitur plus quam leviter peccasse. Ita Laymann *de Poenit.* cap. 14. n. 19. cum aliis, quorum doctrinam haud respuit s. Alph.

Ex eo autem, quod adsit solum obligatio secreti naturalis infert Laymann et alii post eum, ut et s. Alph. et A. quoque innuit, quod in casu maximae necessitatis Reipublicae aut vitae innocentis salvandae, huiusmodi scriptam confessionem revelare licitum sit, quatenus praecise ad impediendum maius malum id necessarium sit. Nam alioquin extra huiusmodi necessitatem nec iudex nec Praelatus ex sola tali notitia ad criminis inquisitionem aut punitionem procedere posset; quod si processus hoc pacto institutus fuisset, rescindi eum et pro infecto haberi oporteret. Ratio quia licet huiusmodi scriptura non sit confessio sacramentalis, eius tamen revelatio cedit in quandam sacramenti irreverentiam et invidiam, si occasione sacramenti, quod in salutem animae a Christo est institutum, id, quod ex intentione poenitentis ad illud est ordinatum, cederet in detrimentum ipsius famae etc.

641. Ad n. 10. *An obligetur lege sigilli poenitens.* Negativa sententia est communis, et ut bene ait s. Alph. n. 647. in fin. ne verti quidem de hoc debet quaestio.

Potest tamen poenitens obligari secreto naturali, ubi materia id postulaverit; alias (inquit Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 4. n. 2.) nulla est hic specialis ratio secreti.

Itaque (ait Diana p. 5. tr. 11. res. 8. nunc tom. 1. tr. 8. res. 64.) si poenitens revelet poenitentiam sibi a Confessario iniunctam, non facit contra sigillum, sed solum contra naturale secretum, nempe si ex revelatione huiusmodi redundaret aliquid malae famae aut aliquid minus aestimatione dignum in Confessorem, aut in alium quempiam. Audientes nesciunt, qua de causa Confessarius praeceperit hoc vel illud nec Confessarius potest se defendere.

Et huc revoca, si quando poenitens aegre ferens, quod Confessarius nolit eum audire aut aliquid non permittat aut exigat, querelas de hoc vel illo moveat: nam Confessarius non potest reddere rationem ob sigillum. Nam si nihil tale redundaret, sed forte poenitens dixerit poenitentiam sibi a Confessore iniunctam, quia se putabat nimis oneratum, unde alium consuluerit, ut possit illa levari, non tenetur aliquo secreto.

Item licet non obligetur sigillo confessionis ad occultanda ea, quae imprudenter facta vel dicta sint..., peccat nihilominus mortaliter, si ea prodat, ex quibus honor Confessarii laedatur notabiliter; nisi forte privatum vel publicum bonum, servato ordine caritatis et iuris, id exigat, uti cum vel sollicitatur a Confessario ad peccatum, vel nimis ab eo gravatur, vel quidpiam in boni communis detrimentum ab eo prudenter timendum videt vel correctionem ipsius Confessarii intendit, aut consilium quoad semetipsum.

Optime autem de obligatione huius secreti monet s. Alph. n. 547. l. c. graviores rationes poenitenti, quam alias inesse servandi secretum naturale. « Mihi (inquit) videntur poenitentes huic secreto teneri strictius, quam alii; alii enim voluntaria consilia praebent, sed Confessarius tenetur praebere ex officio. Unde cum Confessarius obligetur necessario ad dandum consilium poenitenti, ut ille sibi caveat a damnis spiritualibus; ideo poenitens rigorosius tenetur cavere, ne ob consilium sibi praestitum a Confessario, huic damnum proveniat ».

Quidquid porro dicatur de huiusmodi obligationibus in poenitente, Confessarius prudentissime agat et ita se gerat, quasi coram multis vel etiam omnibus ageret, nam poenitentes reipsa saepe inter se de iis, quae sibi inter confitendum acciderint, confabulari cum commentariis solent.

Unde resolves.

CLIV. 1. Extra confessionem, cum licentia poenitentis, potest agi de auditis in confessione sive cum ipsomet, sive cum quocumque alio, etsi periculosum sit D. Thom Suar. Praepos. Tann. etc. Circa quam licentiam requiritur. 1. ut sit formalis et expressa; nam praesumpta, tacita, interpretativa, virtualis (etiam in bonum ipsiusmet poenitentis) non sufficit. Fagund. p. 2. l. 6. Tann. Mald. et caeteri DD. communiter. 2. Ut sit libera ac spontanea, non vi, iniuria, dolo, vel per preces importunas extorta, vel etiam per metum reverentialem ipsius Confessarii obtenta. Henriq. Fagund. loc. cit. Dian. p. 5. t. 11. r. 10. et 24. 3. Non revocata; nam poenitentem pro libito, etiam sine causa, eam revocare semper posse, docent Fagund. et Dian. ll. cc. 4. Non opus esse, ut habeatur in scripto. Suar. Fagund. ll. cc. Imo, si dubium sit, an confessor cum licentia locutus fuerit, Sacerdoti potius, quam poenitenti credendum, ex Graff. et Henriq. affirmat Dian. l. c. r. 4. vel etiam quam heredibus; v. gr. si ex licentia defuncti revelet restitutionem ab iis faciendam. Tann. et Mald. qui tamen monet, eo casu non esse dicendum, eam deberi ex delicto, sed solum quod talibus tantum dari voluerit satiusque suaderi moribundo, ut talia secreto codicillo heredibus iniungat. Vid. Dian. l. c. r. 32. 5. Perinde esse, sive ea licentia detur verbo sive facto, quod quidem aequivaleat expressae concessioni: verbi gratia si poenitens extra confessionem incipiat loqui cum Confessario de dictis in confessione; tunc enim posse hunc prosequi, docent Aversa q. 18. s. 7. Tann. in app. c. 2. ex Bonac.

642. Ad 1^{m}. An liceat loqui de auditis in confessione et de licentia poenitentis. Quod possit cum licentia etc., s. Alphonsus n. 651. dicit

verius esse tenendum contra Scotum, Durand. Maior. Gabrielem, Angelum etc. apud Lugo disp. 23. n. 132. et affert s. Alph. locum s. Th. Verum rite est intelligendum, de qua re quaestio sit.

Nam (quod quidem Auctor non innuit) duplex modus est loquendi de rebus auditis ex poenitentis licentia (vid. et sup. n. 616. seq. ex Lugo triplicem modum notitiae). « De loquutione inquit Suarez disp. 33. sect. 5. n. 4. cum facultate poenitentis, duo sunt distinguenda, quae ab Auctoribus confunduntur. Aliud est enim, quod poenitens res semel dictas in confessione iterum extra confessionem dicat. Aliud vero quod servato eodem sigillo et eadem scientia (scil. sacramentali) det facultatem loquendi ex illa ».

Dein subdit: « primum non videtur cadere sub dubium, quia poenitens est dominus suae famae et scientiae; potest ergo illam communicare, prout voluerit: ergo sicut ante confessionem poterat extra confessionem dicere, ita et post confessionem... Neque necessarium est, ut omnia singillatim repetat, nulla facta mentione confessionis; unico enim verbo dicere potest: Omnia, quae in confessione dixi, extra confessionem sint dicta etc. » (quod ultimum notat et Lugo disp. 23. n. 136. contra Vasquez).

« De posteriori autem modo est diversitas opinionum. Prima negat licere ex facultate poenitentis loqui ac tenent Scotus, Durandus etc... Nihilominus contraria sententia et communis et vera est ».

Et nos quidem parcimus afferendis rationibus utriusque partis, quas videre licet apud eundem Suarez l. c. n. 5.-8., et Lugo *de Poenit.* disp. 23. n. 134.-136.

643. Potius considerandum nobis venit discrimen inter unum et alium modum. Differentias hasce notat Suarez disp. 33. sect. 5. n. 7.: 1ª est, posterior facultas semper est revocabilis, pendet enim ex voluntate dantis; quia nec contulit novam notitiam (sc. praeter sacramentalem) nec transtulit in alium aliquod ius irrevocabile. At vero si semel extra confessionem dixit, quae prius in confessione dixerat, iam illa notitia irrevocabilis est, nec potest facere poenitens, ut Confessor postea tantum ex confessione sciat.

2ª « Quando Confessor hoc posteriori modo loquitur ex facultate poenitentis, potest et debet dicere, se scire ex confessione et loqui ex licentia poenitentis, ut alter debito modo recipiat. At in priori modo non potest dicere, se audivisse in confessione; quia non loquitur ex illa notitia neque ex facultate respectu illius, sed ex nova scientia.

3ª Is, qui audit, obligatur sigillo, si Confessor loquatur solum ex data facultate; non vero si loquatur ex nova notitia iuxta priorem modum ».

Ita et Lugo disp. 23. n. 133.: « Est autem magna differentia inter hunc modum licentiae et illum alium; nam si poenitens primo modo procedat, dicendo extra confessionem, quod prius in confessione dixerat, iam nec sacerdos nec ii, quibus ipse diceret, obligantur ad secretum sigilli confessionis, sed ad secretum naturale pro qualitate materiae: quare in multis casibus *possent illud absque alia licentia manifestare* ad aliquod damnum vitandum. Secus vero, quando licentia datur hoc secundo modo, retinendo sigillum confessionis et non dando aliam notitiam extra confessionem, sed licentiam utendi notitia confessionis ad talem vel talem effectum; tunc enim omnes ii, ad quos transit ea notitia, obligantur eodem confessionis sigillo ».

Idcirco Confessarius, antequam ex data facultate rem proferat, debet dicere, se scire ex confessione et ex licentia poenitentis, ut alter debito modo scil. sub sigilli religione recipiat: poterit hic quidem (ut Suarez subdit ibid. n. 11.) « nolle audire rem illam ut in confessione revelatam, sicut posset etiam Confessor nolle audire confessionem et tunc cogetur poenitens aut omnino peccatum suum cum tertia illa persona communicare, aut alium modum manifestationis permittere. Tamen si tertia illa persona acceptet seu consentiat audire illam rem ex notitia confessionis, facultate a poenitente data, velit nolit, obligabitur sigillo; quia obligatio haec non oritur ex aliquo novo pacto, sed ex ipsa confessione nec licentia poenitentis tollit hanc obligationem, sed solum tollit iniuriam seu offensionem ex parte sacerdotis revelantis ». Ita Suarez, qui dein haec rationibus confirmat.

4ª « Prior ille modus fieri potest ex mera voluntate, sine causa, quae ad sacramentum vel pietatem pertineat; quia est res mere extrinseca sacramento. At vero alia facultas danda non est neque illa utendum est, nisi ex gravi causa, vel utilitate rationabili. Addendum vero censeo, etiamsi aliter fiat, non proprie frangi sigillum; quia iam intercedit voluntas committentis: erit tamen aliud genus sacrilegii propter irreverentiam et abusum sacramenti: saepe tamen esse poterit tantum peccatum veniale, quando non ordinatur ad finem malum ».

Porro ex his apparet, quod magis in favorem poenitentis facit, si Confessarius habeat notitiam posteriori modo, quia magis prospicitur secreto; contra vero commodior contingit Confessario, si notitia communicatur priori modo.

Veruntamen notandum bene, quod Auctor innuit, has notitias confessionis, sive priori sive posteriori ratione communicentur, haud levia secum afferre pericula; de quibus iam diximus, ubi de monendo complice sup. n. 624.

Et sane nisi persona, cui quaedam communicantur, sit et prudens et

tuta quoad secretum vel sacramentale vel naturale servandum, graves perturbationes et gravia scandala facile sequentur, cum v. gr. agitur de monendo aut patre familias, aut Superiore, ut scandala a subditis removeantur.

644. Ad 2^m^. *De conditionibus licentiae.* Prima est quod sit *formalis*, expressa scilicet et explicita. Ratio, quod in re gravi non est utendum praesumptione; quia alias sigillum exponeretur periculo cum gravi incommodo ipsius sacramenti.

Minus erit sufficiens ratihabitio de futuro et multo minus sufficiet, quod poenitens hanc licentiam dare teneatur (si hoc contingere interdum potest); quia si de facto illam non concedit, illud non satis est, quia manet semper integra materia praecepti, nec nobis licet agere contra ius alterius, etiamsi eo male ille utatur. Ita Suarez disp. 33. sect. 5. n. 14.

Altera conditio licentiae, quod sit *libera*. Ratio huius conditionis est aperta. Alioquin si involuntaria sit licentia, erit invalida non solum quia est extorta per iniuriam, sed etiam quia cederet in magnam irreverentiam ipsius sacramenti. Ita Suar. l. c.

Croix lib. 6. c. 2. n. 1958. addit: Si poenitens non ultro, sed tantum ad petitionem Confessarii dat licentiam loquendi, communiter censeri debet data ex metu reverentiali adeoque invalide, ut habet Dicastillus, vel certe cum periculo invaliditatis, ut habet Diana et Stoz, qui addit, quamvis poenitentes dicant, se libenter eam dare, saepe tamen in animo refugere et sic sacramentum reddi odiosum, si quis ea licentia utatur. S. Alph. n. 651. intelligendum hoc dicit, si repetitis vicibus pro obtinenda licentia institerit. Sed non semper id requiritur. Hinc Aversa et Mendo merito suadent, ne Confessarius per se corripiendum complicem assumat.

Melius consilium videtur, ut, si res postulat, Confessarius necessitatem aut opportunitatem rei generatim aperiat et ita poenitentem invitet ad remedium monitionis adhibendum, ut sponte poenitens Confessarium roget etc.

Tertia conditio: *non sit licentia revocata.* Certa est ista doctrina et communis, non vero solius Fagundez aut Dianae.

Quarta conditio: *non danda scripto.* De hoc puncto Suarez disp. 33. sect. 5. n. 14.: « Oportet, ut in usu huius facultatis de illa sufficienter constet, ut omne scandalum vitetur. Quomodo autem constare possit, prudentiae Confessoris relinquendum est. Frequentius autem eius testimonium sufficit: imo saepe non potest alia via constare; neque enim exigenda est subscriptio poenitentis: illud enim esset onerosum pariter ac periculosum et ideo nec est necessarium nec regulariter faciendum, nisi forte interdum prudenter existimaretur necessarium ».

* Monent DD. duas servandas conditiones, in usu huius licentiae, quae detur ad monendum complicem: 1ª ut sacerdos ea utens possit tantum prodesse complici, non obesse: 2ª ut possit tantum procedere per viam secretae monitionis aut consilii cum eodem complice, non per viam coactionis multoque minus publici iudicii. *

Ex his illustrantur dicta Auctoris.

645. Tandem de poenitente, qui loqui cum Confessario incipit, communis est sententia A. cuius modum innuit Lugo, inquiens disp. 23. n. 131.: « Censetur tamen dare licentiam poenitens, quando ipse interrogat (v. gr. de poenitentia) vel loquitur de aliquo, quod dixit in Confessione. Quare *nimia videtur esse cautela* quorundam, qui ad ostendendam magis fidelitatem et observantiam sigilli, tunc etiam expressam licentiam peti volunt ».

Monet tamen s. Alph. 651. in fin. id, quod ipse (forte lapsu memoriae) tribuit Lugo, scil. perseverare tunc sigillum respectu aliorum; quia poenitens, licet extra confessionem loquatur, censetur tamen non praebere Confessario aliam licentiam, quam quae refertur ad confessionem peractam.

CLV. 2. Frangitur sigillum, si cum poenitente extra confessionem, sine eius venia, agas de auditis in confessione aut ea te scire ostendas. Quod verum putat Sanchez contra Suar. et Laym. etiamsi cum eo tractare velles de essentiali errore in ea commisso, quem illi significare sine eius venia non licere, docent Regin. Fagund. Bonac. et alii contra Filliuc. Turrian. etc. apud Dian. p. 3. t. 4. r. 87. Dixi, *extra;* quia intra confessionem potest fieri mentio praecedentium, ut patet ex praxi Confessariorum, qui ob recidivam arguunt et absolutionem aliquando negant. Ita Henriq. Praepos. Gran. Mald. etc. apud Dian. par. 5. tract. 11. res. 20. Ubi ipse cum Fagund. negat id licere sine expressa licentia poenitentis, nisi de iis, quae is iterum confitetur, vel saltem tangit. Vide Dian. l. c. et p. 2. tr. 2. misc. res. 12. et p. 9. tr. 11. res. 18.

646. Quod generatim non liceat, sine fractione sigilli, poenitentem alloqui de rebus in confessione auditis, sine ipsius poenitentis licentia, alias iam vidimus sup. nn. 552. seqq. ibique notavimus, si quae exceptio locum habeat, quando agitur de errore, qui vergeret in perniciem ipsius poenitentis.

Gury §. 652. q. 2. resp. 3. excipit « nisi ipse poenitens prior de sua conscientia loquatur, scilicet loquatur de iis, quae fuerunt confessionis materia; neque enim quivis sermo a poenitente iniectus de rebus conscientiae suae facultatem tribuit de omnibus in confessione ab eo auditis colloquendi: imo Confessarius excedere non debet materiam, de qua poenitens verba fecerit.

Nec ad loquendum de his cum poenitente, satis generatim est scire, id poenitenti gratum fore, nam et decipi Confessarius potest et forte heic et nunc poenitens est ab hac re alienus et quamvis ei gratum sit

Confessarium loqui, non tamen gratum est, quod sine petita licentia loquatur.

Heic ab Auctore additur, quod Confessario non liceat ostendere ea, se scire, tum cum ipso poenitente, tum cum quovis alio.

S. Alphonsus quoad primam hanc partem Resolutionis notat n. 652. ex communi doctrina licitum esse Confessario loqui de auditis in Confessione cum poenitente statim post absolutionem, antequam ille discedat. Non bene tamen dicit, id doceri contra Dianam; nam Diana p. 5. tr. 2. res. 19. nunc tom. 1. tr. 8. res. 53. utramque sententiam refert, et solum dicit oppositam acriter defendi a Fagundez; quia, *data absolutione, finitum est sacramentum.*

Ad quam rationem Lugo disp. 23. n. 129. reponit: « Falsum quippe est, quod Fagundez dicit, data absolutione finitum esse sacramentum et iudicium: nam aliqui imponunt poenitentiam post datam absolutionem. Et quidem impositio gravis poenitentiae significat confessionem gravium peccatorum. Ergo loqui de peccatis post absolutionem non est contra sigillum. Ratio, quia moraliter censetur durare adhuc iudicium sacramentale, cuius actus sunt absolvere, punire, consulere, monere, corrigere et similia ».

Et sane si post absolutionem potest imponere poenitentiam, quam prius fuerit oblitus, nescio cur non possit pari ratione exercere aliquos ex recensitis actibus, quos prius omiserit, quemadmodum potest moderari poenitentiam prius impositam.

647. Quoad ultimam partem Resolutionis, ubi A., dicit, posse Confessarium mentionem iniicere peccatorum, quae poenitens eidem alias confessus est, addit A., Dianam cum Fagundez id negare, *exceptis iis, quae is iterum* confitetur *vel saltem tangit.*

Sed Diana tom. 1. tr. 8. resol. 57. n. 3. ex Fagundez *Praec.* 2. lib. 6. cap. 4. n. 36. rite est intelligendus; nam non habet illam vocem ITERUM; adeo ut intelligi queat posse, ex eius sententia, cum poenitens affert in secunda Confessione peccata eiusdem speciei, ac attulit in confessione praecedenti. « Existimo (inquit Diana post Fagundez, cuius reipsa sunt verba), non posse Confessarium loqui cum poenitente in secunda confessione, nisi de illis tantum peccatis confessis in prima, quae ipse poenitens tangit ac confitetur in secunda, non autem de omnibus, nisi de expressa licentia ipsius...; quia alias erit virtualis exprobratio aliorum peccatorum et forte id aegre ferent poenitentes et molestam reddit exosamque confessionem ».

Quocirca haec sententia plus minus recidere videtur in aliorum sententiam, qui loqui Confessarium posse evincunt ex casu recidivi.

Neque puto Dianam voluisse casum excludere, quem subindicat

s. Alphonsus n. 653., dum rationem doctrinae (quam dicit communissimam) hanc reddit: « Improbabile est, quod poenitens habeat ius sigilli in actu Confessionis, cum potius verum sit, quod *Confessarius ius habet exquirendi omnia*, quorum notitia ad meliorem directionem coadiuvare valeat ». Quibus verbis innuere videtur casum haud infrequentem, quo Confessarius, conscius vitae poenitentium eos interrogat, quomodo se gesserint circa hoc vel illud et occasionem sumit eos confortandi adhortationibus et instructionibus, v. gr. quomodo nurus se habuerit cum socru, filius cum matre etc., item quomodo vitaverit quandam occasionem aut socios, aut quomodo in mediis alias praescriptis utendis constans fuerit etc.; quae omnia, ut patet, implicite revocant memoriam praeteritarum confessionum.

Quo spectat, quod ait Malderus apud Tamburini Append. *de Sigill.* cap. 5. n. 4.: « Quid adhortamur fideles, ut utantur semper eodem Confessario, si hic se gerere ita debeat, ac si nesciret confessiones priores ?

648. Veruntamen addendum est, Doctores simul monere (vid. Tambur. l. c.) *non esse id faciendum nisi rationabili causa ; saepe id non expedire, quando nulla vel modica sit necessitas timeaturque de poenitentis molestia :* quas rationes urgebant Diana et Fagundez, ut vidimus n. praec. Ita si furti olim commissi mentionem iniicias.

Bene paucis Lugo disp. 23. n. 127.: « Licet Gerson stricte loquatur dicens, posse fieri, servata discretione, sed saepe non expedire, ubi poenitens scandalizaretur vel aegre acciperet: hoc tamen nullo modo est contra sigillum, cum sint in eodem foro sacramentali in quo Sacerdos ad bene curandum poenitentem debet considerare etiam peccata praeterita, quae vel *sunt circumstantiae praesentium, vel indicant passionem vehementem*, aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum statum poenitentis ».

Unde patet, haud aegre utramque sententiam conciliari, si alii concedunt facultatem, quando aliqua rationabilis causa id suadet; alii solum excludunt eam aeternam peccatorum mentionem, quae inutilis sit et solum idonea ad molestiam inferendam ac reddendam odiosam confessionem. Imperfecte tamen quaestionem solvunt priores, dum non quaerunt, num sigillum laedatur, quando refricatio veterum lapsuum nullam causam rationabilem habeat et cedat mere in exprobrationem iniustam poenitentis; quam quaestionem negative videtur solvere Lugo verbis modo recitatis, ea scilicet ratione allata, quae omnes complectitur casus: « hoc tamen *nullo modo* est contra sigillum: *cum sint in eodem foro sacramentali* ».

CLVI. 3. Frangit sigillum, qui dicit, se in tali monasterio audivisse grave peccatum, tametsi non nominet personam. Dian. par. 5. t. 1. res. 35. et alii 3. cum Mald. Additque graviter peccare eum, qui dicit, in hoc vel isto Ordine Religioso hoc vel istud peccatum fuisse admissum, quod ex sola confessione novit, imo nec de civitate vel certo loco, quo quis confessiones audivit, licere dicere, quod gravia fiant, vel talia et talia peccata committi soleant (nisi id aliunde constet) docent Hurt. Kellis. et Mald. apud. Dian. l. c. res. 35; quia potest redundare in gravamen et infamiam ipsius communitatis et forte etiam civium in particulari, quando civitas non est ampla et poenitentes suspecti atque adeo confessio fieri illis odiosa. Vide Dian. l. c. et res. 36. ubi cum Mald. docet confessarium, qui paucos habet poenitentes sibi subditos (v. gr. Moniales unius Monasterii) scandalum dare, si coram illis concionetur de vitiis auditis in confessione, quia confessae facile suffunduntur pudore.

649. Diligentissime haec pars perpendenda est, tum quia materia est salebrosissima, tum quia periculum adest non rite intelligendi sententias Doctorum.

In primis quod dicit A. de peccato audito in quopiam monasterio s. Alphonsus n. 654. dub. 2. dicit, negari ab Escobar, Henriq., Nugno, Fagundez, quod id revelando frangatur sigillum.

At rite id intelligendum est. Neque enim isti DD. aiunt, eiusmodi revelationem licere aut etiam non peccari contra reverentiam sacramenti, sed solum id affirmant, quatenus Confessarius reus huius revelationis non videatur puniendus, tanquam sigilli violator.

Ita Nugnus apud Diana tom. 1. tr. 8. res. 11. n. 3.: « Aliqui dicunt, peccare peccato revelationis sigilli illum, qui etiamsi non nominet personam, nominat tamen *religionem* specialem, cuius erat religiosus talis poenitens et est sententia probabilis; non tamen videtur ita certa, ut possit talis Confessarius puniri tanquam revelator Confessionis ».

Et Escobar lib. 16. n. 752.: « Esto Confessarius ille imprudens gravissime delinquat, communitatem tanta inurens infamia; non tamen sacri est sigilli violator... Cum his opinor, neque enim sigillum violatur, cum poenitentis huiūs culpa non reseratur. Iustitia itaque vulnerabitur gravius aut levius pro qualitate criminis, quod de strictiore aut laxiore Ordine exponitur: sacrum autem sigillum, haud reserata persona delinquente, inviolabile permanebit. Attamen Sacerdos, adeo loquens incaute, dignus quidem est, qui ab hoc gravissimo ministerio, viros requirente praeditos prudentia, arceatur ».

Ceterum s. Alphonsus n. 654. dub. 2.: ut *verius* (et hoc significat non habendam *probabilem* sententiam oppositam) tenendum dicit, id esse contra sigillum. « Ratio (inquit), quia tunc *singuli illius conventus detrimentum patiuntur* ».

Quam in rem notatu dignissima sunt haec Suarez disp. 33. sect. 3. n. 8.: « Item maxime cavendum est, ne offendatur communitas, ad quam talis persona pertinet, ut si dicat, *Religiosum* hoc fecisse et

praesertim nominando *Religionem* in particulari; quia revera hoc iam redundat in gravamen notabile poenitentis, praeter iniuriam, quae fit communitati. Videantur D. Antonin. et Navarr., Petrus Sotus ac Ledesma, qui dicit, in rigore hanc esse fractionem sigilli; Navarrus vero ait, non esse in rigore contra sigillum, licet sit peccatum. Sed *certe* non quodcumque peccatum est, sed contra sacramentum; ergo et contra sigillum ». Cui rationi non apparet, quid responderi queat, ut paulo infra notabimus.

650. Auctor addit ex Maldero apud Dianam tom. 1. tr. 8. res. 12. graviter peccare, qui in quopiam Ordine Religioso dicit hoc vel illud peccatum fuisse commissum, si solum id noscat ex confessione; quae sunt verba Malderi: sed omittit sequentia eiusdem Malderi ibid.: « Quamvis non possit puniri poena ordinaria inflicta contra fractores sigilli ».

Non omittenda sine nota heic, quae s. Alphonsus n. 654. dub. 2. sumit ex Concina. Postquam enim s. Alph. dixerat, « frangi sigillum, si Confessarius dicat, in conventu illa talia peccata committi », subdit: « Non vero, ut rationabiliter (hoc non recipimus) ait Concina contra Diana apud Busembaum (at hoc Busembaum non habet), si tantum diceret, se audivisse peccatum religiosi cuiusdam Ordinis; quia haec neque est revelatio sigilli neque redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet Ordine mali sint: unde neque oritur scandalum neque infamatur Religio, nisi Religio esset arctioris observantiae ».

Sed dictum fuerit cum venia s. Doctoris, adeo haec non dicuntur rationabiliter, ut tolerari nullo modo possint.

Et sane vel ii, quos s. Alphonsus ut laxos respuebat, saltem reum gravissimi peccati faciunt hunc Confessarium et solum excipiunt, quod puniri non debeat poenis propriis violationis sigilli, uti Escobar, Malderus, Nugnus etc.; Diana vero, seu potius Villalobos apud Diana et Suarez, qui addunt frangi sigillum, non de conventu agunt, sed de Ordine Religioso.

651. Et sane mitto nunc, fere casum de Ordine Religioso vix differre in concreto a casu monasterii: nam cum Confessarius dicat se *audivisse* in confessione, profecto res circumscribitur ad aliquot (ad summum) monasteria; neque enim peragrasse Confessarius unus creditur plurima unius Ordinis monasteria. Adde, quasdam familias religiosas perpaucis constare monasteriis, imo totum Ordinem non pluribus constare hominibus.

At hoc omisso, quae sapientia compulit Concinam, ut diceret, non gravari inde poenitentem? Quod enim persona eius non prodatur, verum esto: at nonne grave accidet poenitenti, quod ex sua confessione

ansam sumat stultus Confessarius infamandi totum Ordinem? Nonne ipse poenitens utpote pars illius Ordinis, infamiam participat? Ego nullus dubito, poenitentem, qui sic revelatum iri prudenter putet peccatum, posse illud tacere; est enim causa sufficiens, vitatio scil. huius infamiae. Et Concina contendit, non gravari!!

Rursus, nonne molestam, gravem, exosam facit confessionem, quod poenitens sciat, fore ut ratione confessionis suae tale vel tale crimen secretissimum vulgetur ut commissum in tali Ordine?

« Non oritur, inquit Concina, scandalum neque infamatur Religio; quia in quolibet Ordine aliqui mali sunt ».

At in primis id falsum est, sc. in quolibet Ordine malos esse eiusmodi, ut nihil infamiae addatur per tales revelationes. Erit enim saepe coniectura a priori ex ratione, quod nec Collegio apostolico suus Iudas defuerit. Porro quo leviores sunt coniecturae vulgi, eo atrocior evadet iniuria revelantis. At etiamsi male oleret aliqua familia penes vulgus, nonne insigniter infamia augeretur et confirmaretur ex tam authentico testimonio Confessarii? Et quando haec audiuntur, nonne singulae personae alicuius Ordinis despici vulgo solent, quasi singulae illud crimen patrassent? Nonne grave est etiam ipsi poenitenti, qui cum sit membrum illius coetus, communi affligitur infamia? Nonne gravamen haud exiguum est, nonne grave scandalum, quod vel solum horum memoria refricetur?

Ut concludamus, haud forte toto caelo aberraverit, si quis suspicetur, opinionem, quam retulimus, mero oculorum lapsui deberi, quo ad peculiaris Ordinis Religiosum translata illa sint, quae de homine Religioso generatim dici a quibusdam potuerunt. Quamvis enim Suarez, ut ex allatis eius verbis patet, cum aliis vix utrumque casum distinguat et contra sigillum peccari autumaverit, tum si aliquem specialem Religiosum Ordinem revelatione laeseris, tum si tacito speciali Ordine generatim de Religioso homine locutus fueris; non defuere tamen (vid. Candidus disp. 24. art. 40. dub. 8.), qui in posteriori casu praedicta incommoda saltem quadantenus cessare existimarunt, quibus et A. consentit.

652. An ex eo, quod in hac re doctrinam Concinae et qui eum sequitur, s. Alphonsi non probamus, traducere dicendi sumus ceu *laxam* doctrinam s. Doctoris, ut quibusdam contra nos obiectare placuit? Iniusta est haec reprehensio. Alium quippe omnino sensum praefert, quod opinionem dicas absolute *laxam* vel *strictam,* alium vero, quod comparative atque adeo relative ad aliam dixeris opinionem *laxiorem;* vel *strictiorem.* Exinde fit, ut aliquam sententiam comparative appellare possis *strictiorem*, quam tamen perperam *strictam* diceres. Et

exemplum prostat in praesenti quaestione etiam quoad s. Alphonsum; nam doctrinam ipsius quod sigillum frangat Confessarius, qui dicit *in hoc aut illo monasterio commissum fuisse grave peccatum, strictiorem* dicere licebit prae sententia Escobarii aut Aversae, qui id negant; at nequaquam licet illam *strictam* appellare. Pari modo *laxiorem* verissime dicemus communem sententiam quoad absolvendos recidivos, prae sententia s. Alphonsi ut alias vidimus; at male quis inde concluderet, communem sententiam a nobis tamquam *laxam* damnari. Eiusmodi autem sensu comparativo opinionem Concinae, a s. Alphonso adoptatam, a nobis olim dictam fuisse *laxiorem,* inde etiam manifestum fit, quod ibidem alii Auctores exhibentur *confitentes, se laxiorem prae aliis viam hac in re tenuisse.* Prorsus enim male quis inferret, eos Auctores igitur fateri, se *doctrinam laxam* tenuisse. Minus ergo considerate VV. gravissimam hanc notam impingunt, quod ibi sententia s. Alphonsi *temere censura* inuratur contra Sedis Apostolicae effatum: *Nihil est censura dignum:* quod non perinde est, ac nullum esse errorem in universa doctrina s. Alphonsi; quamvis id quidam malint sibi persuaderi.

Ceterum si licuit identidem s. Alphonso sententiam strictiorem sequi prae ea, quam docuit s. Thomas (cf. ex. gr. paulo infra n. 677.), quin exprobrari possit s. Alphonso, quid traduxerit s. Thomam ceu laxum, cur non licebit aliis idem erga s. Alphonsum? An putant aut putavit s. Alphonsus, esse in doctrina morali s. Thomae aliquid censura dignum?

653. Quoad peccata Civitatis seu Oppidi, Auctor non explicat disserte, num et quando intercedat fractio sigilli, sed solum dicit, non licere etc. et posse etiam confessionem *odiosam* fieri.

S. Alphonsus n. 654. expresse quaerit, an violetur sigillum et allata sententia eorum, qui id negant, subdit, communissimam et longe probabiliorem esse doctrinam Suarez, Bonacinae, Lugo, Dianae etc., videlicet violari sigillum, si oppidum sit parvum, v. gr. constans circiter tribus millibus hominum; « quia (inquit) licet tunc non reveletur persona, tamen cum revelatio cedat in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen poenitentis, qui illius communitatis est membrum et ideo ex tali revelatione confessio redderetur odiosa. Secus vero, si oppidum sit amplum et crimina sint publica ».

Cui doctrinae non video qui cohaereant quae supra n. 650. afferebat s. Alph. ex Concina de peccato Religiosi.

Veruntamen Suarez non de Civitate aut Oppido loquitur, sed de Ordine Religioso.

Item Filliuccius tom. 1. tr. 7. n. 322. a s. Alph. hic allegatus: « Item (frangit sigillum) si audito Religioso, qui confessus est gravia crimina, nominaret *Religionem*, ad quam pertinet, vel monasterium talis Ci-

vitatis; redundaret enim id in gravamen poenitentis et iniuriam monasterii ».

Item Diana a s. Alph. pro se allegatus, non id docet, sed tom. 1. tr. 8. res. 11. postquam n. 1. dixit doctissimos viros docere, id esse contra sigillum, subdit n. 2. non ignobiles Auctores sentire, « in his casibus Confessarium quidem peccare, sed non frangere sigillum. Imo cum n. 1. addat, *miram* eam doctrinam alicui videri posse, subindicat, se illi non adhaerere.

Lugo denique (ut alios praetermittamus) ita loquitur disp. 23. n. 64.: « Et quidem quando locus non est ita amplus et peccatum seu *vitium non esset publicum*, non videtur id fieri absque detrimento incolarum, qui patiuntur singuli propter talem revelationem. Advertunt tamen multi, non incurri hac de causa poenas revelantis confessionem; quia non manifestantur peccata poenitentis, sed civitatis, de quo videri possunt plures, quos affert Diana ».

Item allegat s. Alphonsus Vivam *de Poenit.* q. 10. art. 2. n. 7.; sed reipsa Viva id affirmat de coetu religioso, inquiens: « Quod si de aliqua communitate vel de Religioso aliquo coetu id revelaretur, certe frangeretur sigillum et redderetur odiosa confessio; quia quilibet est pars magnae communitatis ».

Atque ita vix ulla ex allatis a s. Alph. auctoritatis ad rem facere videbitur.

654. Paucis rem expediamus. Allegatae auctoritates ad rem utique faciunt, dummodo tamen quaestio instituatur, prout institui et solvi in scholis solebat.

Et sane Doctores quaestionem generalem instituere consueverunt, an contra sigillum foret manifestare peccata alicuius loci aut cuiuspiam coetus. A qua methodo s. Alphonsus recessit, distinguens quaestionem duplicem de coetu religioso, et de aliquo loco seu civitate; ad quod impulsus videtur, ut exceptionem memoraret factam a Concina de Ordine Religioso.

Quaestionem generaliter propositam, generalibus quoque principiis resolvebant, statuentes, tunc peccari etiam contra sigilli legem, quando ex huiusmodi revelatione vel 1° ansa daretur suspicandi de personis particularibus, vel 2° infamia redundaret in illam communitatem sive loci sive coetus, quae infamia recidit in ipsum poenitentem, quatenus membrum communitatis necessario particeps est infamiae totius corporis, cuius pars est atque adeo merito dicitur haec revelatio cedere in gravamen ipsius quoque poenitentis et confessio fieri exosa et odiosa; exosum enim poenitenti est, quod e sua confessione ansa sumitur adspergendi illam infamiam etc.

Exinde vero ad conclusiones practicas deveniebant et negabant sigillum frangi, quando 1° id fiat de peccatis amplae urbis et 2° iam publice de iis peccatis constaret, ut audivimus ex Lugo.

Sigillum vero frangi affirmabant, quando adiuncta loci vel coetus non patiuntur revelationem criminis sine incommodis praedictis et exempla afferre consueverunt Oppidi, communitatis alicuius, collegii, monasterii, Ordinis Religiosi et huiusmodi.

655. Tantum vero abfuit, ut distinguerent causam Oppidi a causa monasterii aut Ordinis Religiosi, aut excluderent causam Religiosi Ordinis a causa Oppidi aut monasterii sive collegii, ut plerique eorum primum exemplum, aut etiam unicum adducant revelati peccati cum revelatione Religionis, ad quam spectaret delinquens; reliqui vero omnia simul coniungant.

Ita Bonacina, a s. Alph. tamen allegatus, *de Poenit* disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 14. n. 3.: « Secus si loquatur de loco non valde amplo, aut si de aliquo monasterio dicat, gravia scelera in eo committi etc. ».

Et Sporer, item citatus a s. Alph., *de Poenit.* n. 827.: « Periculum est, ne sigillum violetur..., si Confessarius... dicat...: in hac civitate, in hoc collegio, conventu, monasterio, vel in hac communitate non valde magna, committuntur magna crimina etc... Secus..., quando ampla est communitas..., si de populosa civitate, provincia, toto regno dicatur...; at certe dicere, se scire ex confessione, semper offensivum ideoque inconsultum est ».

Sed neque Lugo discernit inter duas illas causas, qui tamen unicus est, qui in verbis sup. n. 750. citatis solum *oppidum* memoret. Nam paulo ante Religiosum Ordinem memoraverat et quidem certiori ac firmiori suffragio inquiens disp. 23. n. 63.; « Idem est, si referas peccatum alicuius Religiosi, nominando ipsum Ordinem, ex quo iam redundat ignominia Ordinis et consequenter ipsius poenitentis, qui est pars illius ».

656. Addendum vero est, vix differre doctrinam eorum, qui tanquam oppositi allegantur et differentiam potius esse in verbis quam in sententia.

Et sane vidimus Suarez sup. n. 747. eatenus contendere peccari contra sigillum; quia haec revelatio cedit in notabile gravamen poenitentis et irreverentiam sacramenti.

Lugo autem sup. n. 750. dum contendit, eadem de causa peccari contra sigillum, non respuit sententiam, quam dicit esse multorum, non incurri nempe poenas statutas contra revelantes confessionem.

Contra vero Silvius (quem Diana tom. 1. tr. 8. res. 11. n. 2. allegat pro sententia negante frangi sigillum) concedit, Confessarium per eam

revelationem graviter peccare tum contra sacramentum, a quo sic alienari possunt, tum propter scandalum.

Itidemque concedunt Fagundez apud Diana l. c. n. 3. et Escobar lib. 16. n. 750. et 703. gravari poenitentem, in cuius infamiam per infamiam totius Ordinis revelatio cedit.

Re igitur fere conveniunt et discrimen in eo residebit, quod alii dicant fractionem sigilli adesse solum in revelatione peccati et personae, quando et poenae latae in revelantes confessionem incurruntur; alii vero etiam quando non incurruntur quidem hae poenae, sed nihilominus per revelationem quanpiam aliquid sequitur in iniuriam sacramenti et in gravamen poenitentis.

657. Nonnulla verba addam de argumento, quod s. Alph. bis tangit n. 654. et Auctor innuit in fine Resolutionis, scil. de vitiis auditis in confessione concionari.

Postquam dixit, frangi sigillum, si dicas, in tali monasterio commissum fuisse hoc vel illud peccatum aut in ipso committi talia peccata..., subdit s. Alph.: « Hoc tamen intelligendum, si Confessarius loquatur de aliqua culpa particulari cuiusdam monialis; secus si loquitur de defectibus, qui communiter in omnibus monasteriis solent vel possunt perpetrari ». Sed tunc, uti patet, nihil haec pertinent ad revelationem confessionis. Quinimo concionator afferre solet suam coniunculam antea scriptam, quam audiat ullam monialium confessionem.

Adde, quod defectus isti communes solent esse externi et communiter noti; quare nulla sequitur invidia contra confessionem.

Affert deinde s. Alph. quoad concionatores ad populum sententiam Auctoris Institutionum pro Seminario Petrocorensi et Ludovici Habert, qui dicunt licere concionatori invehere in vitia occulte serpentia dummodo non dicat, se scire ex confessione: quod ex contextu s. Alph. videretur intelligendum de locis amplis: licet Habert revera *de Poenit.* cap. 9. §. 7. q. 14. resp. 3. non habeat hanc limitationem et videatur loqui de pastore.

Sed haec nescio, quid ad praxim faciant. Nam 1° si rariora sint ista peccata occulta et scandalum non pariant, non debent esse thema concionatorum. Vel 2° scandalum pariunt et tunc non sunt occulta, ut necessaria sit scientia confessionis. Vel 3° non sunt rara, sed occulta sunt, quia quaedam turpitudines tenebris occultantur; at de turpioribus non fiunt conciones speciales, nisi quatenus reprehenditur generatim luxuria, quae non habetur ut vitium occultum; quia morum dissolutio pl. min. ubique adest et plangitur publice.

Huc spectat, quod dicit Silvius apud Diana t. 1. tr. 8. res. 11. n. 2. peccari revelando peccata locorum, *si fiat sine spirituali utilitate* et

coram *simplicibus* qui *scandalizantur* etc.; quae pertinere videntur ad quaestionem, an parochus vel Confessarius possit v. gr. concionatori indicare ex notitia confessionis, quaenam vitia indigeant correptione et remedio speciali.

Sed rursus reponemus, vitia, quae ex sola confessione noscantur, non esse argumentum idoneum concionandi; vel quia natura vitii non patitur, ut coram omnibus sermo de eo fiat, vel quia non erit occultum ita, ut ex sola confessione noscatur. Aliis ergo mediis, ut argumenta concionum seligantur, utendum est.

CLVII. 4. Notitia in sola confessione accepta nullo casu uti licet, si periculum sit revelationis, saltem indirectae. Verum si nullum sit periculum ut vel poenitens vel usus scientiae innotescat, etsi probabile sit, licere uti ad alterius gubernationem, v. gr. negando suffragium ei, quem ex sola confessione scit indignum esse, vel claudendo ostium, per quod quis noctu ingreditur ad peccandum, item, cognita proditione futura, monendo de diligenti custodia, impediendo clam matrimonium, de quo scitur impedimentum, ut docent Vasq. Henriq. Nav. etc.: contrarium tamen verius videtur, quod docent Fumus, Sanch. Con. Laymann. Dian. par. 3. tr. 4. r. 76. et p. 5. t. 11. r. 7. et alii; quia haec doctrina posset poenitentem absterrere a confessione. Et quidem superioribus religionum talis gubernandi modus prohibitus est anno 1594. cum in Societ. Iesu iam ante idem statutum esset prohibitumque contrarium docere. Vid. Dian. p. 4. tr. 4. r. 202. Contra vero ad sui ipsius gubernationem licere tali casu ea scientia uti, videri probabilius, v. gr. abstinendo a calice, in quo scitur esse venenum, deflectendo a silva, in qua paratam sibi mortem sciat ex unius latronis confessione, docet Silv. Henriq. Coninck, Laymann hic c. 15. contra Suar. Dian. p. 8. d. 11. r. 46. Excipit Cardin. de Lugo, nisi actio vel omissio Confessarii inducat notitiam peccati, vel damnum afferat confitenti, contra Con. disp. 9. dub. 14. etc. qui putat licere, etsi inde mors poenitenti immineret a sociis inferenda. Vide l. c. n. 108.

CLVIII. 5. Denique facere aliquid, ex quo soli poenitenti innotescere posset id fieri ex notitia confessionis, esse contra sigillum, negant s. Th. Bon. Sot. Vasq. etc. affirmant Silv. Val. Con. Dian. p. 3. t. 4. r. 46. Idque confirmant Fag. Gran. Card. de Lugo, et Avers. q. 18. s. 8. si tale sit, quod poenitenti ruborem vel molestiam afferat, v. gr. si vultum ei austeriorem ostenderet, vel eum declinaret, secus si ei sit gratum, vel saltem confessionem odiosam aut difficiliorem non reddat, v. gr. si audisset eum ad indignationem aut odium provocatum, vel in tentationem incidisse ex certo facto vel dicto ipsius Confessarii, indeque ipse a talibus factis vel dictis abstineat etc.

658. Aliam difficillimam aggredimur quaestionem, prout apparet ex ambiguitatibus, quibus eam involvunt tot sententiae allatae a s. Alphonso, qui et ipse nutare subinde ac negata concedere et vicissim videtur concessa negare.

Principium primum, scil. non licere, ubi est periculum revelationis lirectae aut indirectae, certum est et manifestum; neque tempus teremus in afferendis anomalis quibusdam opinionibus de revelatione in quibusdam adiunctis licita; quas videre est apud Lugo disp. 23. n. 92. et 108. 109. quae inferius referuntur: sed potius notabimus, principium hoc verum esse cum negative effertur, non vero statim posse dici verum, si positive efferatur, videlicet, licere usum scientiae

huius, si nulla sequatur revelatio. Nec mirum hoc est; nam generatim ubi *plures* requirantur conditiones ad licite agendum, absentia singularum facit actum illicitum; sed non facit licitum singularum praesentia.

659. Prima quaestio est, an ubi abest periculum revelationis ita, ut *non solum non innotescat peccatum poenitentis, sed neque innotescat, Superiorem uti scientia confessionis* (hanc enim hypothesim facit Auctor), liceat uti scientia hac ad gubernationem alterius; nam alios casus ab Auctore ibi cumulatos modo secernemus.

Et quidem haec Auctoris hypothesis iam excludit plures alios casus in quibus licere hunc usum quidam docuere eosque Lugo recenset disp. 23. n. 92.

Nam 1° Alii dixerunt, licere revelare crimen alteri, ut ab hoc poenitens corrigi possit, ut a parente.

2° Alii, saltem licere ipsi Confessario eum corrigere amovendo ab officio, licet alii suspicentur illius crimen.

3° Alii, licere in ordine ad privandum poenitentem gratuitis v. gr. non dando beneficium quod decreverat conferre, aut dissuadendo testatorem, ne eum instituat heredem etc., ita tamen, ut suspicio criminis non praebeatur, sed alii praetextus quaerantur.

4° Alii, posse Superiorem amovere ab officio, si id potest ad lubitum : secus si non potest pro lubito suo.

5° Alii, posse amovere, si nulla detur aliis ansa suspicandi, licet poenitens suspicari possit, id fieri propter delictum suum.

6° Alii negant, id licere, quando vel in ipso poenitente oboriri possit talis suspicio (quae est sententia ab Auctore exposita ut probabilis).

7° Alii demum dicunt, posse Confessarium uti illa notitia ad negandum suffragium indigno, aut Ordinem aut beneficium, quando sine revelatione fieri id possit; non tamen ad id teneri.

Verum et Auctor inferius dicit, ut verius tenendum oppositum.

Alia est sententia, quae quaestioni propositae respondet negative, etsi eam non omnes eodem pacto defendant.

Quam in rem Lugo disp. 23. n. 93.: « Ego secundam sententiam (negativam nempe) liberalissime amplector, ad quam amplectendam etiam impellit nostrae Societatis propensio in eam partem, quam suo Decreto stabilivit an. 1590. p. Claudius Aquaviva..., quo severe prohibuit, ne ullus unquam contrariam doctrinam publice aut privatim doceat, eave utatur ».

S. Alphonsus n. 656. addit primae sententiae obstare decretum Clementis VIII. editum 26. maii 1594.; nam etsi editum sit tantum pro

Superioribus Regularibus, extendi tamen debere ad omnes (*quidquid dicat Habert*, ait s. Alphonsus) recte alii dicunt, cum eadem ratio, quae urget pro regularibus, valeat etiam pro secularibus, ne scil. confessio reddatur odiosa.

Cui doctrinae suffragatur Card. Lugo, inquiens l. c.: « Et quidem post decretum Clementis VIII..., nescio, quo pacto prior sententia sustineri possit ».

660. Decretum autem Clementis VIII. se ita habet: « Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur... Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandamus ». Cui decreto Lugo l. c. subiicit hanc notulam: « Quae verba, licet minus stricta sint, quam verba decreti nostrae Societatis, nam Pontifex solum loquitur de *Superioribus* et de usu notitiae ad *exteriorem gubernationem*, nostrum vero decretum loquitur de *omnibus Confessariis*, etiamsi Praelati non sint, et in ordine ad *quoslibet poenitentes*, etiam *ad seculares:* adhuc tamen ex decreto illo Pontificio videtur necessario colligi veritas doctrinae universalis ». Et quomodo id deducatur, paulo infra videre erit.

Sed aliud decretum s. Inquisitionis editum iussu Innocentii XI. an. 1682. refert. s. Alph. n. 657., ubi quaerit, « an Superior in electione beneficii vel officii possit negare suffragium ei, quem cognoscit indignum ex sola confessione »: veruntamen decretum est magis generale, et ita se habet, dum proscribit *hanc propositionem:* « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae, cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione atque in casu, quo multo gravius gravamen eiusdem poenitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, etiam cum dicta explicatione, praesenti decreto prohibent etc., mandantes etiam universis Sacramenti Poenitentiae ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant ».

Quod quidem decretum coarctat, uti patet, principium illud de licito usu huius scientiae, si nulla directa aut indirecta sequatur revelatio et statuit, ne in hoc quidem casu licere illum usum, si cedat in gravamen poenitentis.

Insuper excludit praetextum seu excusationem, qua quidem hunc usum defendebant, contendentes posse inferri poenitenti aliquod gravamen, ut maiori gravamine ipse liberaretur. Et cum gravissimum omnium gravamen sit peccatum ac peccandi periculum, ideo usum scientiae huius admittebant etiam cum poenitentis gravamine, si hic usus ad arcendum eum a peccato conducebat. Hinc doctrinae illae, quod liceret Confessario hac scientia ducto claudere poenitentem in cubiculo, ne exiret ad peccandum, aut non admittere ad sacros Ordines eum, qui minus continens ex confessione nosceretur, ne in statum certae aut probabilis damnationis se ita coniiceret, aut removere ab aliquo officio aut a famulatu, si ex confessione constaret, adesse ibi occasionem peccandi.

Denique hoc decretum non ad solos Regulares, aut ad solos Superiores pertinet, sed complectitur quoslibet Confessarios, seu etiam quoslibet, ad quos notitia ex confessione profluens pervenerit (v. gr. Doctor consultus, aut Superior rogatus pro casu reservato) et simul quoslibet poenitentes.

661. Omittenda autem heic non sunt quae advertit Lugo circa sententiam quandam Suarez (a). Nam Suarez *de Poenit.* disp. 33. sect. 7. n. 4. ut doctrinam multorum veterum, qui concedebant, posse Superiorem ex mera confessionis notitia, ad auferendam peccati occasionem, subditum removere a loco vel officio, dummodo nulla sequeretur revelatio, saltem si nec poenitens suspicari posset, se ob eam causam removeri, ut doctrinam istam (inquam), quam communem dicit, conciliaret cum decreto Clementis VIII., scripsit: « Sententiam communem (communem inter antiquos DD. dicit fuisse etiam s. Alph. n. 588.) ex natura rei, seu sola ratione spectata, improbare non valeo: adverto tamen, id quod per se malum non est, ob periculum mali prohiberi posse. Quare si in aliqua Religione *(prout in Societate nostra)* talis usus prohibitus fuerit, sancta erit constitutio. Imo generatim hic usus Regularibus omnibus videtur a S. D. N. Clemente prohibitus... (heic verba decreti). Unde cum indistincte loquatur, non est quod a nobis limitetur, sed simpliciter observetur ».

Subdit ad haec Lugo disp. 23. n. 34.: « Hoc tamen mihi difficile videtur. Nam si usus talis notitiae licitus esset *(scil. in se)*, non video, quomodo posset a Pontifice in universum Praelatis Regularibus prohiberi. Nam in aliquibus casibus si licitus esset, esset etiam necessarius ex praecepto naturali, v. gr. ne eligatur scienter indignus ad Praelaturam, cum talis electio sit intrinsece mala et afferat gravissimum

(a) De hac re iam alia occasione actum est nn. 460. seq. — E.

nocumentum, quod Praelatus debet impedire, si possit. Item si sciret ex confessionis notitia, aliquem non esse sacerdotem, deberet illum non adsignare in Confessarium suorum subditorum, ne illi irritas faciant omnes confessiones cum tanto ipsorum detrimento et irreverentia sacramenti. Et tamen etiam in hoc casu prohibet Pontifex usum talis notitiae ad gubernationem. Supponit ergo, antecedenter fuisse illicitum talem usum: alioquin non posset contra naturale praeceptum caritatis et religionis praeceptum mere ecclesiasticum obligare.

662. Argumento autem petito ex Pontificia prohibitione, alia addit ipse Lugo. Quorum primum compendiatim hoc est n. 35.: non modo non licet revelatio directa, sed neque indirecta..., neque solum non potest aliquid dicere aut facere, unde suspicio oriatur in illis, qui tale peccatum aliunde norunt, id fieri, quia tale peccatum venit in cognitionem Praelati, sed neque cum ipso poenitente potest Praelatus de illo peccato loqui. Ergo neque indirecte potest illud peccatum exprobrare poenitenti. Exprobraret autem indirecte, si aliquid ingratum faceret, quod poenitens intelligat fieri propter peccatum a se in confessione dictum, sicut manifestat indirecte aliis, quibus dat similem rationem suspicandi. Ergo non potest ex tali notitia removere subditum ab officio, vel negare etiam debita ac gratuita, quando saltem poenitens potest intelligere aut suspicari, id fieri propter peccatum suum, quod Praelato confessus sit.

Sed ratio a priori et magis universalis petitur ex principiis communibus. Nam obligatione sigilli illud prohibetur, quod confessionem redderet gravem et odiosam fidelibus. Atqui si Confessarius ex confessionis notitia posset poenitentem laedere in honore, fortunis, officiis, muneribus et aliis, ad quae homines maxime afficiuntur, gravior redderetur confessio, quam si cum poenitente de iis posset loqui. Ergo si propter reverentiam sacramenti et poenitentium libertatem sacerdos prohibetur loqui de auditis cum poenitente, ne difficilis reddatur confessio; a fortiori debet a tali usu scientiae prohiberi, qui confessionem longe difficiliorem redderet. Ita Lugo l. c. n. 37.

Et scite omnino advertit heic Lugo ibid. n. 38., ad hoc, ut confessio difficilis evadat et odiosa, non requiri, ut poenitens sciat heic et nunc, id quod superior aut generatim Confessarius fecerit, factum esse occasione confessionis. Etenim etiamsi poenitens id ignorat quoad casum illum particularem, si tamen antecedenter ac generatim sciret, posse Confessarium uti illa notitia *occulte* contra poenitentem, retardaretur a confessione peccati non minus, sed forte magis, quam si sciat, posse illum tale aliquid facere, advertente ipso poenitente. Magis enim laedunt illa, quorum causam ignoramus, quam illa, quorum causas

scimus; his enim facilius remedium possumus adhibere per causam contrariam.

663. Ceterum neque allata decreta Apostolica, neque intrinseca sigilli sacramentalis ratio ullatenus postulat, ut Confessarius in nulla prorsus re uti notitia confessionis possit, ut perinde se habeat, ac si eam notitiam penitus nunquam habuisset. Quam quidem sententiam ab omnibus iam olim reiectam communiter (vid. Lugo disp. 23. n. 101.) nihilominus instauravit doctus Concina apud s. Alph. n. 657.

Regula ergo consentanea decretis Apostolicis sup. allatis et communiter a DD. recepta est, quam s. Alph. n. 657. sic effert: *licitum esse uti notitia confessionis, ubi nulla directa seu indirecta revelatio intervenit, nec ullum poenitentis vel minimum gravamen habetur, vi cuius minus facilis ac libera ipsi reddatur confessio.*

Hinc certum est, ut habet Lugo n. 101., quod Confessarius potest magis cautus et prudens fieri ad vitanda pericula, in quibus videt poenitentes ruinam spiritualem passos esse vel etiam temporalem, ut ad vitandum quenpiam ludum, ne pecunias amittat, vel cibum quendam aut potum, ne sanitati noceat, aut commercium seu familiaritatem cum certis personis a quibus poenitens aliquod damnum vel iniuriam passus sit: aut addiscere, quomodo cum incolis illius loci agendum sit.

Addit s. Alph. n. 657. posse ibidem ex notitia confessionis cautiorem se reddere in re familiari (limita, si non cadat in gravamen poenitentis, v. gr. cum a tertio id discit...), ac multo magis orare pro poenitente, consulere libros ac sapientes, rigorem temperare, ex confessione unius dirigi ad alios interrogandos vel instruendos etc. Quinimo hic fructus est, qui longa experientia colligitur et efficit, ut hi Confessarii, qui longa experientia sunt instructi, aptiores iudicentur ad dirigendos fideles etc.

Quinimo, ut observat Lugo l. c. n. 101. nec illicitus est quilibet usus huius notitiae etiam ad gubernandum. Sic si Praelatus ex confessione sciat detractiones et querelas subditorum contra illum propter nimium rigorem vel parsimoniam aut parcitatem; poterit discere, non expedire morem illum, sed indigere moderatione vel mutatione.

664. Hinc quotiescumque absit omnis revelatio, quae semper est contra sigillum, non interdicitur usus illius scientiae, non solum quando poenitens non advertit, id fieri propter peccatum eius auditum, sed etiam quando poenitens id advertat.

Si enim quidpiam fiat, non advertente ipso poenitente, ex usu talis scientiae, at non in praeiudicium ullum poenitentis, sed ita, ut etiamsi poenitens id sciat et noverit licitum esse talem usum, non ideo re-

tardetur a confessione; tunc non videtur ullo modo contra sigillum ac contra sacramentum esse: erit autem illicitus, si ille usus esset gravis poenitenti atque ideo difficilius confiteretur, si sciret, illum usum esse licitum.

Et pariter, cum poenitens advertit, id fieri propter suum peccatum, distinguendum erit; nam vel inde confessio redditur difficilior ac talis usus ingratus accidit poenitenti et tunc usus erit omnino illicitus. Si vero non est ingratus poenitenti, neque ex ea redditur difficilior confessio, non videtur contra sigillum: sigilli enim precipua ratio est, ne confessio difficilior ac gravior reddatur. Ita v. gr. si ex peccato sui (murmurationis) poenitens novit, superiorem abstulisse murmurationis causam.

Quod si quis regerat, haberi in his indirectam locutionem cum ipso poenitente, quae interdicta semper censetur; responderi potest, omnem quidem revelationem etiam indirectam peccati ac confessionis esse contra sigillum; quia omnis eiusmodi revelatio reddit confessionem difficiliorem et odiosam: non tamen esse contra sigillum omnem locutionem indirectam, quae non sit revelatio, sed illam tantum, quae, si liceret, onerosam redderet confessionem ac difficilem. Porro onerosam quidem ac difficilem facit confessionem omnis locutio, etiam indirecta, quae sit quaedam exprobratio peccati aut quae vergat in damnum poenitentis, aut alia ex causa possit esse ingrata; non tamen difficilem reddit confessionem quod confessarius possit ex tali notitia poenitentem diligere et peculiaribus benevolentiae signis prosequi. Ita Lugo disp. 23. n. 102.-103. Ita v. gr. si ante alios vocas poenitentem quem scis confessum, vel quem scis indigere magis etc.

Quae omnia Lugo n. 103. concludit hac regula: « In iis ergo, per quae confessio non revelatur, universalis ac tuta regula ad cognoscendum, an sint vel non sint contra sigillum, debet esse difficultas confessionis, quae proveniret ex eo, quod talis usus vel tale genus actionum licitum esset absque facultate poenitentis ».

Hinc corollaria, de quibus Auctor in Resol. 5ª, scil. esse contra sigillum non modo si Confessarius exprobret peccatum, sed etiam si vultum ostendat severiorem, vel minus grate ei colloquatur. Secus, si quid faciat ei gratum.

665. Hinc solutio quaestionis, quam tangit et s. Alph. n. 660. dub. 6. an si ex confessione huius scias aliquem, cui solitus es confiteri, non esse sacerdotem, possis eum relinquere, an debeas, ut prius, illi confiteri.

Respondet Lugo disp. 23. n. 105.: « Thomas Sanchez iudicat, posse me illi non confiteri; quia ex illo notitiae usu confessio nullo modo

odiosa redditur. Sed quid, si vere redundaret aliquod poenitentis dedecus quod ego praeter solitum ei non confiterer. Casus *certe metaphysicus est*, quod ille mihi fateatur, se non esse sacerdotem et tamen meam velit postea confessionem audire. Sed, dato illo casu, non morali, consequenter fatendum esset, non posse me uti tali notitia, si ex eo usu resultaret aliqua saltem indirecta revelatio, vel etiam aliquod dedecus aut incommodum mei poenitentis. Deberem ergo alteri serio confiteri; illi autem solum exterius, vel certe cum intentione solum conditionata obtinendi absolutionem, scil. si sit sacerdos; quo pacto et sigilli integritati et meae quoque utilitati consulerem ».

Hinc solutio quam Auctor habet in secunda parte Resol. 4. de qua Lugo disp. 23. n. 108.: « Non est dubium, quando illa actio vel omissio (scil. fugere insidias sibi paratas, vel omittere Missam propter notitiam veneni) non ostenderet aliis notitiam peccati nec ullum damnum poenitenti afferret, quod confessionem redderet odiosam ac gravem, tunc utique posse alio praetextu fugere, vel sacrum omittere ».

666. Quaestio gravior est, an liceat id ipsum, si ex fuga vel omissione alii, qui sunt conscii criminis, coniicerent poenitentem confessum fuisse illud peccatum; unde haberetur indirecta revelatio confessionis. Coniici posset etiam, poenitentem revelasse insidias, licet reus ipse nullatenus sit.

Multi concedunt, Confessarium posse nihilominus fugere (apud s. Alph. n. 659.), negant alii, quibus adhaeret et s. Alph. post Lugo disp. 23. n. 110. ob indirectam revelationem peccati confessi.

Advertit tamen Lugo l. c., debere maxime considerari an poenitens vere animo confitendi illud Confessario dixerit, an potius animo iniquo ligandi illum arctissimo sigillo, ne auderet fugere ob metum violandi sigilli: quo casu non tenetur ad secretum, quae intentio ex circumstantiis bene potest deprehendi. Ita Lugo. Sed hanc hypothesim vix intelligo; nam vel poenitens putat, rem ignorari et sciri aliunde non posse a Confessario, vel non: si primum, non est, cur velit manifestando ligare; nam non fugiet, cum ignoret: si vero putat, posse aliunde sciri, frustra ligare conatur; quia Confessarius exteriori scientia uti potest. Quidquid sit, Lugo in ea hypothesi optime concludit.

Ceterum subdit Lugo l. c., « experientiam tot seculorum ostendere, nunquam revelationem directam aut indirectam fuisse necessariam ad ea pericula fugienda, cum vel ex licentia poenitentis, vel aliis modis obviari iis facile possit absque fractione sigilli ».

Quo loco licentia intelligitur, qua poenitens permittat, illam qualemcumque indirectam revelationem, scil. ut conscii criminis suspicentur, factam illius peccati confessionem.

Merito autem Lugo etiam hunc casum appellat metaphysicum n. 110. in fin.; licet satis appareat, ex eius sententia sacerdotem non posse fugere, etiamsi poenitens *iniuste* neget licentiam, quia timet mala a sociis criminis. Dixi autem *iniuste;* quia si est socius criminis, tenetur sartam tectam servare vitam sacerdotis et secus non esset dispositus ad absolutionem; attamen dispositio poenitentis non tribuit ius sacerdoti revelandi confessionem.

667. Ex praedicta regula ratio redditur resolutionis s. Alphonsi n. 657., qua negat, Confessario licere dimittere famulum vel auferre ab eo claves, ne furetur, vel abstrahere pecuniam ab arca, claudere fores etc. Ratio est, quia haec continent quandam exprobrationem poenitentis. Imo addit Lugo disp. 23. n. 123. neque intra confessionem posse Confessarium praecipere famulo, ut exeat domo sua propter notitiam furti sibi facti nec ibi auferre ab eo clavem scrinii sui illi commissam. Ratio, quia haec licet materialiter fierent in confessione, re tamen vera essent detrimenta extrinseca confessioni et quae redderent confessionem multo difficiliorem (nescio, cur difficilior fiat hinc confessio; nam supponendum est, poenitentem habere bonam voluntatem consentiendi iis, quae iusta sint et vix excogitari potest homo, qui sua furta sincera poenitentia fateatur et exigat, ne impediantur). Veruntamen et isti sunt casus prope metaphysici; quia non fatentur famuli ista cum domino, nisi forte id fieret in repentino mortis periculo.

668. Hinc solvitur et alia quaestio, quam s. Alph. tangit n. 660. an Confessarius sciens ex confessione, Ecclesiam esse pollutam, possit in ea celebrare.

Et bene notat s. Alph., hunc casum esse difficilem; quia Ecclesia non est polluta, nisi violatio publica sit: posse tamen id contingere si nempe, licet publica, nota non sit Confessario, vel publicum sit factum, sed ignoretur, per illud factum ecclesiam esse pollutam: tunc non est contra sigillum dicere pollutam ex facto notorio aliunde cognito. Si vero ignorabat, celebrabit bona fide perinde ac si nemo sciret.

Dissentiunt DD., nec infirma est ratio dicentium, posse celebrare (licet posset omittere sine revelatione et gravamine poenitentis). Ratio inquiunt, quia Ecclesia non videtur vel tunc obligare sacerdotem ad utendum notitia sacramentali et ad non celebrandum. Alia sententia placuit Lugo disp. 22. n. 125., et eam quoque satis probabilem dicit s. Alph.

Melius Lugo n. 122. 123. concludit, non teneri Confessarium ad vitandum tum extra tum intra Confessionem, quem ex confessione novit esse excommunicatum etiam vitandum. Item communis est doctrina, non posse negari sacramenta sive publice sive occulte illi, quem

ex sola confessione noveris esse indignum. Vid. Lugo disp. 23. n. 126., ubi excipit casum publici peccatoris, v. gr. usurarii aut meretricis, quam repellere posset non ex secretae confessionis, sed ex publicae famae notitia.

669. Alius casus non omittendus, quem sic Lugo disp. 23. n. 117. proponit: « Quando Confessarius semel et iterum non absolvit et iterum vocatus ire non vult, ne tempus frustra expendat cum eo et ne cooperetur eius simulationi, qua simulat confessiones, cum nunquam absolvatur, quaeritur, an tunc liber sit a violatione sigilli. Respondetur : si poenitens veniat eo animo, ut simulet confessionem et exterius satisfaciat domino vel parentibus ac conservet bonam existimationem apud alios, nulla est obligatio sigilli ex tali confessione; cum non sit confessio nec fiat animo confitendi, sed simulandi; cui simulationi Confessarius non debet cooperari, sed potest se excusare et fortasse debet. Si vero poenitens venit animo confitendi, licet indispositus, quia non vult v. gr. restituere vel relinquere occasionem proximam, quam potest et debet relinquere et sacerdos non possit se excusare, nisi intelligatur saltem in genere causa, non poterit non ire; poterit tamen statim initio confessionis eum dimittere, reddendo ei rationem, dum id sine nota fieri possit, et petere, ne eum vocari faciat inutiliter. Raro tamen deerit praetextus alius fugiendi et excusandi se absque fractione sigilli ». Ita Lugo.

Casum paulo immutatum sic proponit s. Alphonsus n. 659. quasi ex Roncaglia : « Si Confessarius noverit ex confessione, aliquem afferre multa peccata vel tenuem dispositionem, non poterit sine iusta causa se celare vel excusari ab eo audiendo, quando aspiceretur ab aliis iisque suspicionem ingereret, multoque magis si poenitens id reputabit ceu tacitam suorum peccatorum exprobrationem. Secus vero, si nullus aspiceret, quia tunc nulla in aliis oriretur suspicio ».

Ad quae notabimus, vix intelligi, quomodo Confessarius debeat fugere, quia multa sunt peccata poenitentis: isti confessarii anomali non cogitant illud Christi: *non indigent medico qui sani sunt, sed qui male habent.* Ceterum Roncaglia *de Poenit.* quaest. 6. cap. 2. reg. 1. prax. non dicit: *vel tenuem dispositionem*, sed *vel ob ipsius dispositionem.* Et si quidem agatur de indispositione, qualem superius descripsit Lugo, tunc valeant ibi dicta; si vero non sit taliter indispositus, de quo desperetur ac multo magis si habet dispositionem aliquam licet *tenuem*, rursus dicemus non apparere, cur fugiat Confessarius, nisi quod impatiens sit et prorsus ignarus suae vocationis ac muneris.

670. Interim s. Alph. dicit se non admittere Roncagliae sententiam, quia etsi nemo videat, haec tamen fuga est tacita exprobratio peccatorum.

Verum hoc valere potest, si fugiat ob *multa peccata*, non vero, si fugiat ob perspectam indispositionem. Nam erit haec non quidem peccatorum, sed indispositionis exprobratio, nec faciet id odiosam confessionem sinceram, sed confessionem sine dispositione. Sed nil mirum responsionem s. Alphonsi minus ad rem facere ex parte : Roncaglia male miscuit duas quaestiones disparatas ac male eas coniunxit et s. Alphonsus post illum.

Addit s. Alph. (quasi ex Roncaglia, qui tamen nihil tale habet loco indicato a s. Alph.), quod etiamsi poenitens non advertat, Confessarium fugere ob notitiam confessionis, sed alio praetextu apparenter iusto ; tamen haec doctrina reddit confessionem odiosam generatim reipublicae christianae, si scil. innotescat Confessarios in his casibus posse fugere colorato aliquo titulo : posse tamen Confessarium se celare si iusta adsit causa, ob quam ab aliis quoque poenitentibus *incognitis* se excusaret licet praevideat, poenitentem suspicari posse, eum fugere ob notitiam suorum peccatorum.

Quae quidem admitti possent, si tamen alia causa huius fugae daretur, praeter meram multitudinem peccatorum : circa quam haec omnia perperam disputantur.

671. Addit s. Alph. ibid., se approbare doctrinam Lugo disp. 23. n. 116., qui haec habet: « Similiter si poenitens urget Confessarium, ut eum absolvat et minatur ei mortem, ni absolvat; potest salvo sigillo non redire: quia minae illae non fuerunt materia illius confessionis, sed peccatum ibi factum coram ipso Confessario. Unde licet Confessarius non possit dicere, quod propter absolutionem negatam minatus sit ei mortem, posset tamen, quando minabatur, fugere; sicut posset, si iam vellet eum occidere; quia minae illae et voluntas occidendi non est materia illius confessionis, sed peccatum ibi commissum : ergo similiter postea poterit non redire propter eandem causam absque ulla violatione sigilli ».

Subdit tamen s. Alph. l. c.: « Haec tamen fuga tantum permittitur Confessario, si fugiendo non ingerat aliis suspicionem negatae absolutionis: quod si ingereret, posset recitare aliquam orationem, non iam intendendo deceptionem poenitentis, sed solam liberationem ab illa vexatione, quamvis poenitens se decipiat, credens illam orationem esse formam absolutionis ». Ac dein remittit ad lib. 6. n. 59. ubi docuerat, hanc simulationem licere: imo ad eam teneri Confessarium, ne indignitatem poenitentis prodat.

Sincere fateor, me non assequi, cur et quomodo haec miserabilia effugia excogitentur, imo Confessario imponantur. Nam 1° quid si poenitens sciat absolutionis formam et velit eam clare et distincte conceptis

verbis audire? scenicum enim hoc effugium iam evanescet. 2° Intentatio mortis non hanc solam causam habere potest, scil. negatam absolutionem: potuit velle occidere ad spoliandum, vel ad ulciscendum, vel ad quidpiam aliud extorquendum. Ergo non est revelatio negatae absolutionis, sicut non est revelatio *longa confessio, vel iussio redeundi* etc. 3° Si qua suspicio oriretur, culpa non in Confessarium, qui ius habet fugiendi, sed in poenitentem reiici debet, qui ad fugam cogit, non secus ac si aliis videntibus inciperet pugnis aut baculo Confessarium percutere. Quid enim in hoc casu suggererent isti Doctores Confessario agendum?

4° Denique, quid excogitant ius istud in poenitente, ut Confessarius vel mortem subeat, vel fingat absolutionem? quid dicet poenitenti, ut eum mansuefaciat? num dicet mendaciter, se daturum absolutionem? Ergo dimittantur ista, ut nimis subtilia etc. ».

Faciliores sunt alii casus, quos innuit Lugo.

672. Si Confessarius poenitentem non absolvit utpote indispositum et ab hoc calumniose ob vindictam accusetur, non potest se defendere manifestando factam confessionem; sacramentum enim dignum est, ut ob eius reverentiam non violetur sigillum atque aliis modis defensio legitima erit procuranda. Ita Lugo disp. 23. n. 115.

Quod dictum est de periculo corporali n. praec., valet et de periculo vitae spiritualis, ut nec propter hoc vitandum possit Confessarius confessionem revelare. Licet ergo ex confessione sciat, parari sibi grave periculum spirituale, si aliter illud vitare non potest, sperare debet auxilium gratiae divinae et se Deo commendare et sic sigillum omnino indemne servare. Ita Lugo n. 115.

Ad quaestionem autem, an sacerdos, qui sciat, quod poenitens est ipsi scandalum, possit vocatus non ire ad illum audiendum, respondet Lugo, vix fieri posse, ut propter sigillum teneatur ire. Etenim vel illud scandalum oritur ab ipsomet Confessario, qui propter infirmitatem propriam v. gr. tentatur graviter a propria concupiscentia, dum audit talem personam et tunc nihil facit contra sigillum, ut patet, non eundo ad illam audiendam. Vel scandalum oritur ex parte poenitentis, qui provocat Confessarium ad malum et neque tunc facit contra sigillum, non eundo; provocatio enim illa ad malum non cadit sub sigillum, cum non sit peccatum, quod poenitens confitetur, sed quod committit in ipsa confessione. Ita Lugo l. c. n. 116.

Denique monet s. Alph. post communem DD. sententiam n. 661., Confessarium utique, generaliter loquendo, in materia tam gravi et periculosa debere esse cautum, ne poenitentes ex confessione iniustum aliquod gravamen subeant; tamen non teneri ad cavendas omnes leves

coniecturas, quas (ut inquit Lugo disp. 23. n. 106.) malitiosi et nasuti homines facile faciunt, sed tantum probabiles suspiciones. Quam in rem affert illa verba s. Thomae (*Quodlib.* 5. art. 13.): « Si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad *aliquam probabilem suspicionem* habendam de ipso, nullo modo Praelatus deberet subditum removere ». Quae verba afferimus solum, ut pateat ex s. Thoma, quando secretum violetur, non vero ut admittamus contra decretum Clementis VIII., posse removeri, si revelatio illa aut probabilis suspicio absit.

Dub. II.

De Praecepto et obligatione Confessionis.

CLIX. Resp. Praeceptum confitendi, tum Divinum tum Ecclesiasticum, sub mortali obligat omnes ac solos baptizatos, qui habent mortale: illud in articulo mortis, hoc vero postquam ad annos discretionis pervenerint et simul ut confiteantur proprio Sacerdoti vel alteri cum eius venia, semel in anno, computando ab una confessione ad aliam, ut quidam docent, vel ab initio Ianuarii ad finem Decembris, ut habet communior, vel denique a Paschate ad Pascha, ut consuetudo fere obtinuit, propter communionem. Suar. d. 35. s. 2. Vasq. q. 90. art. 2. Card. de Lugo d. 1. s. 3. 4. 6. et 7. Con. d. 5. dub. 6.

673. Attendenda distinctio inter confitendi praeceptum prout est *divinum* et prout est *ecclesiasticum*.

Praeceptum divinum habetur, quatenus Christus ita Apostolis et eorum successoribus facultatem dedit remittendi peccata confitentibus, ut haec confessio non libera sit, sed necessaria; quia unicum hoc medium obtinendae remissionis reliquit hominibus graviter lapsis post baptismum. Unde sacramentum poenitentiae homini adulto, lapso in peccatum mortale post baptismum, est necessarium necessitate medii, in re scil. vel in voto; quia sine hoc sacramento re ipsa suscepto, vel certe sine eius voto, quod in contritione includatur, salvari nequit. Vid. Lugo *de Poenit.* disp. 15. n. 1.

Haec a controversistis adversus haereticos probatur et nobis satis sunt verba Tridentini sess. 14. cap. 5.: « Ex institutione Sacramenti poenitentiae iam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam exsistere; quia Dominus noster I. C. e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christifideles ceciderint; qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient ».

Subdit porro Auctor, *illud,* scilicet *divinum obligare in articulo mortis.*

Hoc autem non ideo affirmatur, quod generaliter tenetur homo curam salutis aeternae suae tunc maxime gerere, sed quia id plane exigit natura huius praecepti. Videlicet Christus praecepit, ut homo lapsus in mortale post baptismum, confiteatur peccatum suum illud subiiciendo clavibus Ecclesiae. Porro post mortem non potest hoc praeceptum implere; ergo tenetur implere ante mortem. Idcirco sive quis nunquam per totam vitam peccata gravia a se commissa confessus fuerit, sive post confessionem in gravem culpam relapsus sit, si in hoc statu veniat in mortis periculum, ad confessionem tunc tenetur; quia si tunc obligationem hanc non implet, manifesto periculo se exponit praeceptum illud nunquam implendi: non secus ac qui habeat obligationem v. gr. revelandi quidpiam, restituendi etc.

Et ob paritatem rationis idem dicatur de eo, qui nunc habeat copiam confessarii, quam postea per totam vitam non habiturus est. Et idem est, si aliquis habeat peccata reservata, a quibus adest nunc qui eum absolvat, postea vero non habebit, a quo possit absolvi; nam praeceptum confitendi ea peccata obligat ad confessionem nunc faciendam. Lugo disp. 15. n. 37.

674. Atque hoc loco incidenter quaerunt DD. de obligatione peculiari, quam medici corporales habent admonendi aegrotum de imminente periculo mortis, ut divino confessionis praecepto satisfacere possit.

Et quaerunt deinde de obligatione quam iidem medici habent ex cap. *Cum infirmitas* 13. *de Poenit. et Remiss.,* quod decretum latum est ab Innocentio III. in Conc. Lateranensi IV. an. 1215.: « Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat...: praesenti decreto statuimus et districte praecipimus medicis corporum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant et inducant, quod Medicos advocent animarum; ut postquam fuerit de salute animarum provisum, ad corporale medicinae remedium salubrius procedatur, cum, cessante causa, cesset effectus ».

Et Patres quidem Concilii insuper hanc decreti rationem afferunt: « Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in aegritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt ».

Quam in rem Summa Sylvest. V. *Medicus* 3.: « Summa Angelica et Summa Rosella non intelligunt istam constitutionem quantum ad omnem infirmitatem, sed solum quantum ad periculosas et dubias se-

cundum se, idest, quae possunt probabiliter inducere periculum mortis, in quo ipse infirmus confiteri tenetur; sed istam opinionem expresse Archidiaconus per textum videtur avertere dicens, quod medici hoc observantes solum cum aegritudinem mortalem viderint, non adimplent constitutionem, quae subdit, inter caetera huius edicti causam fuisse, *quod quidam in aegritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt.* Ubi dicit Ioannes Andreas, quod *ex quo infirmi sciant, hoc medicos dicere in omni infirmitate, mortali et non mortali, ex praecepto, cessabit timor et periculum.* Haec ex illo et ideo simpliciter et indistincte dicendum est cum textu, eos ad hoc teneri, cum eos ad infirmos vocari contingit; maxime quia si infirmitas levis aggravaretur tantum, ut infirmus teneretur confiteri, si tunc medicus suaderet confessionem, infirmus timore quateretur ut plurimum, quod in textu cavetur. Nec oportet dicere, uti dicit Summa Rosella, hoc nimis esse durum; quia facile est medico dicere: *Pro debito praecepti mihi facti hortor ad confessionem, quae prodesse potest, obesse non potest* ».

Denique Pius V. non modo praecedens decretum confirmavit, sed in Const. *Super gregem* an. 1566. §. 3. praecipit: « Quod omnes medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo Confessori omnia peccata sua iuxta ritum s. Romanae Ecclesiae confiteantur neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo conscientiam eius oneramus, concesserit et eis per fidem in scriptis factam constiterit, quod infirmi, ut praemittitur, peccata sua confessi fuerint ».

675. Statuit dein S. Pius V., ut medici antequam ad doctoratum promoveantur, iurent, se hoc praeceptum servaturos atque Ordinarii illos non admittant in suis dioecesibus, nisi de hoc iuramento constiterit.

In Medicos autem haec non observantes ex decreto Innocentii III. infligitur poena 1° interdicti ab ingressu Ecclesiae (sed ferendae sententiae), 2° ex Bulla s. Pii V. *infamiae* (latae sententiae, ut Thesauro videtur), 3° privationis gradus medicinae (ferendae sententiae), 4° pro Collegiis seu Academiis gradum conferentibus vel dantibus licentiam sine iuramento praestito, privationis doctorandi facultatis, 5° denique (ex Synod. Roman. sub Benedicto XIII.) excommunicationis latae sententiae, si visitent *quarto* non confessos; quod extenditur ad Chirurgos et quosvis medicantes in quibusvis morbis, excepto articulari (vid. Thesaur. *de Poenis* part. 2. V. *Medici* pag. 195.).

Veruntamen quoad intelligentiam horum decretorum, triplex est sententia, ut ait s. Alph. n. 664.

Prima dicit intelligenda esse de solo morbo periculoso, vel saltem de quo dubitatur, an sit periculosus.

Secunda, accipienda esse de quolibet morbo, etiam non mortali.

Tertia denique, non intelligenda quidem de quolibet morbo etiam levi, sed tamen neque de solis periculosis, qui vel graves sint, vel timeri prudenter possit, ne fiant graves.

Verum huiusmodi disputationes prope cadunt incassum propter aliud principium, quod et ipse s. Alphonsus in hanc rem ita memorat: « Sed cum decreta Pontificum non obligent nisi secundum quod sunt usu recepta, hinc dicunt..., praefata decreta et iuramentum in Hispania non obligare, quia ibi non sunt usu recepta idemque testatur Mazzotta de nostro regno, dum ait: iuramentum s. Pii Neapoli ex usu recepto, ut etiam mihi constat, tantum in morbis periculosis observari ».

Quod et penes Thesauro, scriptorem alioqui rigidum, sic legimus l. c. pag. 195.: « Limita praedictam poenalem constitutionem, ut secundum magis communem solum procedat in morbis periculosis actu, vel cum periculosos efficiendos (idest evasuros) esse medicus iudicat... Limita quinto, ut non procedant istae poenae, *ubi et quatenus ea Constitutio fuerit desueta* ».

Et Lambertini quidem Instr. 22. n. 15. advertit, quod « qui hanc legem iam obsoletam praedicant, cum iusiurandum a medicis, qui medendi facultatem poscunt, semper requiratur, res contrarias simul copulare nituntur, consuetudinem nempe iurisiurandi, quam memoravimus et legitimam pariter consuetudinem, qua ab ipsius iurisiurandi religione immunes se praedicant ».

Verum haec difficultas Doctores non permovit et forte responderent, formulas iuramenti accipiendas, prout eas explicat consuetudo.

Superest igitur, ut inspiciatur, quaenam quoquo loco consuetudo obtineat. Et Romae quidem novimus in nosocomiis aegrotos compelli, ut intra triduum exomologesim faciant (a); sed extra nosocomia fert consuetudo, ut de confessione medici moneant, cum morbus alioquin gravis proximum mortis periculum inducit, quod recidit in monitionem, quam ipsum ius naturae exposcit.

676. Quaecumque autem obligatio, spectata consuetudine, urgeat, Doctores notant (vid. s. Alph. l. c.).

1° Medicum satisfacere obligationi suae, sive per se sive per alios, v. gr. domesticos, Parochum, religiosum virum, infirmos moneat.

2° Sufficere testimonium aliorum (absque Confessarii scripto), quod infirmus confessionem peregerit.

(a) Haec spectant ad illud tempus, quo Ball. scribebat. — E.

3° Non habetur obligatio monendi infirmum, quando paulo ante infirmitatem confessus fuerit, seu, ut ait s. Alph., quando medicus moraliter certus est, quod infirmus sit in bono statu.

4° Non teneri medicum, post tres dies deserere infirmum, qui obstinate nolit confiteri, si absque gravi eius periculo deseri non possit; ratio, ait s. Alph., quia praefata decreta non debent adversari legi caritatis, quae favet etiam obstinatis quoad eius fieri possit.

Ceterum merito dolet s. Alph., quod ob medicorum oscitantiam (addi debet ob eorum impietatem et falsam domesticorum pietatem), dum confessio procrastinatur, infirmi aut non confessi aut male confessi non raro decedunt. Sed satis de medicis.

677. Ut igitur ad quaestionem principalem redeamus, quaerunt Doctores, an praeceptum confessionis, prout est divinum, per se aliquando obliget in vita, extra periculum mortis.

Ac primo quidem notat s. Alph. n. 663. cum communi post s. Thomam, non obligare per se statim post peccatum. Et quidem doctrina s. Thomae bene perpendenda in 4. disp. 17. q. 3. art. 1. §. 4.: « Videtur eadem ratio esse de confessione et de baptismo differendo; quia utrumque est sacramentum necessitatis. Ad baptismum autem percipiendum non tenetur aliquis statim postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si baptismum differat, peccatum mortale incurrat. Sed potest contingere, quod in dilatione baptismi erit peccatum mortale, vel non erit et hoc pensandum est ex causa dilationis... Unde si causa dilationis baptismi peccatum mortale adnexum habet, utpote si propter contemptum vel aliquod huiusmodi, baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale; alias non et ideo idem videtur esse de confessione, quae non est maioris necessitatis quam baptismus. Et quia ea, quae sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere; ideo, si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam ».

Unde patet, ex s. Thoma adeo non teneri ad confessionem post peccatum, ut peccator teneatur tantum per se loquendo confiteri, si periculum mortis immineat.

678. S. Alphonsus tamen n. 663. probabiliorem putat sententiam aientem, saepius hominem per vitae tempus ad confessionem teneri; quod isti probare volunt ex praecepto ecclesiastico confessionis annuae, quasi Ecclesia tali praecepto explicaverit praeceptum divinum, non secus ac per praeceptum annuae communionis determinat frequentiam divino praecepto indeterminatam sumendi Eucharistiam.

Sed s. Thomas negat, praeceptum confessionis annuae aliunde oriri

ex mente Ecclesiae, quam ex necessitate praemittendi confessionem sumptioni Eucharistiae ex quo fit, ut ad confessionem non obligetur annuam, si quis sola peccata venialia afferat, ut dicemus. Ita s. Thomas, in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. §. 4.: « Ad confessionem actualiter faciendam obligatur aliquis... per accidens, scilicet quando ad aliquid tenetur, quod non potest sine peccato facere, nisi confessus; tunc enim confiteri tenetur: sicut si debeat eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale, nisi confessus, accedere debet, copia sacerdotis oblata et necessitate non urgente, et *inde venit obligatio*, qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum; quia instituit, ut semel in anno, scil. in Pascha omnes sacram communionem accipiant et ideo ante tempus illud confiteri tenentur ».

679. Veruntamen subdit Lugo disp. 15. n. 39.: « Extra mortis articulum videtur satis iuxta intentionem Christi et iuxta conditionem huius praecepti esse, quod Ecclesia invigilet et obliget subditos, ne diu differant ac negligant confessionem: ceterum *immediate* et *per se* non videtur praeceptum divinum aliquo determinato tempore obligare, nisi radicaliter, quatenus voluit obligare pro tempore ab Ecclesia determinando. Nec mirum, quia cum aliunde praeceptum sit praemittendi confessionem ad Eucharistiam sumendam, iam ex hoc capite obligantur fideles ad confessionem praecepto divino: nec oportebat aliam obligationem seorsim adiungere in ordine ad confessionem ».

Subdit tamen exceptiones duas ibid. n. 40.: « Dixi tamen *per se;* quia per accidens aliqui sunt casus, in quibus, secluso praecepto ecclesiastico, est obligatio confitendi. Primus est, quando sumenda est Eucharistia, ut constat ex Trident. sess. 13. cap. 7., quae tamen obligatio non extenditur ad alia sacramenta suscipienda vel conferenda; sufficit enim contritio. Secundus est, quando confessio est medium necessarium moraliter ad superandam tentationem aliquam, quae alias non superabitur. Tunc enim obligatio erit confitendi, sicut et ieiunandi vel orandi, positis iisdem circumstantiis » scil. necessitatis ad superandam tentationem. De qua necessitate sic postea idem Lugo ibid. n. 57.: « Denique addo, si quis specialiter magis iuvaretur frequenti confessione, quam frequenti poenitentia interna et proposito non peccandi, ita ut in hoc homine experientia doceret, ipsum non nisi hoc medio confessionis frequentis posse vitare illud certum periculum reincidentiae, tunc posse in illo admitti talem obligationem per accidens ad frequentem confessionem. Ceterum hic casus neque est communis, nec debent Confessarii de illo specialiter inquirere; semper tamen oportebit omnibus, quantum fieri possit, consulere confessionem frequentem propter ingentem utilitatem, quam affert et *aliquando* etiam debet in

poenitentiam imponi, tanquam medicina utilissima pro peccatis sequentibus vitandis ».

680. Atque heic locum habet gravis quaestio, an de facto fideles teneantur ad saepius confitendum *per annum* propter periculum morale, quod habeant peccandi mortaliter.

Cui quaestioni Lugo disp. 15. n. 46. sic respondet: « Non obligantur communiter homines Christiani ad confessionem frequentem sub peccato mortali, propter periculum illud incidendi in nova peccata, si diutius differant confessionem. Haec videtur esse iuxta mentem communem Theologorum, qui hucusque talem obligationem non agnoverunt, nec poenitentibus de illa scrupulum iniecerunt, nec in publicis concionibus proposuerunt populo tale praeceptum; quod argumentum negativum cum tanta universalitate videtur habere magnam vim; neque enim credibile est ignoratam fuisse per tot secula hanc obligationem, aut, si agnoscebatur, fuisse neglectam a doctissimis et sanctissimis viris, qui licet ad frequentem confessionem hortati fuerint auditores suos, nunquam tamen sub obligatione illam proposuerunt ».

Ita Lugo, qui dein argumenta alia sumit tum ex praecepto annuae confessionis, quod foret absurdum, si fideles ad frequentiorem confessionem tenerentur n. 47., tum quia Ecclesia nunquam in quolibet reprehendit, uti peccatum, usum confitendi semel in anno n. 48., tum quia confessio annua non praecipitur ab Ecclesia nisi iis, qui mortaliter peccaverunt, non aliis n. 49.

Verum non his tantum continetur solutio quaestionis. Nam ad excludendam necessitatem frequentioris confessionis pro iis etiam, qui mortaliter peccaverint, hoc quoque usurpatur argumentum (Lugo ibid. n. 52.): « Quia confessio frequens post peccatum ideo potissimum utilis est et conducit ad impedienda alia peccata sequentia, quia nimirum qui confitetur, dolet efficaciter de peccato praeterito et proponit serio ac statuit apud se, iterum non peccare: quod propositum ac poenitentia multum conducit ad non peccandum postea; quia non ita facile amplectimur illud, quod paulo ante valde displicuit et quod serio ac firmiter post maturam deliberationem statuimus non amplecti. Tota autem haec utilitas et efficacia potest haberi sine confessione sacramentali, si homo scilicet post primum peccatum mortale ante secundum habeat contritionem et doleat efficaciter de suo peccato ».

681. Quaeri ergo potest, an ad vitanda sequentia peccata teneantur fideles *infra annum* disiunctive aut ad Confessionem aut saltem ad contritionis actum eliciendum.

Et quidem s. Alph. n. 663. in fin. affirmativam tradit inquiens: « Tale praeceptum (scil. confitendi) per accidens obligat peccatorem

etiam infra annum ad confessionem, si non conteritur, ratione caritatis in seipsum, ne diu maneat in mortali » et remittit ad lib. 6. n. 437. dub. 1. ubi fusius suam mentem aperit.

Nam quaerens heic, an extra periculum mortis obliget unquam *praeceptum contritionis* et eius dilatio sit *speciale peccatum*, respondet: « Per accidens puto, nullo modo excusari a mortali, qui exsistens in mortali *per notabile tempus* differret poenitentiam. Tum quia peccaret contra praeceptum caritatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcumque obstringit iuxta dicta lib. 2. n. 8. Tum quia insuper peccaret contra caritatem erga seipsum, cum se exponeret periculo proximo novarum culparum, tentationibus succumbendo ».

Quaerens autem ibid., quodnam sit notabile tempus et allata sententia Concinae *de hebdomada* ac Roncaglia *de multis diebus*, tum eorum, qui dicunt, satisfieri huic praecepto per annuam confessionem, subdit (phrasi certe impedita): « Sed ego non omnino acquiesco; spatium enim satis notabile mihi videtur, ut quis per tantum temporis exsistens in mortali possit vitare periculum in alia relabendi ».

Magis autem determinate lib. 2. n. 8. explicat mentem suam, ubi loquens nimirum de praecepto caritatis, ait: « Cardenas *Cris.* 2. disp. 6. n. 18., cui adhaeret Croix lib. 2. n. 141., censet, non excusari a mortali, qui per mensem actum caritatis differt hancque sententiam omnino ego suadendam puto, cum difficulter homo possit diu mandata divina servare, nisi dilectionem erga Deum frequenter foveat ». Et infra: « Ergo saltem semel in mense tenemur elicere actum amoris erga Deum, sic etiam exercere actus caritatis saltem in mense ERGA PROXIMOS etc. » quae postrema pars *de proximis* cum nulli rationi, cui prima innititur, innitatur, non apparet qua veri vel minima specie obtrudatur.

682. Porro cum maxime intersit, ne obligationes novas easque graves facile admittamus, praestat inspicere, quantum doctrinis huiusmodi deferendum sit.

Et ut initium ducamus ab obligatione actus caritatis, nonnulli dixerunt habendum hunc actum saltem diebus festis: vid. Suar. *de Poenit.* disp. 15. sect. 6. n. 10.

At enim, 1° ex his pauci id asseruerunt absolute, sed aut dubitando, ut Scotus in 3. dist. 17. §. *Quantum ad secundum,* vel insinuando et hortando veluti ad tutius, uti Petrus Soto lect. 13.

2° Rationem huius assertionis petunt a necessitate sanctificandi diem festum, dirigendi opera ad finem ultimum, colendi Deum; quas s. Alph. profecto non admittit.

3° Doctrina haec est antiquata, quam unanimiter reiecerunt Do-

ctores omnes, excepto Concina apud s. Alph. lib. 2. n. 8.: et de qua Suarez, *de Poenit.* disp. 15. sect. 6. n. 11.: « Veruntamen haec sententia falsa est et sine fundamento ».

4° Ne ipse quidem s. Alphonsus ausus est eam amplecti, sed confugit ad *mensem;* unde et ipse ut falsam habuit.

Ista ergo doctrina, undecumque spectetur, ad praesentem nostram quaestionem nihil facit omnino.

Quod spectat autem *ad spatium mensis*, s. Alph. allegat Cardenas, cui adhaerere ait Croix.

At Cardenas l. c. ecce quid habeat: « Valde occultum et incertum est determinare istans fixum, in quo instet hoc praeceptum; solum enim dicimus violari praeceptum, cum multo tempore differtur dilectio Dei, iudicio prudentis, et mensis integer *videtur mihi* multum tempus ob summam huius praecepti dignitatem ».

Atqui 1° unicum hoc, *mihi videtur*, non est ratio ac fundamentum sufficiens statuendi novam gravem obligationem et quidem contra unanimem DD. consensum.

2° Ipse fatetur rem occultam esse et incertam ac proinde definiendam *iudicio prudentis;* verum, dein contra sensum DD. qui vel triennium vel annum adsignabant, ipse coarctat ad mensem. Ergone omnes prudentiae expertes fuerunt, quotquot ante ipsum vixerunt?

3° Sed quaenam est ratio novae definitionis? ob summam (inquit) *huius praecepti praestantiam;* quasi vero frequentia actuum ponendorum desumatur ex dignitate rei praeceptae. Cf. dicta de hac re Tr. 5. Vol. II. n. 141. seqq.

Quod vero Croix huic sententiae adhaereat, falsum est: Croix lib. 2. n. 141. hanc simul cum aliis sententiis refert. Sed relatis sententiis et praedicta necessitate ac obligatione frequenter diligendi Deum, sic concludit: « Cum in tanta sententiarum varietate nesciamus, quando et quoties diligendus sit Deus, arripiamus tutiora, tum ut sic assuescamus dilectioni Dei, tum ut certo satisfiat praecepto etc. ». Quae alioquin haud recta est syllogizandi ratio. Nam ex incerta obligatione in varietate sententiarum, Doctor concludere debet: ergo non imponamus pro arbitrio obligationes, praesertim graves. Sed ipse confugit ad paraeneses, quas a Doctore non exspectamus et addit ineptam rationem: *ut certo satisfiat praecepto:* quasi vero minus certe satisfaciat ille, qui incerta obligatione se ligari non credit!

683. Missa igitur incidenti quaestione de obligatione praecepti caritatis *in se spectati*, proprius accedamus ad quaestionem de contritione, aut de caritate quatenus necessaria sit ad vitanda peccata.

Et quidem si auctoritatem spectamus, s. Alph. lib. 6. n. 437. pro

sententia, quam dein sequitur, allegat Iuvenin, Antoine, Concina, Vitasse, Merbes: miseram hominum manum, quibus dicere licet: *Sero venistis*, neque tales ceteroquin estis queis credere quis teneatur.

Addit Alensem et Gabrielem apud Salmant. *de Poenit.* cap. 1. n. 46. Sed Salmantic. hos afferunt pro doctrina, quod quis *statim* post peccatum teneatur ad contritionem (merito an immerito allegentur, parum nunc interest), quam et Salmanticenses et s. Alphonsus ipse non recipiunt; unde allegatio horum non est ad rem.

Addit Roncaglia et Cardenas. Sed Cardenas *Cris.* 2. diss. 6. n. 48. 1° est inter eos, qui tenent, peccatorem *statim* teneri; quam sententiam s. Alph. respuit.

2° Idem disserte refutat rationes, quas s. Alph. pro sua doctrina affert et disserte hoc n. 48. statuit: « *Mea* (!) sententia habet duas partes: Prima est, neque ex lege poenitentiae neque ex lege iustitiae neque ex lege caritatis in Deum, esse obligationem adhibendi medium iustificationis statim post peccatum ». Contendit autem, inde hanc obligationem oriri, quia D. N. I. Christus in Evangelio praecepit omnibus hominibus, ut semper vigilent et sint parati pro exspectanda hora mortis; quia nesciunt diem neque horam ».

3° Cardenas fatetur n. 46. *communem esse sententiam Theologorum* (cur ergo se opponit?) *non statim* teneri etc.

684. Qua de re notandum, quod Croix lib. 2. n. 135. dum fatetur communem sententiam teneri a *s. Thoma et* ALIIS INNUMERIS praemittit tamen oppositam teneri a s. Bonav., s. Antonino, Caietano et aliis 15. gravissimis Auctoribus cum Cardenas. Sed Croix infeliciter supputationem fecit. Nam Cardenas solum 14. allegat, et in his sunt s. Antonin., Bonavent. et Caietanus, ergo non sunt quindecim praeter eos, sed erunt universi 15., comprehenso Cardenas. Praeterea ex his s. Bonaventura, fatente Cardenas diss. 6. n. 47., favet solum *ex parte* et nos dicemus, favet nihil; quia reipsa in 4. diss. 17. part. 2. artic. 1. q. 3. loquitur solum de *proposito confitendi*, non vero de contritione. Petrus vero Sotus (Lect. 13.) demum statuit « in multis huiusmodi controversiis melius esse, relinquere Deo iudicium »: quae significant, eum non ausum esse pronunciare; imo expresse addit, dilationem non esse *speciale peccatum* et praemittit id, « quod contra affertur, plausibilius esse, quod scil. *non parentur novi laquei conscientiis* ». Praeterea tres primi ex iis, nempe Argentina, Paludanus et Alensis, nihil habent, quod ad rem faciat. Ipsi enim quaerunt, an poenitens teneatur semper per totam vitam conteri de peccatis commissis et respondent affirmative quando recurrit memoria peccati; sed ita explicant, ut teneatur *negative*, idest ne rursus complaceat sibi de peccato. Quam

sententiam sic exponit Caietanus (v. *Contritio*): « Ex hoc autem, quod peccata memoriae occurrunt, sicut non tenetur tunc ad confitendum, ita nec ad conterendum. Utrumque enim est praeceptum affirmativum, obligans tempore necessitatis, quod non constituit memoria: sed tenetur semper *ad non approbandum, ad non complacendum;* quia ista sunt praecepta negativa, quae obligant semper et ad semper ». Denique Innocentius IV. (in cap. *Omnis* n. 4.) a Cardena allegatus, dicit « confiteri esse securius; quia non absolvetur a Deo, nisi prius absolvatur a presbytero », quae nihil ad rem faciunt.

Sex igitur alii supersunt, qui dixerunt *statim* obligari peccantem ad contritionem et quidem aliis permoti rationibus, quam s. Alphonsus permoveatur ad suam thesim; unde neque isti quidquam eius causae prosunt.

Superest igitur solus Roncaglia et nos, canones adhibendo theologicos, facile reponere possumus, unius Roncagliae auctoritatem contra universalem sententiam Doctorum non eam habere vim, ut lex omnibus incomperta ac gravis obligatio imponatur.

Illud etiam notatu dignum, quod s. Alphonsus sententiae Iuvenin, Concinae etc. oppositam sententiam dicat teneri a Navarro, Caietano et Durando apud Palaum et hanc a Palao dici probabilem: quasi vero isti soli contradicant manui illi rigoristarum, quando et Cardenas et Croix fatentur oppositam esse *communem* et ab INNUMERIS, duce s. Thoma, defendi. Et haec est sententia quam Palaus l. c. a s. Alph. *de Poenit.* disp. unic. punct. 3. n. 9. probabilem dicit nempe quae asserit, *nullam esse obligationem extra mortis articulum;* cui deinde opponit sententiam communiorem, nempe poenitentiam non posse differri (praescindendo a praecepto ecclesiastico) sine novo peccato post tres vel quatuor annos. Et n. 8. praecedenti dixerat: « Nihilominus *communior sententia*... hanc obligationem (statim poenitendi) tibi non imponit, ut patet ex communi praxi Ecclesiae, neminem obligantis fateri tempus poenitentiae dilatae ».

685. Quod vero attinet ad intrinsecam rationem a s. Alph. allatam n. 437. dub. 1., quod secus scilicet se exponeret periculo novarum culparum, ex qua ratione (in *Hom. Apostol.* tract. 16. cap. 2. n. 10.) explicite concludit, obligationem ad actum contritionis urgere saltem semel in mense; plura sunt animadvertenda.

Ac 1° quidem hac proposita quaestione ac ratione, certum est, doctores dissentire. Unde Sporer *de Poenit.* n. 186.: « *Respondent varii varie* ». Ergo vis huius rationis generatim non permovit Doctores. Et si verum est, quod et s. Alph. n. 473. innuit, s. Thomam putasse, huic praecepto satis ab eo fieri, qui satisfacit confessioni annuali; iam

Angelici auctoritas, cum de mera obbligatione agatur, satis nos tutos efficit.

Et certe Laymann *de Poenit.* cap. 2. n. 6. memorata quoque necessitate gratiae habitualis ad vitanda peccata, subdit tamen: « Ceterum postea quam Ecclesia annuam confessionem praecepit, ad quam actus poenitentiae saltem imperfectae necessario requiritur, si fideles nunc tale praeceptum impleant, eo ipso quoque divino poenitentiae praecepto satisfacere illos credendum est ».

At 2° istam necessitatem contritionis ad vitanda peccata negat Suarez *de Poenit.* disp. 15. sect. 6. n. 7.: « Duo (inquit) sunt observanda. Unum est, hunc casum, per se loquendo, non esse moralem (scil. *vix contingere*): quia ad vincendam quamcumque tentationem auxilium gratiae excitantis et adiuvantis sufficit et nullum est principium sufficiens, quo sibi homo persuadeat, non posse tale auxilium sufficiens vel efficax obtineri sine gratia habituali, aut semper negari ei, qui non conteritur. Praesertim quia supposita tali occasione peccandi, tunc habere contritionem est vincere illam; quia includit propositum non peccandi etiam in ea occasione: ergo contritio non est medium ad obtinendum auxilium necessarium ad illam victoriam; potius ipsa contritio est effectus talis auxilii et cum minori auxilio posset tentatio illa specialis superari per solam negationem consensus... Quod si occasio illa non consideretur tantum ut praesens et quasi momentanea, sed ut futura et perseveratura et status gratiae dicatur esse dispositio ad constanter resistendum, sic fateor, illam esse aptissimam dispositionem et moraliter aliquando censeri posse necessariam, si perseverantia seu continuatio occasionis et tentationis sit diuturna. Tamen quia hoc nunquam in praesens constare potest et in quolibet tempore signato possunt sperari sufficientia auxilia gratiae, etiamsi habitualis gratia desit; ideo vix credo, ad hunc finem posse iudicari hoc medium ita necessarium, ut inde oriatur obligatio. Dixi, *per se loquendo*, quia ex dictamine conscientiae *vel ignorantis* vel timidae id non repugnat ».

Quae postrema verba non rite certe intellexit Sporer *de Poenit.* n. 186. Scribit enim: « Suarez et Lugo rectius censent, id committendum esse prudenti iudicio Confessoris, spectatis circumstantiis personae, tentationum, occasionum et maxime, an adverterit aliquando ad hanc obligationem de peccato suo poenitendi Deoque se reconciliandi. Post hanc enim animadversam obligationem (salvo meliori iudicio) ego... condemnarem peccati novi impoenitentiae, qui ultra hebdomadam voluntarie et negligenter differret contritionem ».

Quae omnia plane abs re sunt 1° quia Suarez admittit obligationem solum *ex ignorantia* seu ex falsa conscientia: 2° quia adeo non re-

mittit obligationem iudicio Confessoris, ut neget obligationem inesse: 3° quia in hypothesi Suarez ineptum esset differre remedium ad hebdomadam: 4° denique quia si quando in hoc peccari contingeret, negant et Suarez et Lugo esse novum quoddam peccatum, uti videbimus.

686. Doctrinam Suarez limitare sic voluit Leander *de Poenit.* tract. 6. disp. 1. q. 41. inquiens: « Negat (contritionis necessitatem etc.) Suarez, quia existimat, contritionem non esse medium unicum et necessarium ad vincendam tentationem; cum possit vinci auxilio gratiae excitantis et adiuvantis absque efficientia dicti actus. Sed respondeo, teneri elicere actum contritionis, casu quo contritio sit medium omnino necessarium et unicum ad vitandum aliquod peccatum: secus si non esset medium omnino necessarium ». Et dein remittit ad Lugo ; sed haec nihil conficiunt et nisi probet, contritionem esse posse medium unicum, inutilia sunt quae Suarezio addere voluit.

Ceterum superius n. praec. vidimus Sporer affirmantem unam esse eandemque tum Suarez tum Lugo doctrinam et s. Alphonsus Lugo iis accenset n. 437. dub. 1., qui docent satisfieri huic praecepto per annuam confessionem, sicut et Salmanticenses, qui praeterea alios allegant *de Poenit.* cap. 1. n. 54.-56.

687. Verum non patet, utrum reipsa talis sit sententia Lugo: qui alioquin contra morem suum non ea perspicuitate hanc quaestionem versat, quam in libris eius miramur. Etenim.

Ad instantiam, quod qui diu differt confessionem, obligetur sub mortali ad habendam saepius, quam semel in anno, internam poenitentiam, dolorem scil. et propositum, propter vitandum periculum illud peccandi mortaliter, quod habent qui solum semel in animo agunt poenitentiam: « respondeo (inquit disp. 15. n. 54.), mihi probabilius esse quod praeceptum poenitentiae internae non obliget solum ad dolendum in articulo mortis, sed etiam ad dolendum antea »: quae quidem ut patet sunt nimis indefinita. Addit deinde ibid. n. 55., de peccato omissionis poenitentiae internae per totum annum non esse interrogandos poenitentes et inter alias rationes hanc adiungit, quod « propter varietatem sententiarum non possumus imponere illi (sc. poenitenti) certam obligationem »: quae quidem licet dicantur ibi de dilectione Dei, tamen referri ex mente doctoris etiam ad contritionem, patet tum ex rei natura, tum quia n. 56. loquitur expresse de obligatione contritionis velut de *re incerta*, dicens; « *licet concederetur, dari talem obligationem* »; et rursus: « *siqua erat (obligatio)* ».

Ex quibus concludi posset, Lugo non admisisse obligationem contritionis inter anni decursum.

Veruntamen alibi *de Poenit.* disp. 7. n. 237. dum probat necessi-

tatem poenitentiae « ex debito ordinandi propriam vitam et adhibendi quae necessaria sunt ad servanda legis praecepta et mores iuxta honestatis regulas componendos », iis utitur argumentis, quae cum dilatione illa annua non poterunt facile componi.

« Ad hoc enim, inquit, (scil. ad servandam legem etc.) necessarium *omnino* est retractare peccatum commissum; quia absque huiusmodi retractatione non potest homo diu servare praecepta occurrentia... quia haec est voluntatis natura, ut unusquisque operetur iuxta finem illum, quem amat et intendit nec possit diu diligere media difficilia ad finem alium, quem minus amat. Cum ergo per peccatum mortale anteposuerit amorem boni commutabilis dilectioni Dei et praeceptorum observantiae, fieri non potest, ut licet aliquem retineat adhuc affectum erga Deum et erga propriam salutem, ex hoc debili et infirmo affectu superare possit difficultates, quae in mandatis universis per longum tempus occurrentibus reperiuntur, nisi mutato animo praeferat salutem propriam et Deum ipsum efficaciter aliis rebus, quae est retractatio efficax peccati praeteriti ».

Et n. 238. argumento sumpto ab experientia in iis, qui ardenter honorem vel corporis voluptatem insectantur, qui data occasione voluptatis et honoris facile relabuntur propter vehementiam affectus..., concludit: « Qua igitur obligatione debet homo legis observantiam, debet etiam affectum suum in melius mutare praeferendo Deum et salutem animae suae rebus aliis omnibus; sine quo affectu et dispositione non continget, quod possit diu legem observare, superatis difficultatibus, quae plurimae et gravissimae occurrunt ».

Quoad temporis spatium autem, quo differre poenitentiam liceat, primo quidem ead. disp. 7. n. 239. generatim dicit, brevius esse ex debito servandi legem, quam ex debito reverentiae erga Deum (quoad debitum ex reverentia erga Deum Lugo putat ibid. n. 243., idem statuendum ac de dilatione actus caritatis, scil. violari praeceptum, si quis ad tres aut quatuor annos differat). Ratio est, inquit, propter maximam hominis propensionem ad operandum iuxta finem, ad quem magis afficitur et quem magis amat et propter multitudinem ac frequentiam difficultatum, quae occurrunt, quas diu superare non continget absque illa praelatione per efficacem affectum, quo homo rebus aliis praeferat divinae legis observantiam ».

Deinde vero concludit regulam generalem tradi non posse. Ita l. c. n. 241. ipse: « Infero, secundo, non posse aliter determinari tempus, quo obligat praeceptum poenitentiae ex hoc capite, nisi determinando tempus, quo necessaria est ad observanda alia praecepta occurrentia. Haec autem necessitas non habet certum et idem tempus in omnibus,

sed variatur iuxta diversitatem personarum, locorum, materiarum, tentationum. Alius enim propter graviora pericula, in quibus versatur et propter graviores tentationes, citius indigebit retractatione praeteriti ad resistendum praesenti tentationi; alius vero propter minora pericula et rariores peccandi occasiones, non ita cito indigebit; nec potest una et eadem regula pro omnibus determinari ».

688. Haec habet Lugo; quae tamen ad praxim nihil aut parum nihil conducunt.

Nam 1° quidem ipse Lugo ut sup. n. 680. affirmat, ob sententiarum varietatem non posse imponi hanc obligationem intra annum.

2° Ipse disp. 15. n. 52. non solum negat, medium unicum esse confessionem, sed idipsum dicit de contritione et docet sufficere attritionem, aut alia etiam media. « Quamvis enim, inquit, haec (scil. attritio) sine sacramento non sufficiat ad iustificationem, sufficit tamen ad coercendum hominem, ne iterum labatur in alia peccata; cum vera attritio includat verum propositum non peccandi, quod quidem eiusdem fere efficaciae erit ad vitandum periculum sequentis peccati. Nam experientia, quae ostendit, eos, qui differunt confessionem usque ad finem anni, frequenter peccare mortaliter, ostendit etiam, eosdem, omittere etiam dolorem et poenitentiam internam usque ad finem anni... Imo si homo adhiberet alia media, orationis scil. mentalis, mortificationis, lectionis librorum piorum et alia similia, non minus fortasse impediretur a novis peccatis per haec media, quam per confessionem (aut dolorem) absque iis mediis ».

Hinc concludit: « Si quid ergo probat illud argumentum contrariae sententiae, non probat obligationem confessionis (idem dicito de contritione), sed obligationem poenitentiae (alicuius) internae et propositi...; imo non probat obligationem ad hoc, sed ad hoc vel ad alia media ex assignatis, indifferenter et disiunctim; cum singula possent conducere, si applicarentur ».

689. Et ex his, quae posterius Lugo addidit, explicanda sunt ea, quae praemiserat disp. 7. de attritionis insufficientia, extra sacramentum, pro avertendo constanter affectu hominis a peccato. Hanc enim insufficientiam ex eo repetit, quia « si homo (ut inquit n. 223. et 245.) per attritionem efficaciter doleat de peccatis praeteritis et perseveret in hac poenitentia, non continget moraliter, ut non progrediatur ad procurandam etiam suam iustificationem per confessionem vel contritionem: quia scilicet homines solent operari iuxta finem, quem sibi efficaciter proponunt ».

Ast haec, ut patet, non probant insufficientiam; quod enim attritio impellat ad ulteriora, id potius evincit, eam tandem et habere vim ad excludendam semper voluntatem peccandi.

Addit Lugo ibid. n. 247. eum, qui vere et saepius habeat attritionem atque adeo voluntatem servandi praecepta, saltem accessurum esse ad confessionem, quando confessionis annuae praeceptum urget; secus non esset vera attritio.

Quod quidem ultro concedimus. Verum hoc pacto non erit questio de actu doloris saepius per annum eliciendo. Et reipsa Lugo hoc loco disputat, prouti disputari solet in Tractatu de Gratia, quem citat n. 221., an homo diu sine gratia habituali possit cavere a peccato et in hac quaestione illud *diu* latiorem habet terminum.

Praeterea licet ratio disputandi a Lugo adhibita eo tendere videatur ut generalem perfectae contritionis necessitatem inducat; tamen disp. 7. n. 242. obligationem dolendi restringit ad aliquem casum: « Diximus (inquit), exigi *aliquando* retractationem saltem implicitam peccati praeteriti ». Implicitam autem dicit eam, quae includitur in resistendo alicui tentationi.

Pari modo disp. 7. n. 240. exhibet poenitentiam et retractationem peccati ceu moraliter necessariam ad resistendum tentationi; alibi vero haec n. 222. exigit solum ceu modum *aptiorem* resistendi, vel disp. 15. n. 53. in fin. ut valde utilem.

Ad haec in suis argumentis (vid. sup. n. 687.) supponit Lugo hominem affectum ad peccatum et quasi animo adhaerentem ipsi, quasi perseveret in eiusdem peccati amore, a quo retrahendus sit per poenitentiam, quippe affectus ille ad nova peccata impellat.

Atqui, ut per se patet et ut ipse Lugo ibid. n. 199. 200. advertit, saepe contingit, non modo non perseverare affectum illum, sed animum ab eo, sive metu poenarum sive ob turpitudinem peccati, aversum esse.

690. Denique necessitatem hanc eliciendi contritionem ea argumenta impetunt, quae Lugo ponit adversus necessitatem frequentioris confessionis.

Ut enim inquit disp. 15. n. 51., confessio ista (dicemus nos, *contritio*) supponit hominem peccare mortaliter intra annum, scil. postquam iustificatus est. Non ergo obtinetur finis intentus, qui est, impedire periculum peccandi.

Praeterea, ut dicit n. 53. disp. 16., videmus homines, qui frequenter confitentur et passim relabuntur in eadem peccata: quod plerumque oritur ex infirmitate et fortasse ex defectu veri propositi non peccandi.

Demum sic ipse ratiocinatur idem Lugo disp. 15. n. 56.: « Vel poenitens tempore confessionis annuae habet verum dolorem ac propositum vel non habet. Si habet, ergo si post hoc propositum firmum postea relabitur, non magis poterit sperari, quod post secundum propositum et dolorem postea non relabetur. Si vero tunc non habet verum dolorem

et propositum, iam lapsus sequens non orietur ex omissione frequentis doloris et propositi, sed ex omissione doloris et propositi debiti in confessione annua. ». Ergo non est proponenda hominibus obligatio confitendi intra annum pro vitandis lapsibus: quae argumenta, ut advertimus, efficiunt, nec proponendam in eundem finem obligationem poenitentiae intra annum.

691. Verum quod doctrinam Lugo ostendit diversissimam esse a s. Alphonsi theoria, hoc est potissimum, quod s. Doctor contendit, omissionem hanc esse peccatum speciale contra caritatem; Lugo autem contendit hanc obligationem non differre ab obligatione servandi alia praecepta, quatenus videlicet eatenus solum teneor ad hunc actum, quatenus necessarium medium ipse est ad servandum aliud praeceptum.

Ita rem ipse explicat disp. 7. n. 242.: « Fateor, dari eiusmodi obligationem poenitendi ad servanda alia praecepta, quae occurrunt; verum illa obligatio ex hoc capite non videtur differre ab obligatione servandi eadem praecepta. Nam qui nunc v. gr. graviter tentatur ad furtum vel vindictam, potest servare illa praecepta diligendo Deum super omnia aut odio habendo peccata super omnia mala; si id non faciat, sed amplectatur furtum vel vindictam, peccat omittendo actum illum contrarium, ad quem obligabat ipsum praeceptum iustitiae vel caritatis erga proximum atque ideo sufficienter explicat suum peccatum, dicendo se commisisse furtum vel vindictam; nam ibi dicit implicite, se omisisse affectum erga honestatem contrariam, qui necessarius erat ad resistendum illi tentationi ».

Quae quidem mirum est afferri ad probandam necessitatem poenitentiae, cum aeque valeant quoad eum, qui habet *gratiam habitualem;* etenim hic quoque peccabit, quia omittit affectum erga honestatem contrariam. Quidquid sit, haec longissime absunt a theoria s. Alph.

Clarius forte Suarez *de Poenit.* disp. 16. sect. 6. n. 8.: « Advertendum est, illam necessitatem (quam vix dari dixerat, vid. sup. n. 685.) esse extrinsecam et oriri ex praecepto v. gr. castitatis, si tentatio sit illi contraria et sic de aliis et ideo tunc omissionem contritionis non speciale esse peccatum contra praeceptum poenitentiae, sed esse solum circumstantiam peccati contra castitatem, quod commissum fuit vel consentiendo tentationi, vel exponendo se periculo moraliter eius, omittendo medium, quod ad eum finem necessarium existimabatur ».

692. An melius mentem suam aperit Lugo disp. 7. n. 240., ubi tradit, necessitatem hanc poenitentiae non esse antecedentem, sed concomitantem aut consequentem?

Sic enim ait: « Infero primo hanc necessitatem violandi praecepta ex defectu diuturno poenitentiae, non esse necessitatem antecedentem,

qua ex illo defectu praecedenti homo non habeat vires sufficientes etiam moraliter ad servandum hoc praeceptum et non peccandum in hac occasione occurrente; sed esse necessitatem consequentem vel concomitantem, qualis est necessitas peccandi, si quis non vult observare praecepta. Nam in ipso actu primo proximo, antequam homo peccet, habet potentiam ad non peccandum, quatenus habet potentiam ut ex amore Dei vel desiderio salutis v. gr. velit observare illud praeceptum occurrens. Potest ergo in actu secundo amplecti illam partem et ex eo fine observare praeceptum; quo pacto implicite retractaret peccatum praeteritum et haberet poenitentiam implicitam. Si autem violat praeceptum, violat ex defectu poenitentiae concomitantis, hoc est ex defectu retractationis saltem implicitae, per quem poterat retractare implicite praeteritum peccatum et observare explicite speciale praeceptum tunc occurrens ».

Quae quidem vereor ne speciosa magis, quam solida videri queant. Quid enim est ista potentia ex amore Dei etc., vel quid ista retractatio etc., ut ex his adstruatur necessitas contritionis?

Eo vel magis, quod ea, quae mox redditurus rationem dictorum subdit, aperte referantur ad necessitatem antecedentem et ad defectum virium. Sic enim pergit; « Suppono enim, occurrere saepe aliqua praecepta, quorum observantia vel propter rei praeceptae difficultatem, vel quia invenit naturam iam lassam et defatigatam ex observatione plurium aliorum mandatorum, sit hic et nunc adeo difficilis, ut non possit homo moraliter loquendo superare illam difficultatem, nisi ex efficaci aliquo proposito non peccandi graviter vel ex efficaci affectu erga salutem vel erga Deum atque adeo in tantum est liber omnino et habet potentiam etiam moralem non peccandi hic et nunc, in quantum potest hic et nunc mutato animo convertere affectum suum in finem ultimum, a quo per peccatum mortale se per affectum averterat, ut hoc modo mutato affectu *facile* amplectatur media difficilia ad finem, quem sibi praefinit ».

693. Interim quoad praxim ipse Lugo disp. 15. n. 55. concludit, poenitentes neque interrogandos esse neque monendos de hac obligatione: « Dico tertio: de hoc peccato omissionis poenitentiae debitae per totum annum sive per se ex praecepto virtutis poenitentiae.., sive per accidens ad vitandum periculum novi peccati, non oportere interrogare poenitentem nec eum etiam admonere in particulari... Et probari potest exemplo praecepti diligendi Dei, de quo etiam non interrogantur poenitentes in particulari, an dilexerint Deum super omnia, nec admonentur de illa obligatione illius praecepti aliquando implendi; tum quia ex ipso *discursu confessionis satis apparet*, quomodo se habeat poeni-

tens erga Deum (sed falsum videtur; quia fieri potest, ut pluries poenitens post peccatum elicuerit actus dilectionis Dei aut contritionis et rursus tamen peccaverit): tum quia propter varietatem sententiarum *non possumus imponere illi certam obligationem* ». Et haec ratio satis esse debet.

Imo addit: « Talis interrogatio vel admonitio inutilis, imo noxia videtur. Nam vel poenitens ignorat invincibiliter illam obligationem et tunc melius est relinquere illum in bona fide, quam iniicere eum in malam fidem, ex qua prudenter timeri potest scandalum ipsius; rarissimi enim erunt ex talibus peccatoribus, qui propter illam notitiam postea moveantur ad dolendum de peccatis ante finem anni, sed potius ceteris peccatis illud etiam addent omittendi poenitentiam, quam deberent *(nego suppositum)* habere ».

694. Quin etiam addit Lugo disp. 15. n. 56., ne interrogandos quidem eos, qui nossent obligationem vel eam culpabiliter ignorarent. « Nam (inquit) licet concederetur dari talem obligationem, Confessarius tamen audita confessione poenitentis, ex peccatis, quae per totum annum commisit, sufficienter intelligit, ipsum non satisfecisse tali obligationi, *si qua erat,* dolendi frequenter de peccatis (iam advertimus, id non vere dici). Ex communi autem aliorum consuetudine potest iudicare, qualiter se habuerit hic homo in illa omissione... nempe absque reflexione circa talem obligationem... et cum negligentia et torpore circa media suae salutis procuranda, quae est conditio communis eiusmodi hominum et ex eorum statu et confessione clarissime patet sine alia interrogatione. Frustra ergo magis distincte interrogaretur vel admoneretur, praesertim in tali materia, *circa quam nec ipse Confessarius posset aliquid certi statuere circa taxandam obligationem pro tempore sequenti* ».

Et haec postrema est ratio potior, quae movere potest, ut Confessarius imo moneat poenitentem (si opus sit) obligationem eiusmodi exsistere nullam. Quam in rem bene scripserat etiam disp. 7. n. 236.: « Fideles de transgressione huius praecepti nunquam se accusant nec possunt; quia non sciunt, quando obliget, ut constat ex communi omnium praxi ».

Et haec omnia, quae Lugo satis implexe et haerendo saepe, saepe semet corrigendo aut dicta temperando aut etiam omnino retractando disputavit, satis esse debent, ut sciamus, quid in praxi tenendum. Cum enim obligatio prorsus incerta sit, inutiliter de ipsa disputatur et hortationibus quidem utendum erit cum poenitentibus, ut frequenti usu tum confessionis tum contritionis se muniant; sed quoad obligationem imponendam, retinenda sunt illa Lugo « *non possumus imponere* »

et si quando ex erronea conscientia id credant poenitentes, laqueus iste ipsis est subtrahendus, qui solum in ruinam ipsorum spiritualem cedat.

Posset heic addi quaestio, an sub mortali quis teneatur vitare venialia, ne labatur in mortale; de qua bene Lugo *de Poenit.* disp. 15. n. 49.-50. Sed iam de ea actum in tract. *de Peccatis* Vol. I. n. 693.

695. Quoad praeceptum ecclesiasticum annuae confessionis praeter tres modos computandi annum, quos Auctor innuit, alii excogitati sunt, qui tamen communiter reiiciuntur apud Lugo disp. 15. n. 154.-156.: Primus est a primo peccato mortali post confessionem: quod reiicitur; quia si homo peccavit post confessionem anni praeteriti et paulo ante finem quadragesimae, hic posset manere etiam fere toto anno sequenti absque confessione; quod est contra sensum et praxim fidelium.

Secundus est computare annum ab ultima confessione (qui modus cum primo Auctoris coincidit): quod rursus reiicitur 1°quia qui primo pervenit ad usum rationis non potest uti hac regula; 2° quia verba legis non sunt, ut confessio non differatur ultra annum, sed ut fiat semel in anno.

Tertius est, ut computetur a principio usus rationis uniuscuiusque; nam textus dicit, omnes fideles teneri hoc praecepto, cum primum ad usum rationis pervenerint. Reiicitur autem; quia est tempus valde incertum.

Quoad tres propositos ab Auctore, Lugo praefert secundum et aegre tertium admittit. Ratio, inquit n. 155., quia si hoc anno confiteatur prima die Maii, quae esset Dominica in Albis et anno sequenti eadem dominica esset die ultima Martii, aliquis contra mentem concilii teneretur bis confiteri intra undecim menses. Deinde quando aliquid praecipitur faciendum semel in mense aut hebdomada, sufficit, si fiat qualibet illius hebdomadis vel mensis die.

Si autem secundam amplectamur poterit quis, servato ecclesiastico praecepto, confiteri primis anni diebus, et differre dein usque ad ultimos dies sequentis anni; quod corollarium admittit Lugo n. 161. et advertit idem saepe fieri, cum quis primis horis huius diei recitat horas canonicas, et dein sequenti die differt ad ultimas horas.

Hac doctrina uti poterimus, ne reum violati praecepti habeamus eum, qui confessus in praecedenti tantum paschate, confessionem sequenti anno differt longe post pascha: imo si initio praecedentis anni confessus ad communionem paschalem non accessisset et hanc etiam presenti anno omitteret, reus non habebitur violationis huius praecepti si ante finem anni confiteatur.

696. Alias tamen habet conclusiones, quas facile non admittent alii et saltem videntur contra communem sensum.

1ª Si quis, inquit n. 162., per totum annum frequenter confiteatur solum venialia, quae habet et ultima die decembris peccet mortaliter, hoc praecepto obligabitur ad confitendum illa die ». Sed nemo sic hanc legem intelligit. Vult tamen Lugo n. 163. id proprium esse etiam sententiae, quae annum computat a paschate ad pascha. « Nam (inquit) licet aliquis saepius confessus sit venialia, si tamen in paschate haberet conscientiam peccati mortalis, deberet propter confessionis annuae praeceptum tunc confiteri, ut satisfaciat praecepto confitendi in anno omnia peccata mortalia, ut fatetur ipse Suarez disp. 36. n. 9. atque adeo si ultima die termini peccaret mortaliter, teneretur tunc confiteri, licet antea saepius confessus fuisset de venialibus, quia illo anno nondum impleverat praeceptum Christi de confessione mortalium ».

Sed haec quoque longe absunt a fidelium sensu; perinde ac vero melioris esset conditionis qui peccata mortalia prius confessus eodem anno est, quam qui solum venialia. Palaus tract. 23. disp. unic. punct. 20. §. 3. n. 3. pag. 177.: « Longe verius est, te non esse obligatum ex vi huius praecepti illud peccatum hoc anno fateri, quia praeceptum non est de confessione facienda eo anno omnium peccatorum, quae eo anno commiseris; id enim apertius explicari debebat: sed praeceptum fuit de confessione semel in anno facienda omnium peccatorum, quae ad validam et fructuosam confessionem fateri necessarium fuerit... Atque ita docent Victor..., Reginald..., Coninck..., Laym..., Bonacina probabile reputat... »

Ceterum cum cap. *Omnis utriusque* etc. dicit confitenda mortalia, non dicit confitenda eodem anno, quo sunt commissa, sed quae precesserunt confessioni, qua quis obedire intendit eius praecepto.

697. Plausibiliores sunt autem aliae resolutiones eiusdem Lugo.

1° Ita n. 165. cum sententia, quam dicit communem, docet, eum qui in annua confessione obliviscitur aliquod peccatum, non teneri ad illud hoc eodem anno confitendum. Ratio, quia praecedens confessio praecepto satisfecit.

2° Probabile dicit n. 157., non obligari hominem ad confitendum eodem anno peccatum, si quod in confessione omisit iusta de causa v. gr. ob detrimentum, quod timuit. Ratio quia confessionem hic fecit cum proprio sacerdote et peccata omnia dixit, quae occurrebant memoriae et dici tunc poterant: quod satis videtur ad praeceptum implendum. Multo vero magis negat n. 166. contra Sotum, hoc peccatum esse confitendum *quamprimum*.

3° Non idem dici debet de eo qui propter necessitatem confessus

sit alicui non habenti facultatem absolvendi a reservatis, quae ipse habeat. Ratio, quia hic non est confessus *proprio sacerdoti*, ut lex postulat. Nam proprius sacerdos ille est, qui habet potestatem ordinariam vel delegatam absolvendi poenitentem a *suis peccatis*. In illo autem casu solus Praelatus, habens hanc potestatem, est sacerdos eius proprius. Ita Lugo n. 168.: quod intelligendum videtur, multum differri non debere.

Unde resolves.

CLX. 1. Tenentur hoc praecepto 1. Haeretici et Apostatae, pueri doli capaces, saltem post septennium. V. Dian. p. 4. t. 3. r. 52. Lugo l. c. s. 7. n. 144. et 149. 2. Ingrediens periculosam navigationem, vel conflictum. 3. Mulier tenera primum paritura, vel quae solet habere partus difficiles. 4. Reus morti adiudicatus. 5. Qui signa habent mortis naturalis.

698. Dubitarunt quidam; quia lex loquitur *de fidelibus* et quia secus esset noxia.

Communiter tamen Doctores intelligunt, legem latam pro omnibus baptizatis et hos designant nomine fidelium, sicut inter infideles censentur non baptizati, licet credant.

Adde, quod Trid. sess. 14. cap. 5. dicit, facultatem relictam Ecclesiae absolvendi peccata omnia, *in quae fideles ceciderint:* nemo autem dubitare potest, confitenda peccata ab haereticis patrata. Ergo haeretici comprehenduntur inter *fideles*.

Quod vero quibusdam noxia ob eorum malitiam evadat, sibi imputent: leges enim bonum communitatis, non quorundam singularium respiciunt. Adde quod lex ista non oritur ex mera Ecclesiae voluntate, sed est determinatio praecepti divini, a quo haeretici non eximuntur ob suam obstinationem. Ita fuse Lugo disp. 15. n. 144.-148.

Quoad pueros doli capaces dicitur infr. ad Resolutionem secundam.

Aliis enumeratis ab Auctore s. Alphonsus addit eos, qui probabiliter credant, copiam Confessarii sibi amplius non futuram; de quo iam diximus sub Resp. Haec autem obligatio, ut patet, oritur potius ex praecepto divino, quam ecclesiastico.

CLXI. 2. Improbabile est, quod docet Sà verb. *Confessio,* Ecclesiam non obligare ante pubertatem: cum anni discretionis citius attingantur et constet mortaliter peccari posse sub annum nonum vel decimum, imo ante. Unde si talis puer, crasso saltem modo, videatur cognoscere, Deum per hoc vel illud offendi ostendatque dolorem et propositum ac praecipua fidei mysteria cognoscat, debet absolvi: secus tamen, si non notetur sufficiens usus rationis; si vero dubium sit, potest (imo in articulo mortis debet) absolvi sub conditione. Vid. Laym. lib. 5. t. 6. c. 5. Dian. p. 4. t. 4. r. 53. et Card. de Lugo l. c. et d. 17. n. 22. ubi docet etiam extra articulum mortis et obligationem praecepti, talem esse sub conditione absolvendum, ne gratia sacramentali privetur.

699. Quod Auctor dicit de Sà, quasi doceat, Ecclesiam non obligare ante pubertatem, id in Sà non invenio. Sà non de confessionis

obligatione, sed de poenis id dicit V. *Confessio* n. 3.: « Etsi communis opinio sit, teneri ad confessionem annuam, qui habet usum rationis, scil. cum pudet malefacti: tamen Ecclesia non videtur obligare ante pubertatem ad poenas non confitentibus impositas ».

Lugo verisimilius eandem falsam opinionem tribuit Dominico Soto. Sic enim hic parum sibi constans disserit in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. prop. fin.: « De verbo autem illo Decretalis, *postquam ad annos discretionis pervenerit*, nihil opus disputare. Haud enim designat certum tempus duodecim aut quatuordecim annorum, sicut ad contrahendum matrimonium, sed *cum primum puer fuerit* doli capax, sic scilicet, si inter bonum et malum discernere coeperit et prudentium iudicio mortaliter peccet... Verum est tamen, quod usque ad annum aetatis duodecimum ecclesia *per censuras* neminem ad confessionem cogeret; quia, licet noverit, ante etiam posse peccare (ut cap. *Pueris* 1 *de Delictis Pueror.* decernitur; nam a septem annis, ubi desinit infantia et incipit pueritia, peccare possunt); suis tamen PRAECEPTIS et CENSURIS non vult ante duodecimum vel quatuordecimum cogere, sed relinquit eos sub iure divino ». Quae postrema suadere possent, forte accipienda esse de coactione per censuras praecedentia, ita ut nulla sit incohaerentia.

Ceterum quoad sententiam Sà, communis et verior sententia, ut ait Lugo n. 151., negat, pueros poenis illis subiici; quia Ecclesia non solet regulariter talibus poenis (scil. excommunicationis) punire delicta puerorum ante duodecimum vel quartumdecimum annum. Et quando nihil dicitur, intelliguntur pueri excepti iuxta usum communem aliarum excommunicationum, licet in aliquo casu speciali possint illam incurrere, ut notavit Vasquez... de puero ingrediente septa monasterii monialium et dici communiter solet ob clerici percussionem.

700. Lex ecclesiastica obligat omnes, cum ad *usum discretionis pervenerint*. Porro inde infert A., sub annum nonum vel decimum obligari; quia tunc potest mortaliter peccare.

Sed haec non potest esse regula generalis. Nam adeo communis est regula, ad septennium advenire usum rationis, ut ea aetas (nisi de opposito constet) censeatur sufficiens ad contrahenda sponsalia; pro quibus tamen sollemne est, eam discretionem requiri, quae sufficiat ad peccatum mortale. Aetas ergo sufficiens ad pueros obligandos erit octo annorum, seu annus octavus.

Lugo hinc infert, quod si puer mortaliter primum peccet sub finem octavi anni, non possit differre confessionem ad annum sequentem. Quia (inquit n. 152.) annus obligationis non computatur a primo peccato mortali; sed a principio anni. Sed alii hoc negare poterunt; quia

principium anni iuxta kalendarium non est principium anni discretionis in puero. Sed inutiles sunt istae quaestiones; quia eas pueri ignorant.

Egregia sunt, quae addit Auctor de aptitudine puerorum ad recipiendam absolutionem et diligenter notanda, adversus praxim originis plane suspectae, quam bona fide quibusdam in locis servari novimus, ubi pueros duodennes aut etiam quatuordecim annos habentes sine absolutione dimittunt, quasi dispositionis incapaces.

Insipientissima est haec praxis. Quippe dispositio, qualem et A. describit, etiam in rudioribus facillima est. Alioquin animi puerorum non sunt irretiti pravis illis cupiditatibus et affectu ad quodpiam grave peccatum, unde solet profluere defectus dispositionis; imo statim et habitualiter malum aversantur.

Quando vero ratione aetatis tenellae aut peculiaris stupiditatis prudens aliqua suspicio sit non quidem animi in malo obfirmati, sed deficientis discretionis, ita ut neque crasso modo videantur certe capaces dispositionis, quam describit Auctor, tunc sub conditione absolvi debent certissime quidem in articulo mortis, sed haud cunctanter etiam extra articulum mortis.

701. Bene s. Alphonsus n. 432.: « Si urgeat periculum mortis vel praeceptum paschale, communissime dicunt Doctores... tales (scil. pueros ac semifatuos, de quorum dispositione dubitatur) esse absolvendos sub conditione, maxime si confessi sint aliquod dubium mortale, quo casu, ait Lugo disp. 17. n. 22., non videri de hoc dubitandum. Idque omnino puto dicendum etiam extra tempus morbi vel praecepti, ut verius dicunt Sporer, Mazzotta ac Laymann (qui ait saltem posse absolvi); in eo enim casu non solum adest iusta utilitatis causa, ne poenitens privetur gratia sacramentali, sed etiam necessitatis, ne ille forte maneat in mortali. In tantum enim alii, usu rationis praediti, non debent absolvi, cum dubitatur de ipsorum dispositione; quia adest via ac spes, quod, dilata absolutione, brevi illi dispositi redeant et absolvantur: sed quoad hos semifatuos et pueros nondum perfecte rationis compotes deest haec via et spes, quod brevi afferant certam hanc dispositionem. Imo non improbabiliter dicunt Sporer, Mazzotta, Gob., Diana, Schilder apud Croix n. 1797., posse sub conditione absolvi huiusmodi pueros, etiamsi afferant peccata tantum levia, ne diu priventur gratia sacramentali et ne maneant in mortali, si forte habeant ».

Brevius Lugo disp. 17. n. 22. « Infero quarto..., puerum etiam, de quo dubitatur an habeat usum rationis et qui confitetur aliquod veniale, absolvendum sub conditione et hoc non solum in articulo mortis sed etiam extra illum. Et quidem quando urget praeceptum Ecclesiae de confessione, non videtur dubium, quod sit absolvendus, si aliquod

mortale dubium confessus est, ne forte capax sit et non satisfaciat praecepto divino et ecclesiastico. Sed etiamsi peccatum veniale solum dixerit, videtur absolvendus; tum ne privetur gratia illa sacramentali, quam recipere posset, tum etiam quia fortasse habet aliquod mortale, quod ignorat et a quo per illam absolutionem posset indirecte iustificari ».

CLXII. 3. Non obligatur, qui tantum habet venialia, etsi consuetudo habeat et cogi etiam quisque possit, ut in Paschate saltem se sistat Pastori, ut cum reliquis eum ad communionem admittat, ad quod Pastor tenetur, si alter dicat, se mortalis culpae non esse conscium. Suarez d. 36. i. 12. etc. communiter.

702. De hac re sic Lugo disp. 15. n. 132.: « Verior sententia negat, teneri ex praecepto ad confessionem eos, qui sola habent venialia. *Haec est communis theologorum* ». Prob. 1°, quia praeceptum Ecclesiae in Cap. *Omnis* est de *confitendis omnibus* peccatis semel in anno ; ergo loquitur solum de *mortalibus*, certum est enim ex ipso Tridentino sess. 12. cap. 5., *venialia taceri citra culpam posse.*

2° Quia Ecclesia non praecepit rem non debitam ex Christi praecepto, sed solum imposuit ut confessio a Christo praecepta impleretur saltem semel in anno, ut habet Trid. sess. 14. cap. 3. Ergo praecepit solam confessionem mortalium; haec enim sola est a Christo praecepta. Et sic consentit s. Alph. n. 667.

Fatendum tamen est cum Lugo disp. 15. n. 133. de facto omnes confiteri; quia apud fideles mirum foret, quempiam inveniri, qui non confiteatur per totum annum nec peccet mortaliter: qui enim absque peccato mortali annum peragunt, solent frequentissime alia peccata leviora confiteri. Unde qui non confitetur, praesumitur id facere non propter defectum, sed propter excessum materiae.

Quod vero addit A., teneri in casu ad se sistendum pastori et reddere rationem, cur non confiteatur, hoc dicitur iuxta antiquae disciplinae morem, quando unusquisque aut pastori confitebatur aut licentiam petebat confitendi alteri. Nunc autem mos scitandi, an qui ad communionem accedant, confessi sint peccata sua, penitus obsolevit.

CLXIII. 4. Probabile est, eum, qui uno anno, sive cum sive sine culpa sua, non satisfecit praecepto, teneri adhuc, quam primum potest, anno sequente; quia terminus non apponitur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem. Ac proinde talem toties peccare mortaliter, quoties oblatam occasionem neglexit, ut docent Bon. d. 5. q. 5. s. 2. Suar. Vasq. Card. de Lugo l. c. n. 177. contra Silv. Valent. Laymann Dian. etc. qui dicunt perseverare in uno eodemque peccato.

703. Quando quis per totum annum non est confessus, fuerunt, qui dicerent, posse differri confessionem usque ad finem anni insequentis, sive culpabiliter sive inculpabiliter omiserit: perinde ac dici solet de

omisso breviario. Ita s. Antoninus, Silvester et alii apud Diana (apud Lugo disp. 15. n. 176.).

Verior tamen et communior sententia docet, confessionem faciendam esse *quamprimum*. Ita Lugo n. 177.

Id patet ex usu Ecclesiae, quae excommunicat non confitentes tempore debito nec tolli potest excommunicatio, nisi confiteantur.

Idipsum probatur ex Trident. aiente sess. 14. cap. 5., praecipi ab Ecclesia, ut confessio fiat *saltem semel in anno* ab omnibus etc.; quibus verbis constat, anni terminum positum fuisse, ut terminum exsecutionis, scil. ultra quem non differatur, non vero ut terminum, ultra quem non sit amplius obligatio.

S. Alphonsus n. 668. lectorem in brevi adnotatione remittit ad n. 297. ubi de Communione paschali, « ubi (inquit) sententiae affirmativae adhaesimus (nempe quod tenetur praeceptum implere quamprimum potest); etsi diximus sententiam negativam cum s. Antonino, Sà, Toleto etc. non esse contemnendam ».

Verum non videtur verum, quod dicit s. Alph. in eadem adnotatiuncula, scil. *pari passu procedere praeceptum tum confessionis tum communionis*. Nam ratio potissima, cur quidam negaverunt teneri ad communionem quamprimum eum, qui communionem paschalem omisit, haec est, quod scil. praeceptum illud affixum est tempori paschali, non secus ac obligatio audiendi Missam affixa est diei festo, aut ieiunium v. gr. feriis quatuor temporum. Vid. s. Alph. n. 297. et hanc esse ex s. Alph. rationem potiorem patet, quia ipsa s. Alph. n. 297. in fin. ait, huic paritati non solide responderi. Atqui haec ratio quoad confessionis praeceptum non valet; neque enim alligata est haec obligatio tempori paschali.

704. Heic vero alia succedit quaestio, num scil. qui, elapso toto anno absque confessione, confiteatur initio anni sequentis, debeat intra eundem annum iterum confiteri, an vero per eam confessionem satisfiat praecepto utriusque anni.

Tres sententias refert s. Alph. n. 669. Prima cum Lugo disp. 15. n. 180. dicit, sic utrique praecepto satisfieri. Ratio quia praeceptum est de confessione facienda semel in anno. Ergo qui confessus est, hoc eodem anno non amplius tenetur confiteri. Alioquin qui per tres annos omiserit, deberet, ad recompensandum, quater hoc anno confiteri.

Secunda cum Suarez dicit, una confessione non satisfieri praecepto duorum annorum, sicut unica solutione non satisfit tributo duorum annorum.

Tertia, quam s. Alph. veriorem dicit, docet, satisfieri unica confessione utrique praecepto, si in ea quis confiteatur mortalia utriusque

anni; negat satisfieri, si nullum mortale secundi anni confessus sit et deinde ante anni finem incidat in mortale.

De hac tamen quaestione illud dicendum, quemadmodum in simili diximus cum Lugo n. 702. nihil hanc quaestionem conferre ad praxim; quia in praxi cum debeant communionem paschalem sumere nec isti careant peccatis gravibus, necessario ad confessionem redibunt.

Ceterum valde subtiliter quidem doctores pro hac vel illa sententia ratiocinantur; sed fidelium sensus longissime abest ab his subtilitatibus. Atque adeo quisquis paulo post paschale tempus (nam modus computandi annum a paschate in praxi praevalet) confessus est, ne per somnium quidem cogitat, se, si tunc confiteatur, satisfacere pro futuro anno paschali.

Aliunde vero rationes s. Alphonsi pro obligatione confitendi, si quis non confessus sit mortalia utriusque anni, ex sensu fidelium ad meras subtilitates reducuntur, ut superius vidimus de eadem theoria supra n. 696. Cf. Vol. IV. 975. seqq.

CLXIV. 5. Satisfaciunt, ii, qui confitentur Mendicantibus, etiam in Paschate; quia hi habent facultatem a Sacerdote propriissimo omnium fidelium et Pastore Pastorum. Ita communiter omnes contra Glossatorem et Auctorem *Parochiani obedientis.* Contra quos vid. in Responsis Francisci Fontani, editis Viennae Austriae anno 1634. allegatam auctoritatem duorum Conciliorum generalium, Viennensis et Tridentini, 20. Pontificum, 50. Doctorum et praeter totius orbis consensum, multorum quoque Parochorum testantium, eos esse optimos Parochianos, qui Regulares adeunt et ab iis instituuntur: v. supra. l. 3. t. 3. c. 1. (Tr. VI. sect. 3.) dub. 4. Item Navar. Azor. Fagund. Trull. l. 3. c. 3. d. 2. n. 6. Dian. p. 8. t. 1. r. 88.

Nihil addendum et haec quaestio iam est antiquata.

CLXV. 6. Non obligatur ante finem anni, qui habens mortale timet, ne illud obliviscatur. Conin. Henr. Card. de Lugo d. 14. n. 41. et alii, contra Med. etc. Si tamen praevideret, se non habiturum occasionem confitendi deinceps toto hoc anno, deberet praevenire etiam in medio anni. Card. de Lugo disp. 15. s. 6. n. 182.

705. Voluere aliqui, adesse obligationem confitendi citius ob periculum oblivionis. Vid. Lugo disp. 15. n. 41. Contrariam tamen sententiam (inquit Lugo ib.) communiter docent Theologi, quos congerit Diana. Ratio, quia periculum hoc commune aut saltem frequentissimum est etiam in iis, qui semel in anno confitentur, nec tamen Ecclesia iubet confiteri saepius, quam semel in anno. Ceterum obligatio exigit, ut fideles confiteantur *quae memoriae occurrunt.*

Additur heic ab A. quaestio, an ille qui praevidet, opportunitatem sibi postea defuturam confitendi per totum annum, debeat pervenire.

« Respondetur (ait Lugo n. 182. disp. 15.) affirmative. Ratio, quia cum praeceptum sit universale pro toto anno, obligat ad confitendum in ea anni parte qua possum; sicut similia praecepta v. gr. audiendi

sacrum die dominico; debeo enim illud audire hora decima, quando sequentibus horis non potero ».

Hinc deducit Lugo ibid.. quando habeas peccata reservata, teneri te ad confitendum ea nunc Praelato vel alii habenti facultatem, si copiam similis Confessarii affuturam per annum non speras.

Nec valere potest comparatio cum communione Paschali, de quo vid. s. Alph. n. 298. Ratio enim, quam quidam afferunt ad eximendam obligationem praeveniendi, quia scil. obligatio illa alligatur quindenae paschali, ita ut non satisfaciat reipsa praecepto ille, qui praevenit, haec (inquam) ratio heic nihil valet; quippe confessionis obligatio illi tempori non alligatur. Frustra ergo s. Alph. 671. ad n. 298. remittit.

CLXVI. 7. Probabilius est, non satisfieri praecepto Ecclesiae per confessionem invalidam, ut docent Suarez d. 36. s. 7. Filliuc. Laym. Card. de Lugo d. 15. s. 6. §. 5. etsi probabile contrarium putet esse Fagund. Vide Dian. p. 3. t. 4. r. 120.* Improbabile tamen nunc est propter prop. 14, inter damnatas ab Alexandro VII. *Item nec per confessionem venialium, ut docet Dian. p. 4. t. 4. r. 206. ex Hurtad. et Mercero.

706. Auctor dixit *probabilius* non impleri, quia scripsit ante damnatam Prop. 14. ab Alex. VII., quae dicit: = Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae. = Nunc est proinde certum. Cf. dicta sect. praeced. Vol. IV. 975.

Quoad aliam partem, an satisfiat venialium confessione, paucis dicemus, utique non obligari, sed impleri praeceptum et theoriam Lugo sup. n. 1061. esse contra sensum fidelium. Unde frustra s. Alph. n. 672. remittit ad n. 669., ubi hanc Lugo theoriam attulerat.

CLXVII. 8. Excusantur ab hoc praecepto 1. qui physice non possunt, v. gr. quibus deest Confessarius. 2. qui moraliter non possunt, verbi gratia, qui prudenter timent revelationem sigilli, vel qui non possunt sine notabili incommodo vitae, fortunarum etc. Coninck, Tambur. c. 4. §. 3.

707. Nihil addendum.

Additur in fine ad testum A. Nota, scilicet.

De iure communi ex c. Omnis utriusque, duplex poena incurritur a transgredientibus hoc praeceptum, nempe prohibitio ab ingressu ecclesiae et privatio ecclesiasticae sepulturae: sed incurritur post sententiam iudicis. Et impuberes a praedicta poena excusantur.

Haec nota non est profecta a Busembaum: forte est s. Alphonsi apud quem (non apud Croix) comparet adnexa textui Busembaum. Et nihil est addendum.

APPENDIX.

DE SOLLICITATIONE.

708. Ideo de hac materia diligenter tractandum est, quia Confessario necessarium est nosse, quando poenitentem, quem reperiat sollicitatum, monere debeat de onere denuntiandi Confessarium sollicitantem. Nam crimen sollicitationis ad turpia in sacramentali confessione reddit sollicitantem suspectum de haeresi eique iniungitur abiuratio vel de vehementi vel de levi iuxta circumstantias (Pius IV. in Const. allegata a Gregorio XV. in Const. *Universi* §. 3.: « Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide catholica recte sentiunt, sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur aut illis iniuriam faciant etc... per praesentes... mandamus, quatenus contra omnes et singulos sacerdotes... de praemissis quomodolibet diffamatos... tam super praemissis quam super fide catholica et quid de ea sentiant, diligenter inquiras etc. ») atque adeo denuntiandus est non secus ac haereticus. Haec statuerunt Paulus IV. 16. April. 1661., Pius IV. 6. April. 1564., Clemens VIII. 3. Dec. 1592. et Paulus V. 1608. ac dein Gregorius XV. Const. *Universi dominici gregis* 30. August. 1622. ac novissime Benedictus XIV. Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1. Ianuar. 1741.

709. Prius afferre opus est Constitutiones Apostolicas, ut ex his decernamus, quando ista denunciandi obligatio urgeat.

Et in Constitutione quidem Pii IV. quae inserta legitur in Constitutione Gregorii XV., generatim tantummodo memoratur *sacerdos ad audiendas confessiones deputatus, qui sacramento poenitentiae, sollicitando poenitentes ad turpia, abutatur* §. 1. et infra §. 2. *memorantur sacerdotes, sive animarum curam habentes, sive alias ad audiendas Confessiones deputati, qui sacramento poenitentiae in actu audiendi confessiones abutantur... mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo et provocando, seu allicere et provocare tentando et procurando.*

Et quidem haec Constitutio lata fuit solum pro Regnis Hispaniarum neque in ea iniungitur onus denuntiandi, sed solum iubentur Inquisitores de hoc crimine inquirere et in reos animadvertere.

Gregorius XV. autem primo quidem ad universam Ecclesiam extendit legem, inquiens Const. *Universi* §. 5. « Igitur ut praedictae litterae (scil. Pii IV.) perpetuis futuris temporibus et *ubique locorum* inviolabiliter serventur..., praeinsertas litteras huiusmodi ac omnia ac singula in eis contenta, Auctoritate Apostolica... approbamus et confirmamus.... illasque non solum in praedictis Hispaniarum Regnis, sed

in quibusvis christiani Orbis partibus firmiter et inviolabiliter observari praecipimus et mandamus ».

Et Benedictus XIV. Constit. *Etsi Pastoralis* 26. Maii 1792. §. 9. n. 5. declaravit, Constitutiones editas contra sollicitantes in confessione in omnes et singulas nationes vim suam habere et latinos ex aequo ac graecos comprehendere. Vid. tamen, quae de schismaticorum locis etc. infra notantur.

Legem vero ipsam sic Gregorius XV. in Const. *Universi* declarat aut extendit §. 6.: « Decernimus et declaramus, quod omnes et singuli sacerdotes, tam seculares, quam quorumvis... ordinum... regulares, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti exsistant, qui personas, *quaecumque illae sint*, ad inhonesta sive *inter se* sive *cum aliis* quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive antea, vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiuntur seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint, in officio sanctissimae Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur ».

Praeceptum autem denunciandi huiusmodi criminis reos sic addit §. 7.: « Mandantes omnibus confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, *ut supra*, sollicitatos, moneant, de obligatione denunciandi sollicitantes seu, ut *praefertur*, tractantes, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis praedictis. Quod sic hoc officium praetermiserint vel poenitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum confessarios sollicitantes seu tractantes, *ut supra;* iidem locorum Ordinarii et Inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant ».

Ex his patet, poenam in confessarios non monentes esse ferendae sententiae, si quae imponantur.

710. Benedictus XIV. vero in cit. Constit. *Sacramentum Poenitentiae* Constitutionem Gregorii tum confirmat tum declarat aut etiam ampliat §. 1.; animadverti enim iubet « in sacerdotes omnes... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive *verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea le-*

gendam, tentaverint aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus *temerario ausu* habuerint etc. ».

Quoad onus autem denuntiandi, haec Benedictus XIV. addit §. 2.: « Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes... teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, *ut supra*, sollicitatos, sedulo monere iuxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi Inquisitoribus sive locorum Ordinariis praedictis personam, quae sollicitationem commiserit, *etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam affluxerit, aut sollicitatio a confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.* Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab aliis sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint *competenti iudici*, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant ».

Praeterea idem Benedictus XIV. in cit. Const. §. 1. Apostolica auctoritate approbavit et confirmavit tum decreta, quae successivis temporibus ad litterarum Gregorii XV. interpretationem et declarationem plura subinde data sunt a Congregatione Cardinalium adversus haereticam pravitatem Inquisitorum (ac simul omnia numero sexdecim prodiere sub die 11. Febr. 1661.) tum etiam damnationem propositionum sub n. 6. et 7. inter damnatas ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665.

Quae quidem decreta refert Albitius in op. *de Inconstantia in fide* part. 1. cap. 35. n. 66.; et exinde ea transscripsit Giraldi *Iur. Pontif.* part. 1. lib. 5. tit. VII. pag. 630.-631. et novissime Scavini *de Poenit.* cap. 4. artic. 4.; et nos subinde referemus ad singulas quaestiones. Hoc enim nunc superest, ut ex praemissis statuamus enucleatius, quando ista obligatio denunciandi urgeat (a).

(a) Decreta s. U. I. 11. Febr. 1661. haec sunt. 1° An sit denuntiandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat. *Domini qualificatores censuerunt, esse denuntiandum et negativam opinionem non esse probabilem.*

2° An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii et sit denuntiandus? *Censuerunt incidere et confessarium esse denuntiandum, reiecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

3° An confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus?

711. Et in primis quoad personas denuntiandas, comprehenduntur.

1° Confessarii omnes, sive curam habeant animarum, sive confessiones audiant ex iurisdictione tantum delegata. Ita expresse in Const. Pii IV.

Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae et, si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum et opinionem contrariam non esse probabilem.

4° An confessarius, qui feminam in confessionario dicentem, se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a confessione dissuadet, sit denuntiandus? *Si sollicitatio fiat extra locum confessionis et absque praetextu confessionis, censuerunt, negativam opinionem esse probabilem: secus si in confessionario seu in loco confessionis.*

5° An sacerdos carens iurisdictione, si sollicitat in confessione] poenitentem, sit denuntiandus? *Censuerunt, esse denuntiandum et opinionem negativam non esse probabilem.*

6° An interpres, si sollicitat in confessione poenitentem, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate;* habita scilicet ratione solius Bullae Pontificiae, non iuris naturae.

7° An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus. *Censuerunt, opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

8° An quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus. *Affirmative responderunt et opinionem negativam non esse probabilem.*

9° An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consenserit, sit denuntiandus? *Censuerunt esse denuntiandum et negativam opinionem non esse probabilem.*

10° An confessarius incidat in poenas constitutionis Apostolicae contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis sacramentis, scilicet baptismi, matrimonii et sit denuntiandus et denuntiatus possit ab Inquisitoribus puniri? *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

11° An confessarius, qui sollicitat poenitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

12° An confessarius si laudet poenitentem de pulcritudine et venustate, dicatur illam sollicitare et ideo sit denuntiandus? *Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem.*

13° An sit denuntiandus confessarius, si propter sollicitationem alterius abiuravit? *Censuerunt, opinionem negativam non esse probabilem et ideo denuntiandum: quod etiam fuit resolutum die 26. Iulii 1628.*

14° An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? *Censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.*

15° An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem? *Censuerunt, opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

16° An denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse? *Idem responderunt, quod ad* 12m.

Anno autem 1867. 20. Febr. prodiit a. s. C. U. I. Instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos etc. circa observantiam constitutionis Benedicti XIV. quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae.*

Ex ea afferemus quaedam capita doctrinae huc potissimum facientia.

1° « Personae sive mares sive feminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in confessione vel occasione aut praetextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata Constitutione praecipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent ».

2° « Denuntiare oportet quemcumque sacerdotem, etiam iurisdictione carentem sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem: quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti ». Cf. 2m inter praecedentia decreta.

3° « Huiusmodi denuntiationes a nemine absque culpa letali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat ».

2º Comprehenditur etiam sacerdos, qui iurisdictione ad valide absolvendum careat. Ita expresse in Constit. Benedicti XIV. Et accedit decretum s. Officii sub n. 5. Namque ad quaestionem. « An sacerdos carens iurisdictione, si sollicitet in confessione poenitentem, sit denunciandus ». Censuerunt, esse denunciandum et opinionem negativam non esse probabilem.

712. Quaestio fit, an denuntiandi sint Episcopi sollicitantes.

Et alii Doctores quidem negant, quia Episcopus etiam in crimine haeresis formalis ex iure non subiicitur Inquisitoribus: sollicitans vero iubetur denuntiari quasi suspectus de haeresi (Const. Pii IV. sup. n. 1085.) et in Trid. sess. 24. cap. 5. statutum est, quod « causae graviores et criminales, etiam haeresis, tantum a Romano Pontifice cognoscuntur et terminantur ». Maiores autem causae censentur causae Episcoporum.

Alii vero, quorum sententiam s. Alph. n. 685. dicit *meliorem*, affirmant, dicentes, denunciationem faciendam esse Romano Pontifici, si commode fieri possit; secus faciendam Inquisitoribus; qui licet non possint punire, nec processum formare quoad Episcopos, possunt tamen excipere informationem dein transmittendam Romano Pontifici, ut colligitur ex Extrav. *Cum Matthaeus, de Haeretic.* ubi sic praescribitur procedendum contra nuntios et officiales Sedi Apostolicae immediate subiectos.

Verum reponi potest, perperam desumi argumentum ex cap. *Cum Matthaeus*, tum quia isti officiales denunciari possunt ex vi clausulae Gregorii XV. *quocumque privilegio et praeeminentia munito* » sup. n. 709. quae clausula limitatoria dici potest immunitatis ipsorum: tum quia causae istorum officialium non censentur inter *maiores*, quae ex iure communi reservantur Pontifici, unde non tenet paritas; tum quia cum agitur de infligendis poenis non valent argumenta a pari.

Aliunde vero in Const. Benedicti XIV. denunciatio praecipitur, quae fiat *iudici competenti* sup. n. 710.; inquisitores autem tales non sunt. Imo praecipitur denuntiatio facienda Ordinariis et Inquisitoribus, sacerdotum scilicet delinquentium, cuiuscumque sint dignitatis et praeeminentiae. Ergo soli intelliguntur inferiores Episcopis, quia hi non sunt

---

4° « Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri ».

5° « Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi: qui vero ob iustam causam denuntiationem differre debent eamque, quo citius potuerint, faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi ».

6° « Denuntiationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denuntiationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat etc. » — E.

Ordinariis et Inquisitoribus denunciandi. Praeterea in denuntiatos iubentur Inquisitores et Ordinarii animadvertere; atqui non possunt hi in Episcopos etc. Et cum agatur de lege positiva et nihil in ea dicatur neque de denunciandis *Episcopis,* neque de denunciationibus faciendis *Romano Pontifici*, nescio, cur ista obligatio, nulla id iubente lege, imponatur (a).

Licita tamen erit denunciatio Inquisitoribus facta. At aliud est fieri licite, aliud est constitutionibus Pontificiis id iuberi.

713. Quatuor adhuc quoad personam denuntiandam motae fuerunt quaestiones. 1° An denunciandus poenitens, qui sollicitet confessarium: 2° an interpres ad confessionem adhibitus, qui sollicitet poenitentem: 3° an laicus, qui fingat se confessarium et in audienda confessione sollicitet poenitentem: 4° an mandans confessario, ut in confessione sollicitet.

Et quoad 1^{m} communis est sententia contra paucos, poenitentem denunciari non oportere. Ratio patet, quia nulla id lege cavetur: neque leges poenales transferri debent a casu ad casum, scil. a confessario ad poenitentem. Ita et s. Alph. n. 683.

Quoad 2^{m} s. Alphonsus n. 690., postquam dixit, *communissimam* esse sententiam contra paucos, nullam esse obligationem denunciandi interpretem; subdit tamen, denuntiandum esse interpretem ob edictum s. Officii, quod praecipit denuntiandos omnes, qui abutantur sacramento poenitentiae, adhibentes confessionem et confessionale ad fines inhonestos et ad *sollicitandum* POENITENTES etc. Verum nihil reipsa haec evincunt; quippe edictum illud, prouti ab ipso s. Alph. refertur n. 680., haec se praecipere dicit *secundum Apostolica decreta.* Atqui haec decreta solum loquuntur de sacerdotibus excipientibus confessionem. Ergo. Praeterea si ipse s. Alph. n. 688. vi decretorum contra sollicitantes concedit, non denunciandum esse laicum, qui fingens se confessarium sollicitet, a fortiori id debet dici de interprete. His accedit decretum s. Officii (sub n. 6. apud Albitium et Giraldi ll. cc.), namque ad quaestionem. « An interpres si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus », censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.

Quoad 3^{m}, communis est sententia, quae negat, laicos aut etiam

---

(a) In Instructione tamen s. C. U. I. anni 1867., quam dedimus in nota sub. n. 710., dicitur deferendum crimen ad s. Sedem vel ad Ordinarium loci (mentio Inquisitorum, qui fere nusquam sunt, omissa est). Satis ergo nunc indicatum videtur tribunal, ad quod et Episcopi vocari possint. Verum illud tenendum est, huiusmodi Instructiones non novas leges condere, sed legem h. e. Pontificias Constitutiones declarare et idcirco ita esse instructiones accipiendas, ut nihil vere novi per eas constituatur. — E.

clericos ratione sollicitationis esse denuntiandos. Ratio, quia tum in Constitutionibus Pontificiis, tum in decretis s. Officii nihil de his denuntiandis statuitur. Cumque ex Iuris effato *Odia sint restringenda*, patet, non subiiciendos esse poenis, qui in lege non designantur. Si tamen laicus aut clericus (nondum ordinatus sacerdos) confessionem audiret, citra sollicitationis casum denuntiandus foret ob aliud s. Inquisitionis decretum, ex quo etiam merito deducit s. Alph. n. 648., ad eum denunciandum non requiri ut absolutionem impertiverit.

Quoad 4° vero habes resolutionem s. Officii apud Albitium et Giraldi ll. cc. n. 7. Nam ad quaestionem « An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denunciandus; censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate ».

714. Nunc inspiciendum, quandonam abuti dicatur sacramento poenitentiae ille sacerdos, qui ad inhonesta sollicitat.

Et quidem advertendum, quod in Constitutionibus Pontificiis sermo est tantum de abusu *sacramenti poenitentiae*. Hinc concluditur cum communi DD., ut ait et s. Alph., n. 684. in fin. non esse obligationem denunciandi sacerdotem, qui ad sollicitandum abutatur aliis sacramentis administrandis.

Et confirmatur id ex decreto s. Officii sub n. 10. inter allata ab Albitio et Giraldi ll. cc. Namque ad quaestionem « An Confessarius, incidat in poenas constitutionis Apostolicae contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis sacramentis, scil. baptismi, matrimonii, sit denunciandus et denunciatus possit ab inquisitoribus puniri : Quoad utrumque articulum censuerunt, opinionem negativam esse probabilem ».

Constringenda igitur res est ad abusum Sacramenti poenitentiae. Et quidem si spectes Constitutionem Pii IV. sup. n. 1085., sermo est de hoc abusu tantum *in actu audiendi confessiones*, videlicet inter audiendam confessionem. Veruntamen Gregorius XV. et Benedictus XIV. uberius id explicarunt et abusum huius sacramenti latius protendi declararunt. Et singulae quidem voces diligenter sunt perpendendae.

715. Ergo 1° adest ex declarationibus Pontificiis hic abusus, si sollicitatio fiat *immediate ante confessionem* (a).

(a) In Commentario Const. *Apostolicae Sedis* cl. Pennacchi App. 37. pag. 874. miratur, s. Alphonsum aliosque praeclarissimos Commentatores Bullae Benedictinae, cum hanc clausulam recensent, ita eam efferre, ut voculam *immediate* praeponant dictioni *ante confessionem;* cum non ita se habeat in Const. Benedicti XIV. ubi dicitur: *vel ante vel immediate post confessionem,* ut τὸ *immediate* spectet solum ad alterum membrum, et quamvis, ut idem Auctor advertit, huiusmodi lectionis ratio peti possit a Const. Gregorii XV. qui τὸ *immediate* in fine collocat: *sine antea vel post immediate,* ut idcirco ad utrumque referri valeat: tamen Benedictus XIV. omnem sustulit ambiguitatem, cum, declarans legem praecedentem, τὸ *immediate* solum coniunxit cum τῷ *post.*

Utique oportet huius usitatae apud Theologos scriptionis rationem reddere: sed obvia

Qua clausula aditus praeclusus est contendentibus et obiicientibus, sollicitationem non fuisse factam in actu confessionis seu inter confessionem sed factam esse extra confessionem, quia haec inchoata nondum fuerat.

Confessio porro inchoatur cum poenitens incipit peccata sua exponere vel quid aliud, quod ad statum suum pertinet, v. gr. tempus, quo ultimam confessionem peregit vel etiam cum formulam confessionis generalis (Confiteor) recitat vel etiam cum se crucis signo munit aut sacerdos consuetam precem recitat *Dominus sit in corde tuo etc.*

Itaque etiamsi haec omnia sollicitatio praevenerit, confessarius denuntiandus decernitur.

Sunt autem, qui huc revocent casum, cum confessarius sollicitat immediate postquam poenitens petierit confessionem, v. gr. si poenitens pro confessione sacerdotem interpellet dum sedet vel transit per ecclesiam aut sacristiam etc. Sed s. Alphonsus n. 677. dum consentit esse denunciandum, simul advertit, hoc non tam ex hac clausula profluere, quam ex alia *occasione confessionis*, de qua infra et merito; nam revera haec sollicitatio fit *extra confessionem;* de quo casu infra tractant Constitutiones Apostolicae. Cf. de hac re infra n. 717. s. Alph. n. 677. huc revocat, si confessarius mulierem, dum vel ad deosculandum manum prius accedit, vel cum stat, sive genuflexa sive assidens ad confessionale ut confiteatur, pedibus aut manibus tangat inhoneste etc. Sed vide infra.

716. Altera clausula *immediate post,* occursum fuit effugio contendentium, se a poenis immunes esse, quod non in confessionis actu, sed post confessionem deliquissent. Et cum confessio compleatur *fere* actu absolvendi, exinde si post datam absolutionem sollicitassent, eximi se a poenis putabant. Hac ergo clausula declaratur, hoc nihil obstare, quominus dicantur abusi sacramento ad sollicitandum, atque adeo sint denuntiandi.

Ceterum s. Alph. n. 677. notat, hanc clausulam a DD. communiter intelligi, « quando post confessionem nec confessarius nec poenitens ad alia se divertit, ita ut eveniat sollicitatio antequam ulla alia actio intervenerit ».

Hinc, consentiente s. Alph. n. 677., denuntiandus est confessarius,

---

est, puto. Postulatur enim 1° a Const. Gregorii XV., quae nullo pacto limitata est a Benedicto XIV.: ibi autem adverbium in fine positum totam propositionem modificat. Tum postulatur 2° ab ipsa rei, qua de agitur, natura. Si enim τὸ *ante* absque illa modificatione accipis, nimis indefinita est locutio; nam horas et dies et menses complectitur. Unde confirmatur interpretatio adhibita locutioni Gregorii, quae, cum per se vim habeat et sit clarior, non est, cur exigatur ad formam verborum Benedicti XIV. — E.

qui statim post confessionem absolutum poenitentem sub quovis praetextu ducat in cubiculum, eumque ibi sollicitet. Item communius huc refertur casus (vid. Girald. l. c. pag. 637. 1ª a.), quando poenitentem abeuntem confessarius sequatur eumque vel itinere vel domi sollicitet. Is enim, iuxta commune iudicium, statim post confessionem diceretur sollicitare; quia cum primum potuit, praeconceptum in confessione sollicitandi propositum exsecutus est. Verum alii commodius hunc casum referre malunt ad clausulam, *occasione confessionis.*

Melius s. Alph. n. 677. huc refert casum, quando audita foeminae confessione, dum haec ad manum deosculandam accedit, confessarius illam aut tactu aut alio modo sollicitet (quae osculationes melius omittuntur).

Illud notandum cum Giraldi (l. c. pag. 637. 1ª d.). « ex praxi tribunalis s. Officii non censeri confessarium sollicitasse *immediate post*, si cum poenitente inhonestos tractatus aut actus habuerit post integrum diem transactum, dummodo nullo modo in confessione pravum suum animum indicaverit; cum tunc verificari non videatur illa particula, *immediate post* ». Quae tamen non officiunt, quominus confessarius huiusmodi vi alterius clausulae sit denuntiandus.

717. Succedit ergo tertia clausula, quae praecedentibus multo est latior ac simul cum iis multos casus comprehendit, nempe *occasione vel praetextu confessionis;* quos casus ex mente DD. recensebimus.

Et formulam quidem sic s. Alphonsus n. 678. explicat: « Dicitur *occasione confessionis*, quando confessarius vel poenitens invitat ad confessionem veram: *praetextu* vero, quando ad confessionem fictam confessarius vel poenitens invitat (a). » Verum utrumque membrum latius patere, ex ipso s. Alphonso infra apparebit.

Interim s. Alph. l. c. deducit, denunciandum confessarium esse, qui rogatus ad confessionem, divertit et sollicitat, *esto nondum sederit* nec mulier fuerit genuflexa (b). Ita *communiter*, ait, Salmant. cum aliis. Sed vide heic in fin.

(a) Scilicet sub specie confessionis, quae obtenditur, munit sibi viam confessarius ad sollicitandum. Hic praetextus (ait D'Annibale in Const. A. S. n. 181) non habet locum, si non ipse sed poenitens confessionem praetexuit, vel ipse quidem, sed ut alium (non poenitentem) deciperet, vel uterque ex condicto, ut alios fallerent. — E.

(b) Advertunt alii, deductionem hanc difficultate non carere; quia hoc in casu, si confessio *de praesenti* neque immediate sequatur ut unum quid moraliter faciat cum petitione neque sequi debeat, confessarius videtur potius sollicitare *occasione petitionis confessionis*, quam *occasione confessionis:* quae animadversio recta mihi videtur. Atque huc refertur quod habet Pignatelli *Cons. can.* tom. 1. *consult.* 104. n. 14. « Non proceditur in s. Officio contra confessarium, qui, *extra locum et occasionem confessionis*, dicit mulieri *sibi confiteri volenti*, ut adeat domum suam et adeuntem carnaliter cognoscit ». Cf. et responsum s. Offic. relatum sub n. praes. et conclusionem tandem Ball. in fine huius eiusdem n. — E.

Dein ibid. addit, se subscribere sententiae affirmantium, denunciandum itidem confessarium, qui rogatus a femina, ut cras eius confessionem excipiat, eam sollicitat; ratio, inquit, quia sollicitatio merito dicitur facta *occasione confessionis.*

Verum haec resolutio limitanda est iuxta decretum s. Officii (sub n. 4. apud Albitium et Giraldi ll. cc.): Ad quaestionem enim, « An Confessarius, qui feminae in confessionario dicenti se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat et confessionem dissuadet, sit denunciandus: si sollicitatio fiat extra locum confessionis et absque praetextu confessionis, censuerunt, negativam opinionem esse probabilem; secus, si fiat in confessionario seu in loco confessionis ».

Ergo non generatim quoties confessarius sollicitet, dum ab ipso petitur confessio in crastinum, sed solum quando id fiat in confessionario, vel si sollicitatio fiat *praetextu confessionis.* Quae quidem postrema particula quemnam exacte sensum habeat, non est satis perspicuum. Nam referri videtur ad sollicitationem factam extra locum confessionis nec facile est determinare, quid sit sollicitatio praetextu confessionis extra locum confessionis. Praetextus heic innuitur adhibitus a confessario. Duo nunc occurrunt, nempe vel tunc cum requiritur de confessione, confessarius fingit se velle de confessione et conscientiae negotiis agere et sollicitationem subinfert: vel indicat locum, quo mulier se conferat, ad quaerendum eum pro confessione etc. v. gr. ad sacristiam, aut domum etc.

Utrum autem vi huius declarationis s. Officii nutet praecedens resolutio (de qua etiam sup. n. 715. in fin.), quando scil. de confessione non tantum *in crastinum*, sed et *in praesens* sacerdos rogatur extra locum confessionis, viderint prudentiores: at neganda nobis videtur obligatio denuntiationis; nam, sive in crastinum sive in praesens petatur confessio, sollicitatio erit occasione petitionis confessionis, non occasione confessionis. Quod vero ex Roncaglia refert s. Alph., vi eiusdem clausulae (occasione confessionis) denuntiandum esse sacerdotem, qui mulierem sollicitat, promittens, se eius confessionem auditurum, plane abs re esse videtur.

718. Alium casum huc Doctores revocant, quando nempe confessarius utatur notitia confessionis, ut poenitentem postea sollicitet; cum nempe noscens ex confessione poenitentis vel fragilitatem ac proclivitatem in malum, aut quid egerit quidve agere cum aliis optaverit, aut necessitates in quibus versetur, occasionem postea inde sumit sollicitandi. Ratio, quia cum ansa et impulsus ad sollicitandum a confessione profluat, satis vere dicitur (ut ait s. Alphonsus n. 678. dub. 2.),

quod sollicitatio fiat *occasione confessionis* et ex ipsa confessione sollicitandi occasionem sumptam esse (a).

Ut tamen poenitens teneatur ob hanc causam denuntiare confessarium, opus est, ut certa iudicia habeat, sollicitandi ansam reipsa inde sumptam fuisse. Si enim eiusmodi desint indicia, deest ratio affirmandi, non aliis causis ad sollicitandum permotum fuisse.

Indicia vero satis adsunt, si confessarius poenitentem sollicitat veluti personam, quae facile acquiescere soleat, vel natura ad haec sit proclivis et si generalibus verbis aut nutibus in sollicitando utatur, quibus iudicare videatur, se scire, quid cum aliis egerit vel quam propensa ad haec alias fuerit aut quidpiam huiusmodi, quod ex confessione noverit, qua quidem in re habebitur etiam peccatum contra sigillum confessionis. Et quidam utique addunt heic conditionem, quod fiat brevi tempore post confessionem, uti Carbonean. (apud Giraldi p. 637. 1ª c.). Verum brevitas temporis requiretur, ut sollicitatio dicatur facta *immediate post* (uti notavimus cum Giraldi n. 716.) et insuper confirmabit indicia circa veram originem sollicitationis: sed revera ad naturam huius casus non pertinet; quia etiam post multum temporis facta sollicitatio, eandem retinet naturam.

S. Alphonsus aliud indicium l. c. addit, si nempe confessarius et poenitens antea fuissent invicem ignoti; tunc enim ex sola cognita per confessionem mulieris levitate aut indole desumpta sollicitandi ansa apparet. Sed haec in idem, ac supra, recidunt.

In praxi tamen difficilis foret haec denuntiatio; quippe haec non resultet nec probari possit nisi ex nexu, quem sollicitatio habet cum auditis in confessione, quibus sacerdos ad sollicitandum utitur. Haec autem poenitens revelare vix potest ac ne vix quidem sine manifestatione sui ipsius; hoc autem exigi non potest nisi mere tentationes nominentur.

Quod vero addit ex Roncaglia s. Alph. l. c. denunciandum confessarium etiamsi per epistolam sollicitet, verum est; sed ad quaestionem praesentem non pertinet.

Item quod idem s. Alph. ibid. ait, confessarium praesumi motum ad sollicitandum ex notitia confessionis, si cognita ibi mulieris indole ac fragilitate, interroget de loco habitationis, vel an sola maneat etc., verum est; sed, ut videbimus cum eodem s. Alph., tunc sollicitatio melius dicetur facta in confessione.

(a) Non contemnenda videtur aliter opinantium ratio, qui monent in hoc casu occasionem sollicitationis non esse proprie *confessionem*, sed *notitiam* ex confessione habitam: idcirco dubitant, an hic casus inter eos comprehendatur, qui sunt denuntiandi (Bucceroni *Const. Sacram. Poenit.* n. 16.). — E.

719. Quoad aliam clausulae particulam = *praetextu confessionis*, s. Alphonsus sequentes recenset casus n. 679.

1° Si confessarius ex pravo fine ficte invitat mulierem ad confessionem et deinde sollicitat. Qui tamen casus ut distinguatur a sollicitatione facta *in confessione* aut *immediate ante*, complectatur oportet casum sollicitationis factae extra confessionale: v. gr. si sacerdos praetextu confessionis invitet mulierem ad ecclesiam et ibi extra sedem confessionis sollicitet. Sed tunc vi decreti s. Officii allati n. 717. videtur abesse sollicitatio denuntianda; quia ipsa sollicitatio non fit praetextu confessionis.

2° Si confessarius feminam sollicitet extra confessionem ac timenti diffamationem suadeat, ut se aegrotam fingat ac eum accersat. Tunc enim (inquit s. Alph.) vere confessarius diceretur praetextu confessionis sollicitare feminam ad praestandum consensum. Verum alii hoc negabunt; non enim praetextu confessionis sollicitat, sed praetextu confessionis uterque utitur ad exsequendum malum propositum. Potius ergo dicendum *vere praetextu confessionis* velari heic *provocationem ad malum;* neque enim minus provocare dicendus est, cum illam adit, eo quod iam paratam ad malum reperiat; secus nulla esset causa denuntiandi cum prior mulier provocat et invitat ad domum suam praetextu aegritudinis; quod non tamen a s. Officio, ut videbimus, reprobatum est. Insuper si revera non fieret id, de quo conventum inter ipsos fuerat, nunquid foret denunciandus confessarius?

3° Si confessarius vocetur a matre ad audiendam filiae aegrotantis confessionem et ipse ad cubiculum se conferat et dicat, se utique vocatum ad excipiendam confessionem, vel interroget, an velit confiteri, ac deinde sollicitet. Quod quidem plane admittendum: quamquam hic casus comprehenditur melius in clausula = *in actu confessionis*, vel *immediate ante* =; neque enim necesse est, ut confessio sequatur, ut expresse cavet Constitutio Gregorii XV. sup. n. 709.

Verum adderem non opus esse, ut ab aliis vocetur. Si enim etiam sponte ad aegrotae domum accedens, verba quaepiam de confessione vel de rebus conscientiae sub persona confessarii iniiciat ad removendos adstantes, ac dein sollicitet, utique sollicitat praetextu confessionis.

Item si sibi puerum praetextu confessionis mittendum in cubiculum curaret et eum, etiam fine confitendi proposito ingressum sollicitaret, haberemus sollicitationem praetextu confessionis. Sed haec cadunt etiam sub aliam clausulam *(locus confessionis, et huius simulatio).*

720. Perpendendi sunt et casus alii, quos habet s. Alph. n. 679.

Ac primo negat, denuntiandum confessarium, qui praetextu audiendae confessionis obtinet licentiam a Superiore se conferendi ad quandam

domum, ubi sollicitat. Rationem afferunt, « quia praetextus confessionis non est respectu poenitentis, sed respectu superioris ». Sed forte retinenda solum est altera rationis pars; quippe praetextus in casu est medium, quo se a superiore subtrahat, non quo velet factum sollicitationis: nam alioquin non videtur admittendum, quod praetextus confessionis referri debeat ad decipiendum et captandum solum poenitentem; quia adhiberi potest ad removendos alios ut diximus n. superiore.

Dein s. Alph. l. c. contra plures putat cum Roncaglia probabilius, non esse denunciandum confessarium, qui convenit cum muliere, ut ad eludendos domesticos se fingat aegrotam et eum accersat domum ad patrandum peccatum. Ratio, inquit, quia praetextu confessionis non sollicitat, sed exsequitur peccatum, nec praetextus ordinatur ad sollicitandum, sed ad familiares decipiendos.

Verum praeter quam quod hic casus non differt a praecedenti; quippe si ad eludendos domesticos id statuitur, iam praetextus deservit ad sollicitandum, praeterea alio duplici ex capite laborare videtur haec resolutio. 1° Quia putat, denotari solum illum praetextum, quo confessarius utatur ad viam sibi parandam ad sollicitationem (a) contra ac ipse deinde alias quaestionem resolverit (sup. n. 719. 2.). 2° Etiamsi non esset sacerdos denunciandus vi huius clausulae, denunciandus tamen esset ex simulatione confessionis, qua abuteretur ad praesentem provocationem. Neque enim, ut alias sup. l. c. notavimus, abest provocatio eo quod prius uterque de hoc convenerit; secus non esset denuntiandus sacerdos ille, qui provocatus responderet facto ipso, tactus v. gr. inhonestos exercendo.

Addit s. Alph. ibid. multo minus sibi denuntiandum videri sacerdotem, si mulier, nulla praecedente conventione, praetextu confessionis ipsum advocans, sollicitet, licet deinde rem habeant; quia, inquit, ex bulla tunc confessarius debet denuntiari, quando ipse sollicitat praetextu confessionis; in hoc autem casu non confessarius, sed poenitens praetextu confessionis confessarium sollicitat.

At resolutio inde claudicat, quod etiamsi non sit denunciandus, quod praetextu confessionis a se invento ipse utatur ad irretiendum poenitentem, tamen credens se accedere ad audiendam confessionem, praetextu confessionis abutitur ad consentiendum provocationi idque praestat simulando confessionem; unde esset denunciandus vi alterius clausulae, quam mox expendemus.

721. Additur itaque in Pontificiis Constitutionibus alia clausula: « Sive extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco

(a) Cf. not. (a) sub n. 717. — E.

quocumque, ubi confessiones audiuntur (Benedictus XIV. dicit: *ad audiendas confessiones destinato*), seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessionem audire (Benedict.: *cum simulatione audiendi ibidem confessionem*), sollicitare vel provocare tentaverint (Bened.: *provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam... tentaverint*), aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint ».

Ubi sedulo notanda sunt verba = *extra occasionem confessionis.* = Ex quibus concludi debet, nullatenus opus esse, ut persona quaepiam ad confessarium venerit aut cum eo versetur causa confessionis faciendae; sed sive venerit ad negotium quodpiam tractandum, ut solent interdum mulieres, v. gr. ad petendum consilium, ad quaerendum subsidium, ad monendum de re quapiam confessarium, sive etiam venerit ad pravum finem, v. gr. ad sollicitandum confessarium, vel etiam ex condicto ad tractanda inhonesta; dummodo aliae conditiones in citato textu descriptae adsint, satis impletur clausula, ut denunciari debeat.

Duas heic quaestiones cum aliis etiam s. Alph. movet n. 680. 1ª est, quid intelligatur nomine *simulationis confessionis.*

Quae quidem quaestio, prout eam proponit Roncaglia, videtur, prope dixerim, futilis et inepta. « Simulatio, inquit Roncaglia, *de Poenit.* q. 8. cap. 1. q. 8. est, quando ita confessarius se gerit ut adstantes putent, heic et nunc audire confessionem; ut si ita simularet se applicatum, sicut facere solet, quando audit confessionem, seu extenderet manum erga poenitentem, quasi vellet absolvere. Non puto tamen sufficienter simulari confessionem ex sola mulieris genuflexione in confessionario, cum plura ibidem soleant genuflexae cum confessario pertractare, absque eo quod confiteantur sua peccata ».

Haec dixi prope futilia; quia iniecta dubitatio reipsa est sophistica. Si enim ad confessionis simulationem contendit non satis esse, ut mulier genuflexa ad crates assistat (intenta, ut suppono, colloquiis cum confessario; nam si ibi assistat prouti fieri solet, cum vel non adest confessarius, vel hic alteri poenitenti est intentus vel recitat breviarium, nulla est controversia), sed simulationem requirit ex parte confessarii ita apparere, ut adstantes iudicent, eum audire confessionem; iam nunquam haberetur casus denuntiandi confessarium, qui post velum vel obductis tabulis ita latet, ut non appareat, quid agat, quod plane absurdum est.

Etiamsi vero hoc pacto non latèat confessarius, sed in propatulo sedeat, ut cerni possit quid agat; attamen sollicitatio, si intercedit, exigit saltem ut cum poenitente loquatur et colloquatur. At si loquitur et intentus est alloquendo, nonne satis iam apparet applicatus, prouti

applicatum se gerit dum audit confessionem? Futilis ergo et inanis est hypothesis et ratio dubitandi, nisi forte fingas eum, qui inter recitandum breviarium subinde se extendat seu vertat ad audiendum aut dicenda aliqua verba poenitenti; in his enim adiunctis non censetur audire confessionem: at qui sollicitat aut turpes sermones seu tractatus habet, non solet ita se gerere.

Merito igitur s. Alphonsus n. 680. reiectis sophisticis Roncagliae dubiis, statuit, « quod cum confessarius adest in loco deputato ad audiendas confessiones et femina ibi adstat (intellige genuflexa ad cratem) eamque confessarius sollicitat, iam denuntiandus est; quia ipse manendo ibi audiens poenitentem, iam satis ingerit spectantibus credulitatem, quod illa confiteatur, ideoque ipso facto iam simulat confessionem audire ».

722. Alia quaestio est, an denuntiandus confessarius sit, qui sollicitat vel tractat turpia in confessionario, non tamen confessionem simulat, v. gr. (ut inquit Roncaglia l. c.) « si confessarius de inhonestis ageret vel perpetraret cum poenitente in confessionario, non simulando ullo pacto confessionem, quia, puta, nullus esset praesens (haec animadversio est absurda; quia non ex aliorum praesentia desumitur natura actus) vel si ita cum poenitente pertractaret de iisdem, ut omnes cognoscere possent, nullam intervenire confessionem, puta, quia confessarius sedet in confessionario et mulier stat vel sedet coram ipso etc.». Seu (ut alii quaestionem ponunt) num verba Constitutionis *simulantes ibidem* etc. afficiant tria illa loca (scil. *confessionale*, *locum designatum*, *et electum*), an vero solum duo posteriora.

Et s. Alphonsus quidem velut probabiliorem secutus est sententiam aientium, *simulationem requiri*, cum sollicitatio fit in loco aut designato aut electo ad audiendas confessiones, non requiri autem, si fiat in confessionali, contra ac dixerat Roncaglia. Unde sequitur, denuntiandum confessarium, licet mulier adsit ante confessionale, et ita nulla sit species aut simulatio confessionis. Eamque in rem profert decretum Pauli V. in gener. Congr. s. Officii 20. Iul. 1614. in haec verba: « Facta relatione, quod multi confessarii tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis: Sanctissimus decrevit, ut contra huiusmodi confessarios procedatur in s. Officio ». Deinde s. Doctor conatur ostendere, huic decreto non repugnare Constitutionem Gregorii XV. atque adeo illud non esse per hanc abrogatum. Ac denique confirmare vult decreto Inquisitionis Romanae, quo praecipitur, *denunciandos eos*, *quos constat*, *contra decreta et Constitutiones Apostolicas abusos esse sacramento poenitentiae*,

adhibendo confessionem aut confessionarium ad inhonestos fines, sollicitando in eis poenitentes ad turpia etc. » (a). Ita s. Alph. post alios.

723. At haec s. Alphonsus post alios scripsit, quia non innotuere ipsi saepius memorata decreta s. Officii (apud Albitium et Giraldi ll. cc.). In 15. enim facta quaestione, « An sit denunciandus confessarius qui sedens in confessionario, sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem, censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate ».

Porro, ut subdit Giraldi (pag. 637. 2ª b. c.) contra Carboneanum, fallitur, qui putet probabilitatem a s. Congr. assertam levem esse; nam in rebus tanti momenti et pro praxi propositis, ut quisque sciat, quomodo in praxi se tuto gerat, s. Congregatio in suis responsis levem probabilitatem non curat, sed solidam tantum et in praxi tutam. Accedit, quod hoc decretum Constitutione sua confirmatum fuerit cum aliis, ut diximus, a Benedicto XIV.: non confirmasset autem, nisi probabilitas vere solida inesset illi sententiae.

Exinde corruit argumentum desumptum ab Edicto Inquisitionis. Nam Inquisitio praecipit, ut denuntiationes fiant iuxta decreta et Constitutiones Apostolicas. Atqui hic casus per decreta non comprehenditur. Ergo ad hunc casum Edictum non sese extendit. Ipse s. Alph. n. 684. hoc fatetur inquiens: « Nec aliter accipienda sunt verba edicti; quia edictum ad Bullam se refert aut certe referendum ».

Quod attinet autem ad decretum Pauli V., non opus est affirmare, illud fuisse abrogatum per allatum decretum, cum conciliari optime possit. Et sane, ut notat Giraldi (l. c. pag. 638. 1ª b.), Benedictus XIV. adhuc Bonon. Archiepiscopus hoc Pauli V. decretum explicabat de casu, in quo simulatio confessionis intercederet. Ideo enim prodiit; quia relatum fuerat, quod *multi confessarii tractant de rebus inhonestis cum mulieribus in confessionali extra occasionem Confessionis.* Porro verba *tractant cum mulieribus in confessionali,* satis designant coexsistentiam etiam mulierum in confessionali, et decretum excludit quidem *occasionem,* sed non *simulationem* confessionis. Et sane prorsus inverisimile est et puerilem hypothesim redolet, quod *multi* isti confessarii ad istos inhonestos tractatus habendos, mulieres putarent vocandas ante confessionarium, ubi in omnium oculos incurrerent et excitare aut suspiciones aut certe rumores poterant, non vero ad crates, ubi nequitia tam commode occultabatur. Vid. Giraldi l. c., qui alias obiectiunculas facillime diluit.

(a) Verba decreti: « Debbono denunziare ciascuno di coloro, dei quali sappiano o abbiano notizia, che contro i decreti e le constituzioni Apostoliche abbiano abusato il sacramento della penitenza, servendosi della confessione o confessionario a fini disonesti, sollicitando in essi i penitenti ad turpia, ed avendo con essi discorsi di cose illecite etc. ».

Non praetereunda autem heic est et alia resolutio s. Alphonsi eod. n. 680., ubi ait: « Secus dicendum puto (scil. puto, non esse denuntiandum), si in aliquo loco, *quamvis electo ad confessionem*, extra tamen confessionarium, sacerdos sollicitaret foeminam stantem, vel sedentem, aut cubantem ». Quae quidem resolutio collata cum praecedentibus videtur difficilis. Sed s. Alph. intelligit, non esse denuntiandum nisi adsit simulatio confessionis. Quod verum est. At simulatio etiam in confessionali requiritur, extra occasionem confessionis (a).

(a) Clausula est apud Benedictum XIV.: *sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo.* Clarius apud Gregorium XV.: *aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo*, electo nempe a confessario vel poenitente vel utroque ad illam determinatam confessionem audiendam.

« Triplex ergo (ait cl. Bucceroni in Const. Bened. XIV. Comm. n. 20.) distinguitur locus confessionum audiendarum: 1° est confessionale ordinarium, quod confici solet ex ligno... quodque in ecclesia collocatur: 2° est quicumque alius locus a confessionali distinctus, *ubi confessiones audiuntur*; talis esse videtur genuflexorium quod est in sacristia vel apud religiosos in cellulis, ubi confessiones excipiuntur: 3° item quivis locus *ad confessiones audiendas* (seu ad confessionem audiendam) *electus* ».

« Porro clausula illa: *cum simulatione audiendi ibidem confessionem*, ultimo loco posita, ad omnia antecedentia refertur adeoque et ad illud primum membrum: *sive extra occasionem confessionis, in confessionali*, ex communi regula, quod clausula, ultimo loco posita, ad omnia antecedentia connexa refertur. Totum discrimen in eo esse videtur, quod, ad primum et secundum locum quod attinet, requiritur quidem, quod tum confessarius tum poenitens sint in *confessionario* vel in alio loco, *in quo confessiones audiuntur*, at hoc ipso tunc, *regulariter loquendo*, habetur confessionis simulatio et denuntiationis urget obligatio, ut aperte constat ex cit. resp. s. C. ad 4^m. Ad tertium vero locum quod spectat, non sufficit, quod confessarius et poenitens sint in eodem loco vel simul colloquantur, sed opus est, ut positive confessionem simulent ».

Dictum est *regulariter loquendo*, ubi de primo et secundo loco. En quae habet Pignatelli *Novis. conc. can.* cons. 117. « Non esse autem simulatam confessionem ex eo praecise, quod poenitens genuflexus manet ante confessarium, tradit Leander disp. 13. q. 31. Quia si confessarius est in aperto et videatur et ex risu, cachinnis et verbis elatis ac gestibus potest extrinsecus apparere quod illa non sit confessio, sed confabulatio de rebus ad confessionem minime pertinentibus, non intervenit simulata confessio. At nihilominus nisi oppositum certo appareat, si mulier genibus flexis loquatur cum confessario, praesumitur confiteri et in hac re sufficit apparens confessio, quae si non est vera, dicenda est simulata (dixerat prius: ad simulationem non requiri animum simulandi, sed sufficere simulationem ex parte facti, quae speciem habet confessionis) ».

« Ideo (pergit) si confessarius sedet in confessionali cum femina *ante se stante vel sedente* et illam sollicitat ad turpia, non subiicitur poenis huius Const. neque est in s. Officio puniendus; quia haec non est confessio nequidem simulata, ut docent Doctores modo citati. Idem dicitur de confessario, qui post requisitam mulierem, an velit confiteri et ea negative respondente, ipse, deposita stola et a confessionario discedens, in loco ab eo remoto illam sollicitat ».

Propter hanc clausulam quaesita sunt quaedam quoad moniales (Acta s. Sedis v. 9). p. 530.).

« 1° An loca, in quibus excipi solent confessiones Monialium, habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones vel ut vera confessionalia ».

« An idem dicendum sit de locis constructis ad formam eorum, in quibus excipi solent confessiones Monialium claustralium et in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis, quae vulgo dicuntur *Conservatori, Ritiri* ».

« 3° Quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad Moniales et alias degentes in praedictis locis an etiam quoad alias mulieres extraneas ».

Responsum est a s. U. I. 25. Nov. 1874. « Ad tria dubia, prout exponuntur, affirmative ». — E.

724. Huc usque vidimus, quo sese porrigat abusus sacramenti poenitentiae; nunc agendum de crimine ipso, propter quod ille abusus contingit et quod venit sub generali vocabulo sollicitationis ad turpia.

Et in primis adverte, in Constitutione Pii IV. (sup. n. 1086.) mentionem fieri solum sollicitationis *mulierum*. Verum Paulus V. die 29. Nov. 1612. declaravit, ex vi Constitutionis eius Pii IV. comprehendi etiam sollicitatos masculos, apud Giraldi l. c. pag. 641. sub n. 1.

Id deinde expresse sancitum fuit a Gregorio XV. in sua Constitut. sup. n. 709., in qua denuntiandi dicuntur, *qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta... provocare tentaverint.* Et consonat Constit. Benedicti XIV. aientis sup. n. 710. *Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit... ad inhonesta* etc. ».

Sollicitatio dein intelligitur ad peccata turpia et inhonesta, sic antonomastice dicta, idest contra sextum praeceptum. Quod notandum adversus nonnullos apud s. Alph. n. 684. aientes, comprehendi sollicitationem ad alia quoque peccata: tum quia Edictum Inquisitionis innuit *discorsi di cose illecite e non convenienti;* tum quia in Const. Gregorii XV. et Benedicti XIV. memorantur generatim *sermones et tractatus illiciti;* tum denique quia etiam sollicitantes ad alia crimina in confessione videntur suspecti de haeresi; hi autem denunciandi iubentur ex decreto Alexandri VII.

Sed merito s. Alph. ibid. *communissimam* dicit oppositam sententiam ac verba Edicti accipienda iuxta Constitutiones Pontificias praximque hanc esse, ut sollicitatio de solis *turpibus* accipiatur.

Accedit decretum s. Officii apud Albitium et Giraldi ll. cc. sub n. 11. Ad quaestionem enim. « An confessarius, qui sollicitat poenitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus, censuerunt, opinionem negativam esse probabilem ».

Quocirca non habebimus probabilem primam sententiam, utut s. Alph. l. c. qui hoc decretum ignoravit, *probabilem* eam dixerit. Addendum, quod s. Alph. ibid. negativam dicit *probaliorem.* Itaque cum agatur de *obligatione imponenda*, absurde quis statueret, probabiliter posse eam imponi; quia obligatio, quam probabilius est non exsistere, est obligatio nulla (a).

725. Ceterum quanquam *sollicitatio* per se dicat actum, quo confessarius invitet, provocet, alliciat, excitet, exstimulet ad turpia; tamen secundum Apostolicas Constitutiones ac s. Inquisitionis decreta, quae

---

(a) Ceterum hoc dicimus de obligatione orta ex praemissis Constitutionibus. Nam sollicitans ad alia peccata, v. gr. modo ad facinora italica, dignus esset, qui denunciaretur, spectato scil. iure naturae etc.

vim decreti Pontificii per adprobationem Benedicti (vid. sup. n. 710.) acquisiverunt; vox sollicitatio latiori quodam sensu sumitur. Quae quidem diligenter sunt perpendenda.

Et occurrit in primis, hac lege comprehendi non modo sollicitationem proprie dictam ac provocationem expressam, sed etiam turpem sermonem aut tractatum. Ita expresse Gregorius XV.: « Aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint » et Benedictus XIV.: « Aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint etc. ». Ubi notandum, verba a Benedicto addita « *temerario ausu* » nihil in rem nostram referre, non modo quia Gregorius XV. ea verba non habet et nemo unquam suspicatus est, Gregorii constitutionem fuisse moderatam seu temperatam a Benedicto XIV.; sed etiam quia clausula illa solum quoad incurrendas censuras attendi deberet; quod nihil refert quoad onus denuntiationis.

De quibus sermonibus advertendum, hos comprehendi clausula distincta a priori « *sollicitare ac provocare tentaverint* »; utraque enim clausula invicem seiungitur per disiunctivam *aut*. Ergo licet confessarius per huiusmodi sermones non intenderet provocare nec ex parte poenitentis sequeretur provocatio seu sollicitatio; tamen si turpia verba proferat aut illicitos ac castitati contrarios aut pudori honestatique adversantes habeat sermones, denunciandus foret: v. gr. si coniugatam personam aut se accusantem de reo opere carnali confessarius scitaretur, an in iis versari placeat, quae alloquia peccans haberet, quos actus motusve exerceret et huiusmodi. Et reipsa nisi eam clausulam sic explicas, inutilis haec foret, quia priori prorsus comprehenderetur.

Et mirum videri potest, s. Alphonsum de hac re nullum verbum fecisse, cum tamen Felix Potestas, a quo plura de hoc argumento s. Alph. mutuatus est, satis clare innuerit.

726. A sermonibus autem differunt eatenus *tractatus* inhonesti, quatenus *tractatus* proprie pertinent ad rem quampiam agendam, cum sermones versari possunt circa iam facta ac generatim etiam circa non agenda.

Et cum ad tractatus maxime pertineat, quod de re quapiam agenda plures conveniant; hinc ad hanc maxime clausulam pertinere dicendum est, si quando de committenda quapiam turpitudine confessarius et poenitens agerent et convenirent.

Et sicuti ad naturam tractactus in se spectati parum refert, utrum unus vel alter a contrahentibus prior alteri rem proponat eumque excitet, dummodo uterque de re facienda agat, sive damnum in con-

ditiones conveniant, sive non conveniant; proinde merito Doctores statuerunt, hac clausula comprehendi confessarium, qui non sollicitaverit poenitentem sed mere consentiat poenitenti sollicitanti.

S. Alphonsus n. 6811. tamen in oppositam sententiam ivit cum aliis reponentibus, verba Constitutionis esse intelligenda de tractatibus, quorum auctor fuerit confessarius.

Sed nec s. Alphonsus nec alii in eam opinionem venissent, si novissent hanc quaestionem iam resolutam esse ex decretis s. Officii a Benedicto XIV. confirmatis. Nam in 2° ex sexdecim illis decretis apud Albitium et Giraldi ll. cc. ad quaestionem, « An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii et sit denunciandus: censuerunt incidere et confessarium esse denuntiandum, reiecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt ».

Suspicari quis posset, in hac particula *differendo illius complementum ad aliud tempus* et solum vi huius particulae causam haberi denuntiationis; quia ipse confessarius auctor est huius consilii. Sed nihil movere id debet, 1° quia hoc pertineret ad consensum, seu modum exsequendi consensum. 2° Si haec suggestio sufficit, cur non sufficeret determinatio rei seu criminis faciendi per suum consensum? 3° Omnis suspicio eiusmodi excluditur per responsionem ad nonum dubium, ubi statuitur, denunciandum esse confessarium (vid. infr. n. 728.), si consentiat ob metum; consensio enim illa nuda ob metum excludit quemlibet alium affectum et motionem ex parte confessarii.

727. Ceterum non magni momenti sunt rationes a s. Alphonso prolatae. Altera est, quod in Bulla Gregorii obligationem habeant denuntiandi solum ii, qui fuerint sollicitati, quod nunc in poenitente deesse videtur. Altera, quod poenitens non posset denunciare absque manifestatione sceleris sui, inductionis scil. ad peccandum.

Namque ad primam responderi potest ex doctrina, quam etiam s. Alphonsus ipse probat lib. 2. n. 46., nimirum « malitiam inductionis sive scandali haberi, quando aliquis non sollicitat, sed consentit; adhuc enim participat cum altero in suo peccato et est causa cooperans ad eius ruinam »,

Praeterea haec ratio probaret, non esse denuntiandum eum, qui mere sermones turpes habet sine ulla sollicitatione ad malum; atqui et qui inhonestos sermones seu tractatus habuerint, denuntiari iussit Gregorius XV.

Ad secundam vero respondetur, pertinere ad prudentiam confessarii

docere poenitentem, quomodo reatum confessarii prodat, non revelando suum inductionis reatum. Esto enim confessarius non protulerit nisi unum vel alterum verbum v. gr. *sì, faremo domani*, etc. similia. Profecto denunciari potest complendo propositionem ex facta interrogatione, scil. *dixit se paratum ad hoc vel illud*, vel *dixit, se venturum cras* etc. Lex autem est, ut in denuntiationibus faciendis et excipiendis non inquirantur nec adnotentur nisi pertinentia ad confessarii reatum, reliquis, si quae exciderent nociva denuntianti, suppressis.

Praeterea etiamsi daretur, mulierem sollicitantem forte aliquando excusari posse a denuntiatione ob infamiam, tamen non sequitur, incassum cadere decretum s. Officii: namque si minus mulier ipsa, at certe alii, si qui nossent factum hoc evenisse, tenerentur denuntiare, cum hi non habeant excusationem infamiae. Nam teneri ad denuntiandum omnes, qui norunt factam esse sollicitationem, inferius n. 1136. notabimus (a).

(a) Huiusmodi interpretatio a Ball. adhibita Constitutionibus Pontificum a decretis s. C. I. non probatur aliis, praesertim iis, qui pro s. Alphonsi honore pugnant. Iam quod s. Alph. aliter censuerit et nihilominus stantibus iis Constitutionibus et decretis, declaratum sit Romae, licere tuto sequi quamlibet dotrinam s. Alphonsi, id argumento esse potest, doctrinam s. Doctoris in hac re non adversari, saltem certe, illis constitutionibus Pontificiis atque decretis Inquis., quae (ut id obiter dicamus), cum declarationes sint legis, secundum illas sunt intelligenda, ut nihil propterea novi addant.

Praeterea advertunt, in Instr. s. Officii anni 1867., quae in compendium redegit ea, quae ad tramites ss. canonum servanda sunt, omissum fuisse decretum nonum ab Albitio relatum, de confessario sollicitato et ex metu consentiente. Cur vero? non una est ab omnibus ratio reddita; nam tandem divinare oportet. Forte probabilius dicitur, omissionis causam eam fuisse, ut praecideretur omnis de hac re controversia; adhuc enim pro utraque parte pugnabatur et sic omnis quaestio ad tenorem Constitutionum Pontificiarum revocaretur.

Tertio monent, secundo decreto ex iis, quae Albitius retulit, haud finiri posse quaestionem: nam si totius contextus ratio habeatur, videtur saltem de eo confessario accipi posse, qui non solum consentit sed et ipse ex parte sua sollicitat, ut mutua exsistat sollicitatio; eo ipso enim quod confessarius dicitur differre ad aliud tempus complementum rei turpis, iam inducitur et ipse ex parte sua determinans quid faciendum illudque alteri proponens et sic ipse quoque sollicitans.

Tandem aiunt, neque quaestionem dirimi a clausula: *aut cum eis (poenitentibus) illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint;* nam 1° qui simpliciter consentit in opus turpe tunc faciendum, non vere dicitur habere de ea re tractatus; 2° sermo est de tractatibus quorum auctor sit ipse confessarius; quemadmodum enim dicitur immediate ante, « ad inhonesta... sollicitare vel provocare tentaverint » ita, continuata oratione pergitur, « aut *cum eis* illicitos et inhonestos sermones sive tractatus temerario ausu habuerint », ut semper confessarii tamquam agentes et inducents repraesententur. Quocirca, etsi crimen sit tantum in sermone et tractatu, opus esse videtur, ut confessarius quoque auctor sit, quo videtur potissimum spectare clausula *ausu temerario* et idcirco saltem mutua provocatio habeatur.

Non omnia ex his eadem vi pollent et, ut verum fateamur, minus nobis probatur interpretatio secundi decreti s. Inquis. 1661., si praesertim legatur prout prostat in Instructione anni 1867 (pag. 583). Heic dicitur *denuntiandus confessarius poenitentis sollicitationi consentiens, quamvis* etc.: quae sequuntur post hanc particulam *quamvis*, manifeste spectant ad diminutionem criminis prius memorati, qua nihilominus diminutione exsi-

728. Addit s. Alph. aliam quaestionem, an denunciandus Confessarius, qui sollicitationi ob metum consentiat.

Et n. 687. q. 8. respondet, metum per se in casu non excusare, loquitur autem de metu accusationis; quam dicit non esse gravem, quia iudices non facile credunt cuicumque mulierculae denuncianti. Verumtamen addit, non esse denunciandum, quia hic sacerdos esset sollicitatus, non autem sollicitans. Sed superius iam vidimus haec ideo dicta a s. Alphonso, quia decretum s. Officii ignoravit.

Et quidem s. Inquisitio etiam his adiunctis affectam quaestionem solvit decreto 9. ex saepe citatis, apud Albit. et Girald. ll. cc. Namque ad quaestionem, « An confessarius sollicitatus, si metu inductus, sollicitanti consentiat, sit denuntiandus: censuerunt esse denuntiandum et opinionem negativam non esse probabilem » (a).

Ex praeconcepta autem falsa illa opinione s. Alphonsus n. 682. cum aliis aliam ceu probabilem probavit sententiam, quae ex praedicto decreto ceu falsa reiicienda est. Nam probabile esse dixit, non denunciandum confessarium, qui sollicitatus ad copulam diverteret ad meros tactus: quia, inquit, provocans ad copulam, virtualiter provocat etiam ad tactus, unde tunc confessarius non sollicitat, sed solum sollicitatus consentit. Secus, subdit, si diverteret ad sodomiam; quia sollicitat ad actum, ad quem sollicitatus non fuit.

---

stente, confessarius est denuntiandus. Ergo multo magis asseritur denuntiandus, si simpliciter consentiat, nihil praeterea agens ex iis, quae post illud *quamvis* enuntiantur. Cf. decretum, quod refert Ball. ex Giraldi n. 641.

Ceterum non multum fidendum argumento ducto ex omissione decreti noni superioris in recenti Instructione. Nam haec tandem provocat primo loco ad Constitutiones Pontificias; atqui in Const. Benedicti XIV. exstat approbatio authentica horum omnium decretorum: ipsa autem Instructio solum quaedam capita attingit et cum n. 2. affirmet simpliciter denuntiandum confessarium consentientem, iam censeri poterat et illud aliud decretum implicite comprehendisse. Verum quid tandem ex hac omissione data opera facta colligere liceret? Non certe constare, quod denuntiandus sit confessarius consentiens *ex metu*. Esto: sed si sponte consentiat? Porro quaestio, quae heic a Ball. agitur, proprie est de simpliciter consentiente, quae vim suam retinere videtur in eo saltem, qui sponte consentit. Et haec quidem speculative, ut ita dicam, si iuxta communia principia quaestio solvenda sit: in praxi tamen, propter auctoritatem s. Alph. non damnarem profecto eum, qui secus sentiret et ageret. — E.

(a) Si timor, de quo qualificatores loquuntur, ille est, quem s. Alphonsus intellexit, nulla est difficultas et cf. dicta in nota praeced. Quid vero si timor incussus vere gravis sit imo gravissimus ex. gr. mortis, ut si inermem religiosum in cubiculo confessionem excipientem audax adolescens poenitens ad peccatum provocet pugione districto atque ille victus timore cedat? Puto de hoc et similibus casibus iudicium ferendum secundum communia principia de metu excusante a pena ecclesiastica: nam et heic de poena agitur; etenim denuntiatio eo spectat, ut improbus confessarius puniatur: cum ergo ipsa Ecclesia absolvat a poena, absolvet et a denuntiatione. Praetera hic non est casus ordinarius nec censere oportet, pro casu quodam extraordinario, nisi exprimatur, legem latam esse. Neque poenitens, nisi suum ipsius crimen revelet aut circumstantiam notabilissime influentem reticeat, accusare crimen poterit. Ex his forte colligi ratio potest, cur decretum illud nonum, quod indefinite loquens omnem metum includere videbatur, praetermissum postea fuerit in posteriori Instructione. — E.

Sed, ut patet, a fortiori hanc doctrinam excludit allatum decretum, praesertim cum vere ipse confessarius poenitentem ad malum invitet et incitet, esto ad hoc alius paratus censeatur. Hinc et in isto casu habemus mutuam illam sollicitationem, in qua denuntiationem faciendam statuit s. Inquisitio n. 8. inter decreta apud Albitium et Giraldi ll. cc., quando ad quaestionem: « An quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus: affirmative responderunt et opinionem negativam non esse probabilem ». Et expresse declaravit ac rursus constituit Benedictus XIV. in sua Constitutione sup. n. 851. praecipiens, denuntiationem faciendam, « etiamsi... sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit ».

729. Notant autem Doctores sedulo perpendendum, quandonam adsit vera sollicitatio. Et quidem recolendum, sollicitationem, ut declarat Benedictus XIV. in sua Constitutione sup. n. 850., et ex ipsa rei natura patet, fieri non solum verbis, sed etiam aliis « *signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam* ».

Et quoad *tactus*, intelligitur tum de tactu inhonesto sui ipsius, quem poenitens contueri possit, tum de tactu alterius personae, sive impudicus per se sit, sive utcumque aut ostendens aut excitans impudicum affectum.

Quoad scripturam vero, quae tradatur etiam domi legenda, iam praecesserat decretum s. Officii (sub n. 1. apud Albitium et Giraldi ll. cc.). Ad quaestionem enim, « An sit denunciandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitat, domini Qualificatores censuerunt, esse denunciandum et opinionem negativam non esse probabilem ».

Quo spectat et propos. 6ª inter damnatas ab Alexandro VII.: « Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione ac proinde non est denunciandus ».

Veruntamen vi Constitutionis Benedictinae non est necesse, ut charta tradatur in confessione sacramentali ac satis erit si tradatur in aliqua ex illis circumstantiis, quae comprehenduntur in praecedentibus clausulis, nempe vel *ante* vel *immediate post,* vel *occasione seu praetextu confessionis*, etc. Nam, ut patet etiam ex damnata propositione, traditio chartae aequivalet sollicitationi *tunc factae.*

730. Quoad sollicitationem per verba, s. Alphonsus n. 704. varias formulas refert, quae ex communiori Doctorum sententia sollicitationem continent (ex. gr. tecum nuberem, si essem secularis; haec tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem voluntariam) atque adeo denuntiandi necessitatem imponunt. Quamquam merito ipse s. Alph. advertit, quoad

earum nonnullas rem ex circumstantiis diiudicandam; quia nempe sensum etiam non turpem habere possunt.

Ita si confessarius dicat: *memento mei, quia te ex corde diligo :* quae verba si mulieri dicantur, imprudentissime dicentur; sed referri possunt ad petendam memoriam in orationibus, aut etiam ad effectum innoxium.

Ita si dicat; *veniam in domum et promitte mihi facere, quod voluero.* Quae verba possent referri ad modum v. gr. componendi discordiam et huiusmodi.

At si postea domum veniret et aperte sollicitaret, iam pateret, ea pravo sensu fuisse prolata.

Itemque si nullae adessent circumstantiae, quae probabilem facerent innoxium earum formularum sensum, quia scil. nulla alia causa probabilis cogitari possit, cur ea dixerit, iam ad sollicitationem pertinerent.

Et huc pertinet casus, quando confessarius vel nomen aut habitationem poenitentis exquirat aut locum indicet, ubi poenitentem convenire vult, sive sit domus ipsius poenitentis sive alius locus; aut si dicat, *Exspecta me, quia habeo tecum loqui, aut quia habeo negotium tecum expediendum.*

De hoc casu bene s. Alphonsus n. 676. in fin.; « Pariter denunciandus est confessarius, si in confessione apponit medium indifferens, quod tamen ex circumstantiis postea cognoscitur appositum ad sollicitandum, uti esset imponere mulieri, ut exspectet eum domi, vel si interroget eam, ubi habitet etc. ».

Ita et Roncaglia uberius rem explicat *de Poenit.* q. VIII. cap. 2. q. 5. resp. 2.: « Intelligitur sollicitare in actuali confessione, qui ibi apponit media, quibus postea ad inhonesta poenitentem inducat. Ratio; quia quamvis inhonesta velit post aliquod tempus patrare, tamen verificatur, causam apposuisse in actuali confessione adeoque ibi revera sollicitasse, quamvis prava eius intentio postea cognoscatur. Praeterea dum in actu confessionis media apponuntur, quibus confessarius utitur ad pertrahendum ad inhonesta, iam prodit se ille sacramenti abusus in perniciem animarum, quod Pontifices per Constitutiones in sollicitantes removere voluerunt »

Hinc intelligitur, in confessione sollicitare, non solum cum quis in confessione aliquid iubet aut facit, quod per se ad venerem provocat, sed etiam cum apponit medium indifferens, quod postea cognoscatur appositum ad sollicitandum. Ita indifferens de se est exposcere a poenitente, ubi habitet, vel monere, ut domi exspectet, vel ut sola veniat ad domum confessarii. Attamen si postea ex effectibus cognoscatur, haec ab eo ideo dicta fuisse, ut posset postea in propria vel in poeni-

tentis domo sollicitare, vere reus est sollicitationis: quippe verba indifferentia per actus subsequentes determinantur ad suam significationem, prout actus externus cum fieri solet in exsecutionem interni, declarat, qua mente et intentione aliquid prolatum fuerit ». Ita Roncaglia satis vere.

731. In quibus tamen duo notanda. Unum est, quando superius diximus n. 729. de charta tradita, scil. non opus esse, ut detur in ipsa confessione, sed iuxta alias formulas perinde esse, si *immediate ante* vel *post* aut *occasione confessionis* etc. qui sibi viam praedicto modo ad sollicitationem paret.

Alterum est, utique ex eventu, nempe ex secuta dein manifesta sollicitatione, fieri apertum pravum animum, qui in interrogationibus illis indifferentibus non omnino se prodebat; at non videri semper id necessario colligendum.

Tantummodo enim ubi nulla alia causa excogitari possit, cur illae interrogationes fiant, aut cur locum quempiam in quo sola possit conveniri, condicat, satis se prodit animus iniquus.

Advertit proinde s. Alphonsus, quod si confessarius, dum se exspectari iubet etc. ratione colloquii aut negotii peragendi, revera id petiit ad loquendum ac negotium tractandum, sed postea in progressu colloquii tentatus sollicitat non esset denunciandus.

Et fuere quidem qui dicerent, quod etiamsi accedendo prius habeat de alio negotio serio tractatum, denuntiandus sit, quia tunc talis tractatus prudenter praesumitur fictus. Scilicet de praesumptione agitur. Propterea (subdit s. Alph. 676.) « quidam doctus non utique improbabiliter dicit, quod si negotium illud magni sit momenti et ad confessarium pertinens, minime est ipse denuntiandus (praesumendum quippe est, vere propter istud se exspectari iussisse). Quare ex circumstantiis iudicandum, an *principaliter* intenta fuerit sollicitatio et negotium ut medium an vero negotium principaliter et sollicitatio per accidens ».

Quae quidem animadversio plena prudentiae ac sapientiae est.

Eadem prudentia opus est in quaestione an denuntiandus confessarius, qui in confessione laudat mulierem de pulchritudine. Aliis enim affirmantibus ac negantibus aliis, s. Alphonsus n. 703. *melius* ait distinguendum cum Escobar. « Et siquidem ex modo loquendi aut aliis circumstantiis dignoscatur confessarius laudare pulchritudinem ex pravo affectu, tunc est denuntiandus; secus si laudaret ex quadam imprudentia vel animi levitate ».

Et haec s. Alph. resolutio consonat cum decreto s. Officii sub n. 12. apud Albitium et Giribaldi ll. cc. pag. 633.: Ad quaestionem enim, « An

confessarius, si laudet poenitentem ex pulchritudine et venustate dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus: censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam esse probabilem; secus non esse probabilem ». Seria et prudens posset esse laus seu mentio pulchritudinis, si v. gr. moneatur, ut caute se gerat, vitet quosdam conventus etc.

Durior ergo est sententia eorum, qui denuntiandum dicunt, si laus haec detur *sine aliqua occasione*, quia ut dicunt; regulariter ad alliciendum ad peccandum amasii feminas laudant de pulchritudine. Ratio enim habenda est etiam levitatis.

Atque eandem regulam contra Felic. Potestas s. Alphonsus l. c. servandam dicit, si cum famula confessarius laudet dominae pulchritudinem; commendans, ut haec referat dominae. Perpendendae enim sunt circumstantiae, licet s. Alph., addat, facilius accipiendam laudem in pravum sensum.

732. S. Alphonsus n. 703. eandem normam sequendam subdit, si confessarius poenitenti det donum magni valoris. Per se enim est quid indifferens; unde malitiam ex adiunctis desumendam dicit, nempe ex conditione poenitentis, ex qualitate doni, ex eius quantitate et ex modo quo fit.

Et in hoc pariter consona est sententia s. Alphonsi decreto s. Inquisitionis, nam n. 16. apud Albitium et Giraldi ll. cc., ad quaestionem, « An sit denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut dicatur illam sollicitasse. Idem responderunt quod ad duodecimum », scil. quoad laudem pulchritudinis.

Denique illud addendum, ex Constitutione Benedicti XIV. sup. n. 710. denuntiandum esse confessarium, etiamsi sollicitatio a confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit, videlicet etiamsi poenitentem sollicitet ad peccandum non cum ipso confessario, sed cum alia persona.

Idemque statuendum s. Alphonsus n. 691. recte advertit, si confessarius sollicitet poenitentem, ut hic inducat aliam personam ad peccandum cum eodem confessario idque contineri in Constitutione Gregorii XV. sup. n. 709., ubi dicit, denuntiandos, qui sollicitent « personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda ». Quae verba reipsa utrumque casum et praecedentem scil. et praesentem complectuntur.

733. Nunc quaedam alia dubia sunt expedienda. Quaeritur ergo an denuntiandus confessarius, qui sollicitet ad actus tantum venialiter inhonestos.

Et s. Alphonsus quidem n. 683. probabiliorem censuit opinionem negativam. Ratio (inquit), quia ex una parte certum est, quod ad denuntiandum requiritur, quod actus sollicitationis sit peccatum grave ac certe putetur confessarius graviter peccasse, cum denuntiandus sit tanquam suspectus de fide. Neque dici debet, actum, qui in se levis est contra castitatem, gravem fieri in sacramento; secus enim grave evaderet in sacramento quodlibet aliud veniale contra patientiam, veracitatem, humilitatem etc., quod nemo asserit. Hinc concludit s. Doctor, tunc solum censendam gravem sollicitationem atque adeo denuntiandum sacerdotem, quando certo possit colligi ex circumstantiis, quod sacerdos illo actu levi habuerit animum ulterius progrediendi; quam postremam partem dicit esse ex sententia DD. communi.

Nec videtur obstare decretum 3^{m} ab Albitio relatum. « An Confessarius sollicitando, propter parvitatem materiae sit denuntiandus »: Responsum est: « Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae et, si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt, esse denuntiandum et opinionem contrariam non esse probabilem ». Nam manifeste loquuntur de actu, in quo si tota malitia peccati venerei et verba quae subdunt: *etsi daretur parvitas etc.* hunc fundunt sensum: et si, quod falsissimum est, daretur in actu venereo parvitas materiae, heic tamen non daretur; quia huiusmodi quilibet actus prohibitus est praeterea positiva lege propter reverentiam Sacramenti. At possunt esse actus per se leves sensualitatis, ut aspectus, tactus manus, quibus utique progressus fieri potest ad grave peccatum: id autem ex intentione pendet atque heic locum habet distinctio s. Alphonsi: quae huc redit, ut aliud sit sollicitare *ad actus leves*, quibus nondum malitia peccati venerei continetur, aliud *per actus leves* sollicitare ad venerea.

734. Succedit quaestio, an denuntiandus Confessarius de sollicitatione iam convictus et punitus.

Quaestio autem non fit de eo, qui post denuntiationem rursus relapsus fuerit, aut qui antecedenter fuerit quidem accusatus sed non convictus; in utroque enim casu manifestum est, esse denunciandum; sed de eo, qui de eadem sollicitatione fuerit iam convictus et punitus.

Et auctor est s. Alphonsus, longe probabilius esse denuntiandum, tum quia, inquit n. 687., non constat de emendatione, tum quia quisque sollicitatus omnino tenetur denuntiare, sive sint sive non sint alii denuntiantes. Melius alii cum Bonacina *de Onere denunc.* punct. 2. n. 15. distinguunt. Etenim « vel confessarius confessus et convictus fuit de sollicitatione illius poenitentis, qui nondum denunciavit, vel... tantummodo de sollicitatione alterius. Si confessus et convictus fuit de sollicitatione illius poenitentis, probabile est poenitentem, non teneri

ad denunciandum confessarium, qui iam abiuravit illud delictum; quia iudicium bis exerceri non solet in idipsum et res semel iudicata et punita, regulariter loquendo, in iudicium revocari non solet, ut iterum puniatur. Si vero confessarius confessus seu convictus tantummodo fuit de provocatione *alterius poenitentis*, censeo poenitentem adhuc teneri ad denunciandum, etiamsi confessarius semel abiuraverit. Ratio est, tum quia hic non censetur sufficienter punitus, cum graviores poenas pro pluribus delictis, quam pro uno rependere debeat, tum etc. a pari cum crimine haereseos ».

Atque ita decretum 13. ex toties allegatis, apud Albitium ex Giraldi ll. cc. s. Inquisitionis. Ad quaestionem enim, « an sit denunciandus confessarius, qui propter sollicitationem ALTERIUS abiuravit (scil. compellente s. Inquisitione, ut abiuret de levi vel gravi suspicione haereseos), censuerunt, opinionem negativam non esse probabilem » et ideo est denunciandus: quod etiam fuit resolutum sub die 26. Iulii 1628.

735. Sed dubium movent, an denunciare oporteat confessarium, si sit emendatus.

Et signa quidem emendationis haec solent proferri (vid. apud s. Alph. n. 686.): 1° si mulier sollicitata, ter vel quater ad confessionem dein accedens, in confessario pravum animum non amplius adverterit. 2° Si per triennium confessarius bene vixerit. 3° Si sit sacramentaliter confessus et per longum tempus non tentaverit. 4° Si lucratus sit iubilaeum. 5° Si factus sit religiosus. 6° Si sit homo insignis probitatis et semel vel bis sollicitaverit. 7° Si post sollicitationem statim det signa doloris. 8° Si fuerit senex, ita ut putetur ex magna passione sollicitasse et postea vere resipuisse. Post quae s. Alph. refert sententiam Vivae aientis, haec signa singula non sufficere, nisi plura simul coniuncta faciant *constare de emendatione*.

His praenotatis, s. Alph. n. 636. plures refert DD. docentes, cessare obligationem denuntiandi additque ab Auctore operis *(Istruzione pel confessore novello)* hanc opinionem *saltem extrinsece* dici probabilem, ac probabilem item dici a Viva. Et ratio huius opinionis est, quod *finis denuntiationis sit emendatio*. Cessante ergo fine saltem principali, cessare obligationem.

Iudicium suum sic dein s. Alph. interponit l. c. « Quamvis praedictam sententiam satis probabilem iudicent praefati Auctores; absolute tamen probabiliorem esse iudicio secundam sententiam, quae docet, confessarium, etiam emendatum, esse denunciandum. Ratio, quia Pontifex magis quam emendationem rei, eius punitionem intendit, ad damnum Ecclesiae reparandum et ad resarciendum scandalum. Et ideo sancivit, denuntiationem fieri, nulla correptione fraterna praemissa, quae utique

praemittenda esset, si emendatio rei, et non punitio, intenta principaliter esset. Ita Suar. Bonac. Azor, et plures apud Salm. cap. 4. n. 75., qui hanc secundam sententiam certe tenendam esse aiunt ». Haec usque s. Alphonsus.

Et sane sapienter. Poenae enim huic crimini iniunctae non supponunt pertinaciam, sed merum reatum, ut paulo post videbimus.

Adde, quod etiamsi aliqua probabilitas neganti sententiae inesset, tamen nihil ad praxim deserviret. Ratio, quia cum indicia enumerata emendationis partim aequivoca plane sint (recole historiam Michaelis de Molinos), partim nimis ardua ad cognoscendnm, reipsa vix fieri potest, ut de ista emendatione constet. Atqui, recte advertit s. Alph. l. c., « hoc valde notandum est; nam sicut constat de crimine, debet constare de emendatione ».

Praeterea Alexander VII. die 8. Iul. 1660. decreto suo, quod memorat Giraldi pag. 641. n. 5., et ex parte refert etiam s. Alph. n. 701. declaravit « etiamsi nulla fraterna correctio vel alia monitio praemissa fuerit, omnino teneri (fideles) ad denuntiandum, quos noverint esse de fide quomodocumque suspectos »: cuiusmodi sunt confessarii sollicitantes. Neque spes igitur emendationis, neque supposita emendatio deobligat a denunciatione: secus iussio Pontificia esset iniqua.

Demum habes aliud decretum s. Officii 26. Iul. 1628. apud Giraldi pag. 641. n. VI., qui videtur remittere ad Carboneanum, « quo definitum fuit, mulierem sollicitatam teneri ad denuntiationem, etiam si sciret, sollicitantem sponte comparuisse ». Atqui spontanea sui accusatio est maximum iudicium resipiscentiae. Ergo etc.

Alia subest causa denunciationis, nimirum ut iudicibus constet, an ille sacerdos, qui sponte comparuit, sincere omnia aperuerit.

Denique recte s. Alph. n. 692. contra Salmanticenses notat, denunciandum non esse mortuum. Ratio, quia tunc cessat totalis finis legis, scil. tam emendatio, quam punitio rei. Ratio vero paritatis cum formali haeretico, qui etiam post mortem denuntiandus est, non valet; quia hoc praecipitur ad reparandum damnum ab eo illatum; quae ratio in casu nostro non militat.

736. Quoad poenas proprias criminis sollicitationis, haec habentur in Constitutione Gregorii XV. §. V. apud Giraldi pag. 632.: « Quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab exsecutione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcunque ac perpetuae inhabilitatis ab illa, nec non vocis activae et passivae, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes et carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiae aliasque poenas

decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debita praecedente degradatione, Curiae seculari puniendos tradant ». Et haec omnia confirmavit Benedictus XIV. in sua Constitutione §. 11.

Praeterea idem Giraldi pag. 641. refert Decretum s. Congregationis (Inquisitionis) celebratae coram Benedicto XIV. die 5. Augusti 1745., quo statuitur, quod in posterum sacerdotes... in actu sacramentalis confessionis sive illius occasione aut praetextu ad turpia sollicitantes... praeter poenas a iure et Apostolicis Constitutionibus... contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad praefati sacrificii celebrationem... ».

Quo de decreto monet s. Alphonsus n. 705., se prius scripsisse, hanc inhabilitatem incurri ante sententiam declaratoriam criminis; sed nunc se mutare sententiam ex illo principio generali, etiam quoad poenas privativas seu inhabilitantes requiri sententiam iudicis declaratoriam, quoties reus non possit exsequi poenam sine propria infamia. Ex quo tamen infert, quod si sacerdos per aliquot dies abstinere solum debeat a celebrando, et id possit sine scandalo, ad hoc tenetur.

Modo hac in re nulla difficultas; Instructio enim saepe citata s. C. Inq. anni 1867., de omnibus poenis inflictis pro hoc crimine docet n. 12. « Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad s. Missae sacrificium celebrandum in decreto Bened. XIV. 5. Aug. 1745. praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae*.

Addit 2º s. Doctor sibi videri probandam sententiam; quae tenet, hanc inhabilitatis poenam non incurri ab eo, qui eam ignorat invincibiliter. Rationem petit ex paritate cum irregularitate ex delicto de qua lib. 7. n. 351., quae ut incurratur, scientiam eiusdem poenae postulat. Porro s. Alphonsus non diffitetur, satis probabilem esse sententiam, quae ab irregularitate ex delicto excusat eum qui vel *solam* poenam ignoraverit. Ergo.

3º Demum censent, ab hac inhabilitate posse Episcopum dispensare, si sit occulta idque ex generali regula Trident. sess. 24. cap. 6., vi cuius Episcopi possunt dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto, non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario et directe volito. Quae tamen dispensatio locum habere non potest, nisi quando supponatur inhabilitas inducta sine sententia declaratoria criminis; nam si accessit haec sententia declaratoria criminis, iam causa, ut patet, deducta est ad forum contentiosum. At, ut iam monuimus, sine sententia iudicis non incurritur haec inhabilitas; cum sit *ferendae* sententiae: ergo locus non est dispensationi Episcopali.

737. Nunc superest nonnulla perpendere de persona denuntiante.

Et in primis apud Giraldi (pag. 641. Decr. III.) indicatur decretum s. Inquisitionis die 17. Nov. an. 1624., quo « decisum est, confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denuntiandum se ipsos ». Potest tamen confessarius sponte comparere, ac constituere se ipsum. Et siquidem sincere agat nec crimen suum ullo modo dissimulet, nihil patietur, etiamsi dein accusetur, dummodo nihil eorum occultaverit, de quibus poterat accusari.

Quoad personas obligatione denunciandi constrictas, Constitutiones Apostolicae supponunt, omnes poenitentes sollicitatos hanc habere obligationem. Nam tum Gregorius XV. sup. n. 1087., tum Benedictus XIV. sup. n. 1088. praecipiunt confessariis, ut moneant poenitentes, *quos noverint fuisse sollicitatos*, de OBLIGATIONE DENUNCIANDI *personam, quae sollicitationem commiserit, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis*. Ergo hanc obligationem in poenitentibus sollicitatis aperte supponunt. Atque, quod advertendum est, hos solos, si negligant aut culpabiliter omittant denuntiationem, subiicit Pius IX. Const. *Apost. Sed.* excommunicationi, nemini quidem reservatae.

738. Sed dubium fieri potest, an praeter poenitentes sollicitatos alii quoque, qui forte sciverint, quempiam fuisse sollicitatum, seu quempiam esse reum criminis sollicitationis, hac eadem obligatione teneantur.

Hanc quaestionem multi nullatenus attingunt. Attamen supponere videntur hanc obligationem, ubi quaerunt cum s. Alphonso n. 698. an teneatur ad denunciandum ille, qui scit sollicitationem sub secreto naturali. Et s. Alph. resolvit contra nonnullos dicendo, et hunc obligari. Ratio, quia nemo tenetur servare secretum, etiam sub iuramento promissum, quando secretum vergit in damnum commune. Excipit cum aliis, « nisi sollicitatio sit manifestata ad petendum consilium; nam propalatio secreti tunc esset contra humanum commercium et etiam contra publicum bonum, quod certe in petendis consiliis intervenit ».

Ex cuius disputationis indole aperte patet, ex mente Doctorum omnium (utut aliqui negent obligationem etiam in casu secreti *non commissi ad consilium quaerendum* et secreti mere promissi) teneri etiam alios praeter poenitentem sollicitatum.

Et hanc doctrinam expresse tradit s. Alph. n. 695. pro ea nonnullos allegans cum Suarez et Palao et hoc (inquit) etiamsi sit impubes, modo sit rationis compos et sciat crimen a personis fide dignis... Hoc autem dicendum non iam ex Bulla Gregorii, sed ex Edicto s. Inquisitionis, in quo edicitur, ad denunciandum teneri, quisquis sciverit vel

audierit, confessarium sollicitasse. Verba huius Decreti refert s. Alph. n. 680. in fin. ex Felice Potestas.

Notat autem bene s. Alph. ibid. n. 695. non teneri ad denuntiandum eum, qui rem acceperit tantum a personis fide indignis aut feminis levibus.

Accedit decretum s. Officii n. 14. ex citatis ab Albitio et Giraldi ll. cc. Namque ad quaestionem, « An quis teneatur denunciare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis », censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.

Hinc Giraldi (pag. 640. 2ª b.) merito carpit Carboneanum, qui scripsit communiorem esse sententiam ac plausibiliorem, quod levis hic rumor sufficiat ad inducendam obligationem, dum praeter tot alios praeclaros DD. oppositum docentes, Benedictus XIV. confirmaverit Inquisitionis hoc iudicium.

739. Hic tamen confundi non debet cum eo, qui sollicitationem certe scit, sed probare non potest in iudicio. Hunc enim ad denunciandum teneri merito s. Alph. n. 695. dicit omnino affirmandum. Idque evincit ex prop. 5. inter damnatas ab Alexandro VII.: « Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denunciare, si probare non possis »: quae propositio in rem nostram bene facit, cum sollicitans debeat denunciari ceu suspectus de haeresi.

Et confirmatur ex rei natura; fere enim abest quilibet alius testis et res tota inter poenitentem et confessarium peragitur. Quocirca vix fieri posset, ut locus superesset denuntiando confessario si aliae probationes requirerentur.

Accedit, quod non inutilis contingit eiusmodi denuntiatio. Fit enim saepe, ut probatio exsurgat ex pluribus testibus, quorum quisque solitarius cum sibi sit, habet tamen testimonii socios, quos ipse ignorat, scil. alios ab eodem confessario sollicitatos.

Praesertim vero, cum Benedictus XIV. in sua *Const.* §. 1. statuerit, posse procedi etiam cum testibus singularibus. « Dantes etiam, si opus et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme et Ecclesiae Dei iniuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, iam alias in praefata Constitutione tributam, procedendi cum testibus singularibus, dummodo praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant ». Et dicit alias hanc facultatem tributam; quippe Gregorius XV. Const. §. 6. haec habet: « Dantes etiam facultatem... ne delictum tam enorme et Ecclesiae Dei tam perniciosum, remaneat impunitum, *cum difficilis sit probationis*, testibus etiam singularibus, concurrentibus praesumptionibus, indiciis et aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi etc. ».

740. Addit merito s. Alph. n. 696, reiiciendam, ut sophisticam, opinionem quorundam dicentium, non adesse obligationem denunciandi quando crimen adhuc est occultum: quasi *abusus*, qui damnatur, exigeret frequentiam et publicitatem actus. Ratio, quia interpretatio, vi cuius lex evaderet inutilis, est absurda. Praeterea contradicunt huic interpretationi reliqua Constitutionis adiuncta.

Praeterea, ut Benedictus XIV. expresse decrevit sup. n. 710. non cessat denunciationis obligatio, etiamsi longum tempus post sollicitationem effluxerit. Quod sedulo retinendum est, quia fuere, qui docuerint uti Roncaglia apud s. Alph. n. 697., per quinquennium praescribi actionem contra reum atque adeo non esse denuntiandum et alii etiam post triennium negarunt manere obligationem.

Quae regula deservit sive quando quis omisit culpabiliter, vel omisit ob ignorantiam legis de denuntiatione sollicitantium, vel etiam quia ob simplicitatem non intellexit verba aut nutus sollicitationis. Et ad hunc postremum casum spectat Decretum apud Giraldi pag. 641. n. VIII. quo s. Congregatio Inquisitionis die 11. maii 1706. declaravit, « puellam sollicitatam, in simplicitate constitutam et absque notitia inhonestatis, teneri denunciare confessarium sollicitantem, posquam compos effecta fuerit et notitiam praeteritae sollicitationis acquisiverit ».

741. Quaestio fit, an excusetur a denunciando ille, qui grave sibi damnum imminere timet, praesertim ob infamiam suam, si sollicitationi consensit.

Ac 1° quidem concedi debet, excusari eum, qui rationabiliter ex denuntiatione sibi timeret grave damnum in vita, fama, rebus temporalibus. Ratio, quia ius naturale adest ad haec damna praecavenda, contra quod non praevalet ius positivum Ecclesiae. Praeterea Ecclesia non solet ad suarum legum observantiam impellere cum gravi incommodo.

Si tamen sollicitatio oriretur ex contemptu religionis Sacramenti, vel sequeretur animarum pernicies; tunc ratio boni communis et Religionis obsequium praevalere deberet privato damno.

Neque tamen hoc praetextu uti potest confessarius sollicitans, ita ut ad suam infamiam cavendam cesset a monendo poenitente de sua obligatione.

Atque huc spectat septima ex damnatis Propos. ab Alex. VII.: « Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi ».

Quod attinet autem ad mulierem, quae sollicitationi consensit, fuerunt quidem aliqui, quos et s. Alph. n. 700. refert, qui dicerent, non

obligari ad denuntiandum; quia nemo cogi potest ad proprium crimen manifestandum.

At sicuti huic incommodo potest obviam iri, ita praeciso hoc obstaculo, denuntiatio facienda est. Atque id expresse declaravit Benedictus XIV. (vid. sup. n. 1088.). Et iam a 23. Iul. 1624., ut refert Giraldi (pag. 641. n. II.) s. Congregatio Inquis. declaraverat, « mulierem, quae sollicitanti sacerdoti consenserit, non teneri in denuntiatione consensum a se praestitum manifestare: teneri tamen denunciare etiamsi ipsa prius sollicitaverit et ad consensum traxerit confessarium».

Et de re eadem refert s. Alph. n. 700. aliud Inquisitionis decretum 27. Septembris 1724. atque insuper habemus apud Giraldi (pag. 642.), Instructionem an. 1756. a s. Ufficio datam, in qua dum edicitur, ad denuntiandum teneri etiam mulierem, quae consensit, additur tamen 1° eam non teneri ad suum consensum manifestandum, neque de hoc interrogandam esse ab Ordinario seu Inquisitore: 2° itemque confessarium sollicitantem, si contra ipsum procedatur, non esse interrogandum de poenitentis consensu et, si forte sponte id ipse dicat, non esse scribendum neque in acta referendum. Tum confessarios monet, ut poenitentes de his edoceant, ubi opus fuerit; ut sic denuntiationi faciendae omne obstaculum submoveatur.

742. Quoad tempus faciendae denuntiationis s. Alphonsus n. 693. scribit: « Praenotandum, quod sollicitati non possunt absolvi, nisi prius denuntient et si adsit impedimentum statim faciendi denuntiationem, saltem debent esse parati ad denuntiandum quamprimum; alias peccant graviter, et incidunt in excommunicationem ».

Sed haec doctrina indiget nonnullis explicationibus.

Ac primo quidem s. Alphonsus in citatis verbis tunc solum videtur concedere, absolvi posse poenitentem ante denuntiationem, si adsit impedimentum statim denuntiandi. Et deinde subdit: « Bene potest absolvi poenitens ante denuntiationem, si adsit iusta causa illam differendi, nempe si ministri Tribunalis longe distent, vel si sit necessitas communicandi ad vitandum scandalum, vel ob lucrandum iubilaeum et possit credi personae, quod sit denunciatura ». In quibus solam necessitatem excusare docet.

Atqui videtur heic s. Doctor legem quandam imponere, quam nuspiam Ecclesia imposuit. Nam Benedictus disiunctive locutus est dicens, non esse absolvendos poenitentes sollicitatos, nisi *aut prius sollicitantem denunciaverint, aut parati saltem sint ad denunciandum*; sed nihil dicit, quo innuatur, secundum casum ad necessitatis occasionem pertinere. Ita Benedictus XIV. §. 2.: « Caveant diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem

absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant ». Perinde scilicet ac de damnificatoribus statuitur, eos non prius posse absolvi, quam damnum resarciverint, aut saltem se resarcituros spondeant: cum tamen nemo iure exigat, ut huic absolutio non concedatur ante factam restitutionem, nisi necessitas urgeat.

Deinde quod dicebat s. Alphonsus de denuntiatione *statim* aut *quamprimum* facienda, id intelligendum est iuxta terminos ab ipsa lege praescriptos, non vero prout communiter accipi solent illae voces.

Porro ipse s. Alph. n. 693. prop. fin. allegat haec verba ex edicto s. Officii 10. Mart. 1677.: « Comandiamo sotto pena di scomunica di lata sentenza, che fra il termine di un mese si debbano rivelare al santo Officio ovvero agli Ordinarii tutti coloro, de' quali sappiano o abbiano avuto o avranno notizia, che siano eretici o sospetti di eresia ». Satis est ergo, si poenitens paratus sit ad faciendam denuntiationem *intra mensem.*

Et quidem cum in Edicto praecipiatur, ut denuntient intra mensem etiam illi, qui in antecessum notitiam haeresis habuerint, spatium mensis videtur computandum a die *cognitae obligationis.* Quam quidem doctrinam de *spatio mensis* probat etiam s. Alphonsus l. c. ceu probabilem contra eos, qui ex alio Edicto praecedenti contendebant, concedi solum 12. dierum spatium.

743. Ceterum quoad excommunicationem, quam incurrit quisquis culpabiliter differt denuntiationem ultra mensem, disputatum olim fuit, cui et quomodo esset reservata. Porro Edicta s. Officii Inquisit. quoad denunciandos sollicitantes, prouti ea refert Laurentius Cozza *Dub. Select. circa sollicit.* dub. ultim., s. Officio absolutionem reservant, etiam post factam denuntiationem meritoque advertit idem Cozza, opinionem, quae facultatem absolvendi reum post denuntiationem tribuebat cuilibet confessario (vid. s. Alph. n. 693.) profluxisse primitus ex sensu aequivoco, quem praeferebant verba cuiusdam Edicti, prouti a Lupo summatim referebatur. Attamen immutatam deinceps hac in re disciplinam fuisse, indicat etiam Giraldi l. c. in not. praec. pag. 627.-628. inquiens: *Omittens denuntiare confessarium de sollicitatione intra dictum mensem, etiamsi postea denuntiasset, olim non poterat absolvi nisi a dicta Inquisitioue Romana; hodie tamen ex decretis eiusdem* an. 1735. et 1758. *absolvi potest a quolibet confessario.*

Verum omnem de hac re controversiam adimit Constit. *Apostolicae Sedis* ann. 1869., in qua *Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sivè sacerdotes, a quibus sollicitati*

fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV., Constit. Universi 20. Aug. 1622. *Benedicto XIV.*, Constit. Sacramentum Poenitentiae 1. Iun. 1741., declaratur incurrere excommunicationem latae sententiae *nemini reservatam.*

744. Quoad modum denuntiationis, perpende quod docet Instructio s. C. Inq.: anni 1867. n. 12. « Denuntiationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denuntiationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato, cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat etc. ».

Quaeritur autem an is, qui per se ipsum denuntiationem exsequi non potest, teneatur id praestare per epistolam vel mediam personam seu internuntium.

S. Alphonsus n. 699. censet, verius tenendum adesse hanc obligationem. Ratio, quia non agitur de obligatione sistendi se coram tribunali, sed indicandi iudici competenti reum, ut loquitur Bened. XIV. sup. n. 551. Qui autem tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Contradicere non ausim huic s. Doctoris sententiae. Veruntamen *quoad epistolas* cautissime agendum est; quia aetate hac nostra quae epistolae committuntur, magnum periculum revelationis incurrunt, uti notum est.

Haec quidem statuit Instructio s. C. Inq. anni 1867. n. 7. « Denuntiationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se vel per epistolam vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium vel s. Sedem per s. Poenitentiariam vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis et deinde se gerat iuxta instructionem, quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui Confessarii ».

Quoniam denuntiatio per epistolam non caret periculo; si epistola utendum sit, non opus esse censemus describere statim delictum enucleate; sed praestare videtur, ut poenitens generatim moneat aliqua ratione quempiam ex iudicibus competentibus, se habere, quod denunciet, sed non posse per se accedere. Et sic pertinebit ad iudices, ut modum aptiorem exquirant, quo perfici res possit (a).

745. Modum autem aptiorem Carboneanus (apud Giraldi p. 640. 2ª a) esse dicit, si delegetur munus excipiendi hanc denuntiationem confessario sollicitati. Qua de re exstat instructio s. Inquisitionis 27. Septembris 1624. (apud Giraldi pag. 642. n. 15.), qua facultas fit omnibus

(a) Adde Instructionem s. C. I. anni 1867. iam citatam; quae id tanquam certum supponens, modum praescribit n. 8., quo talis denuntiatio recipi debeat. — E.

Episcopis et Inquisitoribus, ut confessarium delegent, qui *scripto* et iuramento excipiat denuntiationem, quam deleganti deinde transmittat. Quae facultas iam confirmata anno 1667. 24. Ianuar. probante Pontifice, confirmata est 7. Iul. 1725. ut exciperetur a confessario sine interventu Notarii; quamquam hanc facultatem s. Congregatio neget Vicariis Episcoporum, ut constat ex alia instructione 14. Iul. 1753.: quae instructiones prostant apud Giraldi pag. 643. n. 17. et 18.

Veruntamen monet s. Alph. n. 699. cum aliis, non expedire, quod confessarius sibi onus assumat aut deferendi denuntiationem loco poenitentis, aut etiam eam excipiendi; quippe non paucis detractionibus et periculis exponeretur.

« Multo vero minus (subdit s. Alph.) ad id confessarius tenetur; unde non mihi videtur probabile, quod scribit Mazzotta, teneri confessarium vice poenitentis ». Solum concedit, quod in aliquo casu (puta si alicubi publicum immineret damnum nec alia pateret via ad illud vitandum) posset confessarius obligari ex lege caritatis ad huiusmodi onus suscipiendum; sed hoc (inquit s. Alph.) raro accidet.

746. Notat autem s. Alphonsus n. 699. doctrinam Delbene; « quod si femina multum repugnet adire Inquisitores (et addendum, si difficile id possit, quia filia v. gr. non posset sine matre, rei inscia, Episcopum adire etc., qui casus non sunt rari), poterit exspectare confessarium, qui pro ipsa denuntiationem deferat ». Praeterea Instructio s. Inquisitionis 27. Septembris 1624. addit (apud Giraldi pag. 642. n. 15.): « E se oltre le cose suddette (idest facultatis factae confessario excipiendi denuntiationem) occorrerà altro caso grave, per il quale il penitente non si possa indurre, sua Santità vuole, che se ne scriva e si aspetti la risposta ed intanto non si proceda all'assolutione ».

Quam doctrinam dum refert s. Alph. ex Mazzotta, addit cum eodem n. 699., aliquando s. Sedem indulsisse in casu magnae verecundiae et panici timoris, ut confessarius absolveret pro ea vice poenitentem citra onus denunciandi.

Item Card. Albitius *de Inconst. in Fide* c. 33. haec habet: « Fuit resolutum 28. Iun. 1567. et. 28. Febr. 1598. et 15. April. 1612. quod quando mulier est nobilis et verecunda nec potest induci ad deponendum in Urbe Roma, consulatur s. Congr. -- Si vero extra Urbem, consulatur Episcopus vel Inquisitor; qui, si habent difficultatem, consulant s. Congregationem: sin minus dent facultatem confessariis absolvendi poenitentem, quae iustis de causis denuntiare recusat; quae tamen debet absolvi sub conditione (h. e. hac imposita obligatione) quod cessantibus causis, teneatur hoc facere ac etiam non adire amplius confessarium, a quo fuit sollicitata.

Et s. Pont. Pius IX. narravit Patri Calvetti, se, cum in minoribus Missiones ageret cum PP. S. I. audivisse a Superiore Missionis, se posse communicare Missionariis hanc facultatem absolvendi sine onere denunciationis, si reipsa in gravi aliquo casu poenitens induci ad denunciationem non posset.

747. Et quidem iuxta s. Alph. n. 694. non potest confessarius hac in re uti generali illo principio, quod si poenitens sit in bona fide, licet eum absolvere, omissa monitione obligationis ad denunciandum. Ratio, quam subdit quasi ex Roncaglia, est, quia ipsi confessario expresse praecipitur a Pontifice obligatio monendi: regula autem generalis de omittenda monitione non profutura, non valet cum agitur de vitando *damno communi*.

Et Instructio s. C. Inq. anni 1867. docet nn. 3. 5. monendos esse poenitentes de hac obligatione neque ab iis admonendis instruendisque eorum bonam fidem excusare atque poenitentes admonitos et omnino renuentes non posse absolvi. Et cum reservetur casus poenitentis, qui renuit denuntiationem facere, manifestum est, Ecclesiam hanc obligationem urgere.

748. Verum nullamne exceptionem haec lex patitur sive adeone urget utilitas boni communis, ut nunquam licita esse possit omissio denuntiationis. Si Ecclesia identidem dispensavit, patet licitam esse posse aliquando omissionem istam. Nam si ratio boni communis efficeret, ut *iure naturae* omitti nequiret denuntiatio, certe nec Papa posset ab ea dispensare. Idque praesertim valet quoad aliquos speciales casus, quibus lex denuntiationem praecipit, ut ex. gr. cum constat confessarium, qui sollicitavit, iam esse emendatum vel (puta quia surdus evasit) non amplius audire confessiones.

Et generatim concedi debet, eum excusari, qui rationabiliter ex denuntiatione grave sibi damnum in vita, fama aut temporalibus bonis timeret. Quippe ad haec damna praecavenda adest cuique ius naturae quod iuri positivo praevalet. Insuper non solet Ecclesia ad suarum legum observantiam cum tam gravi incommodo impellere. Ubi tamen sollicitatio ortum duceret ex contempta sacramenti religione, aut animarum pernicies sequeretur, ratio boni communis et Religionis obsequium privato damno anteferri deberet.

Certe haec obligatio suspenditur quibusdam in locis. Haec sane notat Giraldi l. c. pag. 640. d. d.: « Qui in partibus schismaticorum, haereticorum et mahumedanorum degunt, licet subiecti Constitutionibus contra sollicitantes, tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denuntiati atque mulieres sine periculo et infamia denuntiare nequeant, denunciatos vero poenam declinare

facile posse credatur, recurrendo vel ad Episcopos schismaticos vel ad laicos iudices infideles, ex decreto s. Officii die 21. Febr. 1630. attentis supradictis causis, absolvendi sunt et liberandi ab huiusmodi onere denunciandi; moneri tamen debent, ut cessantibus supranarratis periculis et impedimentis, teneantur denuntiare ». Ad quae hoc solum notabimus, optandum fuisse ut Giraldi referret decretum potius quam confusa illa ratione ipsum innueret. Etenim cum plures enumeret circumstantias, non indicat deinde, utrum istae ex mente seu Decreto s. Officii requirantur simul concurrentes, an vero singulae sufficiant ad excusandum ab onere denuntiandi (a).

Et postremo hoc sensu accipiendum decretum suadere videtur, quod ibi notet etiam *timorem infamiae;* quae ratio sufficit nec necesse est, ut praeterea periculum sit, ne accusatus recurrat ad iudices infideles.

Accedit, quod idem Giraldi pag. 691. n. 7. indicat « Decretum, quo die 22. Ianuar. 1727. s. Congreg. s. Officii respondens dubiis propositis a P. Carolo Iosepho Spediae, Praefecto Missionum in America, declaravit mulieres sollicitatas non teneri ad denuntiationem, si ministri Inquisitionis et Vicarii Episcoporum in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeunt.

Ad quae tamen Giraldi monet, id intelligendum, quandiu durat impedimentum.

749. In dubio sollicitationis, s. Alph. n. 702. sic promit mentem suam.

1° Si factum sollicitationis sit certum, sed dubitatur, quis sit ille confessarius (Petrus ne, an Antonius, ut evenire potest, ubi plures sunt confessarii et poenitens ignorat, qui illi sint et forte nec determinare scit confessionale aut cubiculum etc.); censet s. Alphonsus, *tunc solum* denuntiationem faciendam, quando iudices facile per suam diligentiam certi fieri possunt de persona sollicitantis. Ratio, quia alias sacerdos aliquis, forte innocens, remaneret aliquo modo diffamatus et in dubio servari illaesa debet fama proximi, qui famam suam possidet.

2° Si persona confessarii certa sit, sed dubitetur, an eius factum vel dicta contineant sollicitationem; tunc cum *communiori et veriori* sententia dicit s. Alph. n. 702. non esse obligationem denuntiandi. Ratio est tum quia dubia in meliorem partem sunt accipienda, tum quia in verbis ambiguis benignior interpretatio facienda est, tum quia

---

(a) Imo cl. Pennacchi testatur, hoc decretum in Archivo congr. non esse repertum haberique pro spurio. Vol. I, p. 630. — E.

in dubio nemo privandus est fama sua, tum quia dubium crimen non est crimen et Constitutiones Pontificiae denunciari iubent *crimen sollicitationis.*

Duos tamen casus excipit post alios s. Alph. nempe 1° si accedant vehementia indicia de sollicitatione; quia haec satis fundant moralem certitudinem: 2° Si verba per se praeseferant sollicitationem et solum dubitetur, an ad malum finem confessarius ea protulerit; nam praesumitur finis, qui consonat proprietati verborum.

750. Ultimo superest notandum, Benedictum XIV., ne quis unquam ex decretis tam severis contra sollicitantes ansam sumeret opprimendi aut vexandi innocentes sacerdotes, reservasse Romano Pontifici absolutionem criminis eorum, qui falso accusant de sollicitatione, aut ad falsam hanc accusationem impellant. Ita ille (Const. *Sacramentum* §. 3.): « Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut quovis alio modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant; ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando vel *sceleste procurando*, ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a nobis nostrisque successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat ».

Haec reservatio (absque censura utique) adhuc viget. Instr. s. C. Inq. an. 1867. n. 1. « Apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus, qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat ». Oportet ergo ut sit denuntiatio iudicialis, non sola diffamatio.

Probat autem s. Alph. n. 693., reservationem quoad suadentes tunc habere locum, cum fuit *efficax* ita ut sit causa secutae iniustae denuntiationis et nisi suasio efficax ante exsecutionem efficaciter revocetur.

* DE SUFFRAGIIS ET INDULGENTIIS (a). *

751. Tractationi speciali *de Indulgentiis* praemittere solent Theologi generalem *de Suffragiis*, cui consuetudini et nos, breviter quidem, morem geremus. Utraque tractatio nectitur cum ea parte Poenitentiae Sacramenti, quae *Satisfactio* vocatur: ut idcirco A. quaestionem de Indulgentiis subiecerit quaestioni de satisfactione; omnia enim eo spectant, ut compensatio aliqua Deo exhibeatur pro debito poenae.

§. 1. *De suffragiis generatim.*

752. Suffragium heic intelligitur satisfactio, quam quis Deo offert pro alio. *Satisfactio* dicitur, quae alia est a *satispassione*. Satisfactio scilicet est actio poenalis, quam quis libere ponit et de qua tanquam dominus disponit, ut possit eam pro se vel pro alio offerre: in satispassione homo passive tantum se habet. Porro satisfactio pro alio oblata, dicitur suffragium.

Distinguitur proinde ab impetratione, qua orando aliis obtinemus, et a merito, quo alter alteri meretur (de congruo) quoddam divinum beneficium.

Est ergo suffragium opus quoddam poenale, quod quis facit et quo posset pro se satisfacere, quod tamen Deo offert, ut valeat in satisfactionem pro altero.

Agitur tantum de debito poenae temporalis; pro poena enim aeterna nemo in peccato exsistens pro se nec iustus pro alio (nisi Christus Salvator) satisfacere potest. At quaestio est de satisfactione, pro altero oblata, poenae temporalis.

Constat, dari hanc suffragiorum communicationem, h. e. posse alterum pro altero satisfacere; est enim haec quaedam *communio Sanctorum*, quam credimus; qua de re cf. Theologos dogmaticos.

753. Convenit inter meritum et satisfactionem, quod uterque est actus personalis ideoque spectata origine, eius solum sunt, a quo procedunt: at differunt ratione habita applicationis; quamvis enim meritum nostrum nequeat evadere meritum alterius, nostra tamen satisfactio, quam nempe nos agimus, fieri potest satisfactio alterius, nimirum non secus ac si ab ipsomet peracta fuisset.

(a) In hanc rem quemadmodum et in duas seqq. sectiones nihil in suis adversariis reliquit P. Ball.

Scilicet mereri quis valet et alteri, sed non ita, ut abdicans a se rationem sui meriti, transferat illam prorsus in alium, qui idcirco talis ante Deum constituatur, ac si ipse meruisset: at homo valet pro altero satisfacere ita, ut totum ius suae satisfactionis transferat in alium et sic iste ante Deum non secus moraliter censendus sit, ac si ipse actu suo satisfecisset. *Moraliter* inquam; nam reipsa opus satisfactorium est et pergit esse physice et vitaliter eius qui operatur; sed pro alio ita acceptatur, ut hic alius per illud ipsum opus ius acquirat ad condonationem poenae.

Ratio discriminis haec est. Meritum est nova perfectio et dignitas merentis cum exigentia praemii; infert proinde intrinsecam mutationem merentis, eo quod gratior Deo et sanctior evadat: porro repugnat, ut concipiatur nova perfectio, dignitas atque intrinseca mutatio, cum exigentia praemii, in eo, qui non agit: meritum ergo proprium et privum est agentis et ab eo inalienabile. E contrario satisfactio est compensatio honoris laesi exhibita personae offensae; atqui compensari honor personae offensae potest, sive offensor sive alius pro eo debitum solvat, imo fieri potest, quod maior sit compensatio ab alio exhibita, si hic sit nobilior et excellentior. Itaque alter ab offensore talem satisfactionem offerre potest, ut personae offensae honor ab offensore laesus vere reparetur; ergo alter potest alteri satisfactionem a se actam ita applicare, ut hic vere satisfecisse censeatur. Ut autem actu obtineat talis satisfactio pro alio, id solum requiritur, quod persona offensa eam acceptet satisfactionem; nam integrum semper ei est, satisfactionem exigere ab offensore, non quia haec sit maior vel melior, sed quia ipse illam debet.

Quemadmodum satisfactio, quam iustus exhibet pro solvendo suo debito poenae temporalis, est condigna respectu illius debiti, quod exstinguit, ita et satisfactio se habet, quam iustus pro alio offert; exhibet scilicet compensationem aequalem debito. Eiusdem enim est valoris et pretii sive pro se sive pro alio offeratur atque illud solum postulatur, ut a Deo offenso acceptetur: est ergo in actu primo condigna et posita acceptatione vim suam exerit. Porro certum est, Deum paratum esse ad acceptandum et generatim acceptare huiusmodi satisfactiones pro aliis; spectat enim haec communicatio satisfactionum ad communionem Sanctorum.

Quocirca poena temporalis non est definita a Deo exclusive poena Purgatorii; sed vel illa vel alia in hac vita loco illius toleranda atque haec vel per se ipsum vel per alium suffragatorem. Suarez disp. 48. sect. 2. n. 5.

754. Sed quaestio est, an semper actu habeatur acceptatio Dei, quoties alter pro altero offert convenientem satisfactionem, cui nimirum nihil desit in actu primo: scilicet quaeritur, an effectus talis satisfactionis pro alio exhibitae sit infallibilis.

Dissident DD. Lugo *de Poenit.* disp. 26. n. 5. dicit communiorem et veriorem sententiam affirmantem atque ita censet Suarez *de Poenit.* disp. 48. sect. 3. n. 9.: negantem alii tenent, quos iidem referunt. Res, puto, eo redit, ut illud dicamus de infallibilitate suffragiorum, quod dicimus de infallibilitate orationis. Pro utroque casu adest promissio Dei acceptandi (explicita pro oratione, implicita saltem in communione Sanctorum pro Suffragiis) et cf. quae diximus tr. VI. Vol. II. 316. At quemadmodum promissio Dei exaudiendi preces non impedit, quominus identidem non exaudiat h. e. non praestet id quod petimus, si id videat nobis non expedire, sed praestet aliud; ita promissio Dei acceptandi satisfactiones pro aliis non impedit, quominus identidem non acceptet pro eo, pro quo offertur, sed vel illi imputet, qui offert, vel alii egenti; eo quod videat, expedire magis illi, pro quo satisfactio oblata fuit, ut ipse per se solvat vel id conferre magis ad aliquem finem, quem Deus intendat.

755. Manifestum est, quod satisfactio pro altero oblata, ex ea parte, quae alteri cedit, nequit satisfacere simul pro offerente et pro eo cui offertur, sed solum pro hoc; quamvis illius meritum augeatur propter actum caritatis. Nam una solutio nequit duobus paribus debitis facere satis. Cf. Suarez disp. cit. sect. 2. n. 17. Diximus: ex ea parte, quae alteri cedit: nam si duplex sit valor, tum ex opere operantis tum ex opere operato, cuiusmodi foret si pro poenitentia imponeretur a confessario suffragium aliquod pro mortuis; satisfactio, prout est ex opere operantis cederet in beneficium alterius, manente apud eam peragentem satisfactione ex opere operato. Cf. Lugo disp. cit. n. 11.

Porro si satisfactio, quae pro altero offertur, nequeat illi applicari, puta quia est in statu peccati vel damnatus, ea ad offerentem redit: qui non alia conditione ipsam a se abdicaverat, nisi ut illi prodesset.

Advertit Lugo disp. cit. n. 20., quod, quamvis qui pro alio satisfacit, non pro suo debito sed pro debito alterius solvat, nihilominus indirecte minuit hoc ipso debitum suae poenae. Nam propter illud opus bonum caritatis augetur eius gratia, fit nempe Deo gratior et sanctior; ex hoc autem consequitur, quod poena ex. gr. decem dierum, quam prius debebat, modo sit tantum octo dierum; nam in homine magis grato poena octo dierum aequivalet poenae decem dierum in homine minus grato: quia eadem materialiter poena in homine nobiliore et magis grato censetur maior poena, quam in homine inferioris notae.

756. Quaerit idem Lugo, an possit homo applicare alteri satisfactionem, quae sibi ab aliquo alio applicatur, vel quae ipsi provenit ex opere operato, ex baptismo ex. gr. vel martyrio. Eadem, iuxta ipsum, ratio est in utroque casu; cum satisfactio ex opere operato sit ipsa satisfactio Christi eidem applicata. Respondet vero disp. cit. nn. 11. seqq. non posse id regulariter fieri. Et ne confusio gignatur, cum quaestio fit de martyre, adverte, Lugo loqui de satisfactione, quae esse dicitur ex *opere operato,* ipsi martyrio per se annexa, quodcumque sit meritum personale martyris. Non autem loquitur de ea satisfactione, quae sit ex *opere operantis*, ne videatur ignorare, martyres seu potius confessores olim suas satisfactiones libellis datis obtulisse pro poenitentibus.

Quod ergo dicit, ostendit primo a posteriori, ex consequente scilicet absurdo, quod sequeretur. Consequens enim esset, martyrem ex. gr. posse expiationem omnem reatus poenae in alterum transferre et sic ipsum manere debitorem poenae, quam pro peccatis suis debebat et sic fieri posse, ut in purgatorium detrudatur et pro ipso sit orandum: id autem est contra Ecclesiae sensum; omnes enim tenent, martyrem vel eum, qui statim a suscepto baptismo moritur, non detineri in purgatorio, propter plenitudinem remissionis, quam ex opere operato accipiunt.

Tum id ostendit a priori, scilicet, a priori, ait, ratio esse videtur, quia ut quis valide alteri applicet satisfactionem suam, oportet ut ipse active sit eius dominus, auctor nempe operis, quo satisfactio exhibetur, non sufficit, ipsum eam ab alio recipere, passive se habendo. Quamvis enim operis fructus alteri applicetur, opus tamen est ac manet ipsius operantis: porro opus ad hunc vel illum finem dirigere eius est qui operatur et idcirco Deus acceptans illius solum intentionem attendit, qui activum dominium operis habet. Quemadmodum ergo, si Petrus velit oratione sua impetrare pro me, non possum ego impetrationem illam offerre pro alio; quia illa oratio non est mea, h. e. quia ego nec oro nec possum orare per orationem Petri: ita si Petrus ieiunet pro me, non possum ego illud ieiunium applicare pro alio; quia sicut impetratio est actio personalis, ita et satisfactio, quae mihi quidem prodest ac si a me posita esset, sed est tamen actio propria Petri, qui loco mei Deum placat. Dices: cur non possum renuntiare alteri, quod mihi alius donat? Respondet Lugo: si ipsum opus satisfactorium ab alio positum evaderet tuum, nulla difficultas in hac renuntiatione: at si tuum tantummodo moraliter censetur, quatenus loco tui ab alio ponitur et pro te applicatur, nequis illud alteri applicare: quia *applicatio ad eum pertinet, cuius est opus.* Ita Lugo l. c., qui tamen, quod spectat ad applicationem

satisfactionis provenientis ex opere operato, advertit, posse sacerdotem alteri applicare fructum satisfactionis provenientem ex opere operato sacrificii; huius enim fructus administrator est sacerdos, tanquam minister Christi et sicut Christus princeps sacerdos potest eum fructum cui vult applicare, ita sacerdos, quem Christus sibi substituit. Cf. sect. praeced. Vol. IV. 1037. seqq. Et haec ratio est, cur dixerit Lugo *regulariter* non posse aliquem alii applicare fructum, qui sibi provenit ex opere operato.

757. Verum ecce, post aetatem Cardinalis Lugo, Romani Pontifices Benedictus XIII. decreto anni 1728. 13. Aug. Pius VI. decreto anni 1788. 12. Dec. et Pius IX. decreto 10. Sept. 1852. probarunt atque Indulgentiis auxerunt *Actum heroicum caritatis* erga animas in Purgatorio detentas. Porro iste actus in hoc est situs, ut *Christifidelis, sive aliqua adhibita formula sive etiam solum mente, offerat Deo O. M. pro animabus Purgatorii omnia opera satisfactoria, quae ipse, quad vixerit, peraget necnon* OMNIA SUFFRAGIA, QUAE POST MORTEM QUOMODOCUMQUE EI OBVENIRE POTERUNT. Heic habes probatam praxim applicandi aliis satisfactionem, quam alter pro me offerat. Censuit ergo Romana Sedes, id fieri posse Deoque gratam esse huiusmodi translationem satisfactionum. Scilicet praevalet heic quoque applicatio principii: me posse in alios transferre quod mihi donatum est: sive quia de bono meo disponere possum, sive quia possum impetrare a Deo, ut satisfactionem pro me Ipsi oblatam Ipse, quod sui tandem supremi iuris est, acceptet pro aliis.

Nec illiberalis est ista donatio; nam, etsi maneat nostrum debitum poenae, quod est quoddam temporale malum, at meritum ex caritate augetur: amissio scilicet temporalis beneficii compensatur aeterno bono, cuiusmodi erit augmentum gloriae illi merito respondens. Sed praeter haec, diligenti Deum et proximum idonea satis est ratio huius abdicationis tum animarum dilectarum festinata liberatio tum maior Dei gloria, quae obtinet hac ipsa festinata introductione animarum ad gaudia beatorum. Cf. praeterea n. 755.

758. His positis, quae ad notitiam suffragiorum spectant, quaeritur 1° qui possint offerre: 2° pro quibus possint offerri suffragia. Supponimus actiones esse poenales et satisfactorias.

Iam vero ut suffragia offerre quis possit, debet esse viator, ut omnes DD. supponunt; hic enim, cum sit dominus suarum actionum poenalium, quas exercet, sicut potest eas offerre pro se, ita potest offerre pro alio: at sancti in caelo nullas poenales actiones exercent; earum vero, quas olim exercuerunt, non amplius sunt domini, sed in thesauro Ecclesiae reconditae sunt, si ipsis non profuerunt. Peracta sane actione

cessat in agente eius dominium. Porro qui in Purgatorio sunt, nequeunt quae patiuntur offerre pro aliis, quia sub sententia sunt damnationis ad eas poenas: ideoque satispati possunt, non satisfacere h. e. offerre pro aliis suam compensationem.

Altera conditio est, quod offerens suffragium Deo pro alio, sit in statu gratiae, Dei nempe amicus. Haec est rursus communis doctrina. Sane qui nequit pro se satisfacere, neque pro alio poterit et quamvis opera bona et laboriosa poenitentis sint Deo accepta et pro ipso agente valeant, ut ei mereantur de congruo iustificationem et sic ex consequenti poenae aeternae remissionem, carent tamen ratione proprie dictae satisfactionis; quia non habent vim compensandi pro poena; nequeunt ergo accipi pro satisfactione alterius.

759. Heic tamen suboritur quaestio, an haec conditio iustitiae necessaria sit in eo, qui suffragia nomine Ecclesiae offert.

Seposito sacrificio Missae, quod per se vim habet ex principali offerente ideoque valet, etsi sacerdos sit in peccato, quaestio est de aliis operibus, quorum duplex est genus; quatenus vel preces sunt quae impetrant, vel poenalia opera, quae satisfaciunt.

Respondemus breviter cum Lugo disp. 26. n. 27., orationes quidem nomine Ecclesiae factas vim impetrandi habere; quia Ecclesia per illum ministrum suas preces et vota repraesentat Deo et sic ipsa impetrat (cf. dicta in sect. praeced. Vol. IV. 996.): satisfactiones quae fructus sint operum poenalium (prout officia et cetera suffragia, quae Ecclesia suis ministris imperat, habent poenalitatem quandam), quae minister nomine Ecclesiae exerceat, nullas esse, si minister sit in peccato. Nam per eas minister nequit ex se satisfacere ut dictum est: neque per eum Ecclesia satisfacit, quemadmodum impetrat; quia ecclesia nihil patitur h. e., opus penale non exercet neque satis est, opus ab ipsa imperari, ut ipsa dicatur pati, quemadmodum satis est, orationem ab ipsa imperari, ut dicatur per suos ministros orare. Cf. Suarez disp. 48. sect. 8. non. 2.-4. Ceterum, ut idem Suarez advertit, non solet Ecclesia praecipere ministris suis opera poenalia, prout talia et sic satisfactoria nomine suo exercenda, sed solum orationes, aut sacrificia aut alios actus cultus religiosi, qui vim habent impetrandi.

760. Tertia conditio est intentio determinata satisfaciendi pro alio, oportet scilicet, ut quis offerat pro alio id quod ipse facit; secus fructus operis ad operantem spectabit, aut, si eo non indigeat, in communem Ecclesiae thesaurum refundetur: haec autem intentio elicienda est, cum quis dominium sui operis habet, scilicet debet antecedere opus, non subsequi. Sufficit autem intentio habitualis seu prius habita et non retractata quoad omnia vel quaedam futura opera satis-

factoria: accedente enim acceptatione (quae heic ex parte Dei supponitur) ea voluntas sufficit ad donationem.

761. Conditiones in iis, pro quibus offerantur suffragia, requisitae, ut eadem valeant, sunt.

1ª Obligatio hominis vel animae erga Deum ad aliquod debitum poenae, quod finita compensatione exstingui potest. Hinc pro beatis et damnatis nequeunt suffragia offerri; possunt pro animabus in Purgatorio exsistentibus, ut definivit Trid. Syn. sess. 25. ab init.; qua de re cf. Theologos dogmaticos; tum offerri possunt pro hominibus viatoribus.

Haec autem obligatio actu esse debet, cum suffragium alter offert, sive, aliis verbis, indigentia illius, pro quo offertur suffragium, debet esse actualis; non enim reservatur pro culpis forte futuris. Nam poena, cuius instar est satisfactio, supponit culpam et si nequit quis nunc pro suis culpis futuris satisfacere, multo minus poterit pro alienis.

2ª Conditio est status gratiae; quandiu enim quis est Deo inimicus et debitor aeternae poenae, nec satisfactio ab homine offerri potest pro hac poena neque aequum est, ut in eius favorem satisfactio a iusto oblata accipiatur loco poenae, quam peccator forte pro peccato iam remisso adhuc debet.

3ª Conditio est, ut iam sit remissa culpa, pro cuius reatu poenali abolendo satisfactio offertur. Sane quandiu culpae reatus manet, oportet et debitum poenae manere; absurdum est enim, aliquem culpae reum esse et nullam debere poenam.

4am Conditionem quidam addunt, ut satisfactio acceptetur, saltem interpretative, ab eo, pro quo offertur: verum id non est opus, sufficit enim acceptari a Deo. Nam reapse Deus est, cui offertur et si is acceptat et sic remittit debitum poenae, quam alius debet, hic, velit nolit, nihil amplius debebit. Cf. Lugo disp. cit. sect. 2.

762. Quaestio est circa opera, quae offeruntur pro defunctis, ex eorum iussu, puta ex testamento, an prosint illis, etiamsi ab herede vel exsecutore fiant in statu peccati, an eorum omissio eis noceat.

Seposita Missa, de qua quaestio non est, distinguuntur alia opera in opera pietatis, ut eleemosynae, fundationes, pia legata etc. et opera iustitiae, ut rei alienae restitutio.

Porro (ut quod supponitur praeoccupemus) non negamus, opus externum superadditum interno, quamvis meritum non augeat augere satisfactionem, ut scilicet ex. gr. plus exstinguatur debiti poenae ieiunanti, quam volenti ieiunare, etsi quoad actus internos sint pares. Nam aequitas satisfactionis fundatur in hoc, quod aequum sit, non

puniri iterum eum, qui iam se ipsum voluntarie castigavit; plus vero se castigavit qui ieiunavit, quam qui voluit ieiunare et poenam certe ille maiorem subiit, quam sensus experitur. Non est ergo consequens, ut non iterum castigetur qui solum voluit ieiunare, si non castigatur ille, qui volens ieiunavit. Cf. Lugo disp. 24. n. 45.

Haec certa sunt, cum idem est, qui opus externum vult illudque ponit. Opus externum cum actu interno plus ad satisfactionem confert quam solus actus internus.

763. At idemne dicendum, cum opus externum est ab alio ponendum, ut alter quidem mandet opus, alter exsequatur? Exsecutio operis a mandatario posita (praecisione facta ab eo quod exsecutor satisfactionem propriam suae actionis offerat pro mandante), eo quod est ex voluntate mandantis, augetne pretium satisfactionis, quod iam obtinuit sibi iussione operis ipse mandans? Manifestum est, ut quis, non ut satisfactione fruatur pro se ab alio oblata, sed ut ipse pro se satisfaciat, necesse esse, opus satisfactorium ab ipso poni; quandiu enim et quatenus non agit, non est cur ipse dicatur pro se satisfacere.

Itaque, si cum opera pietatis iussit testator, is erat in gratia vel moriens in gratia, ea rata habuit, tunc certe et meruit et satisfecit, quantum dignitas operum et eius capacitas ferebant; tunc enim libere illa voluit posuitque, quantum in ipso erat, causam eorum: quod si heres detrectat ea praestare quae defunctus iussit, defectus illius nequit minuere meritum defuncti. At eodem pacto nequit exsecutio rei praeceptae augere meritum.

Nam tota ratio meriti et satisfactionis sita est in libera electione eorum bonorum et in ponenda causa eorundem: atqui haec exstitit ante mortem et est quoddam antecedens independens a consequenti, exsecutio autem actus est personalis alterius, qui defuncto nequit imputari, nisi quatenus eum voluit et ordinavit, quod totum ante mortem absolutum est.

Ergo haec exsecutio satisfactionem testatoris non auget. Hinc porro solutio quaestionis.

Sive enim heres aut operis exsecutor opus ponat in statu exsistens peccati sive gratiae, per se id nihil confert ad augmentum satisfactionis pro defuncto propter illud opus ab eo praeceptum; nisi quod qui opus exsequitur in statu gratiae, suam propriam satisfactionem, quam ex suo opere obtinet, potest offerre pro defuncto; ad quod tamen non tenetur.

Idem dicendum de operibus iustitiae, ut solutione relicta debiti, sive fiat sive omittatur; nam eadem est ratio et solum per accidens satisfactio pro defuncto augebitur, quatenus creditores satisfacti, sicut et

hi qui eleemosynas accipiunt, facile pro defuncto orabunt aut alia offerent suffragia.

764. Nihilominus haud repugnat, quod defectus debitae solutionis ex parte eorum, qui a defuncto iussi sunt, ratio sit prorogatae poenae defuncti et illius exsecutio ratio liberationis a poena. Nam non repugnat, quod, quamvis citra culpam defuncti omittantur haec opera iustitiae, Deus tamen nolit in suum regnum admittere animam defuncti, nisi satisfacta parte olim ab eo laesa et sic poena Purgatorii prorogetur, nondum acceptatis pro ea anima suffragiis, quae offerantur. Congruum est enim, ut ille non gaudeat, dum alii eius causa patiuntur. Atque talem identidem esse oeconomiam divinae Providentiae, quae multis variisque modis satisfactionem debitae poenae exigere novit, suadere videntur plures privatae revelationes, quas omnes contemnere puerile est.

Nec timendum est, ne plusquam digna est, anima puniatur; nam novit Deus gravitatem poenae ita minuere, ut quod intensitati detrahitur, compenset extensio. Haec ergo potest esse specialis quaedam ratio vindictae, qua Deus in Purgatorio peccata ulciscitur, ut tandiu duret poena, quandiu debiti solutio, quam Deus futuram praevidit, actu ponatur. Non tamen arbitrandum est, semper hoc pacto Deum cum debitoribus agere: quid enim si debitor quidam, testamento rite condito, martyr occumbat? Cf. Lugo disp. 26. n. 33.

765. Quaeritur tandem, an debiti alterius exstinctio obtineri ab iusto possit sola oblatione satisfactionis, an etiam oratione impetrari. Quae quidem quaestio et de exstinctione proprii debiti fieri potest.

Sententia affirmans verior videtur Lugo disp. 24. n. 20. seqq. Nam tandem, cum alia beneficia orando impetrare possimus, cur non istud, quod est remissio poenae neque est ex potioribus beneficiis? Nonne Ecclesia in officio et Missa defunctorum saepe orat pro illis? nonne eadem Ecclesia censet, sanctos pro defunctis orare, ut in quadam oratione dicitur: *b. Virgine intercedente cum omnibus sanctis, suorum delictorum veniam consequantur?* Nec satisfactio deest; nam quod impetratur, est, ut Deus satisfactiones Christi applicet vel acceptet pro tali debito.

Contra est, quod, hoc admisso, Sancti et b. Virgo suis validissimis intercessionibus facile exhaurirent Purgatorium. Sed nonne Deus modum ponere potest desideriis Sanctorum? Propter eam rationem tamen, Sanctorum intercessio, iuxta plures, eo spectare videtur, ut assequantur, suffragia a viventibus pro defunctis offerri et a Deo efficaciter acceptari. Cf. Suarez disp. 37. sect. 10. n. 4. seqq. et disp. 48. sect. 5. num. 8.

Forte privilegium sabbatinum melius in priore sententia explicatur

§. 2. *De Indulgentiis.*

I. Resp. 1. Indulgentia est gratia, qua, certo aliquo opere, quod concedens praescribit, praestito, debita Deo poena temporalis (non autem culpa) extra sacramentum, sacrificium et martyrium, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum, remittitur: idque vel per modum absolutionis erga subditos Ecclesiae, vel nudae solutionis erga non subditos, ut defunctos et catechumenos, quibus proinde tantum dantur indulgentiae per modum suffragii. Suar. Conin. Fill. Sanctarel. Bon. d. 6. q. 1. p. 1.

766. Quid Indulgentia sit, declarant Theologi dogmatici et nos in App. ad Tract. nostrum de Poenitentia, hanc pertractavimus materiam eius omnia elementa singillatim perpendentes eiusdemque antiquum usum in Ecclesia ostendimus. Haec non vacat repetere moralem doctrinam trahituris, quibus satis erit, vestigiis Auctoris insistentes ea declarare, quae paucis idem docet. Qui plura cupit, adeat Theologos vel nostrum tr. cit.

767. Definitio, quam tradit A. complectitur utramque Indulgentiam, pro vivis nempe et pro defunctis et utriusque docet discrimen. Itaque

1° Indulgentia est *gratia*, tum quia est beneficium quoddam, tum quia est beneficium non debitum, cuius collatio libera est administratori thesauri Ecclesiae.

2° *Certo aliquo opere, quod concedens praescribit, praestito.* Hic est ordinarius modus concedendi Indulgentiam: ut nimirum aliquod opus pium praescribatur, propter quod Indulgentia detur illud peragentibus. Sane necesse est, esse rationem aliquam, cur poena Deo debita remittatur ab Ecclesia, quae nequit sine causa thesaurum, cuius tantum habet administrationem, distribuere aut ius, quod Deus habet ad poenam ab hominibus exigendam, dissolvere. Ratio autem debet esse eiusmodi, ut veluti Deo compenset id, quod Ipsi detrahitur per condonationem debitae Ipsi satisfactionis. Id porro est aliquod pium opus ad eius gloriam et honorem conducens. Dicimus hunc esse ordinarium modum concedendi Indulgentiam, praescriptionem certi pii operis; nam subinde propter ipsa merita quae praecesserint, veluti eorum praemium indulgentia conceditur alicui a Rom. Pontif. puta in articulo mortis: porro hoc quoque in casu ratio adest, cur Indulgentia concedatur.

Quemadmodum vero opus est, rationem esse aliquam, cur Indulgentia concedatur, ita pariter opus est, proportionem esse quandam inter opus praescriptum et quantitatem Indulgentiae concessae: sed de hac re in seq. resp.

Illud autem est sedulo advertendum, opus praescriptum esse conditionem, pro Indulgentia consequenda, non esse causam seu rationem

consecutae remissionis: causa est ipsa concessio Indulgentiae, quam confert qui potestate in hac re instructus est, qui Indulgentiam concedens, hoc ipso remittit poenam (cum agitur de vivis) vel saltem offert compensationem ex thesauro Ecclesiae (quod pro vivis et defunctis valet). Quocirca remissio poenae, quae per Indulgentiam obtinetur, non est ea, quae operi ipsi posito, prout satisfactorium est, debetur; hanc enim remissionem ipse, qui opus ponit, per se obtinet nec opus est, ut ab alio eam accipiat; sed praeter hanc, Indulgentia est alia remissio gratis concessa ex auctoritate concedentis, secundum mensuram ab eodem statutam.

Bonifacius VIII. Const. *Antiquorum* (Extr. comm. *de Poenit. et Remiss.*) concessa Indulgentia plenissima visitantibus anno Iubilaei Basilicas Apostolorum, subdit: « Unusquisque tamen plus merebitur et indulgentiam efficacius consequetur, quo basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit ». Quod priore loco dicitur, spectat ad meritum personale, quod quis sibi lucratur ex perfectione actionis suae idque independens est a concessione Indulgentiae. Altero loco non dicitur quod devotiores vel qui plures quam praescriptas visitationes basilicarum peragent, plus Iudulgentiae sint obtenturi; certa enim simpliciter devotio et frequentia sufficit pro plenissima Indulgentia, res scilicet obtenta eadem est: sed ratio habetur modi ac certitudinis consequendae Indulgentiae; dispositio enim necessaria pro plenaria remissione poenae est praevertens remissio omnis culpae, quam certius consequetur qui devotior est.

768. 3° *Poena temporalis (non autem culpa) extra sacramentum, sacrificium et martyrium remittitur vel per modum absolutionis... vel nudae solutionis...*

Culpa mortalis per sacramentum aut per contritionem perfectam (cum voto sacramenti) deletur: culpa venialis pariter per sacramentum aut actum caritatis aut virtutis excludentis affectum ad culpam aut per sacramentalia debito modo suscepta (cf. tr. huius sect. 1^{m} cap. ult.) deletur. Indulgentia est solum remissio poenae et quidem temporalis, quae manet, remissa culpa sive mortali sive veniali; quandiu enim reatus culpae manet, nequit poena non deberi (n. 761. 3.). Est autem remissio poenae coram Deo, quae Deo nempe debetur.

Auctor enumerat alias causas remittentes poenam temporalem, ut ab iis discernat Indulgentiam. Nam sacramentum baptismi poenae nullius temporalis debitum relinquit: sacramentum poenitentiae partem quoque poenae temporalis iuxta dispositionem suscipientis remittit atque per sacramentalem satisfactionem potest omnem quoque poenam temporalem ex opere operato remittere. Porro quod de baptismo di-

ximus, et in martyrio valet. Sacrificium Missae eo spectare, ut ex opere operato poenae temporalis remissionem conciliet, diximus suo loco. Potuisset A. addere quaevis opera bona satisfactoria, quibus ex opere operantis remissio quidem poenae temporalis obtinetur, sed praeter eam, quae per indulgentiam datur, ut superius monuimus.

Itaque si agitur de Indulgentia concessa pro viventibus, ea formaliter est absolutio a poena temporali, quam Ecclesia ex auctoritate iurisdictionis facit, suppositis meritis satisfactoriis Christi et Sanctorum, quae hac ipsa absolutione applicantur. Idcirco in hac Indulgentia, tum solutio habetur, exhibito pretio meritorum Christi, tum absolutio, qui est actus potestatis, sententiam ferens remissionis.

Constat, hanc potestatem esse per se et pleno iure penes Christi Vicarium*; participative et secundum mensuram ab hoc definitam in aliis Episcopis.

769. Cum sententia haec absolutionis feratur ex potestate facta Petro et haec talis sit, ut solvente Petro in terris, Deus solvat in caelis (Matth. XVI. 19.), patet, effectum huius absolutionis infallibilem esse, dummodo conditiones requisitae sint expletae.

Sequitur autem effectus hic infallibiliter *ex opere operato,* ex posito nimirum exercitio potestatis, operibus iniunctis se habentibus tantum ut conditione disponente subiectum. Quia vero iuxta perfectiorem dispositionem subiecti perfectior est effectus causae efficientis ex opere operato (Trid. Syn. sess. 6. c. 7.). hinc et maior dispositio exercentis opera iniuncta, potest esse ratio cur quis plenius Indulgentiam consequatur, si ea non sit ἐν ἀτόμῳ definita. Si enim ita est, cuiusmodi est Indulgentia plenaria, dummodo vere omnes conditiones ponantur, non est cur dubitetur de eius consecutione. At si datur Indulgentia e. gr. 100. dierum, ea est remissio poenae, quam quis consequeretur peracta poenitentia canonica totidem dierum: porro nullum dubium, quin quo perfectius eam poenitentiam perageret, eo maiorem consequeretur remissionem poenae. Eodem ergo pacto et Pontifex intendit Indulgentiam concedere. Cf. Lehmkuhl Vol. 2. n. 526.

At in animas defunctorum caret iurisdictione Romanus Pontifex, cuius territorium est orbis terrarum (quodcumque solveris, quodcumque ligaveris *super terram*): non restat proinde, nisi ut possit Pontifex pro animabus Purgatorii *solutionem* seu pretium offerre ex thesauro, cuius administrationem habet, quemadmodum licet et nobis nostra suffragia pro illis offerre. Indulgentia proinde pro defunctis est tantum solutio, non absolutio.

Haec omnia obiter nunc tacta demonstravimus data opera Tractatus nostri l. c. quem cf. sis.

II. Resp. 2. Ad valorem indulgentiae requiritur causa pia et rationabilis, eaque, ut habet sententia communior Suar. et aliorum, proportionata effectui et quantitati indulgentiae, saltem secundum concedentis prudentem aestimationem, petendam non ex operis tantum difficultate, sed fine intento et operis ad ipsum utilitate. Ratio desumitur ex natura dispensationis bonorum, quae sine causa ab inferiore facta non valet et est dissipatio. Ita Auctt. citt.

770. Iam dictum n. 767. 2°, opus aliquod bonum requiri, propter quod Indulgentia detur: universalius dicitur postulari causa aliqua pia, distincta ab ipsa utilitate fidelium in obtinenda remissione poenae, aliquid nempe in Dei honorem redundans, quod sit motivum sufficiens condonandae alicui poenae temporalis coram Deo. Cf. Tr. nostrum cit. §. 3. n. 8. Quaeritur, an causa debeat esse proportionata effectui, ita ut pro parva Indulgentia, modicum et minus difficile opus, pro magna aut plenaria, magnum nec leve opus requiratur. Si verum est, exigi aliquam causam, verum erit quoque, exigi causam proportionatam; nam causa non proportionata, sive de efficiente sive de finali agatur, perinde est ac non causa. Neque hac in re Doctores, saltem graves, dissentiunt et communem esse sententiam affirmat s. Alphonsus heic.

Verum dissensio locum habere potest, cum quaeritur, quaenam censenda sit causa proportionata et an satis sit, eam talem videri concedenti Indulgentiam. Quaestiones sunt non admodum pro praxi necessariae et satis sit haec advertere.

1° Recolendum est, remissionem poenae non esse effectum operis iniuncti, sed esse effectum absolutionis, quam ex potestate impertitur concessor Indulgentiae, vel effectum solutionis, quam ex thesauro offert Pontifex. Hinc.

2° Necesse haud est, ut opus iniunctum aut merita quae praecesserint, sint huiusmodi, ut ex se valeant remissionem illam poenae obtinere, quam Pontifex vult concedere. Sic enim nulla esset Indulgentia seu remissio poenae auctoritate Pontificis mihi concessa, sed ipse ego meis operibus eam acquirerem. Idcirco nedum necesse non est ut tantae dignitatis sit opus iniunctum; sed necesse est ut tale non sit, si locum habere debet remissio poenae ex potestate Ecclesiae.

3° Quoniam remissio poenae per Indulgentiam concessae non est fructus operis iniuncti, haud est necesse per se, opus iniunctum esse poenale: sufficit, ut in Dei honorem cedat.

4° Ut causa proportionata dicatur, non est habenda tantum ratio operis spectati secundum se ipsum et materialiter, sed cum suis circumstantiis et formaliter, quatenus omnibus spectatis, opus, etsi per se leve, ad Dei gloriam tamen vel proximorum aedificationem, in certis

adiunctis, non minimum conducat. Ita si fidelis adstet Romano Pontifici sollemnem in die Paschatis benedictionem impertienti, leve per se opus exsequitur et delectabile potius quam poenale: verum prout est publica protestatio fidei in Primatum Romani Pontificis atque subiectionis eidem, opus est ad Dei honorem non parum apud homines conferens ideoque ratio sufficiens, cur propter illud, si ex fide fiat, simul posita sacramentorum susceptione, plenaria Indulgentia concedatur.

5° Quamvis si causa proportionata non sit, nulla quoad excessum sit Indulgentia; quandiu tamen id certo non constat, aequum est, ut fidelis iudicio se committat eius, qui Indulgentiam concedit; pro eo namque stat praesumptio.

III. Resp. 3. Ad lucrandas indulgentias requiruntur hae conditiones. 1. Ut sit baptizatus. 2. Ut sit subditus concedentis. 3. Ut non sit ligatus excommunicatione maiore, ut habet communis; quia haec privat communione bonorum spiritualium. 4. Ut sit in gratia saltem tunc quando opus praescriptum completur; quia poena non remittitur ante culpam. 5. Ut opus iniunctum moraliter totum et integre impleatur. 6. Ut opus praescriptum sit honestum, saltem ex obiecto; nam sufficit vitiatum ex fine inhonesto veniali vel ex alia circumstantia prava (ut docent Suarez, et alii communiter contra Con.), saltem si nihilominus conducat ad finem Pontifici propositum, ut limitat Laym. Ratio prioris est, quia illud opus plerumque complet causam indulgentiae, quae debet esse pia. Ratio posterioris, quia ratio iniuncti operis est assecutio finis intenti a Pontifice. V. Laym. Bonac. d. 6. q. 1. p. 5.

771. Primae tres conditiones manifestae sunt: altera sane requiritur; quia concessio Indulgentiae est actus iurisdictionis. « Nihilominus (ait Ball.) advertunt quidam (Marchant apud Diana tom. 4. tr. 5. r. 30. n. h.) peregrinos non excludi ab Indulgentiis, quae quopiam in loco generatim concessae fuerint (intellige ab Episcopo; nam si a Papa, vel, quod perinde est, ab ipso iure, iam omnes fideles sunt subditi concedentis) visitantibus ecclesiam, altare aut imaginem etc. ». Quod profecto admitti potest: si talis sit Ecclesiae consuetudo probata a Rom. Pont. Nam secus periclitamur in principiis. Ut enim Alexander III. c. *Quod autem, de Poenit. et Remiss.* interrogatus, « an remissiones, quae fiunt in dedicationibus ecclesiarum aut conferentibus ad aedificationem pontium, aliis prosint, quam iis, qui remittentibus absunt », respondit: « Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod, cum a non suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones praedictas prodesse illis tantum arbitramur, quibus ut prosint, proprii iudices specialiter indulserunt ». Talem esse tamen Ecclesiae consuetudinem id quod diximus de locali Indulgentia probantis, vel ex eo colligi potest, quod hanc doctrinam tradat quoque p. A. Maurel in opere *de Indulgentiis*, quod a s. Congr. Indulgentiarum, post accuratum examen, permissum est edi 17. mart. 1864. Cf. 15^{m} edit. pag. 39.

772. Quod spectat ad 4^m^ conditionem, advertendum quod opus bonum, supernaturale et salutare in statu quoque peccati fieri potest, quando absit affectus ad peccatum: aliunde vero opus, quod pro Indulgentia requiritur, non est necesse ut sit satisfactorium, sed satis est esse opus honestum ad Dei gloriam conducens, quod et a poenitente nondum iustificato fieri potest. Itaque nisi aliter exigat concessor Indulgentiae vel rei natura, necesse haud est, opera praescripta in statu gratiae fieri.

Quia vero Indulgentia eo ipso instanti acquiritur, quo opera iniuncta completa sunt; nulla enim est ratio cur alio tempore acquiratur, quod nec definiri posset (nisi ex certa causa concedens Indulgentiam illud determinet, quemadmodum contingit pro *benedictione Apostolica in articulo mortis*) et quia remissio poenae temporalis supponit statum gratiae; hinc est, quod ultimum opus saltem absolvi debet in statu gratiae et si tunc cum opus absolvitur, non invenitur fidelis capax Indulgentiae, eam amplius non lucratur.

Advertunt DD. verba adhibita in concessione Indulgentiarum, nimirum; *in forma Ecclesiae consueta*, nihil aliud significare, nisi Indulgentias concedi *vere poenitentibus* seu *vere contritis*. Nisi agatur de modo applicandi Indulgentiam alicui obiecto: tunc enim dicta formula illud unum exigit, ut signum crucis manu efformetur super rem, cui Indulgentia applicanda. S. C. Ind. 7. Ian. 1843.

773. In quinta conditione requirit A. ut opus impleatur totum et integre saltem moraliter idest, ut etiamsi aliquid omittatur, adhuc communi existimatione censeatur illud idem opus: ut si paucas salutationes angelicas in Rosario omittas.

Si autem pars plus minus notabilis omittatur operis praescripti; non fit satis conditioni requisitae pro lucranda Indulgentia et idcirco acquiritur nihil. Nihil autem refert, utrum voluntarie an non, utrum ex culpa an secus opus omiseris; nulla enim tibi fit iniuria, si beneficium, ad quod ius non habes, denegetur, debita deficiente conditione. Etsi autem Indulgentia, ut dicemus sub resol. 3^a^, sit divisibilis, ut dum non tota acquiritur, pars eius saltem non raro acquiri possit; semper tamen supponit conditionem eam positam, quam exigit concessor Indulgentiae: ex capacitate autem subiecti fit, ut non tota Indulgentia concessa, sed pars acquiratur. Unde habes discrimen inter duos hosce casus. In secunda lucratur fidelis id, quod reapse dator Indulgentiae concedit; nam concedens plus, concedit etiam minus in eo contentum: in priore non fit illud, quod ipse praescripsit.

774. Quod attinet ad ultimam conditionem, quaeritur, an peccatum veniale quo opus praescriptum, dum fit, inficitur, impediat consecu-

tionem Indulgentiae. Quoniam adhuc actio honesta manet et ad finem intentum conducere potest: conditio requisita adhuc vere ponitur et idcirco non est cur Indulgentia non acquiratur. Et quidem si agitur de Indulgentia partiali, nulla est difficultas; quia quamvis illud peccatum veniale maneat, pro remissione poenae debitae aliis peccatis Indulgentia valebit. Si vero agatur de Indulgentia plenaria, profecto peccatum illud non remissum obstabit *plenariae* remissioni poenae; at si antequam absolvantur opera praescripta, peccatum illud poenitentia deleatur, nullum ex eo impedimentum erit consecutioni totius Indulgentiae.

Quaerit Laymann *de Indulg.* c. g. n. 4. an satis sit opus praescriptum secundum substantiam implere, an vero necesse sit ita perficere, ut sit moraliter bonum, servato debito fine et aliis circumstantiis. Atque respondet cum distinctione. Vel enim opus iniunctum conducit ad finem intentum, etsi solum fiat secundum substantiam, ut eleemosyna postulata pro bellica expeditione contra Turcas, vel non conducit, nisi sancte fiat, ut oratio ad placandum Deum. In priore hypothesi satis esse (ait) videtur, si opus secundum substantiam fiat, tametsi cum vana gloria: at si ieiunium praescribatur ad placandum Deum, non lucrabitur Indulgentiam, qui in ieiunio se inebriat. Praemiserat Laymann ex doctrina Suarez, posse Indulgentiam dari absque alicuius boni operis impositione.

775. Aliam conditionem alii memorant, pro lucranda Indulgentia nempe *intentionem* eam lucrandi et in hac re dissentiunt DD. Utique si opus praescribatur cum certa intentione ponendum, haec intentio postulatur: sed non est intentio haec, de qua est quaestio; cum haec se teneat ex parte operis iniuncti. Quaestio est, an pro lucranda Indulgentia sit necessaria intentio eam lucrandi, sive necesse sit, ponere opus praescriptum cum intentione lucrandi Indulgentiam propter illud concessam.

Gury 5. 2. §. 1055. proposita quaestione: an et qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias, ita disputat in hanc rem. « 1ª Sententia, quae probabilior videtur, docet requiri intentionem *positivam*, saltem *virtualem*. Ratio est, quia opus praescriptum dirigi debet in finem ab Ecclesia intentum: hoc autem praestare nequit ille qui saltem virtualiter lucrari Indulgentiam non intendit. Ita Billuart *Append. de Indulg.* art. 5. Hoc tamen intelligendum est dumtaxat, cum de fine expresse ab Ecclesia praescripto agitur.

2ª Sententia tenet, sufficere intentionem *habitualem*. Ratio est, quia *per se* nulla requiritur intentio; effectus enim Indulgentiae seu remissió poenae pendet omnino a concessione Ecclesiae, non vero ab

intentione agentis: inde licet se passive habeat nec attendat ad Indulgentiam, imo nesciat se illam lucrari, dum ipsi contingit, nihilominus ius ad illam consequitur. Indulgentia enim conceditur ab Ecclesia per modum solutionis pro opere posito: sed ad validitatem solutionis non necessario requiritur, ut ille, pro quo tribuitur, eam noverit ».

Verum, ut Ballerini in hunc locum advertit, « ratio allata pro prima sententia prouti eam Gury intelligendam dicit, eandem sententiam potius perimit et secundum instaurat. Nam statuit, eum *dumtaxat* finem intendi oportere, quem Ecclesia *expresse* praescribat. Atqui Ecclesia certe nunquam expresse praescripsit, ut fideles haberent intentionem lucrandi Indulgentias. Quod si Ecclesia subinde praescribit, ut fideles in hunc aut illum finem orent, ieiunent etc. *ut* v. gr. *inimicos sanctae Ecclesiae Deus humiliare dignetur*, hoc pertinet ad opus iniunctum, non vero ad intentionem lucrandi Indulgentiam. Unde fieri potest ut aliquis in eum finem preces dirigat, de lucranda autem Indulgentia ne cogitet quidem ».

Praeterea advertere licet, rationem allatam: *quia opus praescriptum debet dirigi in finem ab Ecclesia intentum*, esse ipsam thesim demonstrandam.

776. In altera sententia ratio a Gury allata difficilis est. Quaestio est, an et qualis intentio requiratur: dicitur sufficere *habitualis* (qua de re vide dicta in hoc tr. sect. 1. Vol. IV. 653. seq.): ergo haec saltem requiritur. Porro ratio huius sententiae est, quia per se nulla intentio requiritur, quod quidem satis antea probatur. Sed si ita est, cur obtruditur intentio habitualis? Nisi *habitualem* intelligas *interpretativam*, quae actu nec fuit nec est, sed esset, si animum quis adverteret. Reapse altera sententia, quae ex discursu Gury se prodit, haec est, nullam intentionem lucrandi Indulgentiam necessariam esse. Non tamen excluditur intentio *interpretativa;* nam si quis est animo comparatus, ut, si sciret alicui operi Indulgentiam annexam esse, illam nollet vel illam non curaret; non est praesumendum, quod Pontifex velit ei illam dare.

Argumentum aliud, pro sententia affirmante necessitatem intentionis producit Lugo *de Poenit.* disp. 27. n. 80. « Quia Indulgentia est per modum privilegii, quod ignoranti non acquiritur, sed requiritur scientia et acceptatio privilegiati et licet detur a pastore ut pastus, est tamen pastus voluntarius, qui voluntate percipi debet. Unde (subdit) hoc supponere videntur ii, qui dicunt non lucrari Indulgentiam eum, qui illas ignorat, etsi faciat opera omnia iniuncta » et citat Emm. Rodrig. et Aegidium Trullenk.

Quid vero ipse Lugo sentiat, sic exponit. « Fateor me non invenire rationem convincentem ad id negandum et ad dicendum, quod necesse sit scire vel intendere lucrari Indulgentiam. Quare id negavit Laur. Portel in *Addit. ad dubia regularia* v. *indulgentia* n. 7., ubi testatur, se eam sententiam accepisse a p. Ludovico Molina, nostrae Societatis, qui eam docuit. Probat autem exemplo satisfactionis ex opere operantis, quam, licet aliquis non intendat, sed ignoret omnino, acquirit tamen per exhibitionem boni operis ».

« Quod rursus, ait Lugo, confirmari potest, quia fructus suffragii mihi ab alio applicati acquiritur mihi ignoranti etiam et non intendenti: quod non solum verum est in fructu ex opere operantis, ut si aliquis pro me ieiunat, sed etiam in fructu ex opere operato, ut si alius pro me offerat sacrificium: ergo idem dicendum erit de fructu Indulgentiae, per quam Pontifex offert et applicat pro alio partem necessariam ex communi thesauro, cuius dispensator est. Cur enim minus proderit mihi ignoranti satisfactio Christi per Indulgentias applicata, quam si applicetur per Missae sacrificium? »

777. Idcirco concludit, non videri negandam saltem potestatem in Pontifice, si velit hoc pacto Indulgentias concedere, ut eas lucrentur etiam ignorantes. Imo monet verisimile esse, talem esse intentionem Pontificis de facto: nam saepe Indulgentia conceditur morituro sensibus destituto, quam nec postulavit nec cogitavit et non raro Indulgentiae concessio publicatur post opus expletum, ut cum post Missam a Pontifice celebratam vel sollemnem datam benedictionem, Indulgentia iis, qui praesentes fuerunt, concessa edicitur. At si Pontifex censeret, necessario praevertere debere intentionem lucrandi Indulgentiam, publicatio huius fieret ante operis exsecutionem. Ergo, ait Lugo, eadem Pontificis intentio potest communiter praesumi, dummodo non exigantur certa opera pro aliqua speciali necessitate applicanda; qua de re iam diximus ab initio.

Argumento porro a se in contrarium producto censet idem Lugo posse responderi, quod Indulgentia non est ex iis privilegiis, quae debeant exsecutioni mandari per ipsum privilegiatum, sed potius est solutio pro illo, ad quam ipse videtur passive se habere. Quare sicut potes solvere pecuniam pro Petro, ipso ignorante, sic potest Pontifex ex communi thesauro solvere pro debito tuo, te etiam ignorante; quia causa passive non concurrit libere aut voluntarie, ut constat ». Quod argumentum Gury suum fecit.

Aliam rationem pro sententia affirmante necessitatem intentionis non quidem universim, sed in certa hypothesi, innuimus in nostro tr. l. c. §. 1. n. 12. videlicet, cum Indulgentia datur in hunc finem specialiter,

ut fidelium devotio, pietas et caritas excitetur, non liquet, quomodo inscii eam possint obtinere, ut cum ex. gr. per indulgentiam provocantur fideles ad eleemosynam largiendam pro aliquo opere pio etc. In ignorantibus enim finis intentus per concessionem Indulgentiae, excitatio scilicet ad certam actionem non habet locum. Verum merito praesumimus, Pontificem et hos qui sponte faciunt, quod ipse cupit, velle pares facere illis, qui eius cohortatione moventur. Quod si pro huiusmodi Indulgentiis lucrandis scientia earundem postularetur, nec satis foret intentio virtualis lucrandi Indulgentias, quae scientiam illam non supplet, ex qua excitatio ad certum opus peragendum oriatur.

778. Postquam Gury l. c. duas sententias proposuerit, concludit: « In praxi prior sententia suadenda videtur, ut tutior et efficaciter ad pios animi motus excitandos. Aliunde non valet usus probabilitatis in materia Indulgentiarum; siquidem non probabilitas, sed veritas effectum producit. Verum 1° talis quidem est praxis, eo quod libri manuales precum soleant eam suggerere fidelibus: at si certum est, nullam per se requiri intentionem, frustra obtruditur haec praxis tutior; nam tutissimum est, sequi sententiam certam. Quod autem 2° loco dicitur, non valere in materia Indulgentiarum usum probabilitatis; « facile, ait ibid. Ballerini, alii hoc negabunt », nimirum quia heic de re agitur, quae tandem pendet a potestate Ecclesiae. « Notissimum enim principium est, quoties de rebus in Ecclesiae potestate sitis probabiles feruntur ac in praxim deducuntur opiniones, illam, sicubi opus sit, supplere, quod ad actus valorem pertineat. Porro in re praesenti (vid. Diana tom. 4. tr. 5. res. 18.) utraque disputantium pars ad mentem voluntatemque confugit Romani Pontificis Indulgentias concedentis. Nam qui contendunt, non sufficere praestationem operis, rationem reddunt, *quia non videtur esse talis intentio Papae* et contra qui contendunt, praestationem operis sufficere, probent, *quia non est existimandum, Summum Pontificem in lucrante Indulgentias exigere actualem intentionem (actualem* opponunt *habituali et interpretativae); quia nec natura Indulgentiae id necessario postulat nec verba concessionis id significant etc.* Vid. Laymann l. 5. art. 7. c. 6. n. 5. ».

Adverte Responsum s. C. Indulg. 22. febr. 1847. Quaesitum est: « Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato v. gr. pro exstirpatione haeresum etc., an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus? ». Responsum est: « Negative ». Sufficit ergo aliqua vice habuisse intentionem explicitam, ordinando ad hoc ex. gr. certas preces, quas dicturi sumus.

779. Quoniam de subiecto recipiente Indulgentias diximus cum A., restat, ut aliquid dicamus speciatim et de iis, qui eas valent concedere.

Praeter Papam, qui plenissimam habet quaslibet Indulgentias concedendi potestatem, Episcopi iurisdictionem a Rom. Pont. accipientes, hanc quoque ordinariam accipiunt, sed limitatam.

Et cum concessio Indulgentiae actus sit non Ordinis, sed iurisdictionis, eam Papa et Episcopus nondum consecrati concedere possunt. Porro olim quidem, cum Episcopi poenitentia functis reliquam remittebant poenam Deo debitam, Indulgentiam plenariam concedebant (cf. tract. nostrum l. c. §. 2. nn. 10.-14.); nunc vero ex decreto Conc. Later. IV. cn. 62. coarctatum est exercitium potestatis huius in Episcopis, ut nequeant singulis vicibus nisi 40. dierum Indulgentiam concedere praeterquam in die Consecrationis Ecclesiae, quo unius anni Indulgentiam concedere valent, pro anniversario autem dedicationis 40. dies tantum c. *Cum ex eo, de Poenit.* etc. atque Indulgentiam solum per modum absolutionis ideoque tantum vivis concedere possunt.

Praeter hos, qui ordinaria fruuntur potestate, sunt et ii, qui delegatam potestatem dandi Indulgentiam obtinent ab habentibus ordinariam. Nam qui ordinaria potestate potitur, eam delegare potest.

Nihilominus eam Episcopos delegare posse non satis constat; nam quamvis potestas non Ordinis sit sed iurisdictionis, est tamen iurisdictionis cuiusdem extraordinariae adnexae soli dignitati Episcopali, ait Benedictus XIV. *de Syn.* l. 2. c. 9. n. 8.

Iamvero Cardinales in ecclesiis sui tituli possunt concedere Indulgentias 100. dierum. Nuntii Apostolici 100. vel 200. vel 300. dierum, minus autem quam unius anni, pro subditis suae Nunciaturae.

Pro templo vel cappella possunt ipsi dare Indulgentiam 7^{m} annorum et 7^{m} quadragenarum. Ita Croix heic n. 1322. ex quodam indulto Innocentii XI. Cf. et Maurel *op. cit.* id referentem pag. 41. edit. 15.

Idem Croix monet num. seq., Praelatos Episcopo inferiores, quamvis in ceteris potestatem quasi episcopalem habeant, non posse iure ordinario dare Indulgentias; quia id ius nullibi concessum reperitur. Sed nonne satis est, concessam esse iurisdictionem quasi episcopalem? Videtur consuetudo aliter rem esse interpretata.

Ita nec Vicarii Capitulares, sede vacante, possunt concedere Indulgentias. Gury V. 2. §. 1043.

Id quidem nondum est decisum: sed s. C. C. 13. Nov. 1688. de hac re interrogata respondit: *Vicarius capitularis se abstineat.* Cf. Ben. Melata *Manuale de Indulgentiis* p. 55.

Quid vero Archiepiscopi possint, habes ex responso Honorii III. c. *Nostro de Poenit. et Remiss.* « Nostro postulasti certificari responso, utrum per tuam provinciam possis concedere remissionis litteras generales. Nos igitur fraternitati tuae breviter respondemus, quod per

provinciam tuam libere potes huiusmodi concedere litteras, ita tamen quod statutum generalis Concilii non excedas ». Nempe quoad quantitatem, quae non sit ultra 40. dies; nam hac in re Archiepiscopi pares sunt Episcopis, ut notat Maurel *op. cit.* pag. 40. edit. 15. qui et advertit Archiepiscopi potestatem concedendi Indulgentiam per provinciam, non coarctari ad tempus visitationis; sane verba Honorii universalia sunt.

Adverte, superiores Religionum, cum quibusdam participationem concedunt piorum operum et meritorum Ordinis, nullam Indulgentiam concedere, sed solum suffragia (quod in cuiusvis privati potestate est) communicare. Cf. Suarez *de Poenit.* disp. 55. sect. 5. n. 2.

780. Ex decreto Trid. Syn. sess. 21. c. 9. *de Reform.* Indulgentiae novae non sunt publicandae absque praevia recognitione et approbatione Episcopi.

Quaesitum est: « Quando ss. Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles talem Indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, requirituine, ut haec Indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, an sufficit e contra, ut certi sint, praedictam Indulgentiam a ss. Pontifice concessam fuisse? ». Responsum est a s. C. Ind. « Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam » 1. Iul. 1839. Idem valet et quoad Indulgentias locales decr. s. C. Ind. 6. Febr. 1844.

Indulgentiae ergo, quae, ex decreto Tridentino cit. per Ordinarios (adhibitis, ut ait, duobus de Capitulo) publicari debent, sunt eae, quae alicui Ecclesiae, altari, caetui personarum conceduntur. Cf. responsum Cong. s. O. 8. Iul. 1846. Collectanea C. P. F. n. 1018.

Publicatio autem Episcopi nullum eis confert valorem; sed ea postulatur, ut fideles de re certiores fiant. Ita s. C. Ind. 31. Aug. 1844. ad 1^{m}. Collect. Parisiis n. 531. Indulgentias vero personales seu singulis personis concessas opus non est ab Episcopis recognosci. Ibid. ad 2^{m} Cf. Melata op. cit. p. 26. et Collect. Parisiis. ibid. ad 2^{m}.

Unde resolves.

IV. 1. Indulgentiis etiam frui potest, qui ea concessit.

Cf. Tr. III. *de Legibus* Vol. I. 427. seqq.

V. 2. Non exspirant morte concedentis, cum sint gratiae: nec, ut habet Sà, ante notitiam revocationis.

781. Iam enim concessae sunt et sola exsecutio desideratur. Cf. dicta in Tr. cit. sub. n. 459.

Quod autem ex Sà addit A., non cessare Indulgentiam (quae vel non sit concessa in perpetuum vel quamvis huiusmodi, tamen revocetur), ante notitiam revocationis, certum est, si de ea notitia agitur, quam

legislator publice tradit. At si sermo sit de propria notitia, qua quis carere potest, etsi iam publice sit revocata Indulgentia, nescio quo iure id dicatur.

Haec enim ignorantia iuris, cum nullum reapse damnum subeat ignorans, non est, cur ignorantem excuset. Cf. Tr. I. *de Act. hum.* Vol. I. n. 49.

VI. 3. Etsi intelligendae sint, ut sonant; cum tamen sint gratiae, large sunt interpretandae (nisi sint de poenitentiis iniunctis, ut ex Henriq. etc. notat Amicus d. 20. n. 77.) servata tamen verborum proprietate. Unde censendae sunt perpetuae, si datae sunt sine temporis restrictione.

782. A. loquitur heic obiter de indulgentia, quae datur de *poenitentiis iniunctis*. Cum olim poenitentiae sacramentales imponerentur pro gravibus peccatis secundum canones poenitentiales vel ad eorum normam atque huiusmodi graves essent, methodus Indulgentias dandi ea antiquitus non raro erat, ut poena illa remitteretur, cuius poenitentes per iniunctas sibi poenitentias remissionem fuissent obtenturi, et sic auferebatur obligatio poenitentias iniunctas implendi, non directe abrogato praecepto confessarii sed subtracto eius fundamento h. e. reatu poenae coram Deo. Cf. Suarez *de Poenit.* disp. 50. sect. 3. Lugo *de Poenit.* disp. 27. nn. 22. seqq. Nec sacramentum postulat poenitentiam imponi et impleri, nisi propter hunc effectum, ut nempe satisfiat Deo pro peccatis seu ut reatus poenae tollatur: eo ergo ablato, non est contra reverentiam sacramenti, si integritas ex poenitentia omittatur, ut ait Suarez l. c.

Indulgentia de poenitentiis iniunctis occurrit in c. *Cum eo, de Poenit. et Remiss.* c. *Romano*, tit. eod., in *Clement. unica, de Reliquiis* etc.

Neque tamen olim Indulgentiae dabantur semper de *poenitentiis iniunctis* et quamvis Caietanus (apud Suarez l. c. n. 9.) vellet omnes Indulgentiarum concessiones ita interpretari, ut essent solum de poenitentiis iniunctis: eius opinio, a sensu verborum aliena, communiter tandem reiecta fuit.

Imo recentiore aetate, ut iam vidimus (n. 283.), Romani Pontifices protestati sunt, se per concessionem Indulgentiarum et Iubilaei nolle auferre obligationem implendi poenitentias sacramentales, quas lucraturis quoque Iubilaeum iniungi voluerunt: ut idcirco nunc ea oeconomia non vigeat, qua per Indulgentias subtrahatur reatus, pro cuius remissione poenitentia sacramentalis peragitur.

783. Quapropter stante praesenti oeconomia, si identidem nunc quoque, veteri forma servata, dantur Indulgentiae de poenitentiis iniunctis (quod raro quidem accidit), eae accipiendae videntur de poenitentiis iniunctis a canonibus seu quae iuxta eos iniungi possent aut deberent.

Dico: stante praesenti oeconomia, quam Leo XII. et ante eum Benedictus XIV. sanxerunt (cf. l. c.); nam, cum res tandem pendeat a voluntate Pontificis, in cuius potestate certe est, et eum reatum remittere per Indulgentiam, pro quo peragenda est poenitentia sacramentalis, nihil impedit, quominus alius Pontifex velit identidem ad veterem redire morem.

Doctrina heic Auctoris clara est; habendum est tamen prae oculis principium: *Indulgentias tantum valere, quantum sonant.* Quod in parenthesi dicitur de *poenitentiis iniunctis*, ex eo pendet, quod relaxatio obligationis a iudice impositae res odiosa videatur: sed id ad praxim nunc parum refert.

Idcirco etiam, quoniam effectus Indulgentiae seu remissio poenae divisibilis per se est, ut maior vel minor obtineri valeat, gratia a Pontifice concessa hoc pacto accipitur, ut si quis totum nequit lucrari quod Pontifex ex se concedit, illud saltem hic velit dare, quod dispositioni respondet exercentis opera praescripta. Ita etsi non obtineatur plenaria Indulgentia, nonnihil tamen obtinebitur iuxta dignitatem subiecti.

VII. 4. Etsi data pro articulo mortis, secundum Sà, exspiret, quando semel est accepta: contrarium tamen est probabile, ob rationem datam. Illa autem non requirit applicationem confessarii, aut alterius ministerium. Quintan. *in Append.* t. 9. d. 4. Expedit tamen moribundos ad invocationem nominis IESU et MARIAE saepius excitare, simulque in memoriam revocare intentionem lucrandi istas indulgentias *ibid.* d. 4. Probabile enim est, si habeat plures imagines, grana, rosaria etc. benedicta, posse, sive intuitu eiusdem concessionis sive diversarum, toties lucrari, quoties nomen IESU repetierit vel praestiterit opus requisitum *ibid.* d. 6. ex Suar. Gran. etc. Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte absit, *ibid.* d. 5.

784. Si data sit Indulgentia pro articulo mortis in eo instanti acquiritur. Sic benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria (de qua Benedictus XIV. in Const. *Pia Mater* 5. Apr. 1747,), quae datur fidelibus extremo morbo laborantibus, effectum suum sortitur, non cum benedictio accipitur, sed in exitu vitae. Ita declaravit s. Indulg. C. 23. Apr. 1685. Quocirca si infirmus convalescat, nihil obtinuit.

Hinc 1° nequit ipsa iterari in eadem infirmitate (id tamen identidem s. Sedes concessit; nihilominus firmum manet, in solo articulo mortis hanc Indulgentiam obtineri: cf. Maurel op. cit. pag. 414., qui tamen notat s. Sedem aliquando concessisse Indulgentiam *in articulo mortis* cum hac clausula: *etiamsi tunc mors non subsequatur* vel *toties quoties incideris in mortis articulum*). 2° Eadem valet, etsi cum infirmus benediceretur, adhuc esset in statu peccati vel postea in mortale labatur, dummodo morti proximus, cum effectus benedictionis exerendus est, in statu sit gratiae saltem per contritionem. S. C. Ind. 20. Iun. 1836.

Opus autem iniunctum pro lucranda hac Indulgentia est acceptatio aequo animo mortis de manu Domini et invocatio nominis Iesu idque ore, si fieri potest: decr. 20. Sept. 1775. Haec invocatio est *conditio sine qua non*. Rescriptum s. C. Ind. 23. Sept. 1892.

Huius benedictionis dandae facultatem habent (ex Const. cit. *Pia Mater*) omnes Episcopi et ab his delegati, quae facultas non exspirat morte Episcopi delegantis vel eius cessatione ab munere Episcopali aut translatione. Ipsa danda est *infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis* (Rituale Rom. ad h. t.); eademque dari *solet* post suscepta sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis (ibid.). Ipsa *excommunicatis, impoenitentibus et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda* (ibid.).

Pro hac Apostolica benedictione impertienda servandus est ritus praescriptus in Rituali Romano: quem librum par est, omnes sacerdotes habere.

Sunt et aliae Indulgentiae *in articulo mortis*, ad quas alludit A.: sive alii sunt tituli acquirendae Indulgentiae plenariae in eo articulo. Nam plures sunt preces vel opera, quae si certa ratione in vita peragantur tum ab adscriptis alicui congregationi, tum etiam extra quamlibet congregationem, ius conferunt Indulgentiae plenariae in articulo mortis. Pro applicatione harum Indulgentiarum moribundo, nulla ope alterius opus est (Maurel l. c.). Opus in articulo mortis praescriptum pro his Indulgentiis acquirendis, est ordinarie invocatio ss. Nominis Iesu, si fieri potest (ibid.): eam expedire dicit A.

785. Occasione harum Indulgentiarum mentionem facit A. quarumdam rerum, quibus Indulgentiae adnecti solent, de quibus rebus oportet nos aliquid enucleatius dicere.

Sixtus V. dicitur fuisse inter Pontifices primus, qui piis obiectis a se benedictis adnexuit Indulgentias (Maurel op. cit. pag. 356.). Iam antea vero usus erat, ut certis obiectis benedictis Indulgentiae adnecterentur, cuiusmodi ex. gr. erant coronae Cruciferorum in Belgio.

Hae vocantur Indulgentiae *reales:* quia rebus sunt adnexae, quatenus qui tales res habet benedictas lucrari valet, certo opere praestito, Indulgentias, quae propter eas res conceduntur. Istae res solent esse *cruces*, *Crucifixi*, *Coronae* (rosaria et coronae promiscue accipiuntur, decreto s. C. Indulg. 20. Sept. 1775.), *Numismata*, *Statuae*. Interest tamen, ex qua materia sint. Sane si Crucifixi, cruces, statuae, numismata sint ex plumbo vel alia materia, quae facile frangitur aut usu teritur, cuiusmodi est vitrum insufflatione coactum et gypsum, quamvis benedici possint, nequeunt tamen Indulgentias recipere. Coronae vero

seu coronarum globuli esse queunt ex stamno, plumbo, etiam vitro, *dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto* pariterque ex coralio, electro, alabastrite, margarita, crystallo, marmore (decr. s. C. 29. Febr. 1820.).

Crucifixi et coronae etc. ex ebore aut osse vel ligno Indulgentias recipere possunt, item cruces, crucifixi, statuae, numismata ex ferro vel chalybe (cf. Maurel oper. cit. pag. 350. seq.): multo magis ex argento et auro.

Imagines vero pictae seu impressae in charta aut tela capaces non sunt Indulgentiarum ibid. et cf. *Summarium Indulgentiarum*, quas Leo XIII. impertitur retinentibus coronas, cruces etc. cum praevertente Monito. Apud Schneider *Rescripta authentica* etc. pag. 345.

In coronis subiectum Indulgentiae sunt globuli, non filum seu ligatura, quae si abrumpatur, suppleri alia potest, quin cesset Indulgentia. Idem dic, si pauca grana pereant et aliis supplenda sint.

Cum Indulgentia confertur signo, quod est crux crucifixum ferens, Indulgentia afficit crucifixum, qui proinde in aliam ex alia cruce transferri potest sine amissione Indulgentiae (ibid.).

Nonnisi Sanctorum canonizatorum aut qui saltem in Martyrologiis rite probatis descripti sint, numismata et statuae possunt ditari Indulgentiis (cf. Summarium citatum); licet tamen in numismatis adversa facie vel Beatum, vel illustrem personam, ut Romanum Pontificem, aut venerabilem virum exprimere.

786. Ut huiusmodi obiectis applicentur Indulgentiae *Apostolicae*, quas scilicet Romani Pontifices benedictione sua applicare solent, satis est signum crucis, quod super iisdem, is, qui facultatem habet manu sua efformet, quin opus sit pronuntiare aliquam formulam benedictionis aut aspergere aqua benedicta. Decreto s. C. Ind. 7. Ian. 1843.

Idem obiectum plures Indulgentias habere potest, quas illius possessor debitis operibus praestitis lucrari valet.

Indulgentiae his obiectis applicatae valent pro iis, qui primi sunt in iisdem possidendis simul et utendis cum intentione lucrandi Indulgentias s. C. Ind. 12. Iul. 1847. n. 2. Verum dominium non postulatur, cuius Religiosi non sunt capaces: sed sufficit ius utendi, quamvis revocabile. Licet ergo plura huiusmodi obiecta comparare et Indulgentiis aucta aliis distribuere, quin amittatur Indulgentia: licet et possidenti talia, qui iis nondum est usus, alteri donare sine iactura Indulgentiae: sed ultra Indulgentia non progreditur (Maurel op. cit. p. 352.).

Si tamen qui accipit, alteri ante usum donat, adhuc Indulgentia

valet. « An amittant Indulgentias Cruces, Coronae, Rosaria, Statuae etc., quae *ante omnem usum* ab una deinceps in aliam, tertiam et quartam quoque manum transierint ». Responsum est: « Negative » s. C. Ind. 16. Iul. 1887.

Nequit pariter possessor talium obiectorum alteri commodare, ut is lucretur Indulgentiam. Id si fiat, Indulgentia utrique perit, commodatario et commodanti (Maurel ibid.). Responso s. C. Ind. 1745. 13. Febr. statutum est, non amitti Indulgentias, si coronae commodentur solum ad recitationem orationum aut ad enumerandos calculos.

Item si inscio possessore coronae, numismatis etc. haec ab aliis quavis causa adhibeantur, non amittitur Indulgentia iis obiectis pro possessore applicata. Nam quod prohibetur et impedimento est conservandae Indulgentiae, est actio possessoris commodantis aut donantis ut alter Indulgentias acquirat.

787. Quaesitum fuit: « An qui emit cruces, numismata etc. ut ea distribuat postquam benedicta fuerint, possit horum petere pretium ab accipientibus, sine culpa vel sine periculo Indulgentias amittendi »: Responsum est: « Negative » s. C. Ind. 12. Iul. 1847. Ergo periculum est, ne Indulgentiae amittantur: quam rationem loquendi, spectata persona loquente, puto aequivalere huic: indulgentias amitti. Cf. et decretum 12. Dec. 1722. quo negatur petita facultas vendendi cruces et coronas auctas Indulgentia, etsi venderentur iusto pretio rei, non habita ratione Indulgentiae. Et Leo XIII. *Summ.* cit. vetuit venundari obiecta aucta benedictione Apostolica.

Praeterea responsum fuit a s. R. C. Episcopo Brugensi 31. Ian. 1837. eum qui huiusmodi obiecta emat, ut ea procuret Indulgentiis augeri et deinde vendat, accepto pretio, *rem agere non practice tutam*. Oportet ergo venditionem, quae est contractus consensualis, post benedictionem obiecti fieri, ut casus hic locum habeat. Sed addendum est responsum s. C. Indulg. 16. Iul. 1887. Quaesitum est, an 1° res Indulgentiis ditatae tradi debeant fidelibus omnino gratis: 2° si aliquid quocumque titulo sive pretii sive permutationis sive muneris sive eleemosynae requiratur vel accipiatur, Indulgentiae ex hoc amittantur ». Responsum est: *affirmative ad utrumque*.

Nihilominus si inter plures conveniat, ut expensis communibus emantur coronae aliaque obiecta atque eorum benedictio procuretur, is qui rei curam suscipit, potest absque detrimento Indulgentiarum accipere a sociis pecuniam, de qua conventum est, etiam postquam obiecta fuerint benedicta. Ita apud Ben. Melata *Manuale de Indulgentiis*, p. 132.

VIII. 5. Possunt moribundi plures indulgentias plenarias, ob plures titulos concessas, simul lucrari, verbi gratia, quia habent plura rosaria vel grana, cruces, imaginesve, quibus sunt applicatae, vel titulo suae religionis, confraternitatis etc.; dummodo non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda. Quintan. *in Append.* t. 9. d. 4. idque etiamsi eas, vel earum aliquas ignorent, aut non recordentur *ibid.* ex Lug. Dian. et aliis 6. contra Rodriq. Trull. etc.

788. Non indiget declaratione post hactenus dicta, nisi forte quod ultimo loco dicitur.

Sed haec ignorantia aut oblivio officere nequit, dummodo habitualis voluntas praecesserit, iuxta dicta nn. 775. seqq.

IX. 6. Requiritur autem, ut moribundus crucem, granum, imaginem etc. secum habeat in articulo mortis, ut ratione illius lucretur: et quidem, ut tutius ac certius obtineat, eius habeat dominium seu possessionem et apud se teneat. Non tamen est necesse, ut collo appensa, brachio obvoluta, manuve apprehensa sint (etsi aliquo horum modorum habere sit tutius): sed sufficit esse in lecto, vel iuxta moribundum; licet ipse nec videat, nec tangat nec sciat aut recordetur se habere (nisi aliud exprimatur). Sufficiet etiam habere commodata, seu quoad usum (praesertim si id in ipso indulto exprimatur, ut in Caroli Borromei et quinque Sanctorum fit). Neque necesse est retinere, donec exspiret (etsi et hoc sit tutius), sed sufficit in aliquo mortis articulo habere in eoque nomen IESU (si hoc requiritur) invocare, *ibid.* d. 6.

Haec exigenda sunt ad ea, quae dedimus n. 784. Quoad modum utendi his sacris obiectis, cf. n. 771. seqq.

X. 7. Concessae vivis non possunt applicari defunctis, nisi id exprimatur; quia pendent a voluntate concedentis.

789. Clara res est. Sane concessas pro vivis nequit fidelis applicari alii vivo; quia hae dantur per absolutionem; nemo autem absolutionem suam alteri communicare potest. Atque eodem pacto nequit vivens has indulgentias applicare defunctis, citra concessionem Pontificis: hac enim deficiente, manet absolutio, quae defunctis applicari nequit et praeterea nullus fidelis praeter Papam, potest ex thesauro Ecclesiae solutionem offerre Deo pro aliis. Neque indulgentiam concessam pro defunctis, quae est simplex solutio, potest quis applicare viventi; tum quia viventibus datur per absolutionem, tum quia sive absolutio sive exhibitio solutionis ex thesauro Ecclesiae est actus iurisdictionis non spectans ad fideles.

XI. 8. Probabile est, concessum pro certo tempore posse saepius obtineri, repetendo opera praescripta, verbigratia, eadem die, nisi addita sit restrictio: quia favores sunt ampliandi. Ita Henriq. Rodriq. Contrarium tamen videtur probabilius, ob voluntatem concedentis contrariam rationabiliter praesumptam. V. Card. de Lugo d. 27. sect. 6.

790. Certe ad Iubilaeum quod spectat, cum saepe quaesitum esset, an lucrari quis illud posset, quoties opera praescripta impleret, respondit semper s. C. *standum esse concessioni.* Romae in Anno sancto, quoties iterantur opera praescripta, Indulgentia obtinetur. Ita Benedictus XIV.

Const. *Convocatis* 25. Nov. 1749. §. 52. Encycl. *Inter praeteritos.* 3. Decembris 1749. §. 84. Idem in Monitis *s. Poenit.* hoc anno iubilaei.

Regula tradita semper custodienda est, *standum* nempe *esse concessioni*, vel similis: *indulgentias tantum valere, quantum sonant.* Quocirca si Indulgentia simpliciter conceditur recitanti aliquas preces, eam fidelis lucrabitur quoties eas recitat: si Indulgentia conceditur recitantibus certas preces *singulis diebus*, pro una tantum vice in die censeo concessam Indulgentiam. Et Innocentius XI. confirmavit. 7. Mart. 1678. decretum s. C. Ind.: *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentias* IN CERTOS DIES *Ecclesiam visitantibus concessam vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri:* ut refert Benedictus XIV. Encyc. *Inter praeteritos*, §. 84.

XII. 9. Etsi consultum sit, ut opera omnia fiant in gratia; id tamen non videtur simpliciter necessarium. Laborandum tamen est concionatoribus et confessariis, ut cum indulgentiae promulgantur, populum ad seriam confessionem excitent.

De hac re iam dictum est sub. n. 772.

XIII. 10. Ut quis lucretur pro defunctis, probabiliter non requiritur, ut sit in gratia; quia tantum ponit opus tanquam conditionem, quo posito, Pontifex applicat defuncto indulgentiam, sive satisfactiones Christi et Sanctorum. Ita Escob. t. 7. E. 5. c. 7. num. 45. ex Suar. Praep. in 3. par. q. 14. dub. 10. num. 93. Contrarium tamen docet Card. Lugo d. 17. num. 75. requirens statum gratiae, saltem in fine operis: quae sententia tutior est.

791. Doctrinam Auctoris suam fecit Ballerini. « Ex Toleto, inquit, ratio est, quia causa satisfactionis, seu pretium poenarum non est opus illius, qui est in peccato, sed Indulgentia ipsa et thesaurus meritorum Christi et Sanctorum. Illud autem opus particulare, per quod Indulgentiae applicantur, fit nomine Ecclesiae, in qua nunquam deest gratia. Exemplum prostat in eo, qui dat eleemosynam et mittit illam per manus hominis exsistentis in peccato mortali; non enim perditur fructus eleemosynae ex eo quod sit in peccato ille, qui exsequitur opus. Vid. Diana tom. 4. t. 5. res. 36.

« Opponunt VV. pag. 948. n. 164. verba s. Alphonsi lib. 6. n. 534. ad resol. 10. Busemb. de prima sententia: *Haec verior mihi videtur cum Wigandt; quia nemo potest alteri applicare Indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam.* Deinde ibid. subdunt in Nota: *Cum s. Alphonsus veriorem aliquam sententiam dicit, alteram iam probabilem non habet* ».

« Resp. 1° s. Alphonsus heic non dixit, eam sententiam *esse veriorem*, sed *haec verior mihi videtur;* vox autem *videtur* est *opinantis* et *opinio* dicit assensum cum *prudenti formidine de opposito.* 2° Nomina Toleti, Suarez, Navarri etc. nam plures alios videsis allegatos

apud Diana tum l. c., tum tom. 4. tr. 1. resol. 4. et 5. efficere possunt, ut salva reverentia s. Doctori Alphonso debita, liceat absque temeritatis nota de hoc eiusdem iudicio, seu melius opinatione dubitare; praesertim vero quod rationi a Wigandt allatae auctores oppositae sententiae facile respondeant, *negando suppositum*, quasi scilicet in casu fideles Indulgentiam prius pro se lucrentur seu suam faciant, quam deinde alteri cedant, seu applicent. Nam quod ipsa Ecclesia sic meritâ Christi ac Sanctorum applicet et opus iniunctum fidelibus quaedam sit quasi conditio, inde etiam arguitur, quod nemo censuerit, in nostro esse arbitrio, Indulgentias, alteri viventi applicare: cum tamen, si vere suas quis facit Indulgentias, ratio non appareat, cur non possit alteri eas viventi cedere, aut cur ad applicandas defunctis Indulgentias necessaria sit Ecclesiae auctoritas, quae auctoritas necessaria non est, ut defunctis satisfactorium meritum ieiuniorum, eleemosynarum, aut carnis macerationum etc. quisque applicet » (a). Ita Ballerini.

XIV. 11. Opus praescriptum dum fit, debet esse utile ad finem a concedente intentum, qualis est v. gr. eleemosyna praescripta pro redemptione captivorum, etsi fiat cum aut in peccato: modo aliud opus ei iniunctum et praescriptum in gratia fiat (V. Lugo d. 27. n. 48.): non autem oratio praescripta ad placandum Deum, si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia, uti nec ieiunium, si te inebries: item nec visitatio ecclesiarum, sine ulla devotione. Ita Laym. Bon. et alii.

792. Profecto cum oratio praescribitur aut aliud opus, ut Deus placetur, non satisfit praescriptioni, si oratio aut opus sint ex mala

---

(a) Ex utraque parte difficultas adest. Nam contra sententiam Auctoris et Baller. illud merito urgetur, quod arbitrario, ne dicam falso, supposito innititur. Quo enim iure affirmatur, Ecclesiam esse, quae, posito a fidelibus opere, applicat defunctis Indulgentiam, cum forma concessionis ita semper exhibeatur, ut Indulgentiae concedantur *applicabiles*, utique a fidelibus, pro defunctis? ut idcirco si ii non applicent, nihil valeant pro his. Non est scilicet Ecclesia, quae applicat, sed nobis relinquit applicandas Indulgentias defunctis (nisi excipere velimus Indulgentiam altaris privilegiati, de qua cf. dicenda infra). Neque exinde sequitur posse fidelem indulgentiam, quam acquirit, alteri viventi applicare; ex voluntate enim Ecclesiae quae thesaurum dispensat, pendet quod alicui possint applicari. Neque enim qui opus praescriptum implet, fit dominus satisfactionis, quae ex thesauro dispensatur, sicut est dominus sui operis satisfactorii. Unde patet, cur auctoritas Ecclesiae requiratur pro applicanda Indulgentia defunctis et cur nequeant applicari vivis. Cf. dicta n. 790. Arbitraria est quoque affirmatio, opera praescripta fieri a fidelibus *nomine Ecclesiae;* nam neque ex rei natura neque ex iure haec delegatio Ecclesiae constat nec satis intelligitur quid sit, fidelem nomine Ecclesiae confiteri et communicare; neque enim dici potest Ecclesia ipsa confiteri.

Ex altera parte difficultas est, quid sit, fideles vivos lucrari has Indulgentias; cum ipsi non obtineant remissionem poenae. Qua de re iam diximus in nostro Tr. l. c. §. 4. n. 3. Scilicet viventes lucrantur Indulgentias istas, non *formaliter* quatenus ipsi sibi consequantur remissionem poenae sed *facultative,* quatenus ex auctoritate Ecclesiae fit ipsis facultas eas applicandi defunctis. Et quemadmodum cum viventes opus suum satisfactorium alteri applicant, etsi eorum sit efficienter satisfactio eiusque sint domini, non tamen ea formaliter fruuntur; non enim sibi sed alteri fructum eius acquirunt; ita cum Indulgentias applicabiles defunctis lucrantur, eas ita lucrantur ut pro defunctis

circumstantia peccatum, quod aliud est ac actionem per se honestam deturpari aliquo veniali defectu; quomodo enim Deus per peccata placaretur?

Et generatim dicendum est, oportere, ut opera, quae peraguntur, honeste et sancte fiant; sunt enim coram Deo ratio, cur Ecclesia remittat poenas Deo debitas, supponit proinde Ecclesia ea opera a Deo acceptari eique placere: atqui nequeunt Deo placere peccata.

XV. 12. Possunt uno et eodem opere plures indulgentiae, diversis viis concessae, lucrifieri, si opus sit aeque utile ad finem utriusque indulgentiae, nec sit iterabile intra idem tempus, v. gr. ieiunium, vel communio. Ita Praepos. et Laym.

793. S. Ind. C. 30. Aug. 1842. statuit eandem communionem valere posse pro lucrandis eodem die pluribus Indulgentiis plenariis seu pro se seu pro defunctis, etsi pro singulis Indulgentiis communio sit praescripta, cum nequeat eodem die communio iterari. At cetera opera praescripta implenda sunt et iteranda, si plures Indulgentiae eadem exigant. Cf. Maurel op. cit. pag. 101. Est tamen quaedam limitatio.

Nimirum idem dicendum de confessione ac de communione. Sic enim s. C. Ind. respondit, posse eodem opere, cui variis titulis Indulgentiae sunt annexae, plures lucrifieri Indulgentias, « dummodo opera iniuncta vere iterari nequeant vel non soleant, *sicut confessio,* nisi sit aliunde necessaria » 12. Ian. 1878. probante Pio IX. Idem valere censeo, si plures Indulgentiae plenariae vi ex. gr. duplicis Iubilaei eodem die occurrentis; nam ratio pro confessione et communione eadem valet.

Item ex decreto 11. Maii 1844. communio Paschalis valet pro lucranda Indulgentia quae eo die occurrat, quo fit communio; dummodo indulgentia concessa non sit in forma Iubilaei. Cf. dicenda sub resol. 14. in fine.

XVI. 13. Non lucrantur indulgentias, 1. Qui ex impotentia vel ignorantia, sive totum opus praescriptum sive notabilem eius partem omittunt: v. gr. si puer, vel senex non ieiunet, nisi tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud est commutatum. Henriq. Caiet. Bon. par. 5. n. 16. 2. Qui opera iniuncta alio loco, tempore vel ordine perficit, quam praescriptum est, vel per alium, qui fuerit causa principalis, ut si per alium ieiunarit, ecclesias visitarit. Nav. Reg. l. 7. Bon. l. c. 3. Qui famulo tradidit eleemosynam erogandam, quam is retinuit, ut habet Bonac. ex multis, contra Sà. 4. Qui aliquid omittit, quod secundum sententiam probabilem vel etiam probabiliorem non est necessarium, si tamen sit necessarium re ipsa: quia communis error non supplet defectum. Ita Bonac. ex Suar. Sanch. et aliis.

794. Quod primo loco dicitur. clarum est et cf. n. 773.

---

eas offerant. Et quia oblatio pro alio facta a peccatore non est accepta Deo, patet cur communior, ut ait Lugo, sententia teneat, requiri statum gratiae pro his quoque Indulgentiis lucrandis. Ceterum s. C. Ind. 22. Febr. 1847. interrogata, an fidelis peccato mortali inquinatus lucrari possit Indulgentiam in levamen animarum in purgatorio degentium, respondit: « Consulat probatos Auctores ». (*Decreta authentica s. Congr. Indulg.* Schneider n. 341).

Quod spectat ad secundum, habenda est ratio declarationum s. Cong.

1° Cum Indulgentia plenaria, quae confessionem et communionem exigit, annexa esset alicui festo, ex veteri lege oportebat eo ipso die confiteri et communicare et si Indulgentia certo diei annexa non erat, oportebat eo die confiteri et communicare, quo fidelis lucrari eam volebat. Verum, ad confessionem quod attinet, consuetudo, quam decretum 19. Maii 1759. probavit, ita est legem interpretata, ut satis esset, in vigilia seu die praecedenti confiteri.

Imo Pius IX. decreto Urbis et Orbis, die 6. Oct. 1870, statuit « tum confessionem dumtaxat, tum confessionem et communionem peragi posse die qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuerit Indulgentia, non solum ratione festivitatis occurrentis (quae incipere solet a primis vesperis) sed etiam quacumque alia ex causa vel devotionis vel pii exercitii aut sollemnitatis... licet tempus ad eam acquirendam ab initio diei naturalis et non a primis vesperis sit computandum ».

2° Haec vero concessio quoad confessionem ampliata etiam fuit per Indultum 9. Dec. 1763. confirmatum decreto 12. Mart. 1855., quibus statutum est, omnes eos, qui *consuetudinem habent, excepto legitimo impedimento, confitendi saltem semel in hebdomada,* posse lucrari Indulgentias plenarias omnes, quae occurrant intra unam et alteram confessionem. Cf. Maurel op. cit. pag. 96. qui monet phrasim: *semel in hebdomada*, non esse synonymam huic alteri: *octavo quoque die:* quam animadversionem probatam fuisse ab ipsa s. C. idem testatur. At aliis decretis 23. Nov. 25. Febr. 1886. declaratum est a s. C. Indulg. formulam *semel in hebdomada* aequivalere huic: *quolibet decurrente septem dierum spatio*, Cf. Beringer *les Indulgences* Vol. 1. pag. 71.|

Excipitur tamen ab ea concessione Indulgentia Iubilaei tum ordinarii tum extraordinarii et quae in forma Iubilaei conceditur, pro quibus particularis confessionis praescriptio perseverat ibid. Cf. decretum s. C. Ind. 9. Dec. 1763. iam citatum, quo edicitur, « nihil innovari circa Indulgentias Iubilaei tam ordinarii quam extraordinarii aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione praescripto peragantur ».

Quibusdam in locis propter inopiam confessariorum illa concessio ampliata est, ut satis esset, *bis in mense confiteri*, quod rursus non perinde est ac dicere: *decimoquinto quoque die.* Id rogantibus pluribus Episcopis Galliarum concessum est.

3° Praecisione facta ab hoc privilegio confessionis semel in hebdomada, concessum praeterea est decreto 12. Iun. 1822. et 15. Dec. 1841.

iis omnibus, quibus propter inopiam confessariorum, non licet frequenter confiteri, ut Indulgentias quaslibet valeant lucrari, quae occurrant intra octiduum a facta confessione. Hoc privilegium non valet pro Indulgentiis in forma Iubilaei ibid.

795. 4° Cum confessio postulatur, si peccata tantum venialia habeantur, confessio quidem facienda est, sed non est opus recipere absolutionem. Ita decreto 20. Aug. 1822. et 15. Dec. 1841. ibid.

Confessionem faciendam esse, cum Indulgentia datur *contritis et confessis*, declaravit S. C. decreto approbato a Clem. XIII. 19. Maii 1759. Scilicet non requiritur solum ut dispositio ad gratiam, quemadmodum olim plures DD. affirmabant, sed ut opus quoddam praescriptum et sic *conditio sine qua non* Indulgentiae. Quod et Benedictus XIV. pro Iubilaeo a se indulto declaraverat Encycl. *Inter praeteritos* §. 77.

Cum vero in partialibus Indulgentiis clausula additur: *corde saltem contrito*, contritio (quae ad iustificationem sufficit) requiritur solum ut dispositio: ideoque necesse haud est, actum contritionis elici ab illis, qui in statu gratiae sunt. Ita s. Congregatio Ind., probante Pio IX. declaravit 17. Dec. 1870.

Quid si letali culpa infectus confessus non quidem absolvitur at contritionem perfectam habet: potestne is lucrari Indulgentiam plenariam? Si praeterea, ut moris est, communio postuletur, negandum est; cum nequeat communicare. Si sola confessio postularetur, nisi significaretur, ipsum sacramentum Poenitentiae suscipiendum esse; videtur respondendum affirmative. Praeterea ad Iubilaeum quod spectat, cf. quae dicemus sub n. 807. 2°.

5° Quod spectat ad communionem; cum praescripta est pro Indulgentia plenaria annexa alicui festo, eo die, ex ordinaria lege, facienda est. Decreto tamen 12. Iun. 1822. permissum est, ut in vigilia fiat. Maurel ibid. C. et Decretum Pii IX. datum heic sub n. 1.

Opus haud est, in ea ecclesia communicare, quae fruitur Indulgentia, nisi id speciatim praescribatur. Sufficit in ea orare, die praescripto, ad intentionem Summi Pontificis. Maurel pag. 101.

Quaesitum est, an visitantes ecclesias Ordinis s. Francisci die secunda Augusti lucrentur Indulgentiam *toties quoties* in eas ingrediuntur et parumper ibi orant et an requiratur, ut communio fiat in eadem ecclesia. S. C. Indulg. 22. Febr. 1847. respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

796. 6° Quoad cetera opera iniuncta, si indulgentia incipit a primis vesperis, iam ab eo tempore illa fieri possunt usque ad occasum solis diei sequentis: ibid. pag. 100.

Iam vero generatim, quoties Indulgentia conceditur ratione festivi-

tatis alicuius Sancti aut mysterii, quod in ea celebratur, Indulgentia semper incipit a primis vesperis, h. e. ab eo tempore, quo obligati ad divinum officium possunt vesperas, ex more Ecclesiae, recitare.

Indulgentiae vero ordinariae, quae non sunt pro diebus festivis, ex decreto 3. Iul. 1754. et correcto, iussu Pii IX. 12. Ian. 1878. incipiunt cum die naturali a media nocte ad mediam noctem.

Item Indulgentiae concessae pro diebus simpliciter dominicis in honorem ex. gr. alicuius Sancti, non fruuntur privilegio, ut a primis vesperis incipiant: Maurel l. c.

7° Cum praecipitur oratio secundum intentionem Pontificis, nulla determinata oratio praescribitur et per se modica quoque sufficit, imo et mentalis: etsi, ut vult Maurel pag. 103., tutius sit orare etiam vocaliter. Et quidam addunt, orationem prorsus *minimam* non videri esse satis. Et Benedictus XIV. Encycl. *Convocatis* §. 51. pro Iubilaeo vocalem aliquam orationem exegit.

Nota. Qui lucrari cupit Indulgentias plenarias omnes, quas potest, etsi eas ignoret, oportet, ut frequenter oret secundum hanc intentionem ss. Pontificum vel formaliter vel saltem virtualiter; secus omittetur non raro opus, quod non videtur esse parvi momenti.

797. 8° Ad locum quod attinet, adverte responsum s. C. Ind. 22. Aug. 1842. Decreta authentica n. 310. Quaesitum fuit: « In concedendis Indulgentiis a s. Sede saepius requiritur, ut pie visitetur ecclesia parochialis seu oratorium publicum: quaeritur ergo, utrum ad implendam huiusmodi conditionem, publicum sit censendum oratorium sive in monasteriis sive in seminariis aut aliis conventibus canonice dedicatum, cui tamen christiana plebs publice non solet accedere ». Sacra Congr., auditis consultorum votis rebusque mature perpensis, ad praefatum dubium respondit: *negative*. Idcirco nec Religiosis (nisi speciali exsistente privilegio) satis est ad tales lucrandas Indulgentias visitatio sui domestici oratorii. Atque ita declaravit *s. Poenitentiaria* 15. dec. 1886. cf. et Acta s. Sedis V. 8. p. 554.

Quaesitum est, « An Indulgentiam, quae concedi solet *peregrinantibus* ad aliquam insignem ecclesiam, consequi valeant incolae oppidi eiusdem ecclesiae ». Respondit s. C. Ind. « Negative » 3. Iul.1754.

Quod A. dicit tertio loco, id ex intentione concedentis Indulgentiam iudicandum erit. Nam si Pontifex intendat actum virtutis vel unice vel principaliter, videtur lucrari Indulgentiam qui famulo eleemosynam dat distribuendam, etsi is eam furetur sibi et res illa sit, etsi eo invito, adhuc in dominio dantis. Si autem intenditur subsidium pauperum aut alicuius pii loci etc., tunc vera videtur sententia Auctoris. Cf. n. 773. et Lugo disp. 27. n. 112.

XVII. 14. Non obstat effectui indulgentiae, 1. etsi ex opere requisito modicum quid omittatur, v. gr. ceremonia in sacro, vel si parum comedas in ieiunio; quia opus ponitur moraliter integrum. 2. Si opus requisitum praestes per alium habentem se ut instrumentum, v. gr. in eleemosyna danda Bon. l. c. 3. Si eleemosynam des exiguam: nisi tamen in Bulla exprimatur, dandam esse pro cuiusque facultate; tunc enim maior danda est a divite, quam ab alio. Ita Fill. Suar. Sà et alii. 4. Si ecclesiam visitandam non possis ingredi ob hominum multitudinem, dummodo oratio fiat ante fores vel in coemeterio. Bon. 5. Etsi in opere praestito non habueris intentionem consequendi indulgentias, ut docent Salas, Bonac. et alii contra Suar. Et videtur certum; saltem si habueris interpretativam, ut habet Laymann. 6. Etsi opera fuerint aliunde debita, v. gr. ex praecepto Ecclesiae. Ita Laym.

798. Priora quinque capita constant ex iam dictis et pro 4° cf. seq. n. 807. in fin. In sexto corrigendus est ex parte A. Sane s. C. Indulg. 29. Maii 1841. respondit: *per preces obligatorias v. g. Horas canonicas, non potest satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandam Indulgentiam plenariam.* Id satis aequum videtur, ut gratuitum beneficium, quale est Indulgentia poenae Deo debitae, iis conferatur, qui aliquid praestent praeter id quod debent; ut sic causa donandi Indulgentias, quae apud Deum valeat, certior sit. Hanc veriorem opinionem videri, ait Benedictus XIV. Const. *Inter praeteritos* §. 33.

Ita ieiunium quadragesimale aut quatuor temporum nequit tenere locum ieiunii pro Indulgentia praescripti, nisi expresse Pontifex id indulgeat: ut ex. gr. indulsit Leo XIII. in Iubilaeo anni 1871. et 1881. Quocirca Leo XII. in Iubilaeo 1825., postulavit, pro eo lucrando, aliam communionem praeter paschalem, quod et deinceps factitatum est.

Nihilominus s. Ind. C. respondit 19. Mart. 1841. Episcopo Monasteriensi, communione paschali utrumque fieri posse, et satisfieri praecepto et acquiri Indulgentiam plenariam adnexam benedictioni papali. Aliud praeterea responsum 10. Maii 1844. docet, communionem paschalem satis esse pro lucranda qualibet Indulgentia plenaria, excepta ea, quae detur in forma Iubilaei. Cf. Maurel *op. cit.* pag. 93. seqq. Et ita Leo XIII. pro lucranda Indulgentia in Iubilaeis a se indictis edixit « una eademque confessione et communione non posse satisfieri praecepto paschali et simul acquiri Iubilaeum: s. Poenit. 26. Febr. 1879. 25. Mart. 1881.

Porro idem Maurel ibid. monet, persuasionem vigere Romae, opera in poenitentiam sacramentalem imposita valere pro lucranda Indulgentia et in more situm esse Confessariorum Romanorum, iniungere pro poenitentia opera, quibus adnexa sit Indulgentia. Si ex hoc more ea persuasio colligitur, parum probatur. Nam difficile foret, in ordinariis poenitentiis iniungendis, opus imponere aut preces, quibus aliqua indulgentia non sit annexa.

XVIII. 15. Quando datur potestas commutandi opera praescripta in alia, id non necessario fit in confessione et a confessario, qui audit confitentem; sed potest fieri extra et ab alio idoneo. Ita enim declarat Greg. XIII. (uti et in Bulla indulgentiae, nomine confessarii intelligi quemvis approbatum) apud Henriq. l. 7. c. 10. n. 8. et Praepos. q. 14. d. 10. n. 88.

799. A. loquitur re per se spectata. Id sane pendet ex voluntate concedentis. Ita Benedictus XIV. in Instructione data confessariis omnibus pro Iubilaeo a se indicto anni 1750. in Const. *Convocatis* 25. Nov. 1749. ait n. 25.: *Advertant* (confessarii), *supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes non posse a se exerceri extra actum sacramentalis confessionis.* Quod, puto, valorem non solam liceitatem attingit. Idque a se constitutum memorat in Encycl. *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749. §. 63. quia *congruum esse et materiae gravitati ac ministerii qualitati conveniens visum est atque praeterea omnem controversiae ansam eripit et conforme est praxi Poenitentiariae Apostolicae.* Erat ergo dispositio propria pro illo Iubilaeo, quemadmodum et alia in priore Const. cit. loco eodem, ne scilicet facultatibus concessis confessarii uterentur extra basilicam vel ecclesiam sibi assignatam.

Quocirca aliter alias statutum fuit. Ita quaesitum fuit: « An eveniente iusta causa commutandi opera iniuncta praescripta in Bulla praesentis Iubilaei 8. dec. 1864., eiusmodi commutatio fieri possit extra actum sacramentalis confessionis ? » Responsum fuit a s. Poenitentiaria 10. Mart. 1865. « Ex declaratione facta a ss. Domino P. Pio IX., affirmative ».

At 30. Ian. 1886. cum supplicasset quidam, « ut opera iniuncta commutare et super communione cum pueris nondum communionis capacibus confessarius dispensare valeat etiam extra actum sacramentalis confessionis »: respondit s. Poenit. « non expedire ».

Res est ergo quae ex voluntate pendet concedentis Indulgentiam et idcirco tenor concessionis consulendus erit. Si positive non conceditur, cum in ceteris Iubilaeis, pro norma sit Constit. citata Benedicti XIV. (cf. Decretum s. C. sub n. 807.), videtur reapse haec facultas non haberi.

Ad commutationem operum referre licet decretum s. C. Ind. confirmatum a Pio IX. 15. Mart. 1852. respectu surdo-mutorum. Decretum est scilicet pro surdo-mutis, 1° si ecclesiae visitatio praescribitur, satis iis esse, si actu visitent, mente et corde in Deum erectis (id, puto, et pro ceteris valet): 2° cum preces publicae praescriptae sunt, satis esse si ipsi iisdem intersint una cum aliis atque corde orent: 3° preces privatas praescriptas posse a confessariis in alia pia opera iis commutari. Sed nunc surdo-muti docentur ore loqui et hominibus et Deo. Privilegium tamen durat.

XIX. 16. Probabilius est, eum, qui tantum partem operis praescripti facit, non lucrari partem indulgentiae, nisi tam parum desit, ut censeatur moraliter integrum. Ita Bon. p. 5. ex Nav. Suar. Con. etc.

800. Cf. dicta n. 773. Conditio sane Indulgentiae est integrum opus.

XX. 17. Dum praescribitur, ut visitentur aliquot altaria, sufficit ad illa se orando convertere ex eodem loco, ut habent Sà, Bonac. d. 1. Suar. Rodr. Dian. Limitat autem Lugo, si sit tali loco et situ, ut moraliter censeri possit orare ad illa altaria, d. 27. n. 98.

Clara res est.

XXI. 18. Cum confessio praescribitur, nisi in Bulla exprimatur: *venialium*, probabilius est non requiri, ut conditionem sine qua non, sed ut dispositionem ad statum gratiae. Bon. l. c.

Cf. dicta n. 794. 4°.

XXII. 19. Nemo consequitur plenariam indulgentiam peccatorum omnium, nisi omni culpa, etiam veniali, liber sit, quando ultimum opus explet. Unde consultum est, ut communio sit ultimum. V. Laym.

Evidens res est. Cf. n. 768.

801. Dicendum aliquid de cessatione et translatione Indulgentiarum. Iam diximus, Indulgentias pro certo tempore concessas, cessare eo exacto atque e contrario Indulgentias absque temporis definitione concessas esse per se perpetuas. Constat pariter eas cessare, si abrogentur ab eo, qui ipsas concessit vel ab huius successore aut superiore; perinde est enim ac in legibus.

Speciatim vero Indulgentia cessat, cum perit res vel locus, cui applicata fuit Indulgentia, puta crux, ecclesia.

Nihilominus si ecclesia destructa restituatur in eodem loco vel fere eodem (intra 20. aut 30. passus, aiunt: sed iudicio prudentum id relinquendum puto) atque sub eodem titulo, Indulgentia reviviscit: secus, non. Decretum s. C. Ind. 9. Aug. 1843. 29. Mart. 1886.

Item destructo altari, cui Indulgentia erat adnexa, haec restituitur, restituto altari sub eodem titulo, in eadem ecclesia, etsi non in eodem loco, s. C. Ind. 16. Sept. 1723. et 24. Apr. 1843.

Indulgentiae concessae ecclesiis intuitu Religiosorum, qui penes eas ecclesias resident et sacras ibi peragunt functiones, iis ipsis Religiosis exturbatis, suspenduntur quandiu iidem non revertantur. Cf. Decretum s. C. Ind. 10. Febr. 1819. et 18. August. 1868. et Acta s. Sedis V. 4. pag. 328.

Quomodo cessent Indulgentiae annexae coronis, crucibus etc., dictum satis est sub n. 786. seq. Neque opus est addere, cessare has Indulgentias, si res eam formam propriam amittat, sub qua Indulgentia ei est applicata.

802. Constans erat iamdudum lex. Indulgentias annexas certis festivis diebus, si festum aliqua ex causa transferretur, non transferri, sed suo affixas manere. At Pius IX. decreto Urbis et Orbis 2. Augusti 1852. rem temperavit hoc pacto. Indulgentiae annexae seu annectendae certis festivis diebus, item concessae seu concedendae ecclesiae alicui aut publico oratorio propter festivitatem transferantur in diem, in quem eaedem festivitates legitime translatae erunt, dummodo *sollemnitas* quoque *et externa celebratio* transferatur. Quo in casu nequeunt Indulgentiae acquiri die proprio festorum.

Si vero solum transferantur officium et Missa non autem *sollemnitas et exterior celebratio festi*, Indulgentiarum nulla fit translatio et manent suo diei affixae.

Idem eodem decreto statutum est, accedente tamen consensu Ordinarii, quoad Indulgentias concessas pro processionibus, novendialibus, triduis, quae peragantur ante festa vel postea in octava, si festa cum exteriori celebratione, sollemni nempe pompa et populi concursu, transferantur. Cf. Maurel op. cit. p. 109. seq.

§. 2. *Quotuplex Indulgentia et de Iubilaeo.*

XXIII. Resp. 1. Indulgentia alia est totalis sive plena, plenior, plenaria, plenissima, quae non tantum poenitentiam iniunctam per confessarium, vel Canones aut secundum hos iniungi debitam, sed etiam omnem purgatorii poenam tollit. Nec differt a Iubilaeo, nisi accidentaliter, privilegiis quibusdam, ut quod in Iubilaeo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio a reservatis et censuris et quod confessarius quivis approbatus possit eligi. V. Sà, v. *Indulgent.* Bon. d. 6. q. 1. p. 2.

Indulgentia alia est partialis, qualis est unius vel aliquot annorum: item septenae, quadragenae, carenae etc. Item tertiae partis peccatorum, per quas non significatur tolli tantum durationem Purgatorii, sed tantam poenam remitti, quanta deleretur per ieiunium unius aut aliquot annorum aut quadraginta dierum in pane et aqua, secundum canones olim imponi solitum. Porro quando indulgentiis plenariis adduntur aliquot anni, vel remissio tertiae partis peccatorum, id secundum diversas sententias, vel ad diversos concedentes referendum est, vel facit ad cautelam, ut si forte causa indulgentiae non fuerit sufficiens, saltem valeat ad illos annos lucrandos, vel ut adiuncta concedatur pro alio tempore, actione et loco, vel denique, ut ea per modum suffragii possit aliis applicari. V. Bell. c. 9.

803. Indulgentiam totalem A. distinguit in *plenam*, *pleniorem*, *plenariam* (hoc membrum redundat) *plenissimam*.

Huiusmodi distinctio comparet in Const. Bonifacii VIII. quae incipit *Antiquorum* in Extr. comm. *de Poenit. et Remiss.* data per Iubilaeo anni 1300.

Ait enim Pontifex se iis, qui praescriptas peragent visitationes, non solum *plenam* et *largiorem*, sed *plenissimam* concedere veniam pec-

catorum. Explicatio Auctoris, quid sit *plena*, *plenior* (a Bonifacio dicta *largior*), *plenissima* remissio, probatur plus minus Lehmkuhl V. 2. n. 526. 4°. Remissio *plena* iuxta hunc doctorem videtur referri ad poenas canonice impositas et ad eam poenae Deo debitae partem quae iis respondeat: Auctor ait esse remissionem poenae, quae per iniunctas poenitentias solvenda esset. *Plenior* (ait idem Lehmkuhl) refertur ad poenas tum impositas tum secundum rigorem canonum *imponendas*, si forte ita impositae non fuerint. *Plenissima* refertur ad remissionem omnis poenae Deo debitae. Atque ita explicat Bellarminus *de Indulgentiis* c. 9.

Porro haec est, quae nunc plenaria vocatur et praeter *partiales* indulgentias, haec sola nunc nominatur, antiquatis appellationibus *plenae* et *plenioris*, quae neque comparent in Bulla Clementis VI. *Unigenitus* (tit. eod. anno 1349.), qua Iubilaeorum intervalla annis 50. definivit, ubi solius mentio fit *plenissimae* veniae omnium peccatorum. Indulgentia, quae in Iubilaeis conceditur, alia non est ab ista, quae et extra Iubilaea frequentissime conceditur: sed Iubilaea alias gratias praeterea et privilegia complectuntur, quibus simplices Indulgentiae plenariae carent, tum certum determinatum opus exigunt, sine quo Iubilaea non exsistunt. At de his postea.

804. Alia est Indulgentia *partialis* eaque est, qua determinata quantitas poenae Deo debitae remittitur. Haec tamen per accidens potest esse totalis seu plenaria, si forte ille, qui eam obtinet, non plus poenae Deo debeat. Haec Indulgentia solet nunc hoc pacto concedi, ut dicantur Indulgentiae concedi tot dierum, tot annorum et quadragenarum. Scilicet, respectu habito ad veteres poenitentias canonicas, significatur hac formula, tantam remissionem poenae concedi, quanta obtineretur, si poenitentia perageretur iuxta veterem praescriptionem tot diebus, annis et quadragenis. Qua in re adverte, quadragenas seu quadragesimas forte esse aliquid praeter vel extra ipsos annos: et si enim in veteri disciplina maior esset poenitentia, quae tempore quadragesimae peragebatur, ut idcirco maior expiatio peccati obtineretur; at specialis erat poenitentia, ut mox dicemus, quadragenarum, ut non ab omnibus poenitentibus ea fieret.

Hinc nisi explicita mentio quadragenarum fieret in concessione Indulgentiae tot annorum, eae implicite non viderentur intelligi.

Forte Indulgentia 40. dierum ab Episcopis concedi solita ad quadragesimalem illam poenitentiam refertur.

Auctor *carenam* nominat: vox est, ait Du Cange in lexico formata ex quadragena vel quarantena. Ea, praeter alia, specialis poenitentia

significabatur. « Carrina (carena), ait Burchardus lib. 19. c. 5. est dierum 40. continuorum ieiunium in pane et aqua ». Cf. Bellarm. *de Indulg.* c. 9. et Du Cange l. c.

Indulgentiae partiales a Romanis Pontificibus concessae solent esse septem, decem, quindecim, viginti annorum: raro hunc excedunt numerum, qualis est ex. gr. Indulgentia 50. annorum concessa a Gregorio XIII. sacerdotibus recitantibus orationem: *Ego volo celebrare Missam* etc. (Maurel op. cit. pag. 73. et 149.).

805. Indulgentia tum plenaria tum partialis dividitur in *personalem*, *realem*, *localem*, atque in *perpetuam* et *temporariam*.

Personalis est, quae immediate uni vel pluribus personis datur: cuiusmodi sunt Indulgentiae cencessae Religiosis diversorum Ordinum. *Localis* est, quae, in favorem utique personarum, affixa est alicui loco, puta ecclesiae, oratorio etc. *Realis* quae obiecto cuidam ut cruci, coronae etc. est affixa. Cf. n. 785. seqq. Perpetua est, quae absque ullo limite temporis futuri: temporaria, quae ad certum tempus conceditur.

Quod A. ultimo loco addit, certe, si unquam contigit, modo antiquatum est, nec eius mentio apud Bellarminum l. c. occurrit.

806. De Iubilaeo. Hebraeis annus Iubilaeus erat quisque quinquagesimus et annus erat *remissionis* seu *libertatis restitutae*, ut agri ad dominos suos pristinos redirent servique a servitute eximerentur terra vero quiesceret ab humana cultura.

Instar huius vocatus est a Clemente VI. (qui spatium 100. annorum a Bonifacio VIII. statutum reduxit ad 50.) annus Iubilaeus ilie annus quinquagesimus, quo Romae visitantibus Basilicas Apostolorum plena remissio peccatorum seu Indulgentia una cum aliis extraordinariis favoribus concedebatur. Mos deinde inductus est, ut haec ipsa Indulgentia nexa cum ceteris privilegiis diceretur *Iubilaeus* et annus in quem incidit, *Annus sanctus*.

Ut diximus, Clemens VI. anno quolibet quinquagesimo voluit celebrari iubilaeum: deinde hoc tempus Urbanus VI. ad annos 33. contraxit, tandem Paulus II. quovis quinto et vigesimo anno celebritatem hanc in posterum agi iussit: quae consuetudo etiamnum viget.

Finis indicti Iubilaei, ut bene monet cl. Aertnys *Theol. Mor.* V. 2. l. 7. n. 213., non est Indulgentiae consecutio, sed aliquod commune et magnum Ecclesiae bonum impetrandum seu obtinendum, ex. gr. provocatio populi Christiani ad veram poenitentiam morumque reformationem, publicae calamitatis cessatio etc. In quem finem exoptant ss. Pontifices, ut universus populus Christianus plura opera bona praestet et

idcirco ut cunctos fideles alliciant ad ea implenda pro fine intento, concedunt plenariam Indulgentiam et privilegia implentibus opera.

807. Discrimen est ergo Iubilaeum inter et simplicem plenariam Indulgentiam. Porro in primis illud veluti norma tenendum est: in Iubilaeo tum ordinario tum extraordinario servandas esse omnes regulas a Benedicto XIV. traditas in Const. *Peregrinantes* et Encycl. *Inter praeteritos* aliisque, quibus non adversatur Bulla Iubilaei: s. C. Ind. 15. Mart. 1852.

Iam vero quod proprium est Iubilaei huc redit. 1° Iubilaeus certo anno est addictus et in Urbe primum celebratur, tum anno sequenti ad ceterum Orbem extenditur.

2° Opera praescripta sunt confessio et communio (Benedictus XIV. Encycl. *Inter praeteritos* §. 2. seqq.), et quidem, si quis postquam confessus est, in letale prolabitur, antequam cetera opera compleat, iterum confiteri debet; nec enim sola contritio sufficit (ibid. §. 79., ubi id saltem iure ac merito tradi asseritur): tum sunt visitationes certo numero dierum peragendae quatuor Basilicarum Urbis, cum oratione ad intentionem ss. Pontificis. Romani et incolae Romae visitationes quatuor basilicarum (quae omnes singulis diebus sunt adeundae) per 30. dies (sive naturales sive ecclesiasticos eosque vel continuos vel interpolatos) agere debent: peregrini per 15. dies eodem pacto, ibid. §. 8. seqq. et Const. *Benedictus Deus* §. 2. eiusdem Pontificis (a). Numerum dierum minuit Leo XIII. praescribens 20. dies Romanis, 10. aliis: spectanda est lex indicens Iubilaeum.

3° Certis Privilegiis Iubilaeus gaudet. Ea sunt 1° facultas facta singulis fidelibus etiam Regularibus eligendi confessarium ex approbatis ab Ordinario loci. Moniales vero eligere possunt ex approbatis pro Monialibus.

2° Facultas facta certis confessariis absolvendi eos, qui lucrari velint Iubilaeum ab omnibus casibus reservatis tum Ordinariis tum Apostolicae Sedi, aliquando exceptis, aliquando non exceptis, saltem ex parte, casibus, qui in Const. Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae* reservantur, qui sunt absolutio complicis et falsa accusatio sollicitationis: cf. Responsum s. Poenit. 1. Iun. 1869. n. 5. (Acta s. Sedis. V. 8. p. 360.) et Bullam *Quoniam divinae* pro Iubilaeo ann. 1900. atque

---

(a) Error est apud Gury V. 2. §. 1064., in quolibet Iubilaeo requiri ieiunium et eleemosynam: haec spectant ad Iubilaeos extraordinarios. Forte inductus est in errorem ex lectione s. Alph., qui post rationem traditam Iubilaei Anni sancti ex Constit. Benedicti XIV. (n. 536.), subiicit statim quaestionem; an opera omnia praescripta, inter quae est ieiunium et eleemosyna peragenda sint in una hebdomada: quae quaestio spectat ad Iubilaeos extraordinarios et in Anno sancto exigente visitationes per 30. aut 15. dies absurda foret.

adempta semper manet potestas absolvendi peccatum complicis, ut dictum est superius Cf. dicta in praec. tr. nn. 505-507.

3° Facultas facta Confessariis iisdem absolvendi, solum tamen in foro conscientiae, a censuris et ab occulta irregularitate ob violationem censurarum. In facultate absolvendi a censuris excipitur censura lata in absolventes complicem et excipiebatur olim ea quae propter haeresim externam ferebatur (cf. Const. *Inter praeteritos* n. 85.): eam facultatem pro suo Iubilaeo concessit Benedictus XIV. Const. *Convocatis* n. 7. et nunc haec facultas conceditur, haeresi retractata et abiurata. Quaesitum est, an tempore Iubilaei possit poenitens absolvi ab haeresi exterius prodita et an cesset obligatio denuntiandi haereticos eorumque fautores. Respondit s. Poenit. 16. Mart. 1865. « Ab haeresi posse quidem absolvi; haereticos tamen ac fautores aliosque denuntiandos esse, prout de iure ». Cf. Acta s. Sedis, vol. 5. pag. 32. V. 8. pag. 266. et Bullam cit. Leonis XIII.

At nequeunt a censura absolvi qui *nominatim* excommunicati sint, suspensi, interdicti aut *declarati* et *publice denuntiati sint* in censuras incidisse. Const. *Benedictus Deus* n. 5.

808. 4° Facultas commutandi vota etiam iurata, etiam Apostolicae Sedi reservata, in alia pia et salutaria opera. An excipiantur vota religionis et castitatis pendet ex voluntate Pontificis; olim excipiebantur, ea cum quibusdam limitibus concessit Leo XIII. Excipiuntur vota obligatoria in favorem tertii, cuiusmodi sunt vota, quibus aliqui se alicui religiosae congregationi adstrinxit: vota poenalia, seu praeservativa a peccatis, nisi tamen quod substituitur, videatur aeque conferre ac prius susceptum. Const. *Benedictus Deus* n. 4.

5° Facultas commutandi cum impeditis opera iniuncta, excepta confessione atque communione (*Inter praeteritos* §. 53.); nisi quoad hanc agatur de pueris nondum admissis et qui admittendi non videantur ad Sacram Mensam: exceptis quoque precibus (ait ibid. idem ss. Pontifex), quae separari possunt a visitatione basilicarum.

Commutatis ergo visitationibus ecclesiarum vel imminutis, preces fundendae Deo una cum visitationibus remissis, remissae quoque videntur: et standum esse terminis reductionis ab Episcopo, vigore litterarum Apostolicarum, concessae, respondit s. Poenit. 1. Iun. 1869. Acta s. Sedis V. 8. p. 360. et semper manet obligatio orandi secundum Pontificis intentionem. Cf. pag. cit. Notam 2^{m} editoris.

Utrum Confessarii possint his facultatibus uti extra sacramentalem confessionem, iam dictum n. 799. et generatim standum est verbis singularum Constitutionum indicentium Iubilaeum tum pro hac tum pro ceteris rebus hactenus memoratis.

Nec commutatio facienda in pia opera iam debita. *Inter praeteritos* n. 53.

Quod spectat ad praescriptas visitationes, advertendum, quod, citra speciale Indultum, nequeunt eas Religiosi peragere in suis ecclesiis, sed debent, sicuti ceteri fideles, ecclesias designatas visitare. Id per se satis liquet ex concessionibus Iubilaei: sed et declaratum est a s. Poenit. anno 1875. Acta s. Sedis V. 8. p. 554.

Fideles vero, qui processionaliter ecclesiam visitant, si multitudinem capere nequit ecclesia, dummodo reliqui extra ianuas consistentes cum aliis orantes unum corpus morale cum iis efficiant, et hi satisfaciunt visitationi. Ita s. Poenit. anno 1875. l. c.

809. Hactenus descriptus est Iubilaeus ordinarius qui quibusque 25. annis in Urbe par integrum annum celebratur et anno sequenti in Orbe sex menses celebrari solet.

Alius est Iubilaeus *extraordinarius,* qui pro aliqua gravi speciali causa conceditur ad duas hebdomadas (id olim erat in more) tresve vel mensem, annum quoque, cuiusmodi fuit concessus a Leone XIII. an. 1886. imo ad longissimum tempus, qualem concessit Pius IX. occasione Concilii Vaticani. In his Iubilaeis privilegia seu facultates modo recensitae plus minus conceduntur.

In iisdem praescribi solet, praeter alia, ieiunium atque eleemosyna. Cf. Lugo *de Poenit.* disp. 27. sect. 7. in qua data opera de extraordinario Iubilaeo duarum hebdomadarum disputat.

Quae vero facultates concedantur, ex tenore concessionis Iubilaei dicendum erit.

XXIV. Respond. 2. Circa Iubilaeum notanda sequentia.

1. Anno Iubilaei in Urbe durante, suspendi solent tantisper extra Urbem omnes indulgentiae plenariae quoad vivos, etiam in carceribus (non tamen in periculo mortis constitutos, ut contra Laymann l. 5. t. 7. c. 8. n. 2. docet Bon. d. 6. q. 1. n. 2. ex declarat. Urb. VIII. facta anno 1625. neque quoad defunctos) itemque aliae facultates, v. gr. absolvendi a casibus Bullae Coenae, commutandi vota, dispensandi etc. concessae in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias. Non suspenduntur autem indulgentiae personis particularibus, aut ab alio, quam Papa concessae, nec privilegia Religiosorum, v. gr. absolvendi a reservatis etc.; quia tantum suspenduntur facultates concessae in ordine ad indulgentias. Ita Sanch. Henriq. etc. apud. Dian. t. 1. tr. *de Bull. Cruc.* Fill. Bon. l. c. Benzon. et denique Lugo n. 20. sect. 8. n. 140. ex declarat. Urb. VIII. anno 1625. Similiter neque suspenditur facultas concessa Episcopis per Trid. sess. 24. c. 6. absolvendi et dispensandi cum suis subditis, in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis; item nec dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, aut petendi debitum etc. quae ex iure communi illis competunt. Zerol. v. *Annus Sanctus*, §. 4. Quintan. *in Append.* t. 3. d. 16.

810. Benedictus XIV. pro Iubilaeo a se in Urbe anno 1750. celebrando statuit Const. *Cum nos* §. 1. firmas manere Indulgentias con-

cessas in articulo mortis atque facultates eas impertiendi: item Indulgentiam concessam cunctis fidelibus salutationem angelicam seu alias preces de tempore recitantibus mane, meridie, vespere: Indulgentiam pariter pro ecclesias visitantibus, in quibus exponitur augustissimum Sacramentum pro oratione 40. horarum atque Indulgentiam concessam devote comitantibus ss. Eucharistiae Sacramentum, dum ad infirmos defertur: Indulgentias quoque, quas Cardinales a latere legati, Nuntii Apostolicae Sedis et Episcopi in usu Pontificalium aut in impertienda benedictione aliave forma consueta concedere solent: Indulgentias praeterea Altarium privilegiatorum aliasque omnes, quae applicabiles essent defunctis: imo Indulgentias omnes pro vivis concessas, licet suspensas quoad vivos, voluit applicari posse pro defunctis.

Item integras manere voluit §. 2. facultates C. s. Off. tum Missionariorum ac Ministrorum, qui ab eadem vel a C. P. F. deputati fuerint, praesertim facultatem absolvendi debito modo ab haeresi atque alias facultates a s. Poenitentiaria Missionariis concessas, exercendas in locis Missionum earumque occasione.

Pariter integras servavit facultates Episcoporum circa dispensationes et absolutiones in casibus occultis, etiam Apostolicae Sedi reservatis, prout Tridentina Synodus indulsit aut alias etiam in publicis casibus vel ius commune concessit vel ipsa Apostolica Sedes permisit pro certis personis et casibus: eodemque pacto incolumes esse voluit facultates Superiorum Regularium in suos subditos a Sede Apostolica tributas.

His sepositis §. 3. suspendit ubique, pro anno sancto Romae celebrando, ceteras omnes Indulgentias tum plenarias tum partiales sive personales sive reales atque facultates absolvendi a casibus reservatis, a censuris, commutandi vota, dispensandi super irregularitatibus et impedimentis cuilibet personae, communitati, officio concessas. Cf. *Inter praeteritos* §. 32. et Bullam Leonis XIII. *Quod Pontificum.*

Haec autem facultatum absolvendi, dispensandi etc. suspensio pro Anno sancto indicta non comprehendit Romanam Urbem, in qua eo maxime anno praestat operariorum copiam et auxilia pro expediendis poenitentibus non imminui. Quicumque ergo in Urbe facultatibus legitime instructum se reperit, easdem Anno sancto libere exercere ibidem valet. Const. *Convocatis* n. 55.

811. Auctor dicit, non suspendi privilegia Religiosorum absolvendi a reservatis etc. Id aliquando verum fuit, seu concessum quandoque est ipsis uti suis privilegiis (cf. *Inter praeteritos* §. 29.), at Benedictus XIV. hac eadem Encycl. §. 32. « protestamur, ait, quod salvis facultatibus expresse ac nominatim exceptis (in Const. scilicet *Cum nos*), suspensae remaneant, durante Anno sancto, aliae facultates ab-

solvendi a casibus Apostolicae Sedi etiam in Bulla Coenae reservatis... omnes facultates absolvendi et dispensandi suspensae sint, sive eae Indulgentiarum causa et occasione sive alio quovis titulo et causa concessae fuerint ». Subdit tamen, iuxta statuta in Const. *Convocatis,* hanc facultatum suspensionem locum habere extra Urbem, non vero Romae neque valere pro Regularibus superioribus erga suos subditos, sive in Urbe sive extra Urbem.

Cum ergo mos a Benedicto XIV. inductus pro celebratione Anni sancti servandus in posterum sit, nisi nova Concessio Iubilaei illi adversetur; consulendus erit tenor recentis concessionis, ut sciatur, an in eo Anno sancto plus possint Regulares quam quod Benedictus XIV. permisit.

Liquet suspensionem Indulgentiarum et facultatum indici cum Iubilaeus Romae celebratur, non cum extra Urbem sequenti anno ad Orbem propagatur. Ratio illius praxis est, tum ut fideles alliciantur adire Romam tum ut in ipsa Roma ad Iubilaeum consequendum omnes intendant. Cf. Const. Benedicti XIV. *Benedictus Deus*, qua ad universum Orbem Iubilaeus per sex menses extenditur et in quo ne verbum quidem de huiusmodi suspensionibus.

XXV. 2. Etsi probabile sit, quod docet Navar. saepius lucrifieri posse indulgentias intra Iubilaeum extensum ad duas septimanas: contrarium tamen verius est, quod Congreg. Card. declaravit, ut habet Bonac. ex Suar. Sanch. l. 6. qu. 1. p. 5. n. 32. qui tamen affirmat, in Anno Sancto posse obtineri toties, quoties opera praescripta praestantur idque ex declaratione Urbani VIII.

812. Cum Iubilaeus Anni sancti Romae agitur, Indulgentia seu remissio totalis poenae, toties, durante Anno, obtineri potest, quoties opera praescripta iterentur. Privilegiis vero absolutionis a censuris, reservatis, commutationis votorum etc. semel tantum uti licet. Const. *Convocatis* n. 52. *Inter praeteritos* n. 84. Nimirum qui semel illarum gratiarum particeps factus est prima vice qua consecutus est Iubilaeum, iterum eas gratias consequi nequit, si post consecutum Iubilaeum iterum in censuras incidat aut casus reservatos etc. Ita l. c. Const. *Inter praeteritos.* Quia vero in potestate cuiusque est opera praescripta eo ordine quo maluerit praestare, et novissimo denique eorum praestito, quodcumque illud sit lucratur Iubilaeum, toties a reservatis absolvi quisque poterit, quoties iterum redit, donec omnia prorsus impleverit. Ita cl. d'Annibale V. 1. n. 348.

Quod semel, ut explicavimus, privilegia obtineantur, id et in ceteris Iubilaeis multo magis valet atque id quoque pro singulari extraordinario Iubilaeo, occasione Vaticani Concilii, statuit Pius IX. decreto s. C. Ind. 10. Iul. 1869. n. 10. atque Leo XIII. pariter pro Iubilaeo a se indicto anno 1879.

Cum Iubilaeum ad Orbem extendit Benedictus XIV. Const. *Benedictus Deus*, Indulgentiam quoque *semel* consequendam concessit §. 2. Indulgentiam quoque semel acquiri posse in Iubilaeo extraordinario duarum hebdomadarum supponit Benedictus XIV. Const. *Inter praeteritos* §. 84. Pro Iubilaeo autem extraordinario indicto anno 1879., quod a dominica prima quadragesimae ad Dominicam Pentecostes durabat, concessit Leo XIII. ut plenaria Indulgentia bis aut pluries posset lucrifieri, iniunctis operibus bis aut pluries iteratis. Ex responso s. Poenitentiariae 26. Febr. 1879. cf. et eiusdem Responsum 25. Mart. 1881.

XXVI. 3. Satisfacere tunc. 1. qui Sabbato ante primam Dominicam confitetur, ut habet Laym. Bon. et praxis fidelium. Item qui confitetur et communicat ultima Dominica claudente Iubilaeum. Cetera tamen opera debere fieri ante et quidem intra unam hebdomadam, docet Lugo d. 27. n. 105. contra Bonacin. p. 1. quaest. 5. 2. Qui ordinem intra opera praescripta non servavit. 3. Si quis intra illud tempus coeperit confessionem, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, potest tunc absolvi a reservatis et commutari vota: postea vero extra tempus Iubilaei absolvi ab omnibus, etiam quae oblitus est, reservatis ac in oblitis etiam dispensari: imo potest postea omnia facere confessor finita confessione, quae ante; quia coepta causa, manet potestas delegati, donec finiatur. Ita Sà, Less. l. 2. c. 40. d. 16. Bonac. Laym. Sanch. l. 4. c. 54. Dian. t. 2. misc. r. 11.

813. Iam diximus n. 798., in Iubilaeo non sufficere opera iam debita alio titulo, nisi id permittat qui Indulgentiam concedit. Et generatim opus pro Indulgentia acquirenda peragendum debet esse opus quod libere ponatur ultra obligationem legis, cuiusmodi est etiam opus debitum ex voto; nam originem si spectes, ipsum est ex arbitrio agentis. Ita saltem censet Lugo disp. 27. n. 110., qui ait, id usu quoque constare.

Verum si recentia consideramus responsa Pontificum, aliud dicendum videtur. Sane iam Benedictus XIV. Const. *Inter praeteritos*, §. 33. quaestione proposita, « utrum quis Indulgentiam consequi possit, opera aliqua faciendo, ad quae ex alio titulo obligatur », allata sententia tum negante tum affirmante, subdit: « Sed illa verior opinio esse videtur, quod acquiri nequeat Indulgentia per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligatur, nisi qui Indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per praedictum opus acquiri possit; id enim saepe contingit ». Adverte Pontificem loqui de Indulgentia Iubilaei.

Et certe quoad confessionem et communionem exstant Responsa iam citata superius n. 798. Quoad ieiunium, quod in extraordinariis Iubilaeis praescribi solet, extat, inter alia, responsum s. Congreg. Indulg. 10. Iul. 1869. pro Iubilaeo a Pio IX. indicto (quod responsum ad plures qq. et pro Iubilaeis a se indictis valere voluit Leo XIII.). In eo porro respondetur 1° standum esse regulae generali, ita ut, ad effectum lucrandi Indulgentiam, omnes dies ieiunii, ad quod quisque tenetur, excludantur.

Atque in responso eodem dicitur nn. 4. et 5., permitti, *ex speciali Sanctitatis suae indulto,* ut valeant pro lucranda Indulgentia ieiunia, ad quae ex regula tenentur Religiosi s. Francisci et ad quae in quadragesima tenentur fideles, *dummodo esuriales tantum cibi adhibeantur.*

Iam vero ieiunii obligatio, qua tenentur Minores, oritur tandem ex voto. Nihilominus si votum esset tantum privatum, adhuc censerem valere doctrinam Lugo: certe de hoc nulla exstat, quod sciam, decisio.

Quoad visitationes ecclesiarum, eas commutari non posse in opus iam debitum edixit Benedictus XIV. Const. *Inter praeteritos* §. 53.

Ex his, collatis etiam dictis sub n. 798. videtur haec regula generalis colligi posse pro quavis Indulgentia: opus iniunctum illud in concessione Indulgentiae intelligi, quod non ex obligatione legis, sed ex proprio arbitrio ponatur.

814. Primo loco Auctor loquens de Iubilaeo duarum hebdomadarum, quaestionem facit, quae huc redit: an confessio facta die praevertente diem primum Iubilaei valeat pro lucranda Iubilaei Indulgentia: quae quidem quaestio in quovis Iubilaeo locum habet.

Quid liceat quando agitur de Indulgentia simpliciter plenaria, iam diximus n. 794.: diximus ibid. pariter, Indulgentiae Iubilaei non suffragari privilegium hebdomadariae confessionis. Sed ad quaestionem propositam quod spectat, A. respondet affirmative et haec doctrina certa est, si confessio fiat, iam incipiente ecclesiastico die, h. e. in primis vesperis primae diei Iubilaei, ut in Anno sancto in primis vesperis vigiliae Nativitatis D. N. I. Ch. Benedictus XIV. Const. *Peregrinantes* §. 5. *Inter praeteritos* §. 8.

At si ante primas vesperas fiat confessio, puta matutinis horis diei praevertentis Iubilaeum, negat Gury V. 2. §. 1069. confessionem valere pro lucranda Indulgentia; quia opera iniuncta fieri debent intra spatium temporis statuti pro Iubilaeo atque ita sane verba concessionis sonant. Et certe ratio, quam veteres afferebant, confessionem requiri, ut dispositionem, non ut opus iniunctum pro lucranda Indulgentia (Laymann, *de Indulg.* c. 8. n. 6.), nequit nunc proferri. Privilegium vero a Pio IX. concessum pro lucraturis Indulgentiam plenariam (n. 794. 1°) non loquitur de Iubilaeo, cuius specialis prae ceteris Indulgentiis ratio esse solet. Cf. decretum s. C. Ind. 9. Dec. 1763. allatum l. c. 2°.

815. A. deinde quaestionem tangit, an opera iniuncta omnia in una ex duabus hebdomadis impleri debeant. Et quidem quod spectat ad ieiunium feriae 4^{ae}, 6^{ae} et sabbati, facile inter omnes fere convenit, tria haec ieiunia in eadem hebdomada implenda esse; cum praecipiantur ad modum ieiuniorum quatuor temporum.

Atque id confirmatur responso s. C. Ind. 10. Iul. 1869. Cum enim in

Iubilaeo indicto occasione Conc. Vatic. Pius IX. inter opera iniuncta, postulasset ieiunium tribus diebus, etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria ac sabbato: quaesitum est, « an ob dicta verba: *etiam non continuis*, singuli dies ieiunii in diversas hebdomadas dividi possint ». Responsum est: « *In hoc Iubilaeo*, affirmative ».

Est scilicet speciale Indultum derogans generali legi; quae hoc pacto confirmata est.

Porro adverte, ieiunia iniuncta pro his Iubilaeis extraordinariis esse stricta, absque usu lacticiniorum et ovorum. Constat ex formulis concessionum vel declarationibus s. Cong. Cf. ex. gr. declarationem datam sub Pio IX. 10. Iul. 1869. quam dedimus n. 813.

816. Quod spectat ad alia opera iniuncta, quae sunt confessio, communio, visitatio ecclesiarum, eleemosyna, non apparet ratio aliqua exigens ut omnia eadem absolvantur hebdomada. Et sane communio saltem dominica die fieri potest, qua altera incipit hebdomada, postquam in praevertente alia opera fuerint impleta, ut satis patet ex verbis concessionis huiusmodi Iubilaei factae ab Urbano VIII. quae verba mox afferemus. Ex hoc vero colligitur, et confessionem eo die fieri posse, quod satis probabile censet Lugo disp. 27. n. 107. tum propter auctoritatem plurium doctorum, tum etiam propter usum fidelium Romae, qui usus notus est Pontificibus nec ab iis improbatur.

Quid autem de aliis operibus? s. Alphonsus n. 537. adhaeret sententiae affirmanti, omnia opera perficienda esse in eadem hebdomada: licet subdat se sentire cum Lugo quoad confessionem et communionem. Ratio s. Doctoris petitur ex verbis concessionis Iubilaei, quae sunt huiusmodi: *Qui processioni interfuerint, vel ecclesias designatas visitaverint et feria quarta, sexta ac sabbato alterius ex duabus hebdomadis ieiunaverint pariterque* (haec vox non occurrit in verbis Urbani VIII. recitatis a Lugo l. c. n. 104.) *sua peccata confessi et ss. Communione refecti fuerint eleemosynamque tribuerint* etc. Arguit s. Doctor ex verbis *alterius ex duabus:* sed haec verba ad ieiunium spectant, pendent enim ex vocibus *feria... sabbato* et significatur, triplex hoc ieiunium in eadem hebdomada faciendum esse: cf. n. praec. Tum arguit ex voce *pariter* qua connexionem operum etiam quoad tempus significari contendit.

Sed 1°, ut minimum dicamus, id gratis asseritur et satis est consulere lexica.

2° etsi id daremus, tempus quo omnia fieri debent, est tempus duarum hebdomadarum; nam, ut diximus, ea verba *alterius ex duabus* ad ieiunia solum referuntur.

Ceterum cum non opus sit, eandem semper esse formam concessionis

huiusmodi Iubilaeorum et non raro nunc concedantur, satis erit in singulis concessionibus considerare tenorem verborum et declarationes, si quae sunt, s. Congr. Certe obligationem, de qua s. Alph. loquitur, non agnovit s. Poenit. 16. Mart. 1865.

817. A. secundo loco dicit, satisfacere conditionibus Iubilaei, qui ordinem non servaverit inter opera peragenda, h. e. dummodo opera, quocumque tandem ordine, impleverit. Et sane nisi ordo a dante Indulgentiam praescribatur, nulla est ratio cur postuletur. Hinc nisi necessitas urgeat se collocandi in statu gratiae, ut ex. gr. communio fieri possit, licet et ultimo loco confessionem agere, ut monet Laymann l. c. c. 8. n. 7.

Quod tertio loco dicitur, clarum est atque confirmari potest responso Pontificis 28. Nov. 1759. Quaesitum sane fuit occasione Iubilaei indicti initio Pontificatus Benedicti XIV., « An in casu, quo quis peractis una hebdomada praescriptis operibus, inabsolutus dimittatur ad aliud tempus, teneatur ille iterum, quae peregit tempore Iubilaei (*aliud* ergo *tempus* est tempus extra praescriptum pro Iubilaeo) opera repetere dum absolvetur, ad effectum lucrandi Indulgentias ». Respondit Pontifex: « non teneri in casu proposito repetere opera praescripta iam adimpleta ». Colligitur ergo, hunc frui posse privilegiis Iubilaei, quae iis conceduntur, qui Indulgentiam lucrantur.

XXVII. 4. Qui neglexit lucrari Iubilaeum in patria potest alibi, dum ibi durat, lucrari, Sanch. Ugol. Dian. p. 3. t. 4. r. 151. Imo etiam in patria, si tempore publicationis ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit. Bon. Dian. l. c.

818. Heic advertendum occurrit, solere Pontifices, cum Iubilaeum concedunt sive ordinarium sive extraordinarium, rationem habere navigantium et iter agentium. Cf. Const. Benedicti XIV. *Benedictus Deus:* qua Iubilaeum ordinarium ad universum Orbem extendit, §. 3. Const. Pii IX. pro Iubilaeo, occasione Conc. Vatic. §. 3. et Leonis XIII. pro Iubilaeo a. 1879. occasione suae exaltationis.

Concedunt scilicet, ut navigantes et iter agentes, si post elapsum tempus praescriptum, ad sua se domicilia seu alio ad certam stationem receperint peractis iis, quae in decreto iubilaei praescripta sunt, eandem Indulgentiam consequi valeant et idcirco iisdem privilegiis frui, quae omnibus Christi fidelibus conceduntur. Atque tale Indultum extenditur etiam ultra annum. Ita respondit s. Poenit. anno 1875. Acta s. Sedis V. 8. p. 485.

Quod primo loco ait A. certum est; Iubilaeus enim prostat omnibus et in aliena quoque dioecesi acquiri potest, si serventur ordinationes Ordinarii illius dioecesis: s. Poenit. l. c. p. 486. In Responso citato n. praec. Benedicti XIV. et alia responsio continetur. Quaerebatur:

« An qui disponuntur ad lucrandas Iubilaei Indulgentias et quandoque ob negotia tenentur exire e loco, ubi commorantur, ibique per duos aut tres dies commorari, possint in illo loco peragere quaedam ex dictis operibus pro Iubilaeo » Respondit Pontifex: « posse peragere etiam extra locum domicilii ».

Quod vero dicit A. secundo loco, eum, qui ex invincibili ignorantia notitiam Iubilaei non habuit, posse illud lucrari elapso tempore definito, id nisi authentica declaratio huius favoris afferatur, non credam; hic enim non est casus, quo ignorantia suffragatur (n. 781.).

Bonacina autem ab A. citatus, id solum dicit *de Indulg.* p. 5. n. 36. « eum, qui aliquo impedimento detentus non praestitit opera praescripta et consequenter non obtinuit Iubilaeum primis duabus hebdomadus, posse illud consequi transactis duabus hebdomadis, si opera pietatis in proximum tempus prorogentur a confessario, servata formula a ss. Pontifice praescripta, a qua non est recedendum ». Loquitur scilicet de casu prorsus diverso.

An, si absolutio differatur post Iubilaeum, possit confessarius, qui iam tempore utili incepit audire poenitentem, eundem absolvere a reservatis denuo admissis, commutare vota denuo emissa etc.? Probabile saltem est, facultas enim data manet caepto negotio.

XXVIII. 5. Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Iubilaea, quorum singula confessionem et communionem requirunt, non opus est bis confiteri et communicare, dummodo perseveres in gratia: alia tamen opera repetenda sunt. Tur. p. 2. d. 31. d. 64. Vide Dian. p. 4. t. 4. r. 166.

819. Cf. tradita n. 793. quae non cohaerent cum sententia A. Hactenus de Iubilaeo ordinario et extraordinario. Ab utroque distinguenda Indulgentia quae dicitur dari *ad instar Iubilaei* vel *in forma Iubilaei*, quae reapse non est nisi plenaria Indulgentia, carens ceteris favoribus seu privilegiis aut facultatibus, quae propria sunt Iubilaei.

Scilicet nulla facultas datur absolvendi a casibus et censuris reservatis, aut eligendi confessarium etc. Ita s. Cong. Ind. 10. Apr. et 3. Iul. 1668. Idem dicendum esse de Indulgentia aliquando concessa sub nomine *pleni Iubilaei* censuit eadem Congr. 31. Ian. 1679. Cf. Theodorum a Spir. S. *de Iubilaeo* c. 1. n. 10.

Subdimus quaedam practica circa nonnulla exercitia aut preces aut huiusmodi, quibus speciales Indulgentiae sunt annexae. Illud tamen in primis generatim recolendum est, oportere eos, qui impetraverint *generales concessiones* Indulgentiarum pro recitatione ex. gr. precum etc., deferre *sub poena nullitatis* exemplar earundem concessionum ad secretariam s. C. Indulg. Ita decreto eiusdem Cong. 28. Ian. 1756. probato a Benedicto XIV., quod rursus decreto Urbis et Orbis pro-

bavit Pius IX. 14. Apr. 1856. (Schneider *Decreta authentica* s. C. Ind. n. 371.). Sermo est ergo de *generalibus* concessionibus, non *personalibus* Indulgentiarum, multoque minus sermo est de *personalibus facultatibus* acceptis benedicendi obiecta etc.

§. 3. *De quibusdam specialibus indulgentiis.*

Articulus I.

Coronae B. V. M.

820. Habentur Indulgentiae Apostolicae, Indulgentiae proprie dictae Rosarii seu s. Dominici et Indulgentiae s. Birgittae ac Indulgentiae Crucigerorum. Iam monuimus n. 785. Coronas et Rosaria promiscue accipi.

Cum de Indulgentiis agitur Apostolicis h. e. iis, quas sua benedictione Romani Pontifices obiectis quibusdam annectunt, Coronae spectantur ut obiectum quoddam devotionis, ut dici solet, quod qui possidet auctum benedictione Apostolica lucrari potest Indulgentias plures, tum partiales tum plenarias, quae conceduntur sive propter recitationem Coronae seu Rosarii, sive propter alias preces aut alia pia opera quae exerceat. Quocirca ut tale obiectum possidens lucretur ceteras Indulgentias praeter eas, quae annexae sunt recitationi Coronae seu Rosarii, opus non est recitare coronam seu Rosarium. Scilicet *Corona* se habet sicut plura alia obiecta, quibus eaedem Indulgentiae sunt annexae pro possidentibus ea, cuiusmodi sunt *cruces, crucifixi, parvae statuae, numismata.*

Quae et quot Indulgentiae sint, habes in *Summario* edito iussu Leonis XIII. 23. Febr. 1878. Schneider *Rescripta authentica* etc. pag. 347. seqq.

Notandum vero est, quid requirant Pontifices, ut fideles talia obiecta ab iisdem Pontificibus (vel ab iis, qui facultatem ab ipsis obtineant) benedicta possidentes valeant lucrari Indulgentias. Scilicet « requiritur, ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis obiectis: quod si id minime fiat, requiritur, ut illud in proprio cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retineant et coram eo devote praescriptas preces recitent » (eas nempe preces, quibus annexae sunt Indulgentiae pro possidentibus huiusmodi obiecta). Ita Monitum praemissum Summario citato. Non ergo heic requiritur, ut Corona manu teneatur, cum Rosarii preces recitantur.

821. Quod spectat ad lucrandas Indulgentias concessas recitationi Coronae vel Rosarii: advertendum est responsum quoddam s. C. Ind.

Quaesitum fuit. « An pro lubito vel commodo dividi possit Rosarium B. M. V., ita ut acquirantur tum indulgentiae generales adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium, licet non uno tractu, sed diversis temporibus, recitentur quinque denaria, tum Indulgentiae speciales sodalitatis ss. Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur ». Responsum est: « Negative, exceptis confratribus, quod attinet ad Indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri Rosarii infra hebdomadam ». 22. Ian. 1858. Cf. Maurel op. cit. pag. 320. seq. Et vide dicta superius sub n. 785.

Romani Pontifices Indulgentias annectentes certis precibus aut operibus piis in favorem eorum, qui recensita possident obiecta benedicta, expresse declararunt, harum Indulgentiarum concessione nullatenus derogari Indulgentiis, quas iam alii Pontifices pro iisdem precibus aut operibus forte concesserint.

822. Iam vero, ut de recitatione *Coronae seu Rosarii* B. V. loquamur, aliae sunt Indulgentiae annexae coronis auctis benedictione Apostolica (n. 820.), quas vide in Summario citato: aliae adnexae coronis s. Dominici, quae Indulgentiae solent et simpliciter vocari Indulgentiae Rosarii. Ut de his loquamur: omnes Christifideles pie illam vel illud recitantes consequuntur pro singulis *Pater* et *Ave* 100. dies Indulgentiae atque plenariam Indulgentiam semel in anno, si singulis diebus Corona saltem h. e. tertia pars Rosarii recitata fuerit. Ita concessit Benedictus XIII. Brevi *Sanctissimus* 13. Apr. 1726.

Praeterea Pius IX. decreto 12. Maii 1851. addidit aliam Indulgentiam 10. annorum et 10. quadragenarum recitantibus Coronam una cum aliis sive publice, puta in ecclesia, sive privatim domi atque iis qui solent hoc pacto saltem ter in hebdomada coronam recitare, Indulgentiam plenariam lucrandam postrema dominica cuiusque mensis, dummodo sacra communio fiat et aliqua ecclesia aut publicum oratorium visitetur, ibique secundum intentionem Pontificis oretur.

Ut hae Indulgentiae obtineantur, necesse est, 1° Rosarium aut Coronam habere benedictam a sacerdote Ordinis Praedicatorum vel ab eo, qui potestatem benedicendi acceperit a Ministro Generali eiusdem Ordinis: 2° Coronam manu tenere ac pervolvere, cum preces recitantur. Si tamen in communi Rosarium recitetur, satis est, si una tantum persona, quaecumque ea sit de communitate, coronam manu teneat eaque in recitatione de more utatur: dummodo alii, caeteris curis semotis, se componant, pro oratione facienda, una cum persona, quae tenet coronam. Decret. 22. Ianuarii 1858.

Necesse est 3° meditari mysteria vitae, passionis et mortis D. N. I. Ch.

Ita respondit s. C. Ind. 1. Iul. 1839. quando agatur de lucrándis Indulgentiis concessis pro recitatione Rosarii, non vero de Indulgentiis s. Birgittae nuncupatis vel Indulgentiis Apostolicis. Sufficit vero mentis applicatio ad Mysteria tum cum oratio dominica et angelica salutatio recitantur atque integrum est fideli quolibet die quaelibet meditari mysteria, ut Indulgentias lucretur. Ita eod. decreto. Nihilominus Benedictus XIII. Const. *Pretiosus* 25. Maii 1723. §. 4. concessit, ut personae vere rudiores et meditationi mysteriorum minus idoneae, lucrari possint Indulgentias, si devote et pie Rosarium recitent, praecipiens tamen, ut iisdem meditandis, iuxta Rosarii institutum, assuefiant. 4° Tandem illud requiritur, quod postulat decretum exhibitum sub n. 820.

823. Porro aliae Indulgentiae concessae sunt iis, qui praeterea membra sint Sodalitatis seu Confraternitatis ss. Rosarii. Eas videre est in Summario (Schneider l. c. pag. 418. seqq.). Confraternitas erigenda est ex consensu Ministri Generalis Ordinis Praedicatorum: decreto 26. Aug. 1747.

Ut quis membrum fiat eiusdem, satis est si nomen inscribi faciat in regesto sodalitatis (Maurel op. cit. pag. 311.).

Iam vero ab his sodalibus recitatio Rosarii integri in hebdomada exigitur tantum ad assequendas Indulgentias annexas recitationi Rosarii, minime vero ad lucrandas Indulgentias pro aliis piis operibus sodalitati concessas. Decr. 25. Febr. 1877. n. 3.

Praeterea in recitatione huius *integri* Rosarii confratres gaudent privilegio, cuius iam meminimus sub. n. 821.

Corona utique vel Rosarium horum sodalium aucta esse debent benedictione impartita a Patre Ordinis Praedicatorum vel ab eo, cui Minister eiusdem Generalis potestatem fecerit atque formula specialis exstat, quam videre licet in recentioribus editionibus Ritualis Romani.

824. Corona s. Birgittae, ea est, quam ipsa adinvenit in honorem 63. annorum, quos in hac vita mortali, ut pia sententia ferebat, egit b. Virgo Dei Mater. Sexies recitantur 10. salutationes angelicae cum oratione dominica et Symbolo Apostolico, additis in fine una ratione dominica atque tribus salutationibus angelicis.

Facultas benedicendi *Coronas birgittinas*, quae sex decadibus constant, reservata est superioribus Ordinis s. Salvatoris ab eadem Sancta instituti (ex responso s. C. Ind. 15. Ian. 1839.): sed quia hic Ordo non amplius viget, transiit haec facultas in superiores Ordinis Canonicorum Regularium ss. Salvatoris lateranensium, qui priori Ordini propius accedunt (Schneider op. cit. pag. 353.).

Verum facultas frequenter conceditur aliis, non quidem benedicendi istas Coronas birgittinas sed applicandi Coronis ordinariis, per benedictionem, Indulgentias dictas birgittinas, seu quae competunt Coronis

birgittinis, concessas a Leone X. Clemente XI. et confirmatas a Benedicto XIV. Haec facultas a s. Sede peculiariter est concedenda.

Plures sunt Indulgentiae annexae Coronis birgittinis. Pro singulis *Pater* 100. dies, item 100. dies pro singulis *Ave* et rursus pro singulis *Credo*. Qui integrum Rosarium recitat, cui annexae sint Indulgentiae birgittinae, lucratur praeterea 7. annos et 7. quadragenas. Cf. quoad ceteras Maurel op. cit. pag. 379. seq.

Corona utique manu tenenda est, sed forte opus non est integram recitare coronam, ut indulgentiae pro singulis precationibus acquirantur. Cf. votum consultoris, quod n. seq. citatur.

Non opus est, in hac recitatione meditari mysteria D. N. I. Ch. imo nec dolores aut gaudia b. Virginis, pro lucrandis Indulgentiis. Cf. Maurel pag. 378.

825. Corona Crucigerorum. Habet Indulgentias proprias Rosarium b. Mariae, benedictum a Magistro Generali Ordinis s. Crucis in Hollandia vel a sodalibus eiusdem Ordinis a Magistro Generali ad id specialiter deputatis, concessas a Leone X. litteris in forma Brevis 20. Augusti 1516. et confirmatas a Gregorio XVI., Pio IX. et tandem a Leone XIII. decreto s. C. 15. Mart. 1884.

Eae huc redeunt, ut quoties in Rosariis per Crucigeros benedictis oratio dominica vel salutatio angelica devote recitatur, obtineatur Indulgentia 500. dierum neque opus sit, ad eandem lucrandam Indulgentiam, continuata oratione plures *Ave Maria* aut et multo minus integrum Rosarium recitare vel integram Coronam (nam corona et Rosarium perinde sunt e stilo s. C.), quemadmodum opus est pro lucranda Indulgentia coronae s. Dominici (n. 85.). Constant haec ex decreto citato Leonis XIII. Cf. Acta s. Sedis. V. 16. pag. 405. Neque opus est, pro lucrandis Indulgentiis, in huius Rosarii recitatione, meditari mysteria aliqua. Cf. apud Acta s. Sedis. Vol. cit. votum Consultoris p. 413.

Hae coronae, sicut et aliae s. Birgittae, benedici possunt rursus a Fr. Praedicatore et Indulgentiis augeri s. Dominici: at iteranda sunt opera, ut utriusque privilegii fructus acquiratur. S. C. Ind. 29. Februarii 1820. Cf. Melata p. 131.

Eodem decreto statutum est, non expedire, aliis etiam sacerdotibus concedere privilegium benedicendi Rosaria cum applicatione Indulgentiae, quo gaudent Sodales Crucigeri.

Et de Indulgentiis Coronae satis; dummodo recolatur principium: *una eademque opera, cui ex variis titulis plures Indulgentiae annexae sunt, tunc solum omnes acquiri possunt, cum opus iterari nequeat vel non soleat.* Decreto 12. Ian. 1878. ad 3^{m}.

Articulus II.

Scapularia.

826. Scapulare B. V. de monte Carmelo. Eminet inter Scapularia origine et antiquitate illud quod nominatur a b. Virgine de monte Carmelo.

Aliud est *Scapulare magnum*, quod Religiosis Carmelitis gestandum dedit b. Virgo, aliud *Scapulare parvum*, quod ad instar illius a fidelibus gestari solet. Hoc duobus panniculis constat, quorum alter ad scapulas (unde scapularis nomen), alter ad pectus pendeat, utrique duobus funiculis colligati circa collum decurrentibus.

Acceptione rite facta huius Scapularis adoptatur quis in *Confraternitatem Scapularis* et praeter plures Indulgentias particeps fit privilegiorum, quae b. Virgo spopondit gestantibus suum scapulare. Horum prius est quod his verbis significavit b. Virgo: « *In hoc* (scapulari) *moriens aeternum non patietur incendium: hoc tibi erit et cunctis Carmelitis privilegium* ».

Alterum est, promissio Confratribus facta ab eadem b. Matre, liberandi eorum animas ab igne Purgatorii *sabbato post eorum obitum.* De hoc privilegio loquitur Ioannes XXII. in Bulla *Sacratissimo*, appellata idcirco Bulla *sabbatina.* Cf. Benedictum XIV. *De Festis b. Mariae V.* l. 2. c. 6.

827. Iam vero admissio in hanc Confraternitatem reservata est superioribus Ordinis Carmeli, qui et extraneis sacerdotibus possunt hanc facultatem impertiri nec ea spectat ad Episcopum, cui Moniales Ordinis Carmeli sint subiectae. S. Congr. Ind. 22. Maii 1739.

Ut ergo quis in fratrem recipiatur, oportet 1° ut a Patre Carmelita aut sacerdote extraneo legitima instructo potestate admissionem obtineat.

Oportet 2° ritum substantialem admissionis servari, qui situs est in benedictione habitus seu scapularis et eiusdem impositione, peracta utraque ab eo, qui facultatem habet admittendi. Formula benedictionis prostat et in recentioribus editionibus Ritualis Romani. Necesse est idcirco, quod primum scapulare, quo induitur admissus, sit benedictum. Cetera vero, quae deinceps substituantur, benedictione non egent. Recenti decreto 27. Apr. 1887. statutum est, scapulare hoc seorsim ab aliis scapularibus esse benedicendum et imponendum, nec posse una communi formula simul cum aliis benedici et imponi. Beringer *les Indulgences* V. 2. p. 204.

Adverte, quod qui habet facultatem imponendi aliis scapulare, non

quidem circumscriptam puta pro aliqua communitate monialium, sed *generalem*, is potest sibi quoque scapulare imponere Decr. s. C. Ind. 7. Mart. 1840.

3° Ex indulto Gregorii XVI. 30. Apr. 1838. necessarium amplius non erat ad Indulgentias acquirendas, inscribi in Confraternitatis libro nomina fidelium, qui b. M. V. de Monte Carmelo scapularia suscipiunt: cf. decretum s. Congreg. Ind. 18. Aug. 1868. apud Schneider Decreta authentica s. C. Ind. n. 421. Sed hoc indultum Gregorianum revocatum est a Leone XIII. die 27. Apr. 1887. Cf. Beringer *les Indulgences* vol. 2. p. 203.

4° Ut validum sit scapulare, conficiendum est exclusive ex lana, ut sensu stricto *pannus* seu *panniculus* sit ex lana contextus. Color autem panni subobscurus esse debet, cuiusmodi est vestis Carmelitarum, aut niger.

Idcirco permittuntur quidem scapularia ex panno laneo, quod intexta vel acu picta habeat ornamenta sive ex lana rursus sive ex alia materia, puta ex serico, argento, auro etc.; sed sub hac conditione: *dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat.* Decr. s. C. Ind. 18. Aug. 1868. cf. Decreta authentica cit. sub n. 423.

Forma panni oblonga esse debet vel quadrata. Cum quaereretur, an admitti posset forma ovalis vel multangula, respondit s. C. decreto mox citato: « Nihil esse innovandum ».

828. Hoc scapulare 1° semper gestandum est diu noctuque, ut privilegiis et Indulgentiis receptus fruatur.

Id tamen non impedit, quominus ex aliqua rationabili causa, per breve tempus deponatur.

Gestandum vero est modo consueto, ut e collo pendens, altera parte scapulas, altera pectus tegat. Decr. s. C. Ind. 12. Febr. 1840. (Decr. auth. n. 279.).

Non est autem necesse, ut scapulare corpus ipsum immediate tangat, sed potest deferri super vestes s. C. Ind. 12. Mart. 1855. (op. cit. n. 367.). Et ita sane defertur a Carmelitis.

Porro 2° praeter gestationem scapularis nihil aliud a confratre exigitur, ut frui possit Indulgentiis omnibus concessis Confraternitati, dummodo ea pia opera peragat, quae iniuncta sunt in concessione earundem Indulgentiarum. Decr. mox cit. 12. Febr. 1840.

Pariter 3° ut confrater priori privilegio bonae mortis fruatur, requiritur gestatio continua scapularis usque ad mortem ut et in morte habeatur.

Ut autem 4° privilegio sabbatino fruatur, debet praeterea frater castitatem servare, propriam sui status et officium b. V. quotidie reci-

tare, quod sit iuxta ritum a s. Sede probatum et recitandum est. Nocturnum diei cum laudibus et ceteris Horis. Huius vero Officii locum tenent Horae canonicae pro iis, qui ad eas sunt obligati. Haec constant ex decr. s. C. Ind. 18. Aug. 1868. (Decr. auth. n. 419.).

Si quis est autem, qui nesciat legere, is loco Officii debet servare omnia ieiunia ab Ecclesia praescripta et abstinere a carnibus non solum sexta feria et sabbato, sed et feria quarta (excipitur semper dies dominicae nativitatis). Haec, puto, iuxta formam in Ecclesia consueta, ut locus proinde sit, iuxta necessitatem, legitimae dispensationi aut commutationi.

Nihilominus obligatio parvi officii et abstinentiae quartae feriae commutari quidem potest in alia opera pia aut minui, iuxta personae necessitatem, ab eo tamen, qui ad hoc habeat specialem facultatem, quam profecto non habet aliquis ex eo tantum, quod potiatur facultate benedicendi et imponendi scapularia. Ita respondit s. C. Ind. 22. Iun. 1842. (Decr. auth. n. 305.).

Ceterum, si quis legere bene sciat, integrum ei non est, alterutrum eligere aut recitationem officii aut abstinentiam a carnibus quaque feria 4ª una cum strictiori observatione ieiuniorum ecclesiasticorum; sed debet officium recitare. Cf. Beringer op. cit. vol. 2. p. 199.

Abstinentia quidem feriae 4ae non excludit usum ovorum et lacticiniorum. At non licet eadem feria uti indulto quadragesimali, quod carnes concedat. Atque haec, ut privilegio sabbatino frui quis possit. Ita s. C. Indulg. 3. Dec. 1892. (Acta s. Sedis Febr. 1893.).

829. Indulgentiae concessae fratribus Carmeli prostant in pluribus libellis, qui iisdem dari solent. Cf. Maurel op. cit. pag. 285. seqq. vel Beringer op. cit. Vol. 2. pag. 210. seqq.

Aliud est celebre SCAPULARE, quod AB IMMACULATA CONCEPTIONE nomen habet, traditum a b. Virgine venerabili Ursulae Benincasa fundatrici Religiosarum Theatinarum Neapoli. Scapulare laneum esse debet et color eius est necessario caeruleus: s. C. Ind. 29. Aug. 1842.: gestatur autem quemadmodum scapulare Montis Carmeli.

Si plura scapularia gestanda sint, e. g. Carmeli et Immac. Concept., nequit his suppleri uno panno diversis coloribus intexto: Decr. s. C. Ind. 18. Aug. 1868. (inter *Decreta auth.* sub n. 423.): licet tamen partes distinctas uniuscuiusque scapularis iisdem funiculis connectere, dummodo ita disponantur, ut uniuscuiusque scapularis altera pars ab humeris, altera a pectore pendeat s. C. 26. Septembris 1864. (Decr. auth. n. 408.).

Scapulare Imm. Concept. benedicendum et imponendum est ab eo, qui potestatem habeat a Patre Generali Theatinorum. Inscriptio autem

nominis in librum sodalitatis non est necessaria; cum praesertim ab ipsis Patribus Theatinis haec potius *devotio*, quam *Confraternitas*, censeatur. Maurel op. cit. pag. 305. seq.

830. Plures sunt Indulgentiae concessae gestantibus hoc Scapulare. Satis sit eius mentionem facere, quae non leviter extraordinaria videtur. Nimirum sodales Scapularis huius, recitando SEX PATER, AVE et GLORIA in honorem ss. Trinitatis et Deiparae Virginis Immaculatae, orando pro haeresum extirpatione, exaltatione s. Matris Ecclesiae atque christianorum Principum pace et concordia, quin tamen opus sit, pro his bonis obtinendis, alias preces addere praeter sex *Pater, Ave* et *Gloria*, lucrantur omnes Indulgentias septem basilicarum Urbis, Portiunculae, Ierusalem et s. Iacobi de Compostella: idque quocumque in loco preces fundant et *toties quoties*, servato tamen decreto s. Congr. 7. Mart. 1678. approbato ab Innocentio XI., cuius initium *Delatae saepius*. Neque ad memoratas Indulgentias consequendas necessaria est Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio. Eaedem tandem Indulgentiae applicabiles sunt defunctis. Ita decretum s. C. Ind. 14. Apr. 1856. (*Decr. auth.* n. 374.).

Iam vero decreto citato *Delatae saepius*, quo plures confictae Indulgentiae reiiciuntur, additur in fine: *Indulgentias vero stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus, singulari quodam beneficio, vel communicatae sunt vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantum stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies visitantibus concessam vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri* (Decr. auth. n. 18.).

Porro adverte, easdem Indulgentias memoratas, annexas recitationi *sex Pater, Ave* et *Gloria*, concessas esse quoque sodalibus Tertiariis s. Francisci Assisinatis et concessas eodem modo. Eodem decr. cit. 14. Apr. 1856.

ARTICULUS III.

Via Crucis.

831. Pium exercitium est, quo iter Christi recolitur a praetorio ad Calvarium.

Ut Indulgentiae acquirantur, oportet 1° *Viam Crucis* legitime erigi: eius autem erectio spectat ad Fratres Minores de Observantia (S. C. Ind. 25. Apr. 1735.), quorum Minister Generalis extraneis presbyteris facultatem delegare potest.

Solet et Apostolica Sedes Episcopis hanc potestatem facere cum facultate delegandi alios Sacerdotes. Fratres autem Minores, qui non subsunt Ministro Generali Ordinis de observantia, hoc iure non fruuntur: s. C. Ind. 10. Mart. 1742. et 17. Apr. 1752.

Ut Fratres Minores de Observantia valide erigant *Viam Crucis* extra ambitum suorum conventuum et ecclesiarum, requiritur, sub poena nullitatis, licentia in scriptis Ordinarii necnon parochi et aliorum superiorum, in quorum iurisdictione *Via Crucis* est erigenda. Decret. s. C. Ind. 28. Aug. 1752.

Sacerdos autem, qui ab Apostolica Sede facultatem obtinuit erigendi stationes *Viae Crucis*, debet eam exhibere Ordinario: s. C. Ind. 5. Februarii 1851.

In qualibet ecclesia, oratorio tum publico tum privato, in coemeteriis et intra domesticos parietes, loco tamen decenti, erigi potest *Via Crucis*. Item in pluribus oratoriis eiusdem Communitatis; dummodo aliqualis distantia intercedat inter unam et alteram *Viam*. Decreto mox citato. Cf. Maurel op. cit. pag. 200.

2° Necesse est, cruces benedici non autem imagines sive sculptas sive pictas, quae nec necessariae sunt; nam solis crucibus Indulgentia adhaeret: s. C. Ind. 13. Nov. 1837. Forma benedictionis prostat in Rituali Romano recentioris editionis.

Cruces ligneae esse debent. S. C. Ind. 20. Iun. 1838. et quidem sub poena nullitatis. Decreto 23. Nov. 1878.

Porro opus non est, ut qui facultatem habet erigendi *Viam Crucis*, postquam benedictionem peregerit, collocet ipse cruces et tabulas, si quae sunt nec ut stationes percurrat. S. C. Ind. 22. Aug. 1842.

3° Quando vero prioribus crucibus aliae sint substituendae, tunc solum nova facultas requiritur illas benedicendi et Viam Crucis erigendi, cum substitutio facienda est maioris partis crucium. Decreto mox citato.

Etsi hoc ipso decreto declaretur, in erectione Viae Crucis, cruces tantum benedicendas esse, minime vero tabulas seu picturas: solet tamen permitti harum benedictio, ut in ipso Rituali Romano formula exstet pro earum benedictione.

4° Ex rationabili causa, puta ad dealbandos parietes, licet amovere cruces postea loco suo restituendas, quin benedictio et Indulgentiae amittantur. Etsi vero omnes simul amotae in alium transferantur locum, nequeunt eo tempore fideles apud illas lucrari Indulgentias, nisi translatae sint cum Apostolica facultate s. C. Ind. 20. Iun. 1836.

Item mutatio crucium de loco in locum in eadem ecclesia non infert annihilationem Indulgentiarum Viae Crucis adnexarum, s. Cong. Ind. 22. Aug. 1842.

5° Stationes debent esse quatuordecim. Ita habetur inter *Monita necessaria ad recte ordinandum devotum exercitium Viae Crucis* edita italice iussu Clementis XII. 3. Apr. 1731.

Consuetudo est, ut prima statio a cornu Evangelii ponatur: haec tamen dispositio non est essentialis. Cf. quoad haec omnia Beringer op. cit. vol. 1. p. 273. seqq.

832. Ex parte eorum, qui Indulgentias lucrari volunt, duae postulantur conditiones.

1° Prior est, ut ab una statione ad aliam progressus fiat. Ita in Monitis citatis Clementis XII. n. 7. « Cum nullum impedimentum sit, oportet singillatim visitare omnes stationes ». Sacra Congreg. Ind. 26. Febr. 1841. interrogata est: « An Christifideles in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum Indulgentias Viae Crucis lucrari? » Respondit s. C. « Negative, absque speciali indulto. Singula enim ss. Pontificum decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationum Viae Crucis Indulgentiis, necessario requiri aliquem corporis motum ».

Id certe valet cum privatim a quolibet fideli exercitium peragitur: at conditionem non esse essentialem et aliter in certis adiunctis fieri posse, patet ex sequenti Responso s. C. Ind. Anno 1757. Quaesitum fuerat. « An in peragendo Viae Crucis exercitio *semper necessario* requiratur motus localis de una statione ad aliam pro acquirendis Indulgentiis concessis pium opus hoc peragentibus? et quatenus negative, quaenam methodus sit praescribenda? » Responsum est. « Ad primum, negative ». « Ad secundum, ad mentem. Quae in eo versabatur, ut Eminentissimus Praefectus cum Secretario sequentem praescriberet methodum: ut nimirum pro *publico* exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus ». Adverte hoc responsum tempore praevertere antecedens.

Recolendum est quoque aliud responsum. Quaesitum fuit: « An fideles lucrentur Indulgentias Viae Crucis, dummodo 14^{m} stationes visitent uno eodemque die, etiam non uno tractu, sed interposito maiori minorive inter stationes intervallo? « Responsum est a s. C. Ind.: « Negative ». Quam responsionem Pius IX. 22. Ian. 1858. confirmavit.

At levis interruptio, quae unitatem moralem actionis non tollat, haud officit. Ita interrumpere licebit, ut peragatur confessio, communio,

ut audiatur Missa etc., ait Maurel op. cit. pag. 199. Atque ita respondit s. C. Ind. 16. Dec. 1760. interrogata: An qui exercitium Viae Crucis peragunt et illud ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad confessionem faciendam etc. Indulgentias lucrentur, si illud prosequantur, an ad Indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio resumere? » Respondit s. C. « Affirmative ad primam partem; dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant: negative quoad secundam et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere ». (Decr. auth. n. 223.).

2° Alia conditio est meditatio passionis Domini. Ita in Monitis citatis n. 6. « Sufficit meditari, etsi breviter, passionem Domini, *quod est opus iniunctum pro acquirendis Indulgentiis* ». Non ergo opus est singula passionis vel Viae Crucis mysteria distincte meditari. Cf. Beringer op. cit. VI. p. 282.

Neque necessario postulantur aliquae preces nec *Pater* aut *Ave* neque versiculi *Adoramus te Christe etc.* Ita respondit s. C. Ind. 2. Iun. 1838. « Recitatio orationis dominicae et angelicae salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione, quam sexies easdem preces iterare post absolutas omnes stationes, est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria conditio ad lucrifaciendas Viae Crucis Indulgentias: ut clare aperteque declaravit s. C. Ind. in admonitionibus servandis pro Viae Crucis exercitio peragendo, iussu et approbatione editis tum Clementis XII. sub die 3. Apr. 1731. tum Benedicti XIV. sub die 10. Maii 1742.

3° Pro acquirendis Indulgentiis non requiritur confessio aut communio, sed sufficit status gratiae. Beringer l. c. p. 283.

833. Quae et quot Indulgentiae huic exercitio concessae sint, distincte dicere non licet. En quod habent Monita iam citata, n. 9. « Non publicetur ex pulpitis aut alia forma multoque minus scribatur in aediculis sive stationibus certus et determinatus numerus Indulgentiarum lucrandarum; quia pluries innotuit, Indulgentiarum veritatem, sive ex inadvertentia aut aequivocatione sive ex devotionis aestu, alterari et confundi. Propterea satis erit dicere: *quicumque Dominicae Passioni meditandae hoc sancto exercitio daturus est operam, ex concessione ss. Pontificum consecuturus est easdem Indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Ierusalem* ».

834. Exstat indultum *Crucifixi*, quod dicitur *Viae Crucis*. Nimirum si qui infirmi sunt, tum navigantes, carceribus detenti, aut in partibus infidelium commorantes, vel legitimo aliquo impedimento

bostricti, ne visitare valeant stationes Viae Crucis, his alio pacto provisum est, ut lucrari possint Indulgentias Viae Crucis. Clemens sane XIV. 26. Ian. 1773. easdem Indulgentias concessit huiusmodi personis impeditis, dummodo 14. *Pater* et *Ave* atque in fine rursus 5. *Pater* et *Ave* recitarent, manu tenentes parvum Crucifixum ab aliquo Guardiano de Observantia benedictum. Et quia in precibus, quibus annuerat Pontifex, italico idiomate exaratis, nominata erat certa materia, ex qua Crucifixus confectum erat (nempe *ottone*), Pius IX, decreto Urbis et Orbis 8. Aug. 1859. declaravit per illud vocabulum non excludi quamlibet aliam materiam, sed *intelligendam esse exclusam materiam fragilem dumtaxat.* (Decr. auth. n. 387.).

Post Clementem XIV. s. Sedes postulavit 20. *Pater*, *Ave* et *Gloria*, unum nempe pro qualibet ex 14. stationibus, quinque in ss. Domini vulnerum memoriam ac unum iuxta mentem Pontificis. Ita Gregorius XVI. 24. Sept. 1832., cum concessit Archiepiscopo Florentino facultatem benedicendi Crucifixos eisque applicandi omnes Indulgentias stationum Viae Crucis. Atque ita Pius IX. citato decreto.

Hoc privilegium per se est personale, ut is solum lucrari Indulgentias valeat, qui possidet Crucifixum benedictum. Attamen Leo XIII. 19. Ianuarii 1884. concessit, ut, cum plures sint fideles, qui hoc privilegio Crucifixi uti velint, satis sit, unum ex his manu tenere crucifixum, ceteris se componentibus una cum illo, ad eum modum, quo pro communi recitatione Rosarii concesserat Pius IX. Cf. sub n. 822. Decretum 22. Ian. 1858.

Ex dictis colligitur, usum Crucifixi in hunc finem non valere, cum quis stationes Viae Crucis visitare potest. Cf. Maurel l. c. pag. 208.

Articulus IV.

Altare privilegiatum et Gregorianum.

835. Altare privilegiatum dicitur illud, cui Summus Pontifex annexuit Indulgentiam plenariam, lucrandam scilicet celebratione Missae. Atque, ut declaravit s. Congr. Ind. 28. Iul. 1840. « per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligenda est Indulgentia plenaria, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis: si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est Indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet ».

Haec Indulgentia eo differt a communi Indulgentia plenaria applicata defunctis, quod *certiorem* effectum habeat, quippe quae nullo modo

pendet a dispositionibus personalibus sacerdotis celebrantis, sed ab oblatione sacrificii, cui peracto in hoc altari adnexa est Indulgentia. Atque haec est ratio responsi s. C. Ind. 2. Maii 1852. « Qui quacumque ratione Indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, non potest satisfacere applicando aliam Indulgentiam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat ». (Decr. auth. n. 357.). Cf. dicta sect. 4. *de Sacrificio* Vol. IV. 1031.

836. Privilegium istud duplici modo conceditur: primo, ut sit *locale*, adnexum nempe per se alicui altari, in quo quaelibet cuiusque sacerdotis (nisi in indulto limitatio fiat, cf. quoddam Responsum s. C. Ind. a. 1764. civitatis Castellanae) celebratio fruitur ea plenaria Indulgentia: secundo, ut sit *personale*, quatenus aliquis sacerdos eo instructus, quocumque in altari celebret, habet adnexam celebrationi suae eam Indulgentiam.

Conditiones quaedam requiruntur, ut altare privilegio hoc locali gaudeat. 1° Oportet, ut ecclesia vel oratorium, in quibus est, sint benedicta, non opus est ecclesiam esse consecratam, s. C. Ind. 22. Apr. 1752. Imo et sacellum domesticum, publico tamen cultui destinatum, capax est altaris privilegiati: s. C. Ind. 30. Ian. 1760. 2° Altare debet esse fixum, quod nempe a loco dimoveri nequit, s. C. Ind. 27. Nov. 1764. Wladislaw.; etsi lapis consecratus amovibilis in medio altari ponatur: indulgentia sane ipsi altari annexa est, non lapidi, qui mutari et alio suppleri potest, manente privilegio: cf. Responsum praefecti Congr. P. F. in Rescripto s. C. Ind. 20. Mart. 1846. et alterum eiusd. C. 26. Mart. 1867. atque 27. Sept. 1843. Cf. Beringer op. cit. Vol. 1. pag. 447.

3° Si altare ab una ecclesia ad aliam transferatur, privilegium amittitur: minime vero, si in eadem ecclesia ab uno loco ad alium transferatur, sub eadem tamen invocatione: s. C. Ind. 16. Sept. 1723.

4° Si altare collapsum aut dirutum rursus restituatur aut quoad maiorem partem reparetur, dummodo sub eodem titulo et in eadem ecclesia, etsi non eodem loco, Indulgentia non amittitur: s. C. Ind. 24. Apr. 1843. Nanceien. cf. dicta n. 801.

4° Non licet, absque speciali facultate, transferre privilegium ab uno altari ad aliud etiam in eadem ecclesia: quod per se constat cum privilegium non ecclesiae sed altari sit adnexum. Cf. de his Beringer l. c.

837. Conditiones quoque requiruntur, ut celebratio Missae privilegium Indulgentiae consequatur. Nimirum 1° necesse est applicare pro eadem anima Missam et Indulgentiam, si saltem Indultum his verbis concipitur: *qui pro defuncto Missam in tali altari dixerit, liberat*

animam eius etc. s. C. Ind. 31. Ian. 1848. (Decr. auth. n. 348. Cf. Responsum eiusd. Congregationis relatum sub n. 840. ad 5^{m}.

2° Quamvis pro pluribus Missa celebretur, uni tantum ex ipsis applicari potest Indulgentia, s. C. Ind. 19. Dec. 1885.

3° Diebus non impeditis celebrare debet Missam de Requie, in paramentis nigris, s. C. Ind. 22. Febr. 1847. et 16. Febr. 1852. 11. Apr. 1840. Quoad colorem paramentorum permittitur seu praescribitur violaceus 2^{a} die Nov., si expositio publica sit in eadem ecclesia ss. Sacramenti, s. R. C. 23. Iul. 1868. Aliis vero diebus impeditis ratione ritus vel expositionis ss. Sacramenti, stationis ecclesiae, sollemnitatis, lucratur Indulgentiam legens Missam vivorum, s. C. Ind. 11. Apr. 1840.

4° Missa celebrata ad altare privilegiatum est per se privilegiata nec est opus, ut vel offerens eleemosynam vel celebrans intendat *applicationem privilegii*, s. C. Ind. 12. Mart. 1855. Sane anima a purgatorio liberanda, e mente concedentis, una quidem dumtaxat est, sed vel ea, quae designata est, vel quae divinae misericordiae eligenda remittitur vel, si de nulla omnino cogitatum sit, quae Deo placuerit. S. R. C. 29. Febr. 1864. 19. Iun. 1880. Cf. Beringer op. cit. Vol. 1. pag. 459.

5° Sacerdos habens privilegium altaris privilegiati, satisfacit oneri suscepto celebrandi in altari privilegiato, quocumque in altari celebret. S. C. Ind. 16. Febr. 1852.

Tandem s. C. Ind. 22. Febr. 1847. interrogata: « utrum Sacerdos Missam celebrans peccato mortali inquinatus, sive ad altare privilegiatum in suffragium defunctorum sive cum applicatione indulti altaris privilegiati personalis, revera animam, pro qua s. Sacrificium offert, gaudere faciat etiam gratia altaris privilegiati », respondit: « Consulat probatos Auctores ». (Decr. auth. n. 341.).

Cf. quae dedimus in Nota sub n. 791. Heic tamen affirmativa responsio probabilior videtur: quia indulgentia annexa est ipsi Sacrificio (n. 835.) et ipsa Ecclesia applicat alicui animae Indulgentiam, si celebrans aut offerens eleemosynam de hoc non cogitaverit. Cf. dicta modo sub n. 4°.

Et ratio in hac re specialis, in eo forte est sita, quod Indulgentia ista non pendeat a personalibus celebrantis dispositionibus, sed ab ipsa Sacrificii oblatione.

Illud est advertendum, quod sacerdos applicans Missam et Indulgentiam altaris privilegiati defuncto, non impeditur, quominus vi sacrae communionis in Missa peractae, lucretur alias Indulgentias, sive pro se sive pro defunctis, pro quibus Indulgentiis communio requiritur s. C. Ind. 10. Maii 1844.

838. Addere libet privilegium singulare *Gregorianum,* quod *tricennarium* vocatur. De hoc s. C. Ind. haec statuit. « 1° Fiducia, qua fideles retinent, celebrationem triginta Missarum, quae vulgo *Gregorianae* dicuntur, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae a purgatorii poenis liberationem, pia est et rationalis atque praxis easdem Missas celebrandi est in Ecclesia probata ».

2° « Fiducia, qua fideles retinent, celebrationem Missae in altari s. Gregorii in eius Ecclesia Caelimontana, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae a purgatorii poenis liberationem, pia est et in Ecclesia probata ».

3° « Idem dicendum est de altaribus Gregorianis ad instar ». S. C. Ind. 15. Mart. 1884.

Pendent haec scilicet ex quadam institutione sancti Pontificis Gregorii Magni, quam Deo probari idem cognovit et quam deinceps, exemplo et auctoritate tanti Pontificis, fideles prosecuti sunt.

Oportet autem tricennarium esse continuum. Missa scilicet applicanda est pro anima cuius liberatio flagitatur et triginta diebus continuis sine interruptione dicenda: non est autem opus ut ab eodem sacerdote aut in eodem altari dicantur. Ita s. C. Indulg. respondit 14. Ian. 1889. (Beringer op. cit. Vol. 1. pag. 474. et Acta s. Sedis Vol. 16. pag. 508. seqq.).

Altare privilegiatum et Gregorianum possident idem reapse privilegium, liberandi scilicet animam a Purgatorio, licet affirmari nequeat adnexam fuisse Missis Gregorianis Indulgentiam aliquam plenariam: s. C. Ind. 24. Aug. 1888. respondit, non constare, ullam datam fuisse indulgentiam. Cf. Acta s. Sedis Vol. 21. p. 254. seqq. Est tamen interea aliquod discrimen. Nam in altari privilegiato una Missa sufficit pro liberanda anima a purgatorio: in Gregoriano celebratio triginta Missarum requiritur. Altare Gregorianum specialem titulum habet ad divinam acceptationem, nempe mediationem s. Gregorii et peculiarem Ecclesiae destinationem ad suffragium pro defunctis. Qua de re cf. Votum Consultoris l. c. in Vol. 16. Actorum s. Sedis. Praeterea, ut diximus, de Concessione Indulgentiae plenariae pro altaribus Gregorianis non constat; sic enim nulla fuisset difficultas de valore Gregoriani tricennarii.

Articulus V.

Actus heroicus caritatis erga animas in purgatorio detentas.

839. Hic actus in eo consistit, quod Christifidelis, sive aliqua adhibita formula sive etiam tantummodo mente, offerat Deo pro animabus purgatorii omnia opera satisfactoria, quae ipse, quoad vixerit, peraget nec non omnia suffragia, quae post mortem quomodocumque ei obvenire potuerunt.

Indulgentiae et Privilegia propter hunc actum concessa sunt, inter quae facultas applicandi defunctis omnes Indulgentias concessas pro vivis et concedendas atque indultum personale altaris privilegiati singulis anni diebus. S. C. Ind. decretum Urbis et Orbis 20. Nov. 1854.

Integrum cuique est sua suffragia vel ex toto vel ex parte offerre Deo pro animabus purgatorii: sed ut beneficiis quis fruatur, quae Ecclesia concedit emittentibus actum heroicum, quaedam conditiones postulantur. Quocirca orta sunt dubia quaedam circa eorum obligationes et modum oblationis, quibus dubiis respondit s. C. Ind. 18. Dec. 1885. probante Leone XIII. eadem responsa die 19. eiusdem mensis et anni.

1° « Utrum inter opera satisfactoria, quae in actu heroico caritatis offeruntur pro animabus purgatorii, comprehendantur etiam Indulgentiae, quae declaratae fuerunt a Summis Pontificibus applicabiles Christifidelibus defunctis ».

Resp. « Affirmative ».

2° « Utrum oblationi isti satisfiat ab iis, qui sibi reservare velint Indulgentias, quae pro vivis conceduntur, vel sint hae Indulgentiae, ad satisfaciendum pio proposito, defunctis applicandae iuxta Indultum a Summo Pontifice concessum emittentibus actum heroicum caritatis ».

Resp. « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

3° « Utrum 1° actus heroici caritatis pars integralis vel praescripta ad privilegiorum participationem conditio sit, ut proprie satisfactiones omnes atque Indulgentiae non modo pro purgatorii animabus offerantur, sed etiam ut beatissimae Virgini, prout ipsi placuerit, distribuendae relinquantur. Vel 2° haec in Virginis manus veluti consignatio habenda sit dumtaxat pia actui accessoria devotio Christifidelibus commendanda ».

Resp. « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

« 4° Utrum plenariae Indulgentiae, quas Christifideles actum heroicum caritatis emittentes lucrantur tum ob sacram Communionem,

tum ob Missae feria 2ª auditionem applicari debeant animabus, quas b. V. Maria prae aliis a purgatorio liberari cupit, an possint applicari cuilibet purgatorii animae ».

Resp. « Provisum in antecedentibus ».

« 5° Utrum Indulgentia plenaria altaris privilegiati personalis 1° debeat a sacerdote, qui actum heroicum caritatis emisit, applicari animae, pro qua Missam celebrat: aut 2° possit applicari pro libito cuivis defuncto: aut 3° debeat applicari animabus, quas b. Virgo Maria a purgatorio liberari cupit ».

Resp. « 5. Ad primam partem, affirmative; *hoc enim modo privilegium altaris conceditur a Summo Pontifice:* ad secundam et tertiam partem provisum in responsione ad primam partem ». Cf. Acta s. Sedis V. 18. pag. 337.-339.

Liquet ex dictis, non impediri eum, qui actum heroicum emisit, quin pro hac vel illa anima, ut sibi placet, suffragia offerat. Oportet enim cuilibet in potestate esse, suis obligationibus, quae frequenter occurrunt, satisfacere.

SECTIO VI.

DE EXTREMA UNCTIONE

Quid sit Extrema Unctio et quae circa eam observanda.

840. Sub hoc uno titulo A. complectitur omnia, quae de hoc sacramento breviter, more suo, est dicturus. Et cuncta quidem tangit, quae hac in re Moralem scire oportet: at forte ordo tractationis non est satis idoneus. Quia vero tandem omnia dicuntur aut indicantur, sequemur, quod eius fieri poterit, ordinem Auctoris.

Haec sunt dicenda: 1° Quid sit ideoque quae eius materia et forma: 2° qui sint eius effectus: 3° Quodnam eius subiectum et quae dispositiones requirantur: 4° Quis Minister eius: 5° Quomodo administrandum: 6° Quae eiusdem sacramenti obligatio.

Haec tamen non cuncta eodem ordine, quo sunt proposita, explicabimus.

I. Resp. 1. est sacramentum a Christo institutum ad aegroto periclitanti de vita conferendam salutem animae, vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti et orationem Sacerdotis: s. Th. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1.

841. Apud Suarez *de Poenit.* disp. 40. sect. 4. n. 1. occurrit definitio physica huius sacramenti: *unctio oleo benedicto facta in eis partibus corporis, ubi praecipue quinque organa sensuum vigent, sub praescripta*

verborum forma: metaphysica: *sacramentum N. L. ad confortandum in animo et corpore fidelem graviter aegrotantem institutum.* Ex quibus haec componitur: *sacramentum ex sacra unctione olei et prece sacerdotis confectum, ad salutem mentis et corporis aegrotantis fidelis divinitus institutum.*

Quas definitiones ut breviter declaremus, praemittimus fontes notitiae theologicae.

Verba Iacobi V. 14. 15. sunt: *Infirmatur* (ἀσθενεῖ) *quis in vobis? inducat presbiteros Ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini et oratio fidei salvabit infirmum* (σώσει τὸν κάμνοντα) *et alleviabit* (ἐγερεῖ) *eum Dominus et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Trid. Syn. sess. 14. *de Sacr. Extremae Unctionis* in prooemio ait: « Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint, ita Extremae Unctionis sacramento finem vitae tanquam firmissimo quodam praesidio munivit; nam, etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit ».

Et canone 1°. « Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a beato Iacobo Apostolo V. 14. 15. promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus aut figmentum humanum, a. s. ». Cf. cap. 1[m]. Veritatis huius, quod Extrema Unctio sit Sacramentum vere et proprie, demonstrationem uberiorem dabunt theologi dogmatici: nobis satis heic sit auctoritas Tridentinae Synodi.

842. Effectus proprius huius sacramenti, iuxta Eugenium IV. in Decreto pro Armenis, est *mentis sanatio et, quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Ut autem declaretur haec mentis sanatio, seu, ut theologi loquuntur, *animae sanitas,* advertunt iidem, praeter effectum communem omnibus sacramentis, qui est gratia sanctificans, sive prima sive secunda, duplicem esse distinguendum, ad animam quod spectat, proprium effectum huius sacramenti, *primarium* et *secundarium.* Primarius nequit esse, quod bene notandum est, remissio peccatorum mortalium nondum remissorum. Ratio simplex et efficax est, quia non

solum pro hoc effectu remissionis peccatorum mortalium institutum est sacramentum Poenitentiae, sed praeterea hoc ipsum Poenitentiae sacramentum necessarium est peccatoribus nedum currente vita, sed eodem iure in articulo mortis. Atqui haec necessitas nulla esset, si infirmis praesto foret aliud sacramentum, quod per se efficeret reconciliationem cum Deo. Sacramentum ergo Extremae Unctionis supponit per se animam iustificatam et est, ut Ecclesiae universalis sensus docet, sacramentum vivorum. Primarius proinde eius effectus is erit, qui vitam spiritus viventibus competere possit. Hic porro, habita ratione tum verborum Iacobi tum declarationis Tridentinae, in eo situs est, ut sit praesidium infirmo in extrema lucta contra aggressiones Satanae atque contra animi tristitiam et languorem seu, ut ait Suarez disp. 41. sect. 1. n. 11., ut iuvet et confortet animum aegrotantis hominis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis. Quod praesidium per auxilia specialia praebetur, ad quae sacramentum ius confert.

Scilicet, ut cum s. Thoma in Suppl. q. 30. a. 1. loquamur, ex peccato originali et actuali quidam relinquitur in animo defectus seu infirmitas, quae sita est in debilitate quadam sive ineptitudine ad actus vitae gratiae, tristitia etiam quaedam et timor, quo spes in Deum quodammodo refrigescit; hae sunt quae dicuntur reliquiae peccati (de quibus infra data opera agemus): his sublatis confortatur homo ut contra hostem efficacius dimicare valeat et mortem hilari quoque animo opperiri. Cf. Catechismum Trid. *de Extr. Unct.* §. 28.

843. Quia vero Iacobus ait *et si in peccatis sit remittentur ei,* patet quod et remissio peccatorum, etiam mortalium (nam et haec peccata sunt et in Scripturis frequentius sub nomine peccati simpliciter sumpti veniunt atque de his tantum rationabiliter dubitare licebat: *si in peccatis sit*) effectus est quidam proprius huius sacramenti.

Est autem hic effectus non primarius, ut ex dictis patet, sed secundarius; quod quidem merito ex eo quoque colligitur, quod sub conditione enuncietur ab Apostolo, post alium effectum absolute indicatum; primarius enim effectus non sub conditione hoc pacto sed simpliciter et absolute asseritur sacramento. Cf. Suarez h. c. n. 7.

Oportet autem distinguere inter effectum *secundarium* et effectum *per accidens*. Effectum per accidens non opus est esse intentum in ipsa institutione sacramenti sive sacramentum esse ad eum effectum ordinatum, sed satis est, effectum ex eius virtute posse sequi, posita aliqua contingenti conditione. Ita Eucharistia dicitur per accidens primam gratiam conferre attrito, qui se bona fide putat esse in statu gratiae. At effectus secundarius est intentus in ipsa institutione, sive ad eum est sacramentum ordinatum, licet secundo loco. Talem esse effectum

sacramenti huius remissionem peccatorum quorumlibet, patet ex verbis Apostoli, qui hunc effectum una cum praecedente asserit sacramento. Et sane confortatio spiritualis aegroti, quae eo tandem spectat, ut praeparetur homo ad introitum gloriae, illud certe exigit, ut peccata mortalia, si qua sunt, deleantur et per gratiam sanctificantem filiatio adoptiva restituatur. Cf. Suarez disp. 41. sect. 1. n. 16.

Quocirca si infirmus confiteri non potuit nec sit contritus perfecta contritione, dummodo sit attritus (ille enim motus animi, qui est detestatio peccati cum proposito non amplius peccandi, semper fuit necessarius pro reconciliatione cum Deo obtinenda Trid. Syn. sess. 14. c. 4.), suorum peccatorum per hoc sacramentum veniam consequetur.

844. Hactenus dicta declarantur verbis s. Thomae 4. dist. 23. q. 1. a. 2. ql. 3. « Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis: medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandam infirmitatem peccati: ut sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio et poenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita et *Extrema Unctio est quaedam spiritualis sanatio vel medicatio.* Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra originale et mortale peccatum, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae vel gloriae. Et hic defectus nihil est aliud, quam quaedam debilitas et ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum ».

« Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte suscipientis (adsit nempe debita detestatio vel formalis vel virtualis), sicut etiam de Eucharistia et Confirmatione supra dictum est ». Id melius, puto, alii deinceps doctores explicarunt, distinguentes inter effectum *secundarium* et effectum *per accidens*. Subdit post quaedam s. Thomas. « Quidam dicunt, quod principaliter est institutum contra veniale...: sed hoc non videtur verum; quia poenitentia sufficienter etiam in vita delet venialia quoad culpam... ».

« Unde dicendum, quod principalis effectus huius sacramenti est

remissio peccatorum quoad reliquias peccati et ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat ».

Porro ait ad 2um: « Reliquiae peccati non dicuntur hic dispositiones vel actiones relictae, quae sunt quidam habitus inchoati (multo ergo minus dicentur habitus mali completi): sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, et iisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum ».

Iam vero ex doctrina s. Thomae omnes effectus tum principalem tum ex consequenti, revocantis ad remissionem peccatorum, patet vis formae sacramenti adhibitae ab Ecclesia Romana, in qua solum expressa mentio fit *indulgentiae peccatorum*. Ea sane forma effectus proprius sacramenti significatur: id est enim proprium formae cuiuslibet sacramenti.

Haec satis nunc sint pro notitia clara, etsi non prorsus distincta, huius sacramenti, posita definitione quam tradit A. Quaestiones vero, utrum hoc sacramentum peccata venialia et quidem ex opere operato remittat, tum de reliquiis peccatorum quas aufert, quaenam proprie sint, quaenam a quibusdam perperam assignentur et de sanitate corporis disputabimus vol. 2. Resp. Gradum faciamus ad Resolutiones, quibus ipsa definitio declaratur.

Unde resolves.

II. 1. Materia sacramenti est oleum benedictum, quod in [illegible] litera L. [illegible] si tamen [illegible], nisi repetendum esse, docet Lugo. [illegible] 2. n. 3. [illegible] in Coena Domini, [illegible] non possit. [illegible] l. c. et [illegible] in necessitate [illegible] in minore tamen quantitate [illegible]. Ita Diana p. 4. t. 6. r. 44. ex Less. et aliis 4. [illegible] praecepto Ecclesiae: [illegible] et per [illegible] [illegible] maior quantitas [illegible], quam ab Episcopo [illegible] Bon. d. 7. q. 1. p. 2. ex Possevino.

845. Oleum esse materiam sacramenti, constat ex verbis Iacobi citatis: debere autem esse oleum ex olivis, patet tum quia hoc solum proprie et sine addito oleum vocatur, tum quia ita semper intellexit Ecclesia atque ita Eugenius IV. materiam sacramenti dixit *oleum olivae*.

Quid vero si oleum sit mixtum balsamo, ut illud sit quod nunc *chrisma* vocari solet? Certe si talis sit mixtio, ut oleum adhuc praevaleat totamque appellationem olei adhuc retineat, valida erit materia: illicita tamen: quia contra Ecclesiae praeceptum. Secus vero, si aliud unguentum exsistat, ut per se patet. In necessitate tamen licebit adhibere oleum cum alia re permixtum, quemadmodum ex s. Alph. diximus.

licere adhibere in Confirmatione oleum solum absque balsamo: *de Conf.* n. 5. Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 8. c. 1. n. 3.

846. An oleum, ut sit materia valida, debeat esse benedictum et quidem ab Episcopo, disputatum olim fuit et a nonnullis utrumque negatum, ex quibus Drouen *de Re Sacramentaria* l. 7. quaest. 2. c. 1. §. 2. n. 2., qui id solum ex necessitate praecepti Ecclesiae requiri censebant. Sed certa est sententia utrumque affirmans. Nam vetera monumenta loquuntur de oleo confecto ab Episcopo, Eugenius IV, materiam dixit oleum *per Episcopum benedictum* eodemque pacto loquitur Trid. Syn. sess. 14. *de Extr. Unct.* c. 1. inquiens, Ecclesiam verbis Iacobi ex Apostolica traditione didicisse materiam huius sacramenti et intellexisse, *materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*. Quod non videtur dictura fuisse Synodus, si benedictio Episcopi esset quid ab Ecclesia superadditum. Traditio enim Apostolica, ad quam Synodus provocat, quae circa materiam sacramenti versatur, est Apostolica divina.

Et sane iam *de Confirmatione* disputantes vol. IV. 788. attulimus duplex s. Sedis decretum. Alterum Pauli V., scilicet die 13. Ian. 1655. « SS. D. N. Paulus V. in congregatione generali coram se habita, praevio maturo examine et censura propositionis sequentis, *quod* nempe *sacramentum Extremae Unctionis oleo, episcopali benedictione non consecrato, ministrari valide possit*, auditis DD. Cardinalium suffragiis declaravit, dictam propositionem esse temerariam et errori proximam ». Alterum Gregorii XVI. nimirum « 14. Sept. 1842. in Congr. generali coram EE. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti Extremae Unctionis, uti possit oleo a se benedicto: iidem EE. decreverunt, negative ad formam decreti 13. Ian. 1655. Quam Eminentissimorum resolutionem eadem die Gregorius XVI. approbavit ».

Benedictio ea eademque Episcopalis postulatur pro valida materia. Et tamen constat in Graeca Ecclesia, quae certe habet hoc sacramentum et valide illud conficit, oleum a presbyteris benedici huncque morem ab ipsa Ecclesia Romana probari. Scilicet *ordinarie* benedictio Episcopi postulatur, ita tamen, ut *extraordinarie* valitura sit benedictio presbyteri, cui hanc potestatem fecerit Romanus Pontifex. Posse enim Pontificem hanc facultatem concedere presbyteris vel ex ipso more graecorum presbyterorum patet, qui ex suorum Patriarcharum licentia et idcirco tandem ex licentia seu permissione Romani Pontificis, antiquitus quoque oleum benedicebant. Cf. Benedictum XIV. l. c. n. 4. Sane Clemens VIII. in Decreto pro Italo-Graecis ait: « Circa oleum sanctum infirmorum: non sunt cogendi presbyteri graeci olea

sancta, praeter chrisma, ab Episcopis latinis dioecesanis accipere; cum eiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione ex veteri ritu, conficiantur, ac benedicantur ». Hoc decretum oportuit ignorasse Suarez neque ad morem Graecorum advertisse, qui negat, posse per Pontificiam dispensationem committi presbytero olei benectionem, disp. 40. sect. 1. n. 8.

Igitur invalida est benedictio parochi latini; quia ea per se non sufficit et parochus latinus caret pontificia licentia.

847. Quaestio fit, an oleum benedictum esse debeat in ordine ad Extremam Unctionem. Utramque sententiam, affirmantem et negantem, si de valore agatur, probabilem dicit s. Alph. n. 709. Negantem probat Suarez l. c. n. 9.; quia dummodo sit oleum ab Episcopo benedictum (a), illud reapse habetur, quod vetus traditio et Ecclesiae decreta postulant. Pro actionis vero honestate, illud oleum usurpandum est, quod Ecclesia praescribit, nisi necessitas excuset.

Adverte tandem, utendum esse oleo a proprio Ordinario benedicto: pro valore tamen sufficere oleum alterius quoque Episcopi, quo tamen absque necessitate uti, grave esse videtur.

Si intra annum oleum defecturum praevideatur, servanda est praescriptio Ritualis Romani *de Sacram. Extr. Unct.* n. 3. « Si forte intra annum aliquo modo ita (oleum sanctum) deficiat, ut sufficere non posse videatur neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate, super infuso reparari potest ». Non dicit autem Rituale, semel huiusmodi reparationem licere et censent Theologi, pluries eam fieri posse, licet in fine maior evadat addita quantitas, quam ab initio fuerit ab Episcopo benedicta. Totum enim reliquum, cui subinde aliquid additur, benedictum censetur et sic semper verum est, minorem quantitatem addi benedicto. Atque ita respondisse s. R. Cong. 23. Sept. 1682. affirmat Croix heic n. 2093. Idem colligitur, ait s. Alph. ad hunc locum in parenthesi, ex c. *Quod in dubiis, de Consecr. ecclesiar.* adhibita interpretatione Canonistarum, qui censent, non amittere ecclesiam consecrationem, cum successive per partes modicas instauratur; etsi tandem tota renovetur. Ita s. Doctor c. 6. n. 367., ad quem heic provocat.

III. 2. Materia proxima est unctio certarum partium corporis ac saltem quinque sensuum: vel si mutilati sint, vicinarum partium, facta a Sacerdote, non simpliciter necessario contactu immediato manus; nam peste grassante potest uti virga oblonga oleo tincta, quam postea comburat. Sylv. Chapevill. Dian. V. Dian p. 2. t. 4. r. 167. Quidam etiam Doctores putant, unam tantum unctionem esse de essentia Sacramenti;

(1) Puto hos prae oculis habere benedictionem aliquam ex iis, quas Ecclesia praescribit, puta pro oleo catechumenorum aut chrismatis.

ideoque in periculo pestis et simili necessitate, sufficere unum tantum organum magis obvium, vel potius caput, quod in eo sensus maxime vigeant, ungere dicendo: *Per istam* etc. *quicquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, tactum* etc. Et quidem pro hac sententia citantur varia Pastoralia, Agendae et Doctor Lovan. Sylv. in 3. par. q. 33. art. 7. Laymann lib. 5. tr. 8. c. 3. qui eam non omnino improbabilem, Tann. et Marchant *in Horto Pastorum*, qui omnino probabilem et in praxi usitatam, Dian. p. 3. t. 4. r. 168. qui in praxi tutam dicit citansque pro ea p. 8. t. 1. r. 21. Gran. Amic. Aversam, affirmat Pontificem id posse permittere et denique Escob. citans Becanum. cap. 25. q. 7. n. 6. et Barbosa in Trid. sess. 14. cap. 1. id permittit. Verum cum alii Doctores communiter repugnent, tutius saltem erit (quod suadent Laymann et Dian. ll. cc.) eo casu unum oculum, aurem, manum et os velociter sine crûcis forma ungere, dicendo unicam formam complectentem reliquas. Illud vero certius est, pedes aut renes inungere, non esse essentiale, imo quoad renes, non est decens, praesertim in feminis et viris religiosis, ideoque omitti solet. Henriquez, Sà, Tolet. Suar. Bellarm. c. 10 in fine.

IV. 3. De essentia huius Sacramenti est, 1. ut organa 5. sensuum, quae inunguntur, nominentur. Palaus t. 4. t. 26. Aversa s. 4. etc. communiter, licet Dian. p. 8. t. 7. r. 56. ex Regin. contrarium censeat probabile; imo ad valorem sufficere, si inter ungendum omnes sensus dicas: *Per istas sanctas unctiones indulgeat tibi*, etc. 2. Verba illa: *Per hanc sanctam unctionem:* etsi Palaus l. c. dicat valere, si tantum omittas τό *sanctam*. 3. Verba deprecativa, *Indulgeat tibi Deus*. Hinc formam imperativam, v. g. *Per hanc* etc. *remittatur tibi quicquid*, etc. non valere, dicit Palaus l. c. Dian. l. c.

848. Heïc distinguere oportet ea, quae sunt de necessitate sacramenti, sine quibus nempe sacramentum non fit et ea, quae sunt de necessitate praecepti. Ex necessitate praecepti adhibendas esse quinque saltem unctiones in quinque organis sensuum, constat ex Rituali Romano et constanti a pluribus seculis Ecclesiae Romanae consuetudine, quae vim legis obtinet. At quaestio est de necessitate sacramenti.

Iam vero sunt quidam Theologi iique graves, ut Serarius, Becanus, Estius, Sylvius aliique, quos citat Benedictus XIV. l. c. c. 3. et heic Auctor, qui aiunt, per se, ex necessitate Sacramenti, unam satis esse unctionem, qua fit satis verbis Iacobi: *ungentes eum* et qua satis effectus sacramenti significari potest, si ex. gr. fiat in fronte: quibus antiqui quarundam ecclesiarum rituales favent, iubentes unam fieri unctionem in casu necessitatis: Theologorum tamen maior pars dissentit, ait s. Alph. n. 710., qui idcirco solum *sub conditione* (si nempe forte ad sacramentum sufficiat) unam fieri posse unctionem in casu necessitatis concedunt.

Verum hic dissensus non est adeo firmus. Sane ex auctoribus a s. Alph. citatis, Bellarminus *de Extr. Unct.* c. 10. sententiam de sufficientia unius unctionis non prorsus improbat, sed dicit singularem et ideo minus tutam atque aliam vocat *communiorem opinionem*. Laymann quidem a s. Alph. citatus, *de Extr. Unct.* c. 5. n. 5., cénset, quinque sensuum unctiones esse de essentia sacramenti: sed argumentum eius unicum non parum nutat; id enim haberi dicit « ex institu-

tione Christi quam accepimus per traditionem Ecclesiae, communiter usurpantis quinque sensuum unctiones, tanquam necessarias ad valorem sacramenti ». Atqui si ita est, negandum erit, apud Ecclesiam graecam fuisse et esse verum Sacramentum Extremae Unctionis; nam etsi Graeci plures partes inungant, non imitantur tamen latinos. Ineunte sane sec. XI. tres tantum unctiones faciebant et postremis his seculis ungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus et pedes. Cf. Benedictum XIV. l. c. c. 3. Intollerabile vero foret asserere, Graecos caruisse aut carere hoc sacramento. Cf. ibid.

Nec praestantior est ratio, quam profert Bonacina *de Extr. Unct.* p. 5. n. 16. « Ratio est, ait, quia Sacram. Extremae Unctionis institutum est non solum ad remittenda peccata mortalia quae trahunt originem ab uno sensu, sed etiam alia, quae originem ducunt ab aliis sensibus: cum autem peccata, quae trahunt originem ab uno sensu non remittantur, nisi etiam remittantur alia omnia... sequitur ungendos esse quinque sensus et Sacramentum non sortiri effectum nec conferre gratiam, non inunctis quinque sensibus ». Scilicet quandam rationem congruentiae, allatam a s. Thoma, evexit hic Auctor ad dignitatem theologicae demonstrationis, oblitus, demonstrationem in re liberae institutionis divinae a Verbo Dei petendam esse. Cur sane non sufficeret ungere frontem vel caput, ubi sedes omnium facultatum et unde sensus dimanant. Et praeterea, ut advertit Suarez, homo non solum peccat per quinque sensus, sed etiam per actus mere internos et aliqua sunt etiam peccata externa, quae non pertinent proprie ad voluptatem alicuius sensus, ut sunt vindicta de inimico et similia. Disp. 40. sect. 3. n. 16. Suarez et ipse a s. Alph. citatus, disp. 40. sect. 2. n. 8. statuit necessitatem praecepti pro quinque unctionibus: tum subdit: « An vero haec necessitas sit tanta, ut sit etiam substantialis vel essentialis, non caret aliqua difficultate; pendet tamen ex iis, quae de forma et effectu ac subiecto huius sacramenti dicturi sumus » et idcirco ad sequentia reiicit lectorem. In sequentibus vero, id tandem de hac necessitate concludit: quod nempe pro ratione periculi, quod praevidetur, liceat uti una vel altera unctione, « hoc, ait, non video esse in Ecclesia usu nec auctoritate fundari, ideoque illud affirmare non audeo ».

849. Praeterea si conceditur, in casu necessitatis adhiberi posse unam unctionem, oportet fateri, non esse prorsus certam sententiam postulantem quinque unctiones de necessitate sacramenti. Nam quia ex. gr. certa est materia baptismi aqua, nemo in casu necessitatis permittet baptizari vino vel sub conditione.

Ipsa ratio loquendi quae in dogmaticis decretis apparet, suadet nu-

merum unctionum potius exigi ex necessitate praecepti quam sacramenti. Nam Decretum Eugenii IV., nullo facto discrimine, *ungendum esse* dicit septem in locis: constat autem septem unctiones essentialiter non requiri, unctio enim renum, frequenter omittitur. Et renum quidem, ex praescripto Ritualis Romani de *Extr. Unct.* c. 1. n. 15., semper omittenda in feminis: in viris quoque si commode moveri non possunt. Hodie quoad omnes omitti ait Scavini *de Extr. Unct.* q. 5. Et unctio pedum non esse de necessitate Sacramenti, communiter dicitur, teste s. Alphonso n. 710.

Itaque lis adhuc est sub iudice et, ut cum recenti Theologo loquamur: res « *controvertitur et utraque sententia est probabilis* » (Bucceroni *Theol. Mor. de Extr. Unct.* n. 4.). Etiam cl. Aertnys *Theol. Mor.* l. 6. t. 6. *de Extr. Unct.* n. 357. probabile dicit, unam sufficere unctionem, at probabilius quinque requiri.

In praxi tamen inter omnes convenit, sequendum esse quod est tutius et praeceptum Ecclesiae observandum, ut quinque unctiones fiant excepto casu necessitatis.

850. Quod A. dicit de iis, qui mutilati sint, habes ex Rituali Romano l. c. n. 18. « Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma ». Qua in re discrimen est ab unctione renum; si enim haec omittitur (ut omittenda est in feminis), « alia corporis pars pro renibus ungi non debet » ut ibid. dicitur n. 15.

Si quis aliquo organo nunquam sit usus, puta caecus a nativitate, non est omittenda unctio atque id communiter traditur (Aertnys l. c. q. 3.). Sane opus haud est, ut quis singulis sensibus, quibus unctio adhibetur, reipsa peccaverit: satis est, peccasse anima, quae vi sua tum ceteris organis sensus tum illi respondet.

Quoad manus, iubet Rituale Romanum l. c. n. 16., ut « quae reliquis infirmis interius ungi debent, presbyteris exterius ungantur »: propter honorem scilicet sacerdotalis unctionis, quam sacerdotales manus iam receperunt.

Si casus occurrat, quo omnes unctiones fieri nequeant, iam audivimus, s. Alph. permittere unam unctionem. Quae si fiat, in forma sensus omnes una exprimendi erunt, ut habet A. Suarez disp. 41. sect. 3. nn. 7. 8. consulit, hoc pacto Sacramentum sub concepta conditione conferre, ut semel forma recitata omnes sensus distincte complectente, simul liniantur absque forma crucis, quae essentialis non est, alterutrum ex organis paribus et alia organa, « quod tam brevi tempore perfici potest, ut cuilibet necessitati moraliter occurrenti sufficienter subveniatur ». At si ita est, cur pariter non licebit, forma uti, quae

omnes sensus confuse comprehendat; *quidquid per sensus deliquisti?* Nam vere idem utraque forma significatur, licet modus significandi differat.

851. Ex his, quae Suarez modo dixit, patet, non esse essentiale in unctionibus, ut signum crucis digito formetur super organa, neque ut ambo organa paria ungantur. Neque de his est controversia et quamvis Rituale Romanum l. c. n. 17. moneat, ut « dum oculos, aures et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit, cavéat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo huiusmodi paria membra perunxerit »: attamen, ut advertit Aertnys l. c. n. 358. 1., « hoc non est de necessitate Sacramenti, cum ad huius valorem unius (ex paribus) organi unctio sufficiat ».

Ut unctio vere fiat, sufficere aiunt guttam unam modicam olei, quae contactu suo certe ungit et etiam fluit; quamvis hoc alterum proprie non videatur postulari, ut unctum quid dicatur.

Neque ad valorem necessarius est ordo inter unctiones, ut prima sit oculorum, deinde aurium etc. Id tamen, si data opera fiat, illicitum esse graviter communiter dici, ait s. Alph. n. 710.; eo quod sit contra usum Ecclesiae in re gravi. Admittitur tamen parvitas materiae, qualis esset inversio ordinis in duobus sensibus (Aertnys, l. c. n. 357. q. 2.). Ut verum fatear, nisi ex contemptu ecclesiasticae consuetudinis vel ut novus ritus inducatur, inversio fiat, culpae gravis reatum, qui Inferni aeterna poena puniendus sit, nequeo heic videre; cum de modo agatur prorsus accidentali.

852. Quod spectat ad formam, quaeritur an modus deprecativus sit essentialis, ita ut, si indicativo modo efferatur, non valeat. Scholastici plures innixi tum verbis Iacobi; et *oratio fidei salvabit infirmum,* tum praxi Ecclesiae graecae, quae forma utitur deprecativa (cf. Drouen *de Extr. Unct.* c. 2. q. 3. arg. 2.) atque latinae, quae pariter formam habet deprecativam, ut omnes norunt, concludunt, saltem ut probabilius (cf. Suar. disp. 40. sect. 3. n. 7.), modum deprecativum esse de essentia. Nihilominus et inter Scholasticos multi fuerunt (cf. ibid. n. 5.), qui censerent non esse de essentia modum deprecativum: quod non paucis eruditis recentioribus arrisit. Cf. Drouen l. c. arg. 3. obiect. 2. et Benedictum XIV. *de Syn.* l. 8. c. 2.

Sane et olim in Ecclesia latina forma indicativa in usu erat, quod constat ex pluribus antiquis Ritualibus. An forma indicativa censenda est quoque ea, quae in ecclesia Mediolanensi aetate s. Ambrosii adhibebatur et Ambrosiana dicitur, quam s. Bonaventura refert in 4. dist. 23. a. 1. q. 4. *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris et Filii et Spiritus S., ut more militis uncti praeparatus ad certamen, aereas possis*

superare potestates? Non audemus affirmare; nam verba, quae respondent illis: *Indulgeat tibi Deus* etc. non sunt indicativa.

Praeterea verba Iacobi non postulant reapse modum deprecativum: nam forma sacramentalis, a ministro prolata modo etiam indicativo, vim orationis habet, sicut quilibet actus cultus divini.

Nihil de hac re definitum haberi ab Ecclesia testatur l. c. Benedictus XIV.

Nihilominus in praxi adhibenda est sub gravi forma deprecativa tum quia id est tutius, tum quia id ab Ecclesia est praeceptum. Quod si forma esset indicative usurpata, iteranda foret, saltem sub conditione, collatio Sacramenti.

853. In forma latina: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum etc.) deliquisti*, non omnia verba sunt essentialia, ea nempe, quibus demptis, adhuc manet propria significatio formae. Itaque omissio vocis *sanctam* atque incisi *per suam piissimam misericordiam* non mutat essentialiter formam nec, nisi ex contemptu fiat, videtur talis omissio esse letalis. Probabiliter et vox *istam* non est essentialis; nam dicens *per unctionem* et simul ungens, satis sacerdos significare videtur, se de ea determinata unctione loqui. Id tamen non est adeo certum sicut illud prius; ideoque in praxi gravis censenda esset omissio.

Quaestio est de expressione sensuum, *per visum, auditum* etc. an haec essentialiter requiratur. Negativam sententiam sibi probari ait Aertnys l. c. n. 359. q. 1.; quia in formis Ecclesiae Orientalis sensus non exprimuntur; quae ratio, ut idem ait, valde urget, tum quia in confirmatione, etsi unctio facienda sit in fronte, id tamen in forma non declaratur. Nihilominus in praxi, ut idem monet, non est et quidem sub gravi, recedendum ab usu Ecclesiae.

Porro si sensus nominandi sunt, estne essentiale ut ad singulas unctiones singillatim nominentur, an sufficit, dum unctiones peraguntur, dicere semel: *per istam sanctam unctionem vel istas sanctas unctiones... indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, locutionem et tactum deliquisti?* Cum significatio formae eadem maneat, concedendum est, id pro valore sacramenti sufficere et hanc esse sententiam probabiliorem affirmat Aertnys l. c. q. 2.

At si ita est, sufficiet quoque omnes sensus sub una locutione confusa exprimere, scilicet: *quidquid per sensus deliquisti:* nam locutio confusa et distincta non differunt quoad rem significatam, sed solum quoad modum significandi, ut iam superius diximus. In praxi tamen, ut saepe dictum est, usus Ecclesiae servandus est sub gravi.

854. Cum quinque sensus unguntur et ad singulos sua forma profertur, quaerunt Theologi, quandonam effectus sacramenti obtineatur, an partialiter ad singulas unctiones, ut totus exsistat tandem expleta quinta unctione an solum expleta postrema effectus habeatur? Certum est Theologis, sacramentum esse unum; omnes proinde partiales unctiones cum suis formis integrare unum sacramentum. Hoc posito, probabilius certe est effectum in fine tantum consequi; nam effectus sacramenti habetur, cum sacramentum positum est, non eius pars. Atque haec est sententia s. Thomae l. c. ad 3^{m}: « Quando sint multae actiones ordinatae ad effectum unum, ultima est formalis respectu omnium praecedentium et agit in virtute earum et ideo in ultima unctione gratia infunditur, quae effectum sacramenti praebet ».

Profecto, quamvis gratia per gradus possit augeri et sic ad singulas unctiones possit certus gradus gratiae conferri ita ut tandem illud augmentum obtineatur, ad quod conferendum ordinatur sacramentum: at certe remissio peccatorum mortalium, qui est effectus, licet secundarius, huius sacramenti, nequit per partes obtineri ideoque tota simul vel ad primam unctionem, si una pro valore sufficit, vel ultima absoluta consequetur.

At si inter ungendum mors superveniat, si una unctio pro valore sufficit, quod tamen difficilius est admittere, cum uni unctioni forma partialis adhibetur (n. 850.), effectus statim sequetur.

V. 4. Hoc Sacramentum tantum dandum est morti propinquis, ex morbo, vulnere, partu, vel senectute; quia hi soli sunt infirmi. Quod si morbo liberati rursus periclitentur, iterandum est: et quidem in diuturnis morbis, quoties erit periculum novum, neque expectandum (sub gravi culpa, Quintan. t. 4. s. 9.) donec sensibus careant, vel omnino sint desperati. In dubio vero de vita, detur sub conditione. Laym. l. c. ex s. Th. Syl. Suar. d. 40.

VI. 5. Si conferatur infirmo communi morbo, sive non graviter vel periculose laboranti, non est validum. Suar. Palaus, Gran. Amic. etc. comm. Ac licet Less. Wigers, et Quint. contrarium putent probabile; concedunt tamen sic inunctum iterum inungendum esse (etiam in eodem morbo) quando periculose laborare coeperit, ob mutatum statum infirmitatis, additque Quint. mortaliter peccatum fuisse. Quint. t. 5. sect. 7. Dian. p. 9. t. 6. r. 64.

855. Agit heic A. de subiecto sacramenti. Ex verbis Iacobi et Ecclesiae perpetua praxi liquet subiectum esse non quemlibet fidelem proximum morti, cuiusmodi esset capite damnatus, cui cras poena subeunda esset, vel qui praelium esset initurus vel qui operationem chirurgicam esset subiturus, nisi huius valetudo iam affecta sit vel qui navigationem difficilem esset instituturus (rituale rom. l. c. n. 9.): sed esse proximum morti *ex infirmitate corporis*, qui ex morbo nempe ideoque ex vulnere quoque, ex partu (mulier) etc. decumbit etiam cui senectus mortem instare praenuntiat; nam senectus ipsa est morbus.

Convenit praeterea inter omnes, non quamlibet infirmitatem satis esse pro suscipiendo hoc sacramento, sed oportere esse gravem infirmitatem vel infirmitatis statum gravem, quae probabili periculo vicinae mortis exponat aegrotum. Ita Rituale Romanum l. c. n. 5. « Debet hoc sacramentum infirmis praeberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut *mortis periculum imminere videatur* et iis, qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate ». Idem brevius iam dixerat Eugenius IV. in decreto: *Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* Idque interpretes colligunt ex voce adhibita a Iacobo: *et oratio fidei salvabit* τὸν κάμνοντα, quae vox, cum de infirmo dicitur, gravi laborantem infirmitate significat.

Itaque infirmo, *de cuius morte timetur,* dari potest; utrum vero statim ac timor iste adest dari debeat, alia quaestio est in seqq. solvenda.

Quocirca si sano vel leviter aegrotanti hoc sacramentum detur, nihil fit; quia subiectum idoneum, iuxta divinam institutionem, deest et idcirco peccatur tali administratione (a). Cf. s. Alph. n. 721. dub. 2.

Habes ergo in hac re discrimen Viaticum inter et Extremam unctionem; nam illud et sanis mox morituris conferendum est. Cuius rei exstat decretum, quod dedimus sect. 4ª *de Eucharistia* Vol. IV. 901.

Etsi ergo tibi videatur huiusmodi moriturus iis auxiliis indigere, quae praebet Extrema Unctio, nequit tamen ei valide et licite conferri; quia cui sit dandum sacramentum, non rationibus nostris divinandum, sed ex revelatione discendum est.

856. Ex verbis Eugenii patet, non oportere, ut mors sit in ianuis imo neque ut certum sit, mortem secuturam ex ea infirmitate, sed satis esse, ut de proxima morte infirmi *timeatur*, utique rationabiliter.

Rationabilis vero est timor, cum probabile est iudicium de morte secutura. Quapropter vitio laborare dicenda est consuetudo illa, quae nonnisi instante morte vel nisi cum certum est, desperatam esse salutem, sacramentum confertur. Privatur enim infirmus iis spiritualibus auxiliis; quae fructus sunt sacramenti, tum cum iis magis indiget.

Praeterea impedimentum ponitur alteri effectui, qui est sanitas corporalis dummodo expediat; non enim, ut dicemus, hic effectus ad modum miraculi consequitur, sed quatenus gratia Dei adiuvat causas naturales et industriam medici; quas causas idcirco adhuc aliquid naturaliter posse, supponitur. Cf. Benedictum XIV. op. cit. c. 7.

(a) Graeci solent et sanos hoc oleo ungere, postquam ab Episcopo in Coena Domini confectum est; non tamen cum intentione conferendi sacramentum, sed ad pium quemdam usum rei benedictae. Cf. Benedictum XIV. l. c. c. 5.

Tridentina quidem Synodus l. c. c. 3. dicit adhibendam esse hanc unctionem iis, *qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur,* at non his solis; ait enim: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero* PRAESERTIM *qui* etc. Aliis ergo infirmis quoque est adhibenda Unctio; quinam autem hi sunt, nisi quos indicat Eugenius, *quorum nempe mors timetur?* Nam ceteris, eodem Eugenio auctore, non est danda. Unde patet non perinde esse *infirmum, cuius mors timetur*, et *infirmum, qui videtur in exitu vitae constitutus.*

Accipe praeterea responsum s. C. P. F. Quaesitum est: « Aliquando Missionariis christianos sibi commissos visitantibus, occurrit aegrotus hectica febri vel simili morbo laborans, qui iuxta experientiam, vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur. Quaeritur, an in tali casu Missionarius ipsi possit administrare viaticum et extremam unctionem, eo quod, quando verior aderit casus ea recipiendi, non poterit praesens haberi Missionarius, ob magnam distantiam et alias circumstantias id impedientes? ». Respondit s. C. P. F. « Affirmative ». 20. Febr. 1801.

Quid si dubium sit, an infirmitas sit periculosa? Si dubium est negativum, negat cum Castropalao et Laymann, s. Alphonsus n. 714. dari posse; quia praeceptum est ne aliis quam vita periclitantibus detur. Si vero dubium sit positivum, sive adsit probabilitas periculi, seu prudens timor, tunc potest dari, ut communiter traditur et Eugenius IV. docuit.

857. « In eadem infirmitate, ait Rituale Romanum l. c. n. 14., hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat ». Ratio est, quia eius efficacia manet, quandiu ea infirmitas durat, pro qua datum est.

Difficultas esse potest in illa conditionali: si infirmitas *diuturna* sit. Scilicet regula generalis est, quam tradit Trid. Syn. l. c. c. 3., iterari posse sacramentum, si infirmus post susceptam unctionem convaluerit et deinde in aliud simile vitae discrimen inciderit: id vero locum certe habet cum infirmitati alia (vel specie vel numero) post aliquod tempus infirmitas succedit. At sunt quaedam infirmitates diuturnae, ut hectica, hydropisis etc., in quibus contingit, infirmum periculo mortis appropinquare et dein regredi, ut aliquatenus convalescat ita tamen ut eadem infirmitas perduret et rursus in periculo versetur atque talis vicissitudo plus semel etiam iteratur. Tum quoties infirmus, in eadem infirmitate, periculo mortis accedit, ungi potest. Ita Benedictus XIV. l. c. c. 8. ex s. Thoma 4. dist. 23. q. 2. c. 4. cf. et s. Alph. n. 715. Si ergo in aliqua infirmitate talis vicissitudo contingat, iam habebitur ea infirmitas diuturna, de qua loquitur Rituale.

Porro cum nequit Sacramentum iterari; si non rite susceptum sit, probabile est, quod in eadem infirmitate, accedente debita dispositione, reviviscat. Cf. Sect. 1^m. Vol. IV. 709.

VII. 6. Ad Sacramentum hoc cum fructu recipiendum, in eo, qui rationis est compos et conscius peccati mortalis (si non confiteatur) requiritur contritio saltem existimata neque sufficit attritio. Bonac. d. 7. q. un. p. 5. n. 2. ex Reg. l. 28. c. ult. a. 73. Ordinarie autem, nisi obstet causa rationabilis (verbi gratia si ob vomitum communicare non possit) praemittenda est confessio et communio ob Ecclesiae consuetudinem, quae unctionem, tanquam minus necessariam ad salutem, postponit. Vid. Bon. l. c. n. 23. Licet autem, per se loquendo, confessio non necessario praemittatur, cum per contritionem se disponere possit, per accidens tamen requiri potest: verbi gratia, si post viaticum peccasset mortaliter et timeretur post unctionem defuturum tempus confessioni; tunc enim prius audiendus et absolvendus esset; quia sacramenta magis necessaria tali casu prius sumenda sunt. Fill. Barbos. Dian. p. 5. t. 3. r. 92.

858. Agit A. de dispositionibus in subiecto requisitis. Statum gratiae requiri patet ex dictis n. 842. Ait. A., si nequeat infirmus confiteri, requiri contritionem: sed hic est casus metaphysicus; si enim praesto est sacerdos collaturus extremam unctionem, is absolvet quoque, contentus qualibet vel generali confessione. Quod si infirmus sit sensibus destitutus, frustra ei suggeres contritionem et dummodo attritio praecesserit, sacramentum hoc efficax erit.

Iam vidimus in sect. 1. *de Sacramentis in genere*, ad validam et licitam susceptionem huius sacramenti satis esse intentionem habitualem seu interpretativam: quam intentionem Ecclesia in quolibet catholico praesumit. Hinc Rituale romanum l. c. n. 6. « Infirmis, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint vel delirent aut non sentiant, nihilominus praebeatur (extrema unctio) ».

Quaesitum fuit: « Quando quis Paganus adultus sufficienter instructus riteque dispositus baptizatur, quia in gravem incidit morbum, debetne imo potestne ei conferri sacramentum Extremae Unctionis immediate post baptismum? » Respondit 26. sept. 1821. s. C. P. F. « Affirmative, servata forma decreti s. Officii anni 1803 ».

Hoc autem est decretum citatum s. Officii. « Non esse conferendum sacramentum Extremae Unctionis neophyto moribundo, quem Missionarius capacem baptismi credidit, nisi saltem idem habeat aliquam intentionem recipiendi sacram Unctionem, in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam ».

Sed hanc intentionem praesumere, puto, generatim licet in eo, qui voluit christianus fieri, christiane vivere et idcirco beneficiis Christi frui.

859. Nemo, ait Benedictus XIV. l. c. c. 8. n. 1. qui ecclesiasticae historiae non sit omnino imperitus, inficiabitur, usum quondam fuisse,

ut sacro oleo linirentur post peractam quidem sacramentalem confessionem, sed priusquam Christi Corporis reficerentur viatico: quod multis exemplis probat Suarez disp. 44. atque ex pluribus Ritualibus ac Synodorum statutis demonstrat Launoius etc... Neque ad hanc inducendam consuetudinem, legitimam defuisse causam, ait citatus Suarez. Cum enim Extrema Unctio sit *perfectio et consummatio poenitentiae* uti communiter appellatur a Patribus, quae peccatorum reliquias abstergit, uti a Tridentino edocemur, non sine rationabili causa, poenitentiae coniungebatur, ut per utrumque sacramentum homo perfecte expiatus, sine ulla animae sorde caelestem panem degustaret ».

Illud quoque commodi haec praxis forte habebat, ut non tam sero Extrema Unctio administraretur. At, ut prosequitur idem Pontifex, neque priscis temporibus haec praxis fuit universalis et postea alia « praevaluit, ut Catechismus Conc. Trid. et. S. Carolus Borromaeus in suis Instructionibus ac innumera Ritualia Extremam Unctionem post Viaticum praeberi decreverint ». Ita Rituale Romanum l. c. n. 2. « Illud in primis ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur ».

Hic ordo, ut ait Suarez l. c. sed 1. n. 8., « videtur satis consentaneus rationi et institutioni utriusque sacramenti: istud enim ut cibus ad confortandum in via praebetur et ideo, ut detur, non est expectandum ultimum vitae periculum: hoc vero Sacramentum exeuntium est, quasi in ultimum subsidium institutum ».

Subdit: « non opinor autem hunc ordinem adeo esse rem gravem, ut si absque contemptu praetermittatur, ad peccandum mortaliter sufficiat; quia non exstat adeo clarum praeceptum de hac re ».

Itaque ut viaticum legitime conferatur, satis erit, mortem infirmi timeri; nam infirmo, *de cuius morte timetur*, dari potest Extrema Unctio, n. 24.

VIII. 7. Pueris habentibus sufficientem rationis usum ad peccandum, tametsi sacram Eucharistiam non accipiant, non recte negatur Extrema Unctio; cum inde nonnunquam salus ipsorum dependere possit. Suar. 2. p. t. 3. d. 70. s. 1. Graf. Angl. Zamb. apud Laym. l. 5. t. 3. cap. 4. num. 2. qui Parochos quorundam locorum excusat, per consuetudinem toleratam ab Episcopis, si non dent pueris ante ann. 14. vel 15. excepto casu necessitatis, quo puer, quem rationis usum consecutum esse constat, aliud Sacramentum ante mortem suscipere non possit. Vide Chapevill. c. 5. q. 17. Ac licet Parochus in confessione cognoverit, puerum nunquam actualiter peccasse, debere tamen illum inungere, contra Nug. et Sanc. docent Suar. Reg. Fill. Conc. etc. cum. Dian. p. 3. t. 4. r. 181. Si vero dubium sit, an puer usum rationis habeat, ungendus est sub conditione. Dian. p. 5. t. 3. r. 85. et Sanc. Zamb. et Card. de Lugo.

860. Rituale Romanum l. c. n. 5. docet Sacramentum hoc dandum iis, qui ad usum rationis pervenerint. Sane infantes incapaces sunt

effectus proprii huius sacramenti neque eo egent. « Nulli sane, ut ait s. Thomas in 4. dist. 23. q. 2. a. 2., debet dari sacramentum, cui non competit forma sacramenti: sed forma huius sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum, auditum etc. ut in forma exprimitur ». Dummodo tamen pueri usum rationis attigerint, ut peccare potuerint et sic obiecti sint insultibus Satanae, dandum illis est, etsi ad ss. Communionem non censeantur idonei. Nam poenitentes sunt et hoc sacramentum est perfectio Poenitentiae atque, ut ait A., identidem ex hoc Sacramento salus aeterna ipsorum potest pendere.

Improbanda est ergo consuetudo negandi hoc sacramentum pueris, qui pubertatem nondum attigerint. Cf. Benedictum XIV. l.c. c. 6. n. 2.

Porro « ob eandem rationem, ait idem ibid. n. 3., propter quam ab huiusmodi sacramento arcentur pueri, quibus nondum rationis lumen fulsit, illud pariter denegatur perpetuo amentibus et furiosis, qui nullum ab ortu lucidum intervallum obtinuerunt ».

At si « adulti aliquando, ait idem n. 4., usum rationis habuerunt et postea in phrenesim aut amentiam inciderunt, his Unctionem tribuendam esse... docet s. Thomas l. c. ql. 3.. cui teste Suarez disp. 42. sect. 1. n. 6., omnes Theologi consentiunt. Atque ita Rituale Romanum l. c. n. 6.. cuius verba iam recitavimus sub n. 858.

861. Quibus ergo adultis fidelibus graviter infirmis, licet amentes non sint nec furiosi, est denegandum? Respondet Rituale Rom. n. 8. « Impoenitentibus et qui in manifesto peccato mortali moriuntur et excommunicatis... penitus denegetur ». Qui in manifesto peccato moriuntur, iam sunt impoenitentes. « Impoenitentes, ait Aertnys l. c. n. 367. 2., certe sunt illi infirmi, qui ad sensuum destitutionem usque sacramenta respuerunt, volentes mori sine illis ». Sed non raro videri quidem poterit sensuum plena destitutio et nihilominus adhuc interius animus vigere. Quid, si tunc eos poeniteat? Nonne saltem sub conditione licebit eos ungere, cum certo non constat eos impoenitentes mori? Pergit idem Auctor: « Non tamen deneganda Extrema Unctio est iis, qui in actu ipso peccati sensibus destituuntur; nam, si forte internum actum attritionis miser peccator elicuerit, longe tutius, imo certo eius salus procurabitur per Unctionem, per absolutionem valde dubie (a) ».

Possunt etiam ungi, ait Croix n. 2110. vulnerati in duello; quia praesumitur eos conteri in illo extremo statu.

IX. 8. Minister est solus Sacerdos proprius, sive Pastor: sine cuius venia si extra necessitatem alius det, validum quidem est, sed graviter peccat. Sylv. Sot. Con. d. 9. n. 28. et Religiosus incurrit excommunicationem Papalem. Suar. Regin. l. 23. n. 49.

(a) Cf. in praeced. sect. diputata sub nn. 235. seqq. cum supposita nota.

Posse tamen Regulares hoc Sacramentum, uti et Viaticum, in articulo mortis suis familiaribus ministrare, docet Dian. p. 5. t. 3. res. 52. ex March. etc. In necessitate vero, ut si Pastor absit, vel dare nolit, nec Superior possit adiri pro petenda licentia, licite ministrat quivis non excommunicatus, aut suspensus, etiam Regularis, ut contra Gavant. docent. Praepos. Henriq. Fern. Gran. Dian. p. 4. t. 3. r. 82.; censetur enim tunc Papa dare licentiam. Laym. Reg. Suar. etc. l. c. Dian. r. 176.

862. Nunc de Ministro sacramenti. Quilibet sacerdos ex ordinatione habet, ut valide sacramentum hoc administret: Trid. Syn. l. c. c. 3. et n. 4. Licite vero illud tradit legitimus eius minister, qui est pastor proprius, parochus nempe (atque Episcopus): ex licentia vero parochi quilibet sacerdos. Sine licentia Parochi illud administrare, gravis censetur iniuria Parochi, quemadmodum de Eucharistiae administratione dictum est sect. IV. *de Euch.* vol. IV. 881. Religiosi vero praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremae Unctionis ministrare absque Parochi licentia, excommunicationem incurrunt Papae simpliciter reservatam Const. *Apost. Sedis.*

Heic porro est advertendum, quod iam de Eucharistiae administratione agentes advertimus ex Lugo: Licentiam nempe Parochi non requiri expressam et formalem, sed sufficere praesumptam; quia quaelibet sufficit, quoniam non de valore actus, sed solum de eius agitur honestate. Hinc si necesse sit ministrare alicui Unctionem et Parochus absit, licet simplici sacerdoti eam administrare. Imo ex caritate tenebitur, etiam sub gravi, iuxta necessitatem infirmi.

Quod si Parochus nolit sacramentum administrare et absque causa neget alteri facultatem, hic poterit nihilominus administrare ex praesumpta licentia Episcopi. Cf. dicta l. c. ex vol. IV.

X. 9. Sufficit Sacerdos sine ministro in necessitate, nec in ea femina adhibenda est: quod si tamen fiat, veniale esse docet Quint. t. 5. s. 6. In ea posset etiam unus unam, alius aliam partem inungere, pronuntiando tamen formam illi unctioni respondentem. Bonac. l. c. etc. comm. Non tamen potest unus inungere aliquem sensum et alius formam pronunciare: neque unus unum oculum, et alter alterum. V. Dian. p. 9. t. 7. r. 56. Quod si Sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium, quae restant. Tan. Praep. Merat. qui apud Dian. p. 5. t. 3. r. 87. notat licere etiam alteri unctiones ab initio repetere, perinde ac si prior nullam earum inchoasset.

XI. 10. Etsi in administratione huius Sacramenti servanda sint omnia praescripta in Rituali, Agenda, vel Manuali, mortale tamen non esse administrare in necessitate sine superpelliceo vel stola, docent Quint. et Leand. conceditque Amic. et Dian. p. 8. l. 1. r. 79 id excusat ab omni peccato, si infirmus non sit capax alterius Sacramenti et ista haberi non possint, contra Suar. Regin. etc. Imo etiam extra necessitatem non esse mortale, 1. omittere Psalmos poenitentiales, Litanias et ceteras preces, docent Palaus et Gran. Dico, *extra*, quia in necessitate gravi, v. g. tempore pestis, vel morte imminente, statim ungendus est sine praemissis orationibus, quae tamen postea supplendae sunt, si supervivat infirmus. Bonac. d. 7. p. 6. n. 8.: 2. Deferre ad aegrum, vel administrare sine lumine. Leand. citans Possev. Quintan. t. 5. s. 23. Barbos. *de Offic.*

Paroch. c. 22.: 3. Si solus sine ministro administret, imo hoc in necessitate permittunt Tolet. Sà, etc. V. Dian. p. 9. tr. 6. res. 36.: 4. Si ungat aliter, quam in formam crucis. Suar. Bec. Laym. V. Dian. p. 3. tr. 1. res. 178.

863. Agit deinde A. de ritu, quo sacramentum administrandum est. Affirmat Gury, V. 2. §. 688. resp. 1. non esse mortale nullum adhibere ministrum atque in necessitate nullum esse peccatum, idque communissime a Theologis tradi.

Tum idem resp. 2. docet, feminam nunquam esse ad officium ministrantis adhibendam: sed si clericus aut laicus nequeat reperiri, sacerdos solus omnes ceremonias peragat et (addit) ipse orationibus respondeat atque haec confirmat auctoritate s. Alphonsi et communissimae theologorum sententiae. At s. Alphonsus n. 724. nihil habet de ultima praescriptione, ut sacerdos solus sibi in orationibus respondeat: si autem in necessitate licet feminae respondere sacerdoti celebranti ad altare (sect. 4. Vol. IV. 1097.), cur vetitum illi erit respondere in administratione Extremae Unctionis?

864. A. secundo loco resol. 9. loquitur de administratione sacramenti facta a pluribus sacerdotibus simul. Hic est mos Ecclesiae graecae, in qua septem vel tres saltem sacerdotes ungunt infirmum atque haec ratio administrandi servata fuit olim in quibusdam latinis ecclesiis. Talis administratio per plures non est de necessitate sacramenti, sed ad maiorem quandam sollemnitatem et singularis est, ait Suarez disp. 43. sect. 2. n. 5.: quia ex pluribus formis et materiis partialibus constat. Cur ergo Iacobus dixit in plurali: *inducat presbyteros?* nempe voluit significare, hoc esse officium presbyterorum: in dictione autem officium, potestatem et huiusmodi denotante perinde est frequenter, sive singularem numerum adhibeas sive pluralem *(presbyter est qui consecrat, presbyteri sunt qui consecrant).* Itaque si de valore sacramenti agitur, ipsum valet eodem pacto, sive ab uno sive a pluribus simul conferatur.

Monet A. cum communi Theologorum, quod si plures conferant, oportet ut qui partem ungit, idem proferat formam illi respondentem nec debet unus unum ex. gr. oculum ungere, alter alterum oculum: quia haec est una unctio uni formae respondens et totum ab uno faciendum est: quemadmodum et in ceteris sacramentis, quae integre a ministro ponuntur, idem materiam adhibet et formam pronunciat.

Veruntamen, quia oportet Ecclesiae ritum servare, in Ecclesia latina unus tantum sacerdos administrare hoc sacramentum debet, ut in solo casu necessitatis liceat administratio facta simul a pluribus, si nempe secus timeatur infirmus decessurus ante completum sacramentum. Aliter enim administrare grave esset peccatum; quia contra usum Ecclesiae. Ita s. Alph. n. 724. Cf. Benedictum XIV. l. c. c. 4.

865. Ultimo loco agit A. de casu, quo ab altero sacerdote supplendum sit ministerium loco prioris, qui in media administratione defecerit et refert, censere quosdam, licere ei qui succedit, omnes ab initio instaurare unctiones, ac si prior fecisset nihil. Porro s. Alph. subdit: « Sed melius. Quando sacerdos inter unctiones deficit, si statim alius eas (reliquas nempe) suppleat, non sunt iterandae prius factae, ut Bonacina cum s. Thoma... et s. Carolo Borromaeo... secus si unctiones ab alio suppleantur post aliquam notabilem moram (puta post quadrantem); tunc enim omnes unctiones sub conditione repeti debent: ita recte ait Croix, n. 2098 ». Conditio autem, puto, apponenda erit unctionibus iam factis, non iis, quas alter supplet. Croix tamen sententiam duplicem refert, priorem, quam habet et A., alteram, quae, nullo discrimine facto inter moram notabilem et non notabilem, censet omnes unctiones esse sub conditione repetendas: porro priorem Croix dicit a *multis* tradi, pro altera Merati et Aversa citat, quin ipse aliquid diiudicet.

Nihilominus s. Thomas 4. dist. 23. q. 1. a. 1. ql. 1. ad 3^{m} ait: « Quamvis in Eucharistia, si post consecrationem panis, moriatur Sacerdos, alius sacerdos possit procedere ad consecrationem vini, incipiens ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite super aliam materiam: tamen in Extrema Unctione *non potest* a capite incipere, sed *debet* semper procedere; quia unctio in eadem parte perfecta, si iteretur, tantum valet ac si consecraretur bis eadem hostia, quod nullo modo faciendum est », utique neque sub conditione, cum constat, fuisse consecratam. Quae doctrina difficilis est. Nam probanda ea certe foret, si singulae unctiones essent ex se sacramentum et gratiam statim conferrent: at si sint tantum pars sacramenti, quod tandem omnibus unctionibus peractis exsistit et gratiam confert (cf. textum s. Thomae sub n. 854.), nulla est reapse repetitio sacramenti, si alter sacerdos rursus a capite exordiatur. Si vero mora notabilis temporis intercessit, desinente forte unione morali inter priorem administrationem inchoatam et alteram completam, ratio certe est, cur saltem sub conditione priores unctiones repetantur, ut censet s. Alph.

Potius perpende, quod eodem loco subiicit s. Thomas. « Nec tamen ministrorum pluralitas tollit unitatem huius sacramenti; quia instrumentaliter tantum operantur: mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri ». Haec dicuntur a s. Doctore de pluribus ministris, quorum alter alteri succedat, quin alter repetat quod prior fecit: sed valent etiam de pluribus, qui simul ministrent, singuli suas unctiones peragentes; nam res eodem redit. Scilicet ita est a Christo institutum hoc sacramentum, ut ipse primus operator paratus sit vel

per unum ministrum vel per plures partialiter concurrentes sacramentum efficere et gratiam conferre.

866. Quoad administrationem sine vestibus sacris praescriptis, quae sunt *superpelliceum* et *stola*, s. Alph. n. 726. ait: sacerdotem absque his ministrantem, si non urget necessitas, certum esse graviter peccare.

At in necessitate, probabile dicit non peccare; ne infirmus scilicet tam utili et identidem necessario subsidio privetur, propter reverentiam quamdam sacramento debitam, quam alio modo supplere licet et quam proinde heic Christus praesumitur merito non postulare.

Quid si altera tantum vestis, absque necessitate, omittatur, superpelliceum aut stola? Cum iam certa reverentia sacramento adhibeatur: non est, puto, cur mortale peccatum iudicetur, nisi ex contemptu fiat. Cf. sect. 4. n. 100.

867. Quod spectat ad preces dicendas, s. Alph. distinguit inter orationes quae Sacerdoti recitandae praescribuntur tum ante tum post sacramenti administrationem, et alias orationes, nempe Psalmos poenitentiales et litanias, quae ab adstantibus recitandae dicuntur, dum sacro infirmus linitur oleo.

Porro illas priores omittere, extra casum necessitatis, dicit, esse sine dubio mortale: spectant sane ad sollemnem sacramenti administrationem.

Alias vero probabilius censet esse tantum de consilio, nec video quî de hac re dubitari possit: cum ipsum Rituale c. 2. n. 7. id significet. Ait enim: « Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, *moneat* adstantes ut pro illo orent et *ubi commodum fuerit*, pro loco et tempore et adstantium numero vel qualitate, recitent septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis *vel alias preces*, dum ipse Unctionis sacramentum administrat ».

Id autem in casu necessitatis Rituale praecipit c. 1. n. 10. « Si quis autem laboret in extremis et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur orationes (quae nempe sacerdoti praescribuntur), cito ungatur... ut infra: deinde, si adhuc supervivat, dicantur orationes praetermissae ».

868. Defectum luminis sive in delatione sive in administratione et s. Alph. n. 728. censet probabiliter esse solum venialem. Verum, ut Ballerini monet ad Gury Vol. 2. n. 686. de hac re Rituale Rom. haec tantum habet: « Sacerdos parari curet... ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat ». Venialem quoque s. Doctor habeat omissionem signi crucis nec censentit ei, qui etiam negat id esse veniale extra necessitatem.

Iam vero cum ss. Viaticum simul et oleum deferendum est ad infir-

mum; Rituale c. 1. n. 13. utrumque ab eodem Sacerdote posse deferri dicit: et subdit « si alius presbyter aut diaconus qui oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus cum oleo sancto occulte delato sequatur sacerdotem Viaticum portantem et postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur a Sacerdote ».

Vetuit autem s. R. C., ne oleum deferatur ad infirmos sollemniter cum superpelliceo ac lanternis. 28. Ian. 1606.

Monet tandem s. Alph. l. c. Benedictum XIV. de Syn. l. 8. c. 6. n. 5. cum aliis theologis permittere sacerdoti interruptionem Missae, si infirmo nullum aliud sacramentum conferri possit: quod iam diximus generatim cum Busembaum sect. 4. sub §. 137. 4. ad n. 1062. Vol. IV.

XII. 11. Pastor ratione officii tenetur sub mortali dare iis, qui petunt, nisi iusta causa excuset et etiam tempore pestis; modo possit absque periculo vitae; cum eo enim non teneri, docent Tann. Dian. p. 5. tr. 3. res. 93. Si peste infecti sint confessi, posse sine peccato omitti absolute, docet idem Dian. p. 3. t. 4. r. 174. et p. 5. tr. 3. res. 83. et 93. et p. 8. tr. 1. res. 21. ex Villal. Tanner. Amic. Franc. Lugo etc. Suar. Fill. Con. Bon. Laym. ll. cc.

XIII. 12. Sacerdos Curatus peccat mortaliter, si petentem negligat inungere vel differat cum probabili periculo, ne sine unctione moriatur aeger, nisi iusta causa excuset, quia in re gravi non praestat id, ad quod tenetur ex iustitia. Alius vero Sacerdos, si absente Parocho, licite et facile possit, tenetur ex caritate, sed sub veniali tantum; nisi tamen aegrotus valde indigeret, verbi gratia, si alioqui sine omnibus sacramentis esset moriturus, quod aliud nullum suscipere possit; tunc enim quidam graviorem obligationem agnoscere videntur. V. Dian. p. 3. tr. 4. r. 170. Laym. l. 5. t. 8. c. 7. n. 3.

869. Etsi sacramentum hoc non sit de necessitate salutis neque obligatio gravis proinde urgeat, per se saltem, fideles morituros, qua de re confer dicenda in fine: ut tamen pastor sit graviter obligatus ad illud ministrandum, sufficit, sacramentum utile esse et fidelem ius habere ad illud. Tenetur enim ex officio et ex quodam quasi contractu pascere oves suas. Hinc quod primo loco ait A. in resol. 12.

At teneturne Parochus cum periculo vitae ungere infirmum?

Tenendum est principium traditum a s. Alph. l. 3. n. 380. « tum nos teneri praeferre bonum altioris ordinis proximi bono inferiori nostro, cum vita ex. gr. nostra absolute necessaria est ad salutem spiritualem proximi. Cf. tr. 5. *de Caritate* Vol. II. 159. seq.

Iam vero cum infirmus confessus est: quoniam satis salutis eius provisum est, nec cum probabili periculo vitae, quale solet esse si infirmus pestilentia tactus sit, tenetur Parochus sacramentum ministrare.

Si verisimile sit, infirmum sibi consuluisse per actum contritionis, non tenetur Parochus se certo periculo vitae exponere, quemadmodum nec tenetur eius audire confessionem. Cf. dicta *de Sacr. Poenit.* n. 862.

Si certum sit Parocho, infirmum esse in statu peccati nec verisimile sit, ipsum sibi relictum actum concepturum contritionis, accedente

autem Parocho et suadente, actum saltem eliciturum attritionis, quo posito vel absolvi vel saltem ungi poterit, tum etiam cum periculo vitae tenetur Parochus, nisi alium mittere possit, ad eum accedère, uti vel absolvat vel saltem ungat. Ita s. Alph. n. 729.

Porro adverte, quoties Parochus vel alius sacerdos, contempto periculo vitae, ad infirmum accedit, posse ipsum absolvere et quidem absolute si aliqua signa det doloris.

870. Quocirca, cum in hac hypothesi non amplius sit necessaria Unctio, quaestio specialis de obligatione Parochi eam conferendi cum periculo vitae, tunc solum proprie habere potest locum, cum nequeat sacramentalis absolutio dari.

Iam vero id non contingit, cum infirmus signa doloris det et aliquam saltem generalem confessionem faciat: si autem nulla signa exhibeat, absolvi potest sub conditione exsistentis interioris saltem attritionis atque id satis esse pro eius salute, si vere sit attritus, docuit Ballerini sect. praeced. n. 235.

Verum quia id non est certum at certum e contrario est, tunc efficax esse remedium Extremam Unctionem; hic erit casus, quo Extrema Unctio conferenda dicatur etiam cum periculo vitae, quando constet infirmum esse in statu peccati.

Difficultas vero est, quia ex una parte certum est, ut supponitur, periculum vitae, ex altera parte certum non est emolumentum infirmi; quia non constat, sed solum praesumitur et forte praesumptione levi, dispositio necessaria poenitentis h. e. interior attritio. Iam vero teneturne quis se exponere certo periculo vitae, cum certum moraliter non est, subsidium, quod afferatur, profuturum? Id negatum est tr. 5. *de Caritate* l. c. scilicet, ut haec obligatio urgeat, dictum est, postulari, quod spes salvandi proximum sit moraliter certa.

Quod alii sacerdotes, absente Parocho, teneantur regulariter tantum ex caritate, patet, et quod sub veniali tantum, communem sententiam dicit s. Alph. heic. Si autem necessitas infirmi sit extrema, communiter ait tradi, quod et alterius sacerdotis obligatio sit gravis: non certe ea maior, qua Parochum diximus teneri.

871. Obligatio Parochi ministrandi sacramenta infirmis pars est illius, qua tenetur curam habere aegrotantium. Rituale Rom. l. c. c. 4. ait: « Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non exspectabit, ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedet etc. ». Et c. 5. « Ingravescente morbo Parochus infirmum frequentius visitabit... si periculum immineat, statim commendationis animae officium praestabit ».

Quaesitum est: « An et quando teneantur Parochi sub gravi per se vel saltem per alium, moribundis assistere usque ad extremum vitae agonem, quamvis sint illi sacramentis iam rite muniti ac bene dispositi videantur? Respondit s. C. C. 23. Mart. 1878. « Standum praescriptionibus Ritualis Romani: in reliquis consulat probatos Auctores ».

Illud advertendum, quod, si accessio Parochi ad infirmum peste laborantem ratio esset, cur ceteri parochiani ab eo recederent et sic sacramentis aliisque subsidiis carerent, deberet Parochus curare, ut per alios iis infirmis cura adhiberetur. Imo id eis consulit s. C. C. responso, quod dedimus sect. 4. Vol. IV. 903. 5.

XIV. 13. Parocho vesperi timenti, nec noctu vocetur ad aegrum, non licet retinere domi sacrum oleum, ut vocatus possit venire expeditius, licet venialem culpam in eo tantum agnoscat Barbos. *de Par.* c. 22. ex Possev. item Quintan. tr. 5. l. 10. ubi tamen a mortali non audet excusare eum, qui semper domi retineret.

872. Propositum fuit dubium: « Sacerdotes curam animarum habentes, pro sua commoditate, apud se in domibus suis retinent s. Oleum Infirmorum. An attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant? » Vides quaestionem esse de habituali retentione domi. Responsum est: « Negative et servetur Rituale Romanum, excepto tamen casu magnae distantiae (habitationis nempe Sacerdotis) ab ecclesia: quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam, decentem tutamque custodiam ». S. R. C. 16. Dec. 1826.

Porro Rituale Rom. id tantum praecepit c. 1. n. 3. « Habeat Parochus loco nitido et decenter ornato in vase argenteo seu stamneo diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum ». Locum hunc debere esse in ecclesia vel sacristia videtur supponi in rubrica 9. cap. 2. quam mox afferemus.

Auctor primo loco loquitur de eo, qui aliquando, ut expeditius accurrere ad infirmum possit, domi retinet s. Oleum: id, si rationabiliter fiat, a peccato immune esse censendum est: cum, causa exsistente rationabili, liceat semper domi retinere sacrum Oleum, ut patet ex citato responso. Locus autem sit decens et tutus.

XV. 14. Decens est, ut stuppa comburatur: quia ad singulas unctiones nova adhibenda est, nisi aliud habeatur in Agenda. Laym, l. c. Sà.

873. Rituale Rom. haec praescribit c. 2. n. 9. « Minister, si est in sacris, vel ipsemet sacerdos (qui ungit), post quamlibet unctionem, tergat loca iniuncta novo (renovandum scilicet est ad singulas unctiones cf. initium capitis) globulo bombacii vel rei similis eumque in vase mundo reponat et ad ecclesiam postea deferat, comburat cineresque proiiciat in sacrarium ».

Opusne est inungere digito? Habes responsum s. R. C. sequenti quaestioni. « Utrum in Dioecesi ista Portus Aloisii, in qua invaluit usus stilum seu virgulam argenteam adhibendi in administratione Extremae Unctionis, usus ipse tuto continuari possit ». Respondit s. C. 9. Maii 1857. « Negative, remota necessitatis causa ».

Quaestio erat non de valore sacramenti, sed liceitate actionis; ad valorem enim sacramenti satis est vera unctio a presbytero peracta (secus ac in confirmatione, quae requirit manus impositionem): talis autem est unctio descripta. Tempore igitur pestis ex. gr. licebit hoc pacto inungere et identidem tenebitur ita agere sacerdos, ut consulat vitae suae, quae necessaria esse potest viventibus adhuc et sanis.

XVI. Resp. 2. Effectus eius principalis est, roborare animam contra tentationes daemonis in morte. Secundarius est 1. delere reliquias peccatorum, 2. tollere poenas restantes, 3. aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat. S. Thom. Sylv. Suar. d. 41. s. 1.

874. De principali effectu iam locuti sumus ab initio. Inter secundarios A. non recenset explicite remissionem peccatorum mortalium, haec comprehendens sub reliquiis peccatorum: de ea tamen iam l. c. satis diximus. Restat, ut de aliis effectibus disputemus et in primis de reliquiis peccatorum delendis. Quaeritur enim 1° quae sint istae reliquiae; 2° quomodo tollantur.

« Quae sint reliquiae peccatorum non eodem modo omnes explicant », ait Bellarminus *de Extr. Unct.* c. 7. et conferri potest Suarez, disp. 41. sect. 1. nn. 8.-11.

Bellarminus l. c. reliquias peccatorum vult primo esse peccata, quae interdum remanent post omnia alia sacramenta, sive mortalia sive venialia sint. Verum haec, potius quam *reliquiae peccatorum*, dicenda essent *peccata relicta:* appellatione enim reliquiae peccatorum intelliguntur ea, quae ex peccatis consecuta sunt et manent. Cf. s. Thomam l. c. sub n. 6. et Suarez l. c. n. 8.

Iam vero ex peccatis relinquuntur in anima fomes, habitus pravi, phantasmata de malis obiectis, ex quibus provenit vel pronitas ad malum vel torpor ad bonum, illa scilicet debilitas animi et ineptitudo, de qua l. c. loquitur s. Thomas. Adde etiam debitum poenae. Has esse reliquias peccati negari nequit et si quid aliud fingitur, absque ratione fingitur, ait Suarez l. c. n. 10. nec de aliis loquitur s. Thomas l. c.

875. Sed quaestio est quomodo deleantur. Et quidem si sermo sit de fomite et malis habitibus contractis ex actuum frequentatione, certum est, haec non tolli, ut esse desinant. Nam fomes relictus a peccato originali manet semper in hac vita: quoad habitus pravos contractos, ipsa experientia docet, eum, qui in infirmitate unctus fuit, si postea

convalescat, eosdem habitus sentire. Ita Bellarm. et Suarez ll. cc. Nec mala phantasmata desinunt, saltem ex toto, cum internis tentationibus ac suggestionibus tum daemonis tum sensus adhuc post sacramentum sit locus. Itaque non ordinatur hoc sacramentum ad haec auferenda; sed iis manentibus, ordinatur contra ea, ne noceant. Ita s. Thomas l. c.

At id, quod ex iis consequitur, debilitas nempe animi ac ineptitudo, torpor et tristitia, per auxilia propria huius sacramenti, iuxta dispositionem utique suscipientis, auferuntur et sic animus in spem magis erigitur, alacrior fit, roboratur et confortatur: qui est effectus primarius huius sacramenti. Cf. verba s. Thomae l. c. Tollere proinde has reliquias peccati spectat ad effectum primarium huius sacramenti.

876. Quaestio esse potest de poena temporali, quae propter peccata remissa adhuc debeatur. Nullum quidem fundamentum habemus, ut credamus, omnem poenam huiusmodi remitti, ait Suarez l. c. n. 11.: at aliquam remitti, iuxta subiecti dignitatem aut dispositionem, credibile est; nam sub remissione peccatorum et poenae remissio intelligi solet: huc ergo quoque spectat forma: *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti.* Sequitur, hunc esse effectum secundarium, quemadmodum est remissio peccatorum et simul patet, haud repugnare ut morituro omnibus sacramentis refecto plenaria Indulgentia ab Ecclesia concedatur.

877. Quaerunt tandem theologi, an peccata venialia quoque remittat hoc sacramentum. Peccata ea, quorum affectus adhuc retinetur, nequit remittere; quia adest obex: si autem obex sit ablatus, etsi forte nondum per opus operantis obtenta sit remissio culpae, credibile est ea remitti hoc sacramento, ut communiter tradunt theologi. Sane et in iis valet, quod dicit Apostolus: *et si in peccatis sit, remittentur ei* atque si sacramentum efficax est ad delenda mortalia peccata, multo magis valebit ad delenda venialia.

Sanitatem etiam corporis, si infirmo expediat, conferri a sacramento, affirmat Eugenius IV. decreto iam citato atque Tridentina Synodus c. 2. inquiens, quod aeger vi sacramenti « et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur ». Et quamvis promissio huius beneficii intelligatur expressa iis verbis Iacobi *oratio fidei salvabit infirmum;* quia tamen sanitas corporis non est bonum necessarium homini et identidem eius restitutio potest obesse potius aeternae saluti, quae est finis, sicut ceterorum sacramentorum, ita et huius; manifestum est, quod haec promissio est conditionata, subordinata praestantiori bono, quod est aeterna salus. Conditio est, si expediat animae saluti, quod quidem unus Deus novit: hac autem posita conditione, promissio a conditionata transit in absolutam. Cf. Suarez disp. 41. sect. 4.

Monent tamen theologi, id non ope miraculi obtineri, sed certis auxiliis gratuitis, quibus et mens animusque eorum regatur, qui infirmum curant et quibus causae naturales, vel opportune remediis applicatis vel etiam supernaturaliter adiutae, morbo resistere valeant et sanitatem restituere. Ut ergo hunc effectum, etiam cum expediret, a sacramento possit sibi infirmus merito praestolari, oportet, eum non in eo statu versari, ut miraculum necessarium sit pro restituenda sanitate; miraculum enim Deus non promisit.

Advertebat Sotus apud Bellarminum l. c. c. 6., interdum accidere, ut inunctus convalescat et dein peior evadat ac sic damnetur: obtinuit ergo per sacramentum sanitatem, quae tamen animae non expediebat.

Respondet Bellarminus, hunc non vi sacramenti, sed tantum per naturalia remedia recuperasse sanitatem. Addo fieri posse, ut per miraculum sanatus sit; id enim Deus iustis et sibi notis causis operari potest, etsi praevideat malum exitum sanati: neque enim quicumque ope miraculi sanantur, certi sunt hoc ipso de sua aeterna salute. At vi sacramenti huius tunc solum sanitas corporis conceditur, cum id Deus expedire novit infirmi aeternae saluti, ut a fide docemur.

Unde resolves.

XVII. 1. Huius Sacramenti non sunt capaces, 1. Pueri, ante usum rationis: etsi sufficiat ea aetas, qua possunt peccare. Nav. Suarez l. c. 2. Perpetuo amentes; aliis vero delirantibus, si ante petiverint aut petituri fuissent, si cogitassent, aut ostenderint signum doloris, dari potest et debet. Sylvest. Henriq. Laym. et si tales unctioni resistant, ligandos esse vel fortiter tenendos, ait Tamb. apud Dian. p. 3. tr. 3. res. 84. qui cum Barbos. *de Offic. Paroch.* c. 22. dicit esse necessarium, quando phreneticus non potest aliud Sacramentum suscipere.

XVIII. 2. Muti, surdi et caeci a nativitate sunt capaces, atque adeo debent inungi prope organa sensuum, quibus carent: etsi exterius per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus illa respondent. Possev. Nald. Praepos. Dian. p. 5. t. 6. r. 11.

878. De his iam locuti sumus: Auctor, qui possint vel non possint suscipere sacramentum, ex eius fine seu effectibus heic colligit.

XIX, 3. Non suscipere hoc sacramentum, per se loquendo, secluso scandalo et contemptu, non est peccatum mortale. Ita Suar. Laym. Tan. Escob. etc. (multo minus peccant mortaliter domestici, si id non procurent). Veniale tamen esse docent Con. d. 19. dub. 16. contra Nugnum. Vid. Dian. p. 3. t. 4. r. 170. et p. 2. t. 1. r. 58. et p. 5. t. 3. r. 97. ubi notat ex Tann. non censeri contemnere, qui sciens prudens omittit tempore apto et oblata commoditate. Contrarium tamen vult Tolet. praesertim si probabiliter deinceps non sit futura commoditas.

879. Communior est sententia, gravissimis probata doctoribus, nullum dari praeceptum de suscipiendo hoc sacramento. Ita s. Th. 4. dist. 23. a. 1. ql. 3. ad 1^{m} et cf. Suarez q. 44. sect. 1. et s. Alph. n. 731.

Sane praeceptum non sequitur ex rei natura; quia sacramentum per se non est necessarium ad salutem sed utile et ad melius esse neque constat de iussione Christi aut Ecclesiae. Verba enim Iacobi praeceptum, saltem clare, non sonant; cum et consulens quod utile est, eodem pacto esset locutus. Neque Ecclesia tale divinum praeceptum agnovit; cuius rei indicium hoc affert Suarez l. c., quod ipsa tempore interdicti permittit quidem ministrari fidelibus sacramenta quae sunt necessaria, hoc tamen non permittit c. *Quod. in te, de Poenit. et Remiss.* Tandem certum est, nullum ecclesiasticum praeceptum exstare.

880. Qui sacramentum hoc non suscipiunt vel sunt impediti, vel negligentes, vel contemptores. De primis nulla quaestio est: negligentes peccare saltem venialiter videtur sentire s. Alph., qui obligationem negans, loquitur solum de gravi. Hoc autem peccatum non esset proprie contra praeceptum suscipiendi sacramenti, quod non exstat; sed contra praeceptum caritatis erga se ipsum, cum quis privet se tam utili subsidio. Fuerunt, qui censerent omnem negligentem dicendum esse contemnere sacramentum. Verum id falsum est; nam ut adsit contemptus, oportet, ut quis parvi pendat sacramentum et fructus eius et ita vix contemptus in homine reperiri potest, nisi is errore aliquo laboret aut haeresi circa sacramentum. Potest autem quis negligere susceptionem sacramenti vel quia non est praeceptum vel ob aliquam repugnantiam vel pigritiam.

Porro contemptus sacramenti est per se peccatum grave; est enim contemptus in ipsum Christum redundans: idcirco Trid. Syn. c. 3. in fine ait: « Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus S. iniuria esse posset ». Monet tamen Suarez l. c. n. 6. in hoc contemptu, qui ex genere suo peccatum grave est, posse dari gradus, ut quidam contemptus levis sit saltem ex imperfecta deliberatione.

881. Communis est sententia, obligationem identidem haberi suscipiendi hoc sacramentum, non quidem vi praecepti de ipso sacramento, sed vi alterius praecepti. Ita si scandalo aliis esset et scandalo gravi negligentia in sacramento suscipiendo, puta si Episcopus negligeret; tunc ex praecepto caritatis vetantis scandalum, teneretur quis illud petere et teneretur sub gravi, si grave esset scandalum.

Alius casus ponitur, quando infirmus nequeat aliud sacramentum suscipere. Sed hic casus, ait Suarez n. 7., rarissimus est, scilicet melius: quod quis in hoc casu obligetur, nunquam contingere potest, nisi propter inscitiam aut pravitatem sacerdotis, qui nesciat aut nolit absolvere.

Nam, ut ipse Suarez arguit 1. « hoc sacramentum non potest nisi a sacerdote ministrari: vel igitur poenitens ratione utitur ac sentit et sic confiteri poterit cessabitque illa necessitas: vel omnino non sentit (vel saltem nequit ullum signum edere) et tunc non est capax talis obligationis nec potest sacramentum postulare: sed alii ex officio tenebuntur ministrare ».

SECTIO VII.

* DE ORDINE *

Dub. I.

Quid sit Ordo, quotuplex, quae eius materia.

I. Resp. 1. Ordo est Sacramentum, quo traditur potestas circa Eucharistiam rite administrandam. Ordines universim sunt septem, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus et Sacerdotium. Quod rursus est duplex, Minus et Maius, sive Episcopatus. Unde quidam octo numerant. Prima vero Tonsura non est Ordo, nisi late, sed tantum dispositio ad Ordines, per quam quis fit Clericus et capax Beneficii Ecclesiastici ac privilegiorum Clericalium. Ex iis tres posteriores dicuntur Maiores, sive sacri, ob annexum votum sollemne castitatis (etsi ordinatus per gravem metum, vel nimiis blanditiis et importunitate parentum probabiliter eo non teneatur, nisi sponte ratificaverit. Sanchez *de Matr.* disp. 29. Azor, Filliuc. l. 10. c. 4. q. 3. Conin. n. 150. Bonac. *de Matr.* q. 3. p. 9.) reliqui minores, quos cum Vasquez alii Sacramentum esse negant, alii cum Bell. Coninc. Filliuc. etc. communius et probabilius affirmant. Et quidem unum, vel perfectione ac fine vel unitate attributionis. Vid. Filliuc. tr. 9. c. 1. Bonac. d. 8. q. 1.

882. De sacramento, quod dicitur *Ordo*, iam disputavimus in Proleg. de Ecclesia ad tr. *de Romano Pontifice* §§. XIII.-XV. cum addito Scholio nec animus est, quaestiones dogmaticas ibi actas denuo data opera instaurare. Nonnulla tamen obiter repetenda sunt et quaedam etiam addenda aut reformanda, tum ut quaestionibus moralibus locus esse possit, tum ut certiora a minus certis secernamus.

Itaque Ordo et passive accipitur et active. Passive est tum coetus eorum qui aucti sunt in Ecclesia certa spirituali potestate in res sacras et sacrum Principatum constituunt, unde nomen *Ordinis*, qui seriem quandam bene dispositam significat; tum est in singulis ea specialis potestas, qua aucti sunt. Active vero est ritus sacer, quo ea spiritualis potestas datur et sacer Principatus constituitur. Heic autem Ordinem accipimus active, qui et *Ordinatio* vocatur.

Iam vero non placet definitio ab A. tradita; hac enim, ex praeiudicata opinione, excluditur Episcopatus a dignitate Sacramenti: dicamus potius cum s. Thoma *Supplem.* q. 34. a. 2.. ordinem esse *signaculum*

quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas confertur. Haec definitio convenit singillatim cuilibet ordini, qui in Ecclesia recipitur, sive sacramentum sit sive secus. *Signaculum* h. e. ritus exterior, quo quis consecratur, ad certum munus deputatus: *Ecclesiae* h. e. quod in Ecclesia celebratur, sive institutionis divinae sit, sive ecclesiasticae: *Spiritualis potestas* sive sibi sufficiens ad actum, sive consensum Ecclesiae praeterea requirens, ut haec sit potius ex se sola quaedam idoneitas quam completa potestas: exercetur vero circa corpus Christi tum verum tum mysticum eaque multiplex est. Nam circa corpus Christi verum potestas est vel conficiendi ipsum Christi corpus vel ministrandi sive proxime sive remote ad eandem confectionem; circa corpus autem Christi mysticum potestas est quaedam sacramenta conferendi, potestas praedicandi et regendi, benedicendi et daemones expellendi.

Cum ordo, quod sacramentum sit, spectatur, definiri potest, *sacramentum, quo spiritualis potestas confertur ad res sacras.* Cum *sacramentum* dicitur, significatur signum efficax gratiae sanctificantis et ius tribuens ad specialia auxilia pro munere rite obeundo. Porro *spiritualis potestas* ipse est character: *res* vero *sacrae* sunt praecipue sacramenta, quorum confectio et administratio vel ministerium ad ea conficienda pertinet ad illos, qui hoc sunt aucti sacramento.

Dicimus, res sacras esse *praecipue* sacramenta; nam sunt aliae res sacrae, quas veluti ex consequenti soli aucti sacramento Ordinis conficere possunt; soli enim Episcopi ex. gr. chrisma, soli Episcopi aut presbyteri ex licentia summi Pontificis (cf. sect. praeced. n. 11.) oleum sanctum consecrare possunt.

Rursus cum potestate rerum sacrarum nexa est potestas tum praedicandi Dei Verbi tum regendi tum benedicendi, ad quam ex divina ordinatione habiles fiunt, qui sacramentum Ordinis acceperunt.

883. Sacramentum Ordinis unum est unitate non physica sed morali; est enim sacramentum Hierarchiae, quo nempe sacer Principatus seu Ordo in Ecclesia constituitur: porro Hierarchia pluribus constat membris non eiusdem dignitatis; plures ergo oportet esse ritus, per quos in quolibet gradu Hierarchiae homines collocantur; qui tamen omnes ritus ad unum sacramentum revocantur, quemadmodum ipsa Hierarchia una est.

Istud est aliquod *totum*, quod in scholis vocari consuevit *potestativum;* cuius haec est indoles, quod eius perfectio secundum completam sui rationem sit in uno, in ceteris autem aliqua eiusdem participatio plus minus.

In Ecclesia latina septem numerantur Ordines, ita tamen ut ultimus Ordo, scilicet sacerdotium, duplex sit, minus nempe, qui et

presbyteratus, ac maius, qui et Episcopatus vocatur. Vetus est sane in Ecclesia mos, quo sacerdotis appellatio simpliciter fiebat Episcopo.

Collatio *Tonsurae*, qua quis fit Clericus, inter Ordines non recensetur: ratio autem haec videtur esse, quod per eam nulla spiritualis potestas datur, quod proprium esse Ordinis, ex huius definitione liquet: sed solum insignia clericalis status conferuntur impositione superpellicei et privilegia conceduntur, quod monet Episcopus, absoluta ceremonia. Ait enim: « Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis et privilegia clericalia sortiti estis »: de potestate ulla collata haud in toto ritu sermo est. Est proinde quaedam praeparatio ad Ordines, de quibus idcirco et in Pontificali Romano sermo fit post ritum *de Clerico faciendo*. Exercet tamen Episcopus, in conferenda Tonsura, actum potestatis illius, qua dioecesim publice administrat, dum aliquem e numero laicorum refert in censum Clericorum.

884. Ordines in minores et maiores dispescuntur. Minores sunt *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus*. Maiores *Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus*, qui Ordines et sacri dicuntur.

Ostiariatus Ordo est, quo committitur potestas claudendi et aperiendi ecclesiam, populum per campanam eodem convocandi atque repellendi infideles, admittendi fideles. Ita Pontificale Romanum.

Lectoratus est Ordo, quo potestas traditur legendi in ecclesia sacram Scripturam, quam praedicatione sua Episcopus (vel presbyter) est enarraturus, tum cantandi lectiones, praeterea benedicendi panem et omnes fructus novos. Ibid.

Exorcistatus est Ordo, quo confertur primo potestas imponendi manus super energumenos et per impositionem manum, gratia Spiritus Sancti et verbis exorcismi, pellendi spiritus immundos a corporibus obsessis. Confertur praeterea ius dicendi populo, ut qui non communicat, det locum et fundendi aquam in ministerio. Ibid.

Acolythatus est Ordo, quo confertur potestas accendendi luminaria ecclesiae ac suggerendi vinum et aquam in sacrificium, ibid.: ministrandi scilicet ministris sacris in Missa sollemni et ipsi Sacerdoti in Missa privata.

Subdiaconatus est Ordo, quo confertur potestas ministrandi diacono ad altare atque abluendi pallas altaris et corporalia, tum legendi in ecclesia ad Missam librum Epistolarum. Ibid.

Diaconatus est Ordo, quo confertur potestas ministrandi immediate Sacerdoti ad altare, legendi Evangelium Dei atque ex legitima commissione, sollemniter baptizandi, administrandi Eucharistiam et praedicandi. Ibid.

Presbyteratus est Ordo, quo confertur potestas conficiendi Corpus et Sanguinem D. N. I. Ch., remittendi peccata, ungendi infirmos et sollemniter baptizandi.

Episcopatus est Ordo, quo confertur potestas confirmandi fideles, gignendi Ecclesiae per ipsam ordinationem ministros et patres eamque idcirco, legitima iurisdictione accepta, regendi.

Ex his quatuor postremus subdiaconatus olim minoribus ordinibus accensebatur: verum cum coelibatus illi annexus fuerit iam aetate Leonis Magni ob ministerium proximum ad altare et cum ab Urbano II. facultas facta fuerit, ut in Episcopum eligi posset, qui esset tantum subdiaconus, coepit exinde hic Ordo inter Maiores recenseri.

Porro in Ecclesia graeca quinque sunt Ordines, duo Minores: *Lector* et *Hypodiaconus* (qui omnia praestant quae latini per plures Ordines): tres Maiores; *Diaconus, Presbyter, Episcopus.*

Certum est, diaconatum, presbyteratum et episcopatum esse sacramenta. Et sane ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum definivit Trid. Syn. sess. 23. cn. 3. atque per eam dari Spiritum Sanctum ac proinde non frustra dicere Episcopum: *Accipe Spiritum Sanctum* et per eam imprimi characterem definivit ibid. en. seq. Loquitur ergo Synodus de ea ordinatione, in qua Episcopus verba haec profert: *Accipe Spiritum Sanctum:* atqui haec dicuntur in ordinatione eaque sola diaconorum, presbyterorum et Episcoporum: ergo.

Uberiorem demonstrationis explicationem quaere apud dogmaticos.

885. Ordinationem tamen Episcopalem esse proprie per se Sacramentum a presbyteratu distinctum, quidam e veteribus scholasticis negarunt, alii non satis clare saltem docuerunt; recentiores generatim affirmant et merito. Est enim ritus gratiam conferens atque imprimens characterem seu potestatem inamissibilem quaedam sacramenta conferendi, et certe haec est potestas inamissibilis iure divino; nunquam enim Ecclesia censuit se posse auferre hanc potestatem aut irritare eius actum: est ergo potestas divinitus collata, divinitus inamissibilis, conferendi quaedam sacramenta: scilicet est vere character sacramentalis. Eo charactere porro constituuntur iure divino Episcopi superiores presbyteris: eo autem remoto, quomodo probas exsistere iure divino Hierarchiam, ad quam primo spectant Episcopi qui superiores sunt presbyteris? Et cum sacramentum ordinis sit tandem sacramentum Hierarchiae, quomodo ritus, quo apex Hierarchiae confertur, sacramentum non erit? Et sane mirum est, esse, iuxta quosdam, ordinem sacramentum *Ostiariatum*, non vero *Episcopatum*. Dices, deesse relationem ad sacrificium. Sed 1° quo iure haec habitudo

postulatur in sacramento, quo gradus hierarchicus confertur? 2° relatio quaedam certe adest; nam Episcopatus quatenus constituit sacerdotes, ad sacrificium refertur.

Quia vero character Episcopalis est potestas differens a charactere presbyterali, satius est, affirmare, alium et alium esse characterem presbyteri et Episcopi.

886. E contrario veterum scholasticorum communior, ut ait A., sententia fuit, minores Ordines totidem esse sacramenta, comprehenso quoque subdiaconatu, qui olim minoribus accensebatur. Verum id recentiores probabilius negant. Omnia enim suadent, hos Ordines esse ecclesiasticae institutionis. Hinc alia est institutio in Ecclesia graeca, alia in latina atque in hac officia Ordinum minorum laicis quoque permittuntur, qui frequentissime ea exercent. Excipe munus Exorcistae quoad depellendos daemones, quod tamen hodie, adhibitis Ecclesiae exorcismis et publico Ecclesiae nomine, presbyteris reservatur, Episcopi consensu accedente.

Adverte Tridentini verba sess. 23. cap. 17. quae in contrarium afferri solent, confirmare potius quod dicimus. Ait: « ut sanctorum Ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in *Ecclesia laudabitur receptae* et pluribus in locis aliquandiu intermissae, in usum iuxta sacros canones, revocentur etc. ». Cum sermo sit de functionibus, exercendis quidem ab illis, qui ad eos sunt ordinati, sed *pluribus in locis intermissis*, h. e. non exercitis ab iis, qui ad eas erant ordinati; patet, credo, in dictione *a diaconatu ad ostiariatum*, diaconatum accipiendum esse exclusive.

Iam vero si functiones essent sacramentorum a Christo institutorum, non contenta fuisset s. Synodus dicere, eas fuisse *laudabiliter receptas* in Ecclesia; non enim accurate loqueretur, qui diceret, celebrationem sacrificii fuisse aetate Apostolica laudabiliter receptam. Id de institutis mere Apostolicis vel ecclesiasticis dici merito potest.

887. Auctor affirmat, maiores Ordines dici etiam *sacros*, eo quod annexum habeant votum castitatis; rectius forte diceres, votum annexum esse, quia sunt sacri. « Ordo autem dicitur sacer, ait s. Thomas in 4. d. 24. q. 2. a. 1. ql. 1. » qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam.

De voto annexo sacris ordinibus iam sermo est habitus tr. IX. c. 2. vol. IV. 235. seqq.

Quod A. ait, ordinatum per gravem metum non teneri voto (quod implicite saltem ediderit), nisi sponte postea illud ratificet, probat et s. Alphonsus n. 811.; quia « verius est, votum metu gravi extortum, irritum esse ». Quocirca optio ordinato relinquitur. Si ratam

habeat ordinationem velitque in ordine ministrare, tenebitur voto: si voti renuit obligationem, arcebitur a ministerio. Cf. tr. IX. c. 2. vol. IV. num. 330.

Ceterum, subdit s. Alph. ibid.: « consultum est, ut tales metu ordinati petant dispensationem, quam pluries concessit s. C. C., ubi solide metus probatus fuerit ». Consultum est, ut scandalum removeatur et ne sic ordinatus in exercitio sui iuris legaliter turbetur.

Item valet in eo, qui infans adhuc fuisset in sacris ordinatus, nisi quod illi nulla est necessaria petitio dispensationis.

II. Resp. 2. Materia remota Ordinum est aliquod instrumentum traditum ordinandis in signum potestatis spiritualis. Proxima est eiusdem traditio et acceptio, cuius contactum physicum et immediatum, etsi non esse essentialem aliqui probabiliter doceant, cum Sà, Henr. Reg. Laym. Dian. t. 4. *de Sacr.* n. 185. et aliis, quos citat; contrarium tamen communius est ac tutius, ut altera saltem manu tangatur, imo ex praecepto ad scrupulum vitandum, utraque manu et quidem omnia, v. gr. calix cum patena, haec cum hostia, ut docet Filliuc. idque simul cum prolatione verborum Episcopi, v. Laym. l. 5. t. 9. c. 5. Bonac. d. 8. p. 1. pun. 3. V. Dian. p. 8. t. 1. r. 40 et 42.

III. Resp. 3. Ostiarius ordinatur traditione clavium Ecclesiae, Lector libri lectionum, Exorcista libri Exorcismorum, Acolythus ampullarum vacuarum vel saltem unius, et candelabri cum cereo exstincto, quia eius est praeparare lumen, vinum et aquam ad Missam: Subdiaconus traditione calicis vacui cum vacua patena superposita, quia illius est haec ad Missam praeparare: Diaconus impositione manus et traditione libri Evangeliorum, quia eius est catechizare, cantare Evangelium et cum facultate Parochi praedicare, baptizare, Eucharistiam dare, vide sup. Sacerdos traditione calicis cum vino et patenae cum pane, addita forma, qua datur potestas sacrificandi, deinde impositione manus, addita alia forma, qua datur potestas remittendi aliis peccata. V. Fill. t. 9. c. 2. Reg. Bon. Dian. p. 3. t. 4. r. 186. 187. et 188. et p. l. c.

888. Nonnullae quaestiones occurrunt circa materiam et formam quorundam praesertim Ordinum, quaenam nimirum sint et quomodo applicandae. Quod spectat ad Ordines minores, si demus, quod probabilissime et communiter censetur, eos esse ecclesiasticae institutionis, opportuna et optima est animadversio cl. Lehmkuhl V. 2. n. 586., quae huc redit. Materia et forma horum Ordinum non est sacramentalis, sed ritus aliquis ecclesiasticus: porro ex hoc sequitur, materiam et formam in his mutari ab Ecclesia posse, illam proinde esse nunc veram materiam et formam in Ecclesia latina, quam nunc Pontificale Romanum praescribit, etsi alia olim adhibita fuerit; quemadmodum enim Ecclesia potest Ordines instituere, ita eorum validam collationem determinare et mutare.

Idcirco iudicium de valore istorum Ordinum ferendum erit secundum eam regulam, qua iudicare solemus ea, quae ab Ecclesiae pendent potestate: nempe si *probabile* sit, servata esse omnia essentialia ab Ecclesia requisita, ordinatio valida erit censenda absque ulla dubitatione; quia, si quis interfuit defectus, certe supplevit Ecclesia.

Praeterea ss. Pontifex, pro suprema sua potestate, tum potest sanare omnes defectus essentiales qui in his ordinationibus occurrerint, per simplicem actum expressum suae voluntatis, tum eadem sola voluntate efficere potest, ut quis sit vere ostiarius, lector etc. Nam omnis haec ordinatio essentialiter sita est in assumptione alicuius ad certum gradum ecclesiastici ministerii seu in deputatione ad certum ministerium: modus autem, quo haec assumptio seu deputatio fiat, praescriptus a s. Sede, obligat quidem sub poena nullitatis inferiores collatores Ordinum, quia sic legislator voluit; sed non obligat ipsum legislatorem.

Neque in hac re discrimen est inter ordinationem clerici et consecrationem calicis, quem Pontifex sola sua expressa voluntate efficere potest consecratum h. e. non quidem efficere ut fuerit benedictus et unctus chrismate, sed quod sit rite deputatus ad sacrificium et res sacra, non secus ac si fuisset ritu praescripto consecratus. Ita sola sua voluntate sanat identidem Pontifex defectus essentiales consecrationis et res execratas reddit consecratas.

Porro quod de Ordinibus minoribus dicitur, id per se et in subdiaconatu valere debet; nihilominus, si verum est, graves adhuc doctores censere illum Ordinem esse sacramentum (Lehmkuhl l. c.) de eo in praxi iudicandum erit, quemadmodum de sequentibus.

889. Itaque cum agitur de Ordinibus, qui sacramenta sunt, cum ex una parte materia et forma essentiales sint omnino necessariae et ex alia parte disputetur de aliquibus ritibus in singulis ordinationibus sint necne essentiales, omnes prorsus hi ritus sub gravi adhibendi sunt, ne ordinatio exponatur periculo nullitatis et si omissi sint, vel ritus omissi supplendi vel tota ordinatio instauranda, iuxta diversas rerum conditiones, ut infra clarius explicabitur.

Quae sint materiae minorum ordinum habes ab Auctore qui formas recitare omisit et sunt verba quae Episcopus profert, cum tradit instrumenta.

Instrumenta adhibentur, quia manus impositio non fit. Ita Canones Concilio Carthaginiensi IV. iamdiu tributi anno 398. « Subdiaconus, cum ordinatur, *quia manus impositionem non accipit*, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum: de manu vero archidiaconi urceolum cum aqua et mantile manutergium ».

890. Cum sermo est de diaconatus, presbyteratus, episcopatus materia et forma, locus est quaestionibus: sed distinguenda est quaestio theoretica a practica. Constat, in his sacramentis conferendis adhiberi manus vel manuum impositionem atque praeterea alios usurpari ritus: re speculative considerata, quaeritur 1° an impositio manuum sit essentialis: 2° an ipsa sola sit essentialis.

Iamvero ad 1[m] quaestionem, essentialem esse impositionem manuum, non est cur dubitemus; nam ea Apostoli utebantur 1. Tim. IV. 14. 2. Tim. I. 6. Act. VI. 6., ea usa est et utitur eaque sola (h. e. absque traditione instrumentorum) Ecclesia graeca, eadem a primis seculis usa est Ecclesia latina eiusque solius mentionem faciunt Canones Carthaginienses, ea nunc quoque utitur Ecclesia latina, ut idcirco sacra Ordinatio vocetur Impositio manuum: ergo.

Dices. Gregorium IX. c. *Presbyter, de Sacram. non iter.* affirmare, impositionem manuum in ordinatione presbyteri et diaconi esse *ritum ab Apostolis introductum* et si omittatur, non iterandam ordinationem, sed supplendum esse quod omissum est, tempore statuto ad habendas ordinationes.

Respondeo 1° Pontificem non loqui de qualibet impositione manuum, sed de ea, quae fit *tactu corporali*, quae est prima impositio, praevertens extensionem manus dexterae, quacum forma pronuntiatur, de qua extensione postea ibidem loquitur Pontifex. 2° Si est supplenda ea impositio et quidem tempore statuto pro ordinationibus habendis, dubitatio hoc ipso significari videtur, an ordinandus fuerit reapse ordinatus ideoque an ille ritus sit essentialis. 3° Si Christus non determinavit ἐν ἀτόμῳ materiam, sed reliquit determinandam Apostolis, potuit hic ritus et ab Apostolis introduci et esse essentialis, accedente Christi approbatione. Ceterum 4° haec a Pontifice non dicuntur ex cathedra, sed potius ex privata scientia.

891. Ad 2[m] quaestionem, non eadem omnium responsio. Sententia probabilior etiam s. Alph. n. 737. (cf. Aertnys *de Sacr. Ordinis* n. 378.) ea est, quae docet, solam impositionem manuum esse materiam essentialem seu necessariam pro valore sacramenti diaconatus et presbyteratus. Quia Ecclesia graeca, penes quam esse veram Ordinationem Ecclesia Romana semper agnovit, solam adhibet χειροθεσίαν; quia Ecclesia Romana per plura secula hac sola est usa et sane Canones dicti Carthaginienses huius solius mentionem faciunt in ordinatione diaconi, Presbyteri et Episcopi: sacramentaria vetera (cf. libr. Sacram. Gregorii M. Migne P. L. Vol. LXXVIII. 219. seq.) dum ritum ordinationis data opera exponunt, impositionis manuum dumtaxat mentionem faciunt in ordinatione diaconi et presbyteri, dum vero agunt de subdiacono ceterisque minoribus ordinibus, ideo dicunt instrumenta tradi, quia manus impositio non datur; quae ratio nihil esset, si et in superioribus ordinibus cum manus impositione instrumenta quoque tradita essent. « Subdiaconus, aiunt, cum ordinatur, *quia manus impositionem non accipit*, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum etc. ». Sane unctio manuum in ordinatione pre-

sbyteri, teste Nicolao I. (epist. ad Rudulphum Bituricensem) eius aetate, ab Ecclesia Romana non adhibebatur; (eius ergo mentio in Sacram. Gregorii est additio posterior): traditionis instrumentorum per mille annos altum est silentium apud scriptores latinos Gregorium M. Isidorum Hispalensem, Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, Walfridum Strabonem, etsi de ritibus sacros Ordines conferendi fuse et ex professo agant, tum apud omnes Rituales huius aetatis.

Cum vero addita fuit instrumentorum traditio, huius ritus causam enarravit Hugo a s. Victore *de Sacram. Fidei* p. 3. c. 12. « Accipiunt calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem *se accepisse* agnoscant placabiles Deo hostias offerendi ». Eodem pacto loquitur *Magister Sentent.* l. 4. dist. 24. Non dicunt: *se accipere;* sed *accepisse.* Scilicet in more est Ecclesiae in sollemni sacramentorum administratione alios ritus, praeter essentiales, addere, quibus efficacia sacramenti uberius declaretur, ut videre est in baptismo et ita factum est in ordinatione. Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 8. c. 10. Drouen *de Re Sacram. de Ordine* part. 2. sect. 4. seqq.

Itaque, iuxta hanc sententiam, ritus ordinationis diaconi necessarius et sufficiens pro valore sacramenti est impositio manus Episcopi cum forma h. e. verbis quae simul ab eodem proferuntur: *Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius, in nomine Domini.*

Alius ritus, quem scholastici generatim essentialem censent, est traditio libri Evangeliorum, quem dextera manu tangentibus dicit Episcopus: *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini.*

892. In Ordinatione presbyteri triplex distinguitur impositio manuum. Prima est, qua Episcopus utramque manum imponit super caput ordinandi, nihil interea dicens et post eum idem faciunt alii sacerdotes praesentes.

Quo facto, altera sequitur, scilicet tam Episcopus quam sacerdotes tenent manus dexteras extensas super ordinandum et interea dicit Episcopus orationem: *Oremus fratres carissimi* etc. Tum sequitur immediate alia oratio *Exaudi nos* etc. (quacum et sequenti manus extensionem non praecipit Pontificale Romanum) atque hanc excipit Praefatio, qua, inter alia, haec dicuntur: *Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem, innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant.*

Tum post indutas vestes, unguntur manus et hoc completo ritu,

tradit Episcopus instrumenta dicens: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.* Post haec in Pontificali Romano non *ordinandi*, sed *ordinati* sacerdotes vocantur.

Tertia impositio fit in fine Missae, antequam Postcommunio dicatur, qua Episcopus ambas manus super ordinati caput imponit dicens: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis et quorum retinueris, retenta sunt.*

Iam vero sunt qui disputent, quaenam ex tribus impositionibus sit essentialis, qua character et gratia conferatur et non pauci primam excludunt; eo quod nulla forma eam comitetur: excludunt quoque tertiam; quia prioribus seculis non usurpata et sero inventa, serius traditione instrumentorum et quia iam ante ipsam sacerdos est ordinatus, quippe qui consecravit, cui idcirco et potestas remittendi peccata iam competit.

Verum non est, cur primam impositionem manuum Episcopi seponamus; nam ipsa satis continuatur cum sequenti, ut ad illam quoque spectet forma seu oratio, quae postea dicitur ab Episcopo. Certum enim videtur, simultaneam coexsistentiam materiae et formae non requiri, sed eam coniunctionem postulari, qua usus materiae et formae censeatur moraliter una actio, unus ritus. Quocirca etsi oratio *Exaudi nos* et sequens praefatio pronuntientur non amplius extensis manibus, nihil impedit quominus censeatur forma vel pars formae, quae cum extensione manuum praecedente coniungatur.

Imo, hic ritus, auctore Lugo *de Sacram. in gen.* disp. 2. n. 99. moraliter coniungitur cum traditione instrumentorum et verbis: *Accipe potestatem offerre sacrificium* etc. quibus forma proinde absolveretur. Est enim tandem unus ritus ordinationis pluribus constans partibus, quarum impositio praecedens manuum et verba *Accipe potestatem* etc. continuantur per alios interpositos ritus, qui etsi accidentales sint, coniungunt tamen extremos et unam efficiunt moralem actionem.

Quocirca nulla solida ratio obstare videtur, ne dicamus tertiam quoque impositionem manuum ac formam coniungi moraliter cum praecedente: quamvis enim spatium aliquod intercedat temporis, vere adhuc coniungitur haec impositio manuum in fine Missae facta, cum factis ab initio Missae non secus ac finis Missae cum eiusdem initio: cum vero Missae inserta sit ordinatio, aequum proinde est, hanc illius conditionem sequi, cum praesertim recitatio canonis, consecratio, communio, quae intercedunt, ad ritum spectent ordinationis, quamvis accidentalem.

Quapropter si dicendum foret, verba *Accipe potestatem offerre* etc.

et tertiam impositionem manuum cum respectivis verbis esse essentialia, adhuc haberemus, sola impositione manuum verbisque ei annexis ritum essentialem ordinationis presbyteralis compleri.

Neque enim ut vera sint et clara verba *Accipe potestatem offerre* etc. opus est, ut ea comitetur traditio instrumentorum: sed haec addita est ad maiorem rei declarationem et symbolicam repraesentationem.

Porro idem dicendum est de ordinatione diaconi, ut verba: *accipe potestatem* etc. cum priori ritu impositionis manus et formae illi adhibitae continuentur.

893. Sententia autem concludens totum ritum essentialem ordinationis presbyteri in impositione manuum verbisque ad eam pertinentibus, si tertia impositio manuum cum verbis respondentibus excludatur a dignitate essentialis ritus; non est certa. Veram enim difficultatem gignunt verba Tridentini affirmantis sess. 23. cn. 3. in ordinatione Spiritum Sanctum dari et idcirco non dicere frustra Episcopum: *Accipe Spiritum Sanctum;* quae verba in ordinatione presbyteri ad solam tertiam impositionem proferuntur. Utique ibi dicuntur eo quod ipse Dominus his verbis est usus, cum potestatem fecit Apostolis remittendi peccata: sed, quidquid sit de causa, cur potius ibi quam alibi dicantur, verum est, frustra non dici ideoque dari per ea Spiritum Sanctum.

Nec satisfacit animadversio iam ordinatum esse sacerdotem, nam et Dominus collationem utriusque potestatis, sacrificandi et absolvendi, divisit: cur ergo eodem pacto non poterit se gerere Ecclesia? Neque rem prorsus evincit novitas ritus, quod declarabimus in sequenti assertione.

Dicimus 2. eandem sententiam non esse certam, si a dignitate essentialis formae excludantur verba: *Accipe potestatem offerre* etc. Nam si Dominus non ἐν ἀτόμῳ sed in genere determinavit formam sacramentalem (Bellarminus *de Ordine* c. 9. in fin.), fuit in potestate Apostolorum eam ἐν ἀτόμῳ determinare et videtur esse in potestate (quae eadem est) Ecclesiae eandem magis magisque explicare. Quod si nec Apostoli determinatam ἐν ἀτόμῳ formam praescripserunt, multo magis erit in potestate Ecclesiae, eam pro sua sapientia determinare. Atqui Christus ipse determinatam formam ἐν ἀτόμῳ non dedit: imo neque Apostoli praescripserunt; nam tandem, etsi sensus in idem redeat, differt ἐν ἀτόμῳ forma graeca a latina neque in antiquis ritualibus latinis eadem semper occurrit.

Porro forma explicata magis est vera forma sacramenti et in iis verbis, quae significant collationem potestatis, oportet ut sit essentialis. Vides, idem argumentum valere et pro tertia impositione manuum.

894. Dices, hoc pacto defendi pariter posse, quod traditio instrumentorum sit essentialis. Respondeo, quod, si id reapse consequitur, non recusamus admittere. Discrimen tamen est satis evidens.

Nam pono, Christum institutione sua voluisse, ut ritus celebraretur impositione manuum et adhibitis verbis vim ritus significantibus; hoc enim ex universa traditione constat: de exhibitione vero instrumentorum quemadmodum et de unctione manuum ordinandorum pono Christum dixisse nihil; nam hic ritus per plura secula non fuit in usu. Iam vero in nostra hypothesi non haberemus nisi quandam ampliationem illius eiusdem ritus, quem Christus instituit et quem tamen ἐν ἀτόμῳ non definivit: in alia vero haberemus novam materiam novumque ritum; non ergo licet ab una affirmatione ad aliam transire.

Theoretice itaque re spectata, nobis probabilius est, in ordinatione presbyteri ritum essentialem contineri impositione manuum et verbis cum ea coniunctis atque ita, ut ad hunc ritum tum ea impositio manuum spectet quae tertio loco fit tum ea verba spectent, quibus collata potestas offerendi et potestas absolvendi disserte significatur: primam vero impositionem manuum, quae ceteroquin cum secunda satis continuatur, unius impositionis partem esse integralem: exhibitionem tandem et tactum instrumentorum ritum esse ab Ecclesia additum, ut symbolo quodam potestas tradita repraesentaretur.

895. In consecratione Episcopi duplex in Romano Pontificali occurrit ritus: 1° imposito libro Evangeliorum super cervicem et scapulas electi, impositio manuum consecratoris et assistentium Episcoporum super caput illius quod tangunt, una cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum* et sequenti oratione, quam excipit praefatio, extensis manibus dicta. Et post unctionem et alia tradit consecrator consecrato librum Evangeliorum cum apposita formula. 2° Unctio per chrisma capitis et manuum electi cum respectiva forma verborum. Et post unctionem electus appellatur consecratus.

Certe impositio manuum cum verbis eam comitantibus est ritus essentialis, quod colligi potest tum ex usu Apostolico 1. Tim. IV. 14. 2. Tim. I. 6. tum ex perpetuo usu Ecclesiae latinae et gracae.

Impositio vero libri Evangeliorum et eiusdem consecrato traditio; qua primi episcopi absque dubio non fuerint ordinati, antiqua nihilominus ceremonia est, quam et canones dicti Carthaginienses exigunt. « Episcopus, aiunt, cum ordinatur, duo Episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput et cervicem eius et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt manibus suis caput eius tangant ». Item l. VIII. Const. Apost. c. 4.

Non tamen universalis fuit praxis prioribus seculis; sic enim ait

Amalarius diaconus *de Eccles. Offic.* l. 2. c. 14. « Dicit libellus, secundum cuius ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo Episcopi teneant Evangelium super caput eius: quod neque vetus auctoritas intimat neque apostolica traditio, neque canonica auctoritas ».

Videtur ignorasse, id praescribere veteres canones dictos Carthaginienses. Sed satis patet, non fuisse tunc universalem eam ceremoniam, quae inserta videtur ritui essentiali, ad significandum distinctius potestatem magisterii et officium docendi quod Episcopo competit. In Pontificali autem Romano cum electo traditur liber, is iam vocatur *consecratus*.

Alter ritus nempe unctio et ipse antiquus est; eius enim meminit Gregorius M. in 1. Reg. c. 5. eamque indicare videtur Leo M. serm. 8. *de Passione Domini* c. 7. atque eiusdem mentionem facit s. Ephrem in suis hymnis Nisibiensibus nuper editis (hymno 17. et 19.).

At ab initio universalis saltem usus non fuisse videtur, cum eum praetereant canones dicti Carthaginienses, nec memoret Isidorus Hispalensis l. 2. *de Ecclesiasticis Officiis* c. 5. neque pseudo-Alcuinus libro *de Divinis Officiis* c. 37. cuius tamen poene nulla est auctoritas.

Idem ergo videtur dicendum de hoc ritu, quod dicitur de traditione instrumentorum in ordinatione presbyteri.

896. Atque haec hactenus dicta sint, re theoretice spectata. Quia tamen communior scholasticorum sententia obstat, qui traditionem vel libri vel instrumentorum aut essentialem censebant aut solam essentialem, obstat quoque affirmatio Pontificalis Romani in Prooemio de ordinibus conferendis, iubentis, Episcopum monere ordinandos, ut instrumenta, *in quorum traditione character imprimitur*, tangant, tum cohaerens praxis Ecclesiae Romanae quae hos ritus, ut videbimus, prorsus exigit (licet nihil definiverit de eorum necessitate); hinc nondum est illa doctrina, etsi modo theologis communior, theoretice certa.

In praxi tamen, quia tutius sequendum est, omnes ritus praescripti sunt adhibendi. Hinc subinde ortae quaestiones et data responsa a s. C.

897. Et dubitationes quidem suboriri possunt primo circa praxim ritus, quem diximus essentialem.

Sane in ordinatione praescribitur impositio manuum vel manus super caput ordinandi et in iure canonico c. *Presbyter, de sacram. non iter.* ea describitur impositio, quae fiat *tactu corporali;* quid ergo, si manus quidem Episcopus capiti ordinandi imponat, non tamen tangat? s. C. O. respondit, supplendam esse impositionem adhibito tactu corporali nec rumorem publicum aut periculum, quod subiret ordinans bonae existimationis amittendae, rationem esse idoneam omittendae huius iteratae impositionis: ita vero iterandam impositionem, ut simul rursus verba

proferantur, quae cum impositione manuum dicuntur ab Episcopo: fieri tamen posse hanc iterationem secreto, extra tempora etiam generalis ordinationis, sed in actione Missae. 19. Aug. 1851.

Quid si in ordinatione presbyteri, facta prima manuum impositione et extensis dexteris, cum tamen Episcopus orationem pronunciat, *Oremus fratres* etc. (quae sequitur statim ac alii quoque presbyteri manus imposuerint), nec ipse nec presbyteri teneant adhuc extensas manus, ut praescribitur? s. C. O. 16. Sept. 1877. (a) censuit extensionem manuum, continuatam cum prolata ab Episcopo oratione, essentialem non esse atque verba, prolata ab Episcopo, satis coniungi cum praevertente impositione seu extensione manuum. « Dubium a te propositum de valore ordinationum collatarum quibusdam sacerdotibus ab Episcopo istius dioecesis, manibus haud amplius super eorum caput extensis, dum orationem pronuntiat *Oremus...* prout in Rituali Romano praescribitur, ad examen revocatum est ab Emm. Patribus una mecum Inquisitoribus generalibus, qui quoad ordinationes iam praedicto modo peractas, decreverunt: *Acquiescendum esse.*

Perpende, casum non esse, quod prorsus omissa fuerit extensio manuum, quae extenduntur ab Episcopo et assistentibus sacerdotibus statim ac quisque primam peregerit impositionem, sed quod cessaverit ex manuum extensio: cum oratio diceretur.

Ex his porro colligere licet, simultaneam coexistentiam materiae et formae non postulari, quam doctrinam supponimus ex dictis heic sect. 1. Vol. IV. 648.

898. Sed ecce mutatae paululum quaestioni alia responsio data an. 1888. « Illustrissimus Episcopus N. in ordinatione sacerdotali Titii et Caii omnes ritus tum essentiales tum accidentales recte omnino peregit, si unum forte excipias. Nullus enim ex adstantibus nec ipse Episcopus ordinans recordatur, utrum secundam manuum impositionem fecerit, illam nempe, quam comitantur verba: *Oremus fratres carissimi* etc. et quae cum omnibus sacerdotibus simul assistentibus agenda est: hanc profecto unus ex praefatis sacerdotibus fecit, sed alii nescio quo casu eam certe praetermiserunt et valde probabiliter, imo fere certe ipse Episcopus. Constat tamen, Episcopum priorem fecisse impositionem, tangendo nimirum caput utriusque ordinandi et postea protulisse verba: *Oremus fratres carissimi...* et cetera omnia rite peregisse. Titius et Caius nullum videntur habere dubium circa valorem suae ordinationis: sed eorum superior in re tanti momenti scrupulis angitur atque humiliter petit:

(a) In his et similibus responsis sequuntur Congregationes Romanae non raro sententias ipsis probabiliores vel tutiores, neque per se intendunt quaestiones definire.

1° Utrum ordinatio Titii et Caii habenda sit tanquam valida et utrum aliquid sit supplendum.

2° Si iteranda sit, utrum tota, an pars tantum: utrum ab eodem vel a quolibet Episcopo catholico, utrum publice an secreto ».

Responsum est a s. Poenitentiaria 31. Mart. 1888., ordinationem sic susceptam a Titio et Caio iterandam esse sub conditione secreto et potestatem fecit eam recipiendi a quolibet catholico Antistite. Si non tantum supplendum est omissum, sed ordinatio iteranda, utique sub conditione; ergo probabile saltem est, aliquem ritum impositionis manuum esse essentialem atque praesertim secundam impositionem.

Prima impositione, omissa, respondit Gregorius IX. (n. 13.), supplendum esse quod omissum fuit: altera impositione omissa, respondit s. C. iterandam ordinationem sub conditione.

Vides hunc casum differre a praecedente: heic omissa ex toto secunda impositio manuum: ibi solum ex parte h. e. non continuata cum funderetur oratio.

899. Expositum fuit, cuidam in ordinatione diaconatus Episcopum imposuisse quidem manus, physice vero non tetigisse. S. C. O. 26. Ianuarii 1898. respondet: detur decretum fer. 4. 2. Ian. 1875. *Scilicet iteretur sub conditione ordinatio diaconatus* quod responsum SS. probavit.

Rursus expositum fuit, Episcopo in tertia manuum impositione (ad verba *Accipe* Spiritum S.) videri quidem tetigisse tactu physico caput ordinati ab initio prolationis formae, sed certe ea decurrente elavasse manus ob horrorem scabiei. Resp. S. C. O. 8. Iun. 1898. *Orator acquiescat.*

Cum in Sinis duo ad Sacerdotium ordinandi, essent obliti pileolum de capite deponere, Episcopus, non advertens, cum manus imposuit, non caput immediate, sed pileolum tetigit. Vicarius Apostolicus eos remisit ad Episcopum qui suppleret omissum; quaerit tamen a S. C. O. an satis esset, unum Episcopum manus imponere an etiam requireretur impositio manus aliorum sacerdotum. S. C. s. O. 22. Ian. 1896. respondit: *Cum in prima ordinatione contactus physicus non defuerit, acquiescat.*

900. Ad hanc alteram impositionem seu extensionem manus dexterae quod spectet, quaesitum fuit, an ea facienda sit a singulis (Episcopo et sacerdotibus assistentibus) statim ac singuli primam peregerint impositionem, uti fit Romae in Archibasilica Lateranensi, ubi tum Pontifex tum sacerdotes, qui adstant, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendunt easque sic extensas tenent,

donec Episcopus orationem absolverit; an facienda sit ab omnibus simul, postquam ab omnibus peracta fuerit prima impositio.

S. R. C. respondit, servandum esse morem Basilicae Lateranensis, 31. Aug. 1872, Hunc morem supposuit servatum s. C. O. responso 16. Sept. 1877. relato n. 897.

Dubitatum fuit, an haec manuum extensio debeat desinere desinente orationes: *Oremus*, *fratres* etc. an continuanda sit etiam cum alia oratione: *Exaudi nos*, usque ad praefationem. Respondit s. R. C., servandam esse praxim Ecclesiae Romanae quae manus in ordinandos extendit tantum in prima oratione: *Oremus fratres* etc. 18. Februarii 1843.

Cum hanc extensionem manus dexterae faciant quoque assistentes sacerdotes, declaratum est a s. R. C. 31. Iun. 1821. verba, quae huc referuntur, Pontificalis Romani: *Idem faciant post eum* (Episcopum) *omnes sacerdotes, qui adsunt*, intelligi posse moraliter, iuxta locorum consuetudinem, servata tamen Rubrica quoad paramenta et stolas.

Omissa ab Episcopo hac extensione manus dum recitaret Orationem *Oremus fratres* etc. repetendam esse sub conditione ordinationem iussit s. C. s. O. 19. Iul. 1899.

Accidit, ordinantem in tertia manuum impositione pervertisse verba formae ita: *Quorum remiseris peccata, retenta sunt et quorum retinueris, remissa sunt.* S. C. Inq. 27. Maii 1840. iussit suppleri sub conditione tertiam manuum impositionem et formam respectivam; *Accipe Spiritum Sanctum* etc., in privato oratorio, quovis anni tempore a quovis Episcopo, induto de more: non tamen repeti ceremonias accidentales antea adhibitas. Atque ita quoque respondit s. R. C. 22. Maii 1841.

Rursus cum quidam Episcopus ita verba pronuntiasset in eadem tertia impositione: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, retinentur eis et quorum retinueris retenta sunt;* C. s. O. iussit suppleri ad cautelam sub conditione tertiam impositionem cum respectiva forma quovis anni tempore, secreto, a quovis Episcopo cum s. Sede communionem habente, induto de more. 4. Mart. 1874. Et quia presbyter, qui fuerat sic ordinatus, iam bona fide antequam dubium proponeret, pluries missam celebraverat et sacramentum administraverat Poenitentiae et idcirco quaerebat quid circa haec sibi esset faciendum, eadem s. C. respondit: « Quoad praeteritum acquiescat ».

901. Quod spectat ad traditionem vel libri vel instrumentorum, usui esse possunt responsa quae subdimus. Cum quidam in ordinatione subdiaconatus, tetigisset quidem calicem et patenam, non autem importuna

contemplatione detentus, accessisset ad accipiendum seu tangendum librum Epistolarum: s. C. C. 10. Ian. 1711. censuit, hunc ritum supplendum esse per Episcopum etiam privatim.

Cum in ordinatione quorundam diaconorum omissa fuisset traditio libri Evangeliorum (prolata tamen forma ei respondente) et dein ab Episcopo suppleta, quaerebatur, quid foret agendum. S. R. C. 16. Iunii 1837., respondit: 1° si inter ordinationem et supplementum defectus haud tantum fuit temporis intervallum, ut censeatur merito abrupta coniunctio formae (quae in traditione libri profertur) cum traditione materiae, nihil esse amplius faciendum. 2° Si prudentum iudicio haec coniuctio abrupta videatur, at cum supplevit, una cum traditione libri protulit respectivam formam, nihil rursus esse faciendum. Si vero cum suppleret, solam tradidit partialem materiam libri Evangeliorum sine forma (casus est singularis), tutius erit, si ordinatis huiusmodi caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo.

902. Quoad tactum instrumentorum (idem dic de tactu librorum) quaestio fit, an tactus physicus requiratur: duplicem sententiam probabilem proponit s. Alph. n. 743. qui negantem vocat merito probabilem (cf. et Aertnys n. 380. q. 3.); nam ad vere acceptandum aliquid, quod offeratur vel tradatur, non opus est tangere physice quod accipitur, sed aliis signis sensibilibus potest acceptatio significari. Et iam aetate Card. Lugo multi probabiliter, ut ipse ait, negabant necessitatem tactus physici. *De Poenit.* disp. 14. n. 45. At cum sententia affirmans sit tutior, eo quod conformis ritui, quem Pontificale Rom. praescribit, ea est in praxi sequenda.

Cum tamen in ordinatione presbyteri, calicis et patenae tactus physicus a Pontificali requiratur, quaeri potest an in praxi alterutrius tactus sufficiat. Exstat duplex responsum. 1^{m} s. R. C. 3. Dec. 1661. « Ad scrupulum Fr. Ephrem Chasteau pro-agentis Recollectorum Galliae, nempe *se non tetigisse tactu physico calicem* in sua Ordinatione ad presbyteratum » respondit: « posse continuare celebrationem ss. Sacrificii absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia ».

Et cum similis casus Romae pro Neo-sacerdote Collegii Romani S. I. evenisset, P. Perrone, in eodem Collegio studiorum Praefectus, s. Congregationem Rituum de illo interrogavit, quae idem omnino responsum dedit ex declaratione authentica iam prius facta, occasione scrupuli fr. Ephrem die 21. Ian. 1863.

2^{m} Cum in ordinatione presbyteratus quidam « tetigisset tantum patenam calici superpositam non tamen calicem ipsum »: Episcopo hac de re consulenti respondit s. C. C. 28. Maii 1796. *iuxta mentem* nempe.

« Ut verificatis expositis per examen oratoris et magistri ceremoniarum, qui praesto fuit eidem Ordinationi, quatenus haberi possit, procedat Episcopus ad secreto iterandam Ordinationem ex integro sub conditione, praestito tamen per omnes necessario interessantes in praefata Ordinatione iuramento servandi secretum ».

Non praecipitur iteranda Ordinatio *absolute*, sed *sub conditione:* ergo illa affirmatio Pontificalis Romani: traditione instrumentorum imprimi characterem, non accipitur tanquam certa ab Ecclesia Romana.

Quomodo vero haec duo allata responsa componuntur? Nam utroque in casu defuit tactus physicus calicis et tamen prorsus diversa fuit responsio. Scilicet, ut recte monet Aertnys l. c., in priore casu non ius, sed factum tantum in quaestionem veniebat, dubium nimirum erat *facti* an patenam tetigerit fr. Ephrem et quidem dubium *negativum; scrupulum* enim vocant fr. Ephrem: ut idcirco quaestio proposita evaderet quaestio moralis pro tranquillitate conscientiae. Propter hunc ergo scrupulum sedandum data est responsio, quae huc redit, cum nulla est probabilis ratio dubitandi, an tetigeris, spernas scrupulum oportet et acquiescas. At s. C. C. quaestionem aliam, nempe iuris, quae ad ipsam Ordinationem pertineret, resolvit.

903. Quid si solus calix tangitur, non patena? Cum patena superposita calici unum cum eo faciat, videtur totum tangere qui calicem tangit, quemadmodum tangit vinum in eo contentum; nihilominus in praxi tutius sequendum h. e. standum Pontificalis praescripto. Et cum talis debeat semper esse responsio, cum de hoc ritu agitur traditionis instrumentorum, evadunt inutiles et otiosae speciales quaestiones circa observantiam huius ritus.

Secus et quaerere liceret: quid si Episcopus patenam et calicem quidem tradat, sed alterum ab altero seorsim et dein continuo proferat formam, quae satis materiae coniungeretur? Verum quis Episcopus ita se gerat, habens sub oculos Pontificale? Ceterum mutatur ritus et deest pressior significatio unitatis sacrificii ideoque redit eadem responsio.

904. Quaeritur etiam, an valide ordinetur, qui tangit hostiam, non patenam. Si ponas tangi calicem, nescio quî fieri possit, ut indice tangens hostiam et medio digito calicem, simul non tangat patenam, si paululum consideres, quomodo sè habeant tunc manus ordinandi: idcirco quaestio videtur otiosa. Ceterum tangens hostiam, iam mediate tangit patenam.

At si ponas non tangi calicem, iam non accipitur tactu physico, ut oportet, tota materia praescripta et ita non fit satis conditionibus a Pontificali requisitis.

Advertere licet, perperam quosdam obtrudere necessitatem tangendi physice hostiam patenae impositam, qui tactus curtos habenti digitos sane difficilis est, manente, ut solet, hostia in medio. Nam Pontificale Romanum haec habet. « Tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua et patenam superpositam cum hostia et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos et cuppam calicis et patenam simul tangunt ». Vox *illam* non ad immediate praecedentem vocem *hostia* (sic enim dixisset *hanc*) sed ad remotiorem vocem *patenam* refertur (quae est propria vis talis pronominis) et in fine, solius calicis et patenae tactus praescribitur. Et sane si vinum accipitur tacto calice illud continente, cur non eodem pacto accipietur hostia, tacta patena?

Prodierunt alia responsa idonea conciliandae tranquillitati conscientiae.

Quidam in ordinatione presbyteratus, quoad tactum instrumentorum usus utroque pollice et indice, prius tetigit cuppam calicis, postea, dum Episcopus verba proferret, tetigit tantum patenam cum hostia. Resposum est a s. C. O. 17. Mart. 1897. *Orator acquiescat.* Quam responsionem SS. probavit.

Alter referebat, se tetigisse patenam una cum hostia, non vero calicem, quamvis conniteretur digito eum tangere. Responsum est ab eodem s. O. eadem die, qua supra: *Orator acquiescat* et responsum SS. probavit.

Item alter referebat quod, cum plures ordinandi una concurrerent ad tangenda instrumenta, haec ipse primum tetigerit, sed cum forma pronuntiabatur, quamvis niteretur rursus tangere, id nequiverit impeditus manibus aliorum. Responsum ab eodem s. O. eadem die: *Orator acquiescat:* responsum SS. probavit (*Monitore eccl.* di Conversano. Aprile 1897.).

905. Quaerit Aertnys n. 383. q. 1. an in ordinatione subdiaconi et presbyteri, calix et patena, quae traduntur debeant esse consecrata, ad valorem Ordinationis.

Et respondet, affirmandum esse, saltem pro subdiaconatu, rationem reddens: quia calix et patena non consecrata non sunt vasa ad sacrificium Missae deputata: ergo nec eorum traditio ad sacrificium referri potest.

Profecto quod spectat ad subdiaconatum, si id Pontificale Rom. exigeret, certa foret ratio allata, iuxta ea quae diximus n. 888. At cum Pontif. Rom. neutro in loco postulet hanc qualitatem vasorum, cur, praeter tot alia, eam quoque requiremus et quidem ad valorem (certum in praxi) Ordinationis? Nec ratio allata est efficax: calix enim et patena in ordinatione tradita partem agunt symboli: porro ad symbolicam repraesentationem vasa etiam nondum consecrata sufficiunt.

Simile quid habes in ordinatione Ostiarii. Claves dantur in signum potestatis aperiendi et claudendi ecclesiam et quidem in Pontificali dicitur ante ordinationem: *parentur claves ecclesiae.* Nihilominus s. C. P. F. respondit: « Scias oportet, in Ordinatione Clericorum ad Ostiarii munus, adhibendas quidem claves, quin tamen ecclesiae claves esse debeant, ita ut qualicumque clavi uti possis » 23. Mart. 1844. De symbolo scilicet agitur, quod non opus est par esse rei, quam repraesentat atque ita pariter calix et patena, etsi non consecrata, idonea satis sunt ad eam repraesentandam potestatem, quae earum traditione una cum verbis confertur.

906. Addere iuvat quaedam responsa circa ordines minores. S. R. C. 27. Sept. 1873. respondit, in ordinatione Ostiarii, pro pulsu campanae, etsi in plurali memorentur a Pontificali, satis esse unam campanam, neque opus esse campana in turri appensa, sed satis esse tintinnabulum altaris.

Id et in fine Pontificalis Rom. iam traditum erat, ubi agitur de ordinibus uni conferendis; in ordinatione enim Ostiarii dicitur, in campanarum defectu satis esse pulsare campanulam.

Et 12. Nov. 1831. interrogata: « Quando Ostiarius, Archidiacono (sive alio Archidiaconi vice fungente, ut ait Pontificale Rom.) comitante, claudit et aperit fores Ecclesiae, debetne claudere et aperire etiam cum clavi, praesertim si in foribus Oratorii, ubi confertur ordo non adsit clavis? » respondit, « non esse necessarium ». Cf. responsum circa hunc ipsum Ordinem relatum sub n. praeced.

Eadem s. R. C. 27. Sept. 1873. respondit, codicem tradendum in ordinatione Lectoris esse Missale, Breviarium vel volumen sacrae Scripturae.

Quod spectat ad Acolythatum, quaesitum est, « An instrumentum dictum Bougie (nempe candela), serviens Episcopis ad librum, possit esse materia ordinis Acolythorum, loco candelabri seu ceroferarii », s. R. C. respondit, « negative » 8. Iun. 1709.

907. Ad Episcopalem ordinationem quod attinet, satis sit notare, communiorem forte, at profecto non certam, esse sententiam, quod subiectum idoneum ad eam suscipiendam sit presbyter, ut nihil fiat, si non presbytero conferatur. Audi Nicolaum I. epist. ad Hincmarum et cet. Epp. anno 867. (Migne P. 4. V. 119. col. 1155.). « Quin et (Graeci Romanos seu Latinos) reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere non abnuunt, et quia diaconus, non suscepto presbyteratus officio, apud nos episcopus ordinatur; cum ipsi etiam illum, quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum, saltu ad episcopatus apicem provehere minime

formidaverint ». Morem romanum non negat Pontifex, quod ibidem in aliis accusationibus praestat, sed negat esse reprehendendum. Cf. Benedictum XIV. Const. *In postremo* §§ 10. et 17. ubi rem disputationi permittit. Ceteri autem ordines, etiam inferioribus praetermissis, valide conferuntur, non tamen licite.

Ex dictis resolves.

IV. 1. Potest Episcopus extra dioecesim suis subditis conferre primam tonsuram; quia non est Ordo. Bon. et alii 4. cum Dian. p. 4. t. 4. r. 143. contra Sanch. Barbos. etc.

908. Rem incertam esse ait s. Alph. n. 756. qui tamen in sententiam Busembaum concedit; eo quod ratio negandi sit, quia Trid. Syn. sess. 6. c. 5. vetuit Episcopis, in alterius dioecesi, absque Ordinarii expressa licentia, ordines conferre, inter quos quidam tonsuram quoque numerabant: atqui, ait s. Alph., communior et probabilior inter Theologos sententia est, tonsuram non esse ordinem. Cum ergo haec collatio in aliena dioecesi non sit vetita et sit actus iurisdictionis voluntariae, licebit Episcopo tonsuram subdito conferre etiam extra dioecesim absque consensu Ordinarii loci.

Verum ratio negantium paulo aliter ab aliis proponitur. Ita Schmalzgrueber l. c. tit. 11. n. 18. ex eo arguit, quod Trid. l. c. vetuit, ne Episcopi in aliena dioecesi, absque Ordinarii loci expressa licentia, *Pontificalia* exerceant (istud est sane quod directe prohibetur eo in loco): ipse vero, secus ac alii, qui Pontificalium nomine actus intelligunt *exercitos vel exercendos cum insignibus Pontificalibus*, intelligit *actus* simpliciter *Pontificales*, qui *Pontifici* nempe *competunt*, quorum exemplum ponit benedictionem corporalium, cuiusmodi est certe collatio Tonsurae, quae idcirco et ipsa sub prohibitionem cadit.

Alii e contrario, advertentes et ipsi, id quod directe Tridentinum prohibet Episcopis in aliena dioecesi, esse exercitium Pontificalium atque id intelligentes de actionibus, quae peraguntur aut peragi debent cum insignibus Pontificalibus, affirmant, non prohiberi Episcopum conferre tonsuram in aliena dioecesi, quia conferri potest absque indumentis Pontificalibus. Quo pacto probarent, etiam ordines minores ibidem conferri posse; cum et ordines istos eo modo, quo tonsuram, conferre liceat privatim cum stola super rochettum (vel superpelliceum si sit regularis) cum mitra simplici. Tridentinum tamen ex eo quod Pontificalia in aliena dioecesi, absque Ordinarii consensu expresso, exerceri nequeant, infert universim absque ullo discrimine ordines non posse conferri in aliena dioecesi. Videtur ergo vocem *Pontificalia* accepisse eo sensu, quo Schmalzgrueber est interpretatus, actus nimirum proprios Pontificum, qui solent cum insignibus Pontificalibus exerceri, etsi identidem liceat eos privatim praestare citra apparatum Pontificalem.

V. 2. Quando dubium occurrit, an Ordo sit vere collatus, v. gr. quia materia fuit dubia, iterari potest et debet sub conditione. Quando vero sunt rationes utrinque probabiles pro nullitate et validitate, ait Dian. p. 5. t. 3. r. 47. ex Gran. posse iterari sub conditione imo debere, si sit Episcopalis vel Sacerdotalis: v. gr. si Sacerdos vel Episcopus non tetigisset vasa sacra aut illud instrumentum, in cuius porrectione imprimitur character. Excipit tamen Sacerdotem, qui immediate tetigit patenam, sed non hostiam. Eum vero, qui non tetigit calicem et patenam, dum forma proferebatur, sed paulo post, posse quidem ad maiorem animi sui quietem sub conditione iterum ordinari, non tamen esse necessarium, docet Lugo *Resp. Mor.* l. 1. d. 33. Recte autem notat Dian. l. c. etiamsi quis timeat, ne invalide ordinatus sit aut non recordetur, se tetigisse sacra vasa, aut non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse Ordinem, cum sola oblivio, vel timor non sufficiat ad prudens ac rationabile dubium, vel probabilitatem.

909. Quod primo et secundo loco dicitur, iam declaratum est in sect. 1^{m} huius Tr. Vol. IV. n. 667.

Iterandam sub conditione ordinationem presbyteri, qui vasa sacra non tetigit, constat ex responso s. C. C. allato n. 902.

Alia vero est dispositio, cum agitur de omissa porrectione aut contrectatione libri; nam praecipitur solum, ut hic defectus postea cum sua forma suppleatur. Constat ex responsis recitatis n. 901.

Auctor loquens de vasis sacris aut instrumentis, in quorum porrectione Pontificale dicit imprimi characterem, mentionem facit etiam Episcopalis ordinationis: sed reapse nullum est huiusmodi instrumentum in consecratione Episcopi et cum ei traditur liber Evangeliorum, iam supponitur consecratus, quemadmodum advertimus n. 895.

An tactus hostiae sit necessarius, iam diximus superius n. 904.

Auctor ex Lugo monet, sufficientem esse materiae cum forma coniunctionem, si altera alteram continuo vel paulo post excipiat. Doctrinam Lugo, ad quam A. provocat, dedimus sect. 1. Vol. IV. n. 648.

Quod ultimo loco notatur ex Diana, confirmatur responso s. R. C. in casu scrupuli Fr. Ephrem: cf. n. 902.

910. Ex iam traditis regula quaedam colligi potest, ut sciatur quandonam supplendus sit defectus, quando ex integro instauranda ordinatio vel sub conditione vel absolute.

Defectus admissus aut est in ritu, qui est certe essentialis, aut in ritu, qui probabiliter censetur talis seu rationabiliter dubitatur, vel in ritu ex omnium sententia accidentali. Si primum, ex. g. si in ordinatione presbyteri simul et impositio manuum et traditio instrumentorum fuisset omissa aut in iis graviter erratum; tota ordinatio absolute esset repetenda; nihil enim certe actum est.

Si secundum, ex. gr. si in eadem ordinatione vel omissa solum impositio manuum vel omissa solum traditio instrumentorum aut alterutra non rite facta; tota ordinatio sub conditione est repetenda: constat ex responsis datis nn. 898. 902.

Excipe, nisi ritus omissus, etsi sit ex iis, de quibus dubitatur an sint essentiales, sit ritus iam supponens certam potestatem alio ritu collatam, ut est tertia manuum impositio in ordinatione presbyteri et porrectio libri Evangeliorum in ordinatione diaconi; vel sit ritus qui licet distinctus, pars integralis censeri possit ritus adhibiti, ut est prima manuum impositio in ordinatione presbyteri; tunc enim satis est supplere omissum. Cf. nn. 890. 900. 901.

Si ritus sit accidentalis, vel est in re gravi, vel in re levi, quod discrimen tum ex ritus ipsius ratione tum ex prudentum iudicio discernere licet. Si primum, ut est unctio in ordinatione presbyteri, supplendum est omissum: si alterum, ut est vestium impositio, non est opus supplere.

911. Quonam vero tempore corrigendus est error.

Si agitur de iteranda ordinatione, quae certe nulla fuerit, iteratio facienda est tempore statuto ordinationibus habendis, arg. c. *Presbyter. de Sacram. non iter.* Si autem agitur de ritu qui censeri possit essentialis et certe omissus est, cum ordinatio sub conditione praecipi soleat, ea secreto facienda est et quovis tempore ut fiat concedi solet. Cf. responsa superius allata. Si pariter sit ritus omissus qui iam supponit potestatem aliquam collatam, cum praecipiatur supplendus sub conditione, quovis etiam tempore suppleri conceditur cf. n. 900.

Si defectus admissus fuit in re accidentali, quolibet tempore supplere licet.

912. At a quo corrigendus est error in re quae essentialis videatur?

Si talis sit defectus, ut ordinatio ex integro sub conditione sit repetenda, opus haud est, Episcopum, qui id praestat, eundem illum esse, qui prius ordinavit.

Si tantum sit sub conditione supplendum quod est omissum, liquet ex responsis s. C. (cf. n. 900.), quemlibet Episcopum supplere posse.

Dices, hoc pacto posse contingere, ut idem sacramentum a pluribus ministris partialiter administretur.

Resp. Non quidem hoc modo, ut alter formam, alter materiam ponat, sed ita, ut partiales materias et formas (si reapse sunt) unius sacramenti administrent.

Id vero et in Extrema Unctione locum habet, quam plures sacerdotes simul conferre possunt, partiales unctiones singuli peragentes. Ceterum huiusmodi supplementa *ad cautelam* praecipiuntur et forte Congregationes Romanae tanquam valde saltem probabile theoretice censent, ea non esse simpliciter necessaria.

913. Hactenus de materia et forma sacramenti. Ad eius tamen constitutionem etiam certus minister requiritur; quoniam, ut ait Eugenius

in decreto pro Armenis, omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus, verbis et persona ministri. Auctor omittit quaestiones de ministro Ordinis, quas oportet attingere. Ministrum ordinationis Episcopum esse definivit Trid. Syn. sess. 23. cn. 7. cf. cap. 4.

Quaestio fit tamen, an praeter eum sit aliquis minister extraordinarius. Constat, presbyterum, ex concessione Romani Pontificis, conferre posse ordines minores; tum quia reapse haec facultas facta est Abbatibus regularibus erga suos subditos religiosos (Trid. Syn. sess. 23. c. 10. *de Reform.*) atque Cardinalibus presbyteris erga clericos sui Tituli: tum quia huiusmodi ordines (ut verior sententia habet) sunt ecclesiasticae institutionis.

Ex qua ratione sequitur, etiam subdiaconatum posse a presbytero conferri, ex concessione Papae; nam et subdiaconatus eadem institutione viget, qua ordines minores atque olim inter minores ordines simpliciter computabatur. Concilium Meldense sec. X. loquens de Chorepiscopis, qui simplices presbyteri erant, ait: « Neque ordines ecclesiasticos, qui per impositionem manuum tribuuntur, idest nonnisi usque ad subdiaconatum, conferant chorepiscopi.

S. Thomas in 4. dist. 25. q. 1. a. concedit, posse Papam committere non Episcopo collationem ordinis, qui non habeat *immediatam relationem* ad verum Christi corpus: atqui ordo subdiaconatus non habet talem relationem; ergo.

Vides s. Thomam non dicere, posse Papam committere *presbytero* etc. sed universalius: posse committere *non episcopo*. Et sane si ordines hi sunt ex institutione Ecclesiae, non apparet ratio, cur alii quam presbytero nequeat a Papa committi eorum collatio. Cf. dicta n. 888. Praxis est tamen Apostolicae Sedis, ut solis presbyteris committatur.

Si ii, quibus ab Apostolica Sede talis facultas fit, limites facultatis excedant, conferendo ex. gr. aliis, qui in concessione non continentur, utrum non solum illicite sed et invalide conferant, pendet id tandem ex voluntate concedentis: ideoque tenor concessionis inspiciendus erit vel moris et consuetudinis Ecclesiae habenda erit ratio. Per se, quoniam valor harum ordinationum ex concessione oritur Apostolicae Sedis, sequitur, invalidas esse, quae praeter concessionem fiant. At s. C. C. 28. Nov. 1643. (cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 2. c. 10. n. 13.) declaravit, Abbates ordinantes non subditos, illicite quidem, sed valide ordinare et sane Tridentina Syn. l. c. prohibuit quidem has ordinationes, non tamen irritavit. Cf. in contrarium Lucidi *Vis ss. limin.* c. 1. n. 31.

914. Quoad Episcopatum et Presbyteratum convenit inter omnes, a solo Episcopo eos posse valide conferri; disputatur de Diaconatu, an eius collatio possit ab Apostolica Sede committi presbytero. Per

se non obstat ratio sacramenti; nam et Confirmationis collatio committi potest presbytero: neque obstat ratio ordinis hierarchici; nam cum diaconus sit inferior ac multum distet a presbytero nihilque habeat, quod ipse solus prae inferioribus *valide* facere possit, nulla repugnantia apparet, ut nequeat Papa committere presbytero, ut ordinet suum ministrum.

At id usus Ecclesiae non habet nec unquam habuit, nisi verum sit, quod quidam referunt, Innocentium VIII. anno 1489. concessisse Abbatibus Cisterciensibus privilegium conferendi suis religiosis subdiaconatum et diaconatum.

Incerta quidem pluribus iamdiu res fuit: sed modo Bullae Innocentianae genuinitatem probasse Panhölz (Studien. u. Mittheil. ans dem Benedictiner u. Cistercienser Orden. 1884. I. s. 441.) testatur H. Hurter *Theol. dogm. de Ordine* nota ad n. 696.

Verum, cum factum sit singulare, responderent alii, Pontificem hac in concessione facienda secutum esse opinionem probabilem, quae falsa esse potest.

Quaeritur an tres saltem Episcopi necessarii sint pro ordinatione Episcopali. Responsio certa est, pro valore actus seu sacramenti non requiri. Nam oportuit Apostolos, qui soli gentilium terras primo ingressi sunt, ordinare episcopos absque episcopis assistentibus. Tum Romana Ecclesia vel concessit, ut unus Episcopus, absque assistentibus, ordinationem episcopalem perageret, ita Gregorius M. s. Augustino, vel adhibitis presbyteris assistentibus loco Episcoporum, ita non raro nunc inter missiones, vel certe, etsi ut illicitam improbaverit, ratam tamen habuit ordinationem episcopalem factam ab uno, ordinationem nempe Ianseniani Episcopi ultraiectensis. Cf. Const. Benedicti XIII. *Qua sollicitatione* 21. Febr. 1725. et Const. Benedicti XIV. *Obsurdescit* 20. Dec. 1742. Atque ita responderat C. s. O. 13. Mart. 1669. consecratum in Episcopum ab uno Episcopo schismatico illicite quidem esse consecratum, verum neque sub conditione esse iterandam consecrationem (Acta s. Sedis Vol. 25. p. 580.). Et sane in ordinaria consecratione unus est consecrator, h. e. unus sacramentum administrans.

VI. Resp. 4. Episcopus non potest ordinare, nisi subditos, vel ratione originis (si scil. in eius dioecesi sint nati) vel ratione domicilii, ex voluntate istic perpetuo habitandi vel ratione beneficii in sua dioecesi exsistentis. Dian. p. 8. t. 2. res. 8. Laym. Praepos. etc. commun. Quocumque autem horum modorum sint subditi, licite eos ordinat, ut habetur in c. *Cum nullus, de Tempore ordin.* in 6. ex communi, Henriq. Less. l. 2. c. 34. d. 19.

915. Quilibet Episcopus valide ordinat: at licite nonnisi legitimus, cui nimirum canones concedunt. Is porro est Episcopus proprius or-

dinandi. Plures vero sunt causae, propter quas quis fit proprius Episcopus eius, qui sit ordinandus.

Qua in re vim legis obtinet Constitutio Innocentii XII. *Speculatores* 4. Nov. 1694. cuius haec sunt decreta.

Episcopus proprius alicuius esse potest vel ratione *originis*, vel *domicilii*, vel *beneficii*, vel *familiaritatis*.

1° Ratione *originis* aliquis subditus est Episcopo, in cuius dioecesi est natus, dummodo non ibi natus sit ex accidenti seu fortuito, ex mora nempe accidentali patris in eo loco, quin domicilium acquisiverit, occasione puta itineris, officii, legationis, mercaturae vel universim alterius temporalis causae. Quo in casu etsi per longissimum tempus mora haec accidentalis protracta a patre fuerit, filius ibi natus non subiacet ratione originis eius loci Episcopo: sed habenda est ratio domicilii patris, cuius loci Episcopus est *ratione originis* Episcopus quoque filii, alibi ex accidenti nati, qui fictione iuris in domicilio patris natus censetur. Itaque brevi Episcopus alicuius ratione originis est Episcopus loci ubi pater nati habebat domicilium.

Si autem pater, tempore nativitatis filii, nullibi domicilium habebat, locus originis filii censetur locus verae et naturalis originis paternae, in quo nempe pater naturaliter ortus sit: nec aliud postulat Constitutio Innocentiana n. 5.

Quamvis vero filius natus alicubi ex accidente, non sit subditus eius loci Episcopo, si tamen pater illius postea ibi domicilium contrahat, tunc non origo patris, sed domicilium a patre legitime contractum attendi debet, ut definiatur quis sit Episcopus proprius filii ratione originis. Haec ex Const. citata.

Vides, in his nullam rationem haberi originis maternae; filius scilicet patris solum, minime vero matris originem sequitur.

Atque haec de filiis legitimis, de quibus solum Constitutio Innocentiana loquitur: quid vero si filii sint illegitimi et dispensationem ab irregularitate obtineant? Quid si ignoretur locus originis, ignorentur parentes, ut contingit in *expositis*, *derelictis?*

Si filius est illegitimus, attenditur domicilium matris eo modo quo in legitimis domicilium patris; quamvis in ea non censeat Honorantes (*Praxis Secretariae Urbis Vicarii* c. 1. not. 9.) valere quod de patre diximus ultimo loco; nimirum etsi mater in loco ubi filius ex accidenti sit natus, deinceps domicilium contrahat, hic non idcirco evadit locus originarius filii.

Si autem filius legitimatus fuerit, sequitur patrem. Schmalzgr. l. 1. p. 3. tit. 11. n. 37.

Si filius est expositus, cuius parentes et locus nativitatis ignorantur,

locus eorum originis censetur ipse locus, in quo fuere expositi. Giraldi, *Expos. Iur. Pontif.* p. 2. sect. 96.

Derelicti, qui scilicet parentes et patriam semper ignorarunt, censentur originarii loci, in quo domicilium prius contraxerunt. Ita Giraldi ibid. Satius forte dixeris, in his non attendi locum originis, sed solum domicilii.

Si vero nullum domicilium contraxerint et sint vagi, recurrendum est ad s. C. C. pro designatione loci. Ita idem ibid. Melius dic, eos se posse subiicere Episcopo, cui voluerint: ita Schmalzgr. l. c. n. 38.

Porro si sit neophytus, recens scilicet ad fidem conversus, sive ex Gentilibus sive ex Iudaeis, est originarius loci, in quo est baptizatus. Ita Paulus III. Const. *Cupientes* 21. Mart. 1542. §. 3.

916. 2° Ad rationem *domicilii* quod spectat, « subditus (verba sunt Innocentii XII. n. 6.) ratione domicilii, ad effectum (nota hoc) suscipiendi Ordines, is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibi manendi animum demonstraverit et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet ».

Tempus considerabile Honorantes vult esse triennium (l. c. not. 4.) argumento ducto a triennio determinato a Concilio, ut suum familiarem ordinare possit Episcopus: alii relinquendum dicunt iudicio Episcopi (Lehmkuhl. V. 5. n. 596. Scavini *de Ordine* n. 602. 2°), atque hoc sine dubio praestat. Animus ergo manendi alicubi *perpetuo* requiritur: absque illo enim domicilium non habetur. Sed praeterea certus modus requiritur, quo ille demonstretur. Quocirca in hac re id non sufficit, quod per se satis est, ut quis vere dicatur domicilium acquisivisse; sed praeter animum ibi domicilium fingendi alterutra ex assignatis conditio requiritur et in utraque iuramentum.

Quod si quis nulla bona vel paucissima habeat, verius censet Honorantes l. c. satis esse, ad faciendum satis alteri conditioni, si per considerabile tempus ibi habitet, dummodo domum sibi construat ad habitandum (vel conducat, puto: nam construere est divitum) et iuramentum requisitum praestet.

Atque haec, cum agitur de domicilio, quod ipse Ordinandus sibi acquirat. Si vero pater in aliena dioecesi collocet domicilium eumque sequatur filius nondum emancipatus, Episcopus huius domicilii potest filium ordinare et sufficit quod pater adimpleverit praescriptas a iure conditiones pro domicilio acquirendo; dummodo pater praeterea iura-

mentum praestet se vere et realiter animum habere, ibidem permanendi. Lucidi *Visit. sc. lim.* c. 2. nn. 88. 91. Hoc tamen iuramentum non postulatur a patre, qui longo iam tempore in novo domicilio habitaverit. Ibid. n. 93.

917. Ratione *beneficii* Episcopus fit proprius, cum quis in eius dioecesi assecutus iam sit beneficium illudque pacifice possideat: beneficium autem sit huiusmodi, ut sustentationi plane sufficiat, quin liceat eius defectum aliter supplere per adiectionem ex gr. patrimonii. Const. Innocentii cit.

Satis est beneficium esse simplex nec opus est, esse residentiale. Lucidi l. c. n. 79.

Cum cappellaniae laicales non sint beneficia (tr. IX. c. 2. vol. IV. 243.), nequeunt praebere causam canonicam, ut quis ordinetur ab Episcopo diecesis, in qua sit talis cappellania.

E contrario *coadiutoria cum futura successione*, dummodo coadiutor, vivente coadiuto, pensionem congruam percipiat, satis esse videtur, ut ab Episcopo loci ordinetur saltem ratione domicilii: cf. Lucidi l. c. n. 80. *Commenda* quoque *perpetua* sufficit cum beneficio acquiparetur. Cf. vol. IV. n. 245.

Quia vero beneficium ecclesiasticum esse posset, quod sit, ex lege fundationis, amovibile (quod nempe a beneficiato auferri potest) ad nutum (vol. IV. n. 241.), tale quidem beneficium non sufficit ad constituendum titulum sacrae ordinationis: eo quod perpetuitate caret requisita pro collocanda in tuto sustentatione ordinandi (cf. n. seq.): at sufficit, ut beneficiatum subditum faciat Episcopi, in cuius dioecesi est beneficium, ut ordinari ab eo valeat, dummodo aliter perpetuae sustentationi ordinandi sit canonice provisum. Lucidi l. c. n. 80. Schmalz. l. c. n. 41.

Porro locus gratuitus in seminario alienae Dioecesis pro curriculo studiorum, accedente etiam iuramento manendi perpetuo sub Episcopi potestate, causam idoneam non suppeditat, ut hic seminarii alumnus ab Episcopo huius dioecesis possit ordinari. Lucidi ibid.

918. 4° Quarta ratio, cur quis, ad ordinationem quod spectat, subditus fiat Episcopi, est *familiaritas* (Trid. Syn. sess. 23. *de Reform.* c. 9.). Requiritur, ut Episcopus, populum et clerum habens, hominem in suo actuali servitio secum retinuerit per triennium integrum et continuum (ut saltem interruptio non sit notabilis) eundemque praeterea suis sumptibus aluerit. Cum hae sint expressae conditiones a Pontifice postulatae, non video, quomodo inter hos familiares comprehendi possit famulus qui familiari inservit, nisi simul Episcopo serviat atque eius quoque sumptibus vivat. Debet vero Episcopus ordinans, saltem intra

mensem a die ordinationis, eidem familiari conferre beneficium, eiusdem sustentationi plane sufficiens. Const. Innocentii cit. n. 7.

Adverte computari in triennio tempus quoque, quo quis in servitio Episcopi commoratus sit ante ab eo adeptum Episcopatum. Lucidi l. c. n. 96.

Ut legi Innocentianae fiat satis, opus est, beneficium familiari conferri, etsi forte hic alio beneficio in alia Dioecesi potiatur. Ita Giraldi op. cit. sect. 97. not. 7. Quod si prohibeatur familiaris alterum beneficium accipere, consequens erit, quod nequeat ordinari.

Quamvis autem olim Episcopus, familiarem suum ordinare posset ad titulum etiam patrimonii aut pensionis (cf. Giraldi l. c. not. 8.): post editam tamen Const. *Speculatores*, non amplius licere docuit s. C. C. 27. Iul. 1697. cf. Lucidi l. c. n. 101. Verum beneficium scilicet postulatur.

Quid vero, si ante elapsum mensem, nequeat familiaris ordinatus beneficium accipere, quia, puta, Episcopus est defunctus? Non utique suspensus manet: sed si promotus est ad minores ordines, nequit promoveri ad sacros, donec titulum habeat; si autem promotus fuit ad sacros, praxis est in foro externo, ut ad s. Poenitentiariam recurratur, quae iuxta casuum circumstantias benigne indulgere solet, ut is ministret in iisdem, addita conditione, ut interim curet sibi providere de titulo. Ita Giraldi l. c. not. 7.

5° Advertendum tandem, quod qui aliqua ex his quatuor causis non est Episcopus proprius, nequit alicui vel clericalem tonsuram conferre. Ita Const. *Speculatores* n. 3° cf. et 7^m. Cf. c. *Nullus*, *de Tempor. Ordin.* in 6°.

919. Casus est triplex, quo quis possit ordinari ab Episcopo qui nullo ex supradictis titulis sit proprius. 1° Si licentiam habeat a proprio Episcopo per dimissorias, de quibus mox dicendum: 2° si sit regularis privilegium habens, ut paulo post videbimus: 3° si Episcopus proprie dioecesis sit suspensus eo quod ordinaverit clericos alienae dioecesis absque eorundem Episcopi licentia. Constat ex c. *Eos qui*, *de Tempor. Ordin.* in 6°, quod est decretum Gregorii X. in Concilio Lugdunensi. Ait enim post suspensionem inflictam iis Episcopis, qui illud ausi fuerint: « Clericis quoque parochiae (Dioecesis) taliter suspensorum, postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia, interim recipiendi ordines, ab aliis vicinis Episcopis, alias tamen canonice, liberam concedimus facultatem ». Punitur scilicet Episcopus in eo in quo peccavit, ut monet Schmalzgr. l. c. n. 42. Porro adverte cum eodem, Gregorium loqui de clericis; non ergo haec facultas extendenda est etiam ad laicos, ut tonsuram accipere possint ab alieno Episcopo in hoc casu absque sui Episcopi licentia.

His nuper accessit, decreto s. C. C. *A primis* 1898. 31. Aug. alius titulus, nempe *excardinationis et incardinationis*. Scilicet clerici (nam de his solum loquitur decretum) a sua dioecesi excardinati et alteri incardinati, possunt statim ab huius Episcopo promoveri, etsi alii tituli desint requisiti a Bulla *Speculatores*. Cf. *Monitore Eccl.* Vol. X. p. 2. pag. 121. et 137.

920. Etsi quis ab eo Episcopo ordinetur, qui aliqua ratione ex praedictis sit proprius, indiget tamen frequenter litteris testimonialibus, ut ordinatio sit legitima: qui vero ab alieno Episcopo ordinandus est, indiget litteris dimissoriis sui Episcopi.

Dimissoriae litterae (quamvis sine scripto data licentia valeat, s. Alph. n. 788. n. 12. cf. Trid. Syn. sess. 14. c. 2. *de Reform.* ubi dicitur absque proprii Episcopi expresso consensu *aut* litteris dimissoriis) sunt, quibus Episcopus proprius facultatem facit alteri Episcopo communionem habenti cum s. Sede, conferendi Ordines subdito suo. Episcopus quidem tenetur per se ipsum subditis suis ordines conferre, Trid. sess. 23. c. 3.: iusta tamen intercedente causa, licet ei ipsos ad alium dimittere Episcopum et quamvis Trid. solam aegritudinis causam memoret, intelligitur merito quaevis similis causa, puta absentia, s. Alph. n. 787. In his autem exprimenda est causa, cur Episcopus proprius non ordinet: Trid. Syn. sess. 7. c. 11. *de Reform.*

Eae dandae sunt etiam pro prima tonsura, ut DD. communiter censent, ait s. Alph. n. 769. s. C. C. 26. Ian. 1658.

921. Cum litteris dimissoriis coniungendae sunt litterae testimoniales. His testimonium perhibetur de requisitis ad ordines suscipiendos, de natalibus, aetate, moribus, nullum exstare canonicum impedimentum ut idcirco is qui dimittitur, promoveri possit.

Etiam cum proprius Episcopus ordinat, testimoniales litterae postulantur, si proprius subditus alibi tanto tempore moratus sit (sive ibidem sit natus sive secus: s. C. C. in Spoletina et Reatina 11. Iul. 1840.), ut ibi canonicum impedimentum contrahere potuerit: huius scilicet loci Episcopus testimoniales litteras dare debet. Const. *Apost. Sedis*, inter *suspensiones* suspens. 3.

Tempus istud commorationis in aliena dioecesi, propter quod exiguntur testimoniales litterae, censetur esse, ex veriori sententia (ait d'Annibale in eum locum), si *ultra sex menses* commoratus ibi fuerit. Iuxta legale criterium scilicet, quod non solam respicit possibilitatem, sed id quod accidere solet. Si autem dubitatio rationabilis insurgat, suppleri poterit iuramento. Sane in his norma est id quod requiritur pro fide status liberi ad matrimonium.

Ceterum testimoniales litterae (ait idem ibid.), super natalibus et

aetate nunquam non petendae ab Episcopis originis vel domicilii, sive brevi sive diu ibi manserint. Cf. Const. Innocentii citatam.

Testimoniales litterae non a quolibet sed ab Ordinario vel eius nomine dandae sunt. Sane persona esse debet, cui publica fides ex iure debeat adhiberi, cuiusmodi non est ex. gr. Rector seminarii, qui persona est privata. Vicarius autem capitularis, etiam cum dimissorias dare prohibetur (v. inf.), testimoniales pro subditis alienis dare potest; id enim nullo iure vetatur.

Testimoniales litteras Episcopus proprius exigere potest et debet a suo subdito, qui in seminario alienae dioecesis educatus sit, si diutius ibi mansit. Cf. Lucidi op. cit. c. 2. n. 94.

Litterae testimoniales pro prima quoque tonsura conferenda requiruntur, s. C. C. 11. Iun. 1881.

922. Ad dimissorias speciatim quod spectat, eas non valere pro quovis futuro tempore, etiam ultra trimestre, aliquando responsum est. Ceterum praxis est Romae, quod, si dimissoriae datae sunt pro proxima ordinatione, possint ex iusta causa prorogari ad aliud tempus, dummodo promovendus in Urbe maneat habeatque testimonium de vita et moribus. Lucidi l. c. n. 67.

Ratio, cur non valeant in indefinitum, evidens est; nam interea impedimentum canonicum oriri posset aut possent mutari mores.

Dimissorias qui dare valet, eas dare potest exsistens etiam in aliena dioecesi nec ulla hac in re est difficultas.

Porro litterae dimissoriae concessae alicui pro suscipiendis ordinibus minoribus non aequivalent litteris testimonialibus pro suscipiendis ordinibus sacris. S. C. C. 14. dec. 1706. Lucidi l. c. n. 67.

Cum dimissoriae datae sunt, potestas quoque intelligitur facta conferendi, si opus est, ordinando seu clerico faciendo, sacramentum confirmationis: quod iam dictum est hoc tract. sect. 3. Vol. IV. 798.

923. Quinam ergo sunt, qui dimissorias dare possunt?

Eas 1° potest dare Episcopus proprius, qui nempe qualibet ex quatuor causis allatis (n. 39.) ordinandi ius habet c. *Cum nullus, de Tempor. ordinat.* in 6°. Et sane potest quis per alium quod per se ipsum facere potest, ut habet reg. 68. in 6° cf. Schmalzgr. l. c. n. 44.

2° Vicarius generalis Episcopi nequit eas dare, nisi speciali mandato Episcopi sit instructus: si tamen Episcopus in remotis agat, canon *Cum nullus* citatus facultatem concedit Vicario generali dandi dimissorias.

3° Capitulum vero seu eius Vicarius, sede vacante, intra annum a vacatione sedis nequit eas concedere nisi arctatis beneficio (etiam simplici) h. e. iis qui vel actu obtinent vel electi, praesentati, nominati sunt ad beneficium exigens ordinem intra annum. Ita novo iure Conc. Trid. sess. 7. c. 10. *de Reform.*

Cum Concilium loquatur solum de arctatis ratione beneficii, nequit Vicarius capitularis intra annum dimissorias concedere arctatis ratione pensionis. Ita s. C. C. apud Lucidi l. c. n. 71.

4° Dimissorias tamen pro prima tonsura concedere potest Vicarius capitularis intra annum etiam non arctatis, ut declaravit. s. C. C. 10. Febr. 1594., censens decretum Trid. non comprehendere primam tonsuram.

5° Ceterum si Episcopus in mortis articulo vel antequam Episcopatum dimitteret, dimissorias concessit, ipsas expedire licet intra annum a vacatione Sedis; quia harum concessio est gratia, quae idcirco non exspirat morte concedentis, etiam re integra. Cf. Schmalzgr. l. c. n. 51. atque ita declaravit s. C. EE. et RR. 12. Nov. 1600.: quemadmodum non exspirant concessae a Vicario capitulari, licet eius iurisdictio cesset, nisi ab Episcopo successore revocentur. Cf. Lucidi l. c. n. 72.

6° Elapso autem anno a vacatione Sedis Vicarius capitularis potest quidem dimissorias concedere ordinandis ad titulum beneficii, non autem ordinandis titulo pensionis vel patrimonii; id enim Episcopo reservatum est a Trid. Syn. sess. 21. c. 2. *de reform.* Lucidi l. c.

7° Abbates quantumvis exempti nequeunt dimissiorias vel pro tonsura concedere suis clericis secularibus, nisi muniti sint speciali privilegio Apostolicae Sedis. Trid. Syn. sess. 23. c. 10. Testimoniales vero dare debent. Oietti *Synopsis* v. *Dimissoriae.*

Praelati etiam *nullius dioecesis*, nisi habeant speciale privilegium s. Sedis, nequeunt litteras dimissorias dare. Id colligitur ex verbis Tridentini universalibus sess. 23. c. 10. *Nec ipsi Abbates et alii exempti litteras dimissorias aliquibus clericis secularibus, ut ab allis ordinentur, concedant.* Ita sane interpretata est mentem Concilii s. C. C. 26. Mart. 1718. 26. Aug. 1719. et 21. Iun. 1719. apud Lucidi c. 1. n. 32.: licet aliter aliquando senserit C. EE. RR. ibid. Sententiam negantem hanc facultatem Praelatis *nullius* acriter tuetur Fagnanus in c. *Significasti, de officio Archidiac.*

924. Speciale in hac re quiddam exstat pro Regularibus. Nam 1° generatim Regulares, seposito Episcopo originis, ordinandi sunt ab Episcopo loci in quo est monasterium, ad cuius familiam ordinandus spectat.

Dimissorias vero litteras ad eum Episcopum superior regularis dare debet. Quod si regularis ordinandus moretur in monasterio *Nullius dioecesis*, dimissoriae ad Episcopum viciniorem dandae erunt in eoque valent omnia, quae de Dioecesano Episcopo praescribuntur.

Si Episcopus dioecesanus abfuerit, vel non sit habiturus ordinationes vel Sedes Episcopalis vacet, potest superior regularis dare

dimissorias ad quemcumque alium Episcopum, dummodo ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in illud tempus. Oportet autem in his dimissoriis ad alium Episcopum datis, causam referri, testimonio authentico Vicarii generalis aut cancellarii aut secretarii Episcopi, vel Vicarii capitularis firmatam, cur dentur dimissoriae, nempe abesse Episcopum vel non habendas esse ab eo ordinationes vel sedem vacare: si testimonium illud desit, non valent. Ita Const. Benedicti XIV. *Impositi Nobis* 27. Febr. 1747., qua et Praedecessorum suorum decreta confirmat, collatis decretis s. C. C. 24. Aug. 1619. 20. Iul. 1675. et 13. Iul. 1782., quae vide apud Lucidi l. c. n. 107.

2° Speciatim quidam Regulares Ordines privilegium habent, ut, quin teneantur ab Episcopo dioecesano ordinationem suscipere, possint eorum alumni mitti ad quemlibet Episcopum catholicum. Hoc privilegio ex. gr. fruitur Societas Iesu, concesso a Paulo III. Affirmat Benedictus XIV. in cit. Const. huiusmodi privilegium non valere nisi pro iis, quibus directe concessum est, ut idcirco per communicationem privilegiorum de uno in alium Ordinem non derivetur §. 8.

3° Nequeunt, ait Schmalzgr. l. mox citando, superiores regulares ex iure communi dimissorias dare suis Novitiis, quae petendae erunt ab Episcopo proprio Novitii: at sunt qui putent potius petendas ab Episcopo loci, ubi est monasterium, eo quod novitius ex firma voluntate, quantum in se est, ibi manendi, domicilium acquisivisse videatur. Cf. Sanchez *Mor.* l. 16. c. 10. n. 22. et Schmalzgr. l. c. n. 49. ut idcirco hic sit Episcopus eius proprius, ratione domicilii. Haec sententia probabilis est s. Alphonso n. 765., cui pariter probabilis est alia, debere nimirum novitios ordinari ab Episcopo originis vel domicilii in seculo, si quod habent.

925. Cum ex iure novo inducto a Pio IX. in Ordinibus votorum sollemnium, Novitii, expleto novitiatu, nuncupare debeant vota simplicia, emissuri post triennium vota sollemnia, si digni inveniantur (cf. dicta tr. IX. Vol. IV. 33.): statutum pariter est, superiores regulares, posse concedere huiusmodi professis vota simplicia litteras dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad Ordines minores (deest enim titulus), servatis de iure servandis et praesertim quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt. Decr. Congr. super statu Regul. 12. Iun. 1858. Sunt ergo hae litterae dandae ad eos Episcopos, ad quos debent vel possunt superiores regulares mittere suos subditos.

At in Societate Iesu, ex privilegio, ad sacros quoque Ordines dimissoriae dantur professis vota simplicia, quorum tempus longius protrahitur: quod privilegium confirmatum est nuper post recens decretum

s. C. EE. et RR. 4. Nov. anni 1892., quod dedimus in fine Vol. IV. edit. 2.

Quae de *Regularibus* dicta sunt, non sunt applicanda Congregationibus piis et religiosis, sed *secularibus*, quae solis votis simplicibus constant, quarum alumni ordinandi reguntur iure communi, nisi privilegium speciale singulae obtinuerint. Cf. Responsum s. C. EE. et RR. 6. Maii 1864. apud Acta s. Sedis V. 1. p. 365. seq.

926. Ut licite Episcopus ordinet, praeter ea, quae hactenus recensuimus, alia quaedam requiruntur. Prohibetur scilicet ordines aliquos conferre, praetermissis inferioribus seu ordinare, ut dicitur, per saltum, item duos Ordines sacros eadem conferre die: tum iubetur interstitia servare.

Ordinationem per saltum vetat c. *un.*, *de Clerico per saltum ordin.*, ubi sermo est tamen de particulari casu, nempe de ordinato presbytero, praetermisso diaconatu. Item Trid. Syn. sess. 23. *de Reform.* c. 11. iussit ordinandos de gradu in gradum ascendere. Cf. et Bullam Pii VI. *Auctorem Fidei* n. 51. Excepto forte Episcopatu, cuius, ut quaedam fert opinio, collatio nulla est, si fiat non presbytero, ut iam monuimus (907.), ceterorum ordinum collationes praetermissis inferioribus, validae sunt; singulae enim sibi constant suumque effectum per se gignunt: sed hoc pacto ordinatus prohibetur in ordine suscepto ministrare, donec ordinem omissum acceperit. Ita in c. cit. a quo et suspensio ab ordine sic suscepto infligitur, donec suo Episcopo placuerit: sed inter suspensiones Const. *Apost. Sedis,* hic casus non occurrit.

927. Lex est Tridentina sess. 23. *de Reform.* c. 13. « Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur: privilegiis aut indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque ».

In c. autem *Cum lator, de Eo qui furtive* etc., prohibetur etiam collatio eodem die quatuor minorum Ordinum una cum subdiaconatu.

Atque olim sic ordinati poenam incurrebant suspensionis ab ordine suscepto: c. *Innotuit*, tit. cit.; hanc tamen suspensionem Constitutio Piana praeterivit.

928. Quod spectat ad interstitia, haec praecipit Trid. Syn. sess. 23. c. 11. « Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire videretur, conferantur ». Id ergo unum prohibetur neque sub gravi, ut videtur, ne absque ulla iusta causa minores Ordines simul conferantur. Consuetudine tamen introduci potuit et sane introductum pluribus in locis censetur, ut quatuor ordines minores simul conferantur (Lehmkuhl V. 2. n. 606.). Tempus autem interstitiorum pro his ordinibus apte intelligitur ab uno die festivo ad alium s. Alph. n. 795.

S. Alph. ibid. censet probabilius, licere conferre tonsuram uno cum aliquo ordine minore et talem obtinere consuetudinem pluribus in locis affirmat Lehmkuhl l. c.: nihilominus constat Benedictum XIII., cum 26. Mart. 1725. ordinationes generales haberet in Lateranensi Basilica decrevisse, ne in posterum, in qualibet ordinatione sive generali sive particulari, eodem die prima tonsura una cum alio ordine tam secularibus quam regularibus conferretur. Ita Lucidi l. c. not. ad n. 119. ex Honorante op. cit. c. 1. n. 6. Videtur haec prohibitio ad solas romanas ordinationes spectasse.

Praeterea Trid. Syn. inter Acolythatum et subdiaconatum, inter hunc et diaconatum, atque inter diaconatum ac presbyteratum, annum intercedere iubet (non quidem naturalem, sed ecclesiasticum, puta a sabbato sancto huius anni ad sabbatum sanctum anni sequentis s. C. C. 5. Febr. 1593.): cum temperamento tamen. Scilicet potestas fit Episcopo dispensandi ab interstitio anni Acolythatum inter et subdiaconatum, *si eiusdem iudicio, necessitas aut utilitas Ecclesiae* (quae disiunctive non copulative sunt accipienda s. C. C. 3. Maii 1620.) *aliud exposcat* sess. 23. c. 11. item eodem pacto inter diaconatum et presbyteratum c. 14.: subdiaconatum vero inter et diaconatum, tantummodo *si Episcopo videatur* c. 13. Minor ergo causa requiritur pro dispensandis interstitiis subdiaconatum inter et diaconatum, quam pro aliis.

Benedictus XIV. *de Syn.* l. 11. c. 2. n. 16. monet, usum facultatis factae Episcopis dispensandi super interstitiorum observantia, non esse regendum mero arbitrio Episcopi idque satis evidens est; nam omnis dispensatio a lege superioris, causam aliquam iustam requirit. Verum pro dispensandis subdiaconis ut ad diaconatum ante annum ascendant, non erit opus, ut causa a necessitate vel utilitate Ecclesiae petatur, sed alia quoque absque ullo scrupulo causa esse poterit, puta commodum studiorum aut curandae valetudinis vel favor alicui digno praestandus et huiusmodi.

929. Haec potestas a Trid. facta Episcopis valet etiam pro ordinationibus Regularium et, ut declaravit s. C. C. 20. Dec. 1581. et 17 Maii 1593., iudicium, an iusta causa adsit, non ad superiores locales spectat sed ad Episcopos dioecesanos, in quorum dioecesi est monasterium, de cuius familia est ordinandus. Cum tamen causas superior Regularis proponat, erit quidem Episcopi iudicium ferre, an sint sufficientes: sed veraene sint an falsae non est cur inquirat, sed fidem tenetur adhibere superiori, ut edixit s. C. C. Sept. 1609. et 31. Iun. 1587. Lucidi l. c. n. 122.

Facultas autem Episcopi iudicandi de sufficientia causae et dispen-

sandi cessat quoad illos regulares, quibus iam ab Apostolica Sede concessum est privilegium exemptionis a lege interstitiorum. Dispensationem ab interstitiis etiam Vicarius capitularis concedere potest: s. C. C. 21. Apr. 1591. imo et Vicarius generalis Episcopi dummodo habeat generalem mandatum. Lucidi ibid. Carent hac facultate Praelati inferiores, quorum subditos Episcopus dispensare valet, fidem tamen adhibens testimonio eorundem inferiorum Praelatorum s. C. C. 6. Iul. 1592.

930. Sunt et alia ab Episcopo in ordinatione servanda, tempus scilicet idoneum, ex lege Ecclesiae, ordinationibus habendis atque locus debitus debitusque apparatus.

Porro tempora statuta pro Ordinibus conferendis sunt sabbata quatuor temporum, sabbatum ante dominicam Passionis et sabbatum sanctum. Verum haec lex proprie valet pro conferendis ordinibus maioribus, subdiaconatu, diaconatu, presbyteratu; nam ordines minores conferre licet quovis die dominico atque die festivo, dummodo speciem non habeat ordinationis generalis veluti si omnibus ex universa dioecesi postulantibus ordines minores conferrentur. Cf. s. Alph. n. 794. qui testatur communem esse sententiam, capiti *De eo, de Temp. Ordin.*, concedenti Episcopis, ut diebus dominicis aut festivis unum aut duos ad minores Ordines promoveant, fieri satis, etsi plures promoveantur, dummodo generalis ordinatio fieri non videatur. Oportet autem Ordines hos conferre ante meridiem. Ita Pontif. Rom.

Tonsura autem quolibet anni tempore quavis die et hora dari potest. Ita Pont. Rom..

Consuetudo in pluribus saltem locis est introducta, ut ordines minores conferantur feria 6ª, etiam 4ª (sed quatuor temporum) ante sabbata generalis ordinationis. Id licere, si adsit consuetudo, affirmat s. Alph. n. 794. Quaesitum est: « An supposita consuetudine immemorabili, licitum sit conferre primam tonsuram et minores ordines feria sexta post prandium ante diem sabbati quatuor temporum? « Respondit s. C. C. 13. Apr. 1720. « Affirmative quoad primam tonsuram et quoad ceteros ordines minores consuetudinem immemorabilem tolerari posse : sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano », nempe ut extra sabbata statuta, conferat hos ordines die dominica aut festiva et de mane.

931. Dies vero festivus, quo conferre licet ordines minores, debet ne esse de praecepto, qui nempe a populo quoque servatur? « Olim, ait Ballerini, fuit quidem paucorum quorundam opinio, *dies festos*, quibus ex Apostolico Indulto ordinatio *extra tempora* haberi queat, posse intelligi dies quoslibet, quibus recurrat festum ritus *duplicis* in ecclesiasticis officiis et insuper id valere non modo in *duplicibus de*

praecepto, sed etiam in duplicibus *ad libitum;* quam opinionem La Croix lib. 6. p. 2. n. 2293. probabilem censuit, atque confirmari putavit ex eo, quod *ita* (inquit) *videmus fieri ab optimis Episcopis* ».

« Verum ista opinio dicenda videtur iam obsoleta, praesertim post tot Declarationes ss. Congregation. Mitto enim nunc, quod cum quidam, ut narrat Lugo *Resp. Moral.* lib. 1. dub. 34., ansam ad eam opinionem obstinate defendendam sumerent ex verbis Pontificalis Romani, ubi tit. *de Ordinibus conferendis* dicebatur in rubrica: *Minores vero Ordines possunt dari singulis dominicis et festivis diebus duplicibus* etc.; ideo iussu Urbani VIII. in nova recognitione et correctione Pontificalis Romani in eo titulo (in rubrica nempe generali) expresse additum fuit, Ordines minores conferri posse *omnibus Dominicis et diebus festivis ex praecepto: ut nemo* (subdit Lugo) *posset amplius praetendere, ibi etiam comprehendi dies, qui in Breviario appellantur festa.* Sed clarius controversia definita fuit ex Sacr. Congreg. Responsis. Nam, ut refert Fagnanus *In c. De eo, De temp. Ordin.* n. 42. Quaesitum est: « - Praesupposito, quod minores Ordines possunt conferri diebus dominicis aut aliis festivis, 1° an appellatione diei festi comprehendatur festum quod a populo colatur. 2° Idem est dubium quoad promovendos vigore dispensationis, extra tempora, diebus festis - Resp. s. C. C. 20. Apr. 1782. - Ad primum et secundum s. C. censuit comprehendi dies festos, qui a populo servantur - ».

« Haec responsio difficultatem non dirimit; nam quaestio est, an ii *soli* dies festivi comprehendantur. Sed iam aliud responsum, saltem quoad Ordines sacros, 15. Ian. 1689. dederat eadem Congr. proposito dubio: - An diebus festis duplicibus, non tamen de praecepto, possint Ordines sacri conferri habentibus Breve dispensationis super *interstitiis* vel *extra tempora?* - Rescriptum est: - Negative, sed tantum diebus festis de praecepto - ».

« Binas praeterea, pergit Ballerini, quoad Ordines minores, easque recentiores habemus Declarat. s. Rituum Congreg.; alteram in *Claramontensi* die 16. Mart. 1833. ad seq. dubium: *Quum diversae opiniones circumferantur in concilio Claramontensi circa haec verba Pontificalis Romani:* Minores Ordines possunt conferri Dominicis et festis duplicibus; *ad certam in re legem stabiliendam s. R. C. humillimae datae sunt preces, ut suam sententiam edicere dignaretur.* Et s. Congreg. resp. *Minores Ordines conferri possunt in festis de praecepto, vel in festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem* ».

« Alteram autem habemus in Quebecensi die 23. Maii 1836, ad seq. dubium: *Quum in Pontificali Romano titulo de Ordinationibus habeatur:* Minores Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis

diebus duplicibus: *quaeritur an verba*, festivis diebus duplicibus, *intelligenda sint pro festis de praecepto strictim servandis?* S. Congregat. respondit: *Affirmative* ».

932. Ex Apostolica dispensatione frequenter permittitur, ut Ordines sacri *extra tempora* (iure statuta) conferantur, die dominica vel festiva de praecepto. Nam festum debere esse de praecepto, constat ex responso citato s. C. C. 15. Ian. 1689. Porro tales dies intelliguntur et illi, qui de praecepto erant, ante reductionem, ut patet ex Resp. s. R. C. 16. Martii 1833. citato.

Hinc satis est dies festivus, in quo fideles, audita Missa, ex Apostolica dispensatione, possunt vacare operibus servilibus. Ita s. C. C. 20. Aprilis 1782.

Regularibus concessum est privilegium suscipiendi sacros Ordines *extra tempora*, huic privilegio nunquam fuisse derogatum, specialis Congregatio affirmavit 16. Maii 1725., quod et eodem anno declaravit Benedictus XIII. in Concilio Romano.

Benedictus XIV. vero in Const. *Impositi nobis* §. 12. declaravit non statim ac Episcopus Regulares hoc indulto praeditos et ordinationem postulantes renuit die ab ipsis designato voti compotes facere, integrum ipsis esse dicere, quod ordinatio ab Episcopo non habeatur et sic alium adire Episcopum.

Societati Iesu Gregorius XIII. privilegium concessit recipiendi sacros Ordines *extra tempora* et *non servatis interstitiis*, ut scilicet tribus se excipientibus dominicis aut diebus festivis etiam continuis possint ordinari. Hoc tamen privilegium noluit communicari, etsi sint qui contendant, modo commune esse factum aliis Regularibus (Aertnys l. c. n. 395. 2.). Dies autem festos intelligendos dies festos de praecepto iuxta declarationes in similibus casibus datas a s. C. C. quas modo recitavimus, vix opus est monere. Manifestum est enim ex illis, hanc esse significationem, quam dictioni *dies festivus*, ad ordinationes quod attinet extra tempora peragendas, annectit Romana Sedes. Atque abs re prorsus est provocare ad responsum s. R. C. 22. Sept. 1703.: « nomine *diei festivi* venire in *Ceremoniali* dominicam quamcumque et quodcumque festum chori duplex maius aut minus ». Nostra enim quaestio non ex ceremoniali, ubi de hac re nihil occurrit, sed ex Pontificali resolvenda est vel ex declarationibus s. C. respicientibus ordinationes.

933. Porro Episcopi ordinatio, quae et consecratio vocatur, fieri potest qualibet die dominica et in natalitiis Apostolorum vel aliis festis de praecepto, si hoc postremum Rom. Pont. indulserit. Ex Pontif. Romano.

Ex eo vero quod non fiat tempore statuto pro aliis ordinationibus, minime sequitur, Episcopatum non esse ordinem sacramentum: cur sane potius non colligis, esse ordinem excellentiorem? Sed satis manifesta est ratio huius discriminis.

Valde necessarium esse cuique Ecclesiae suum Episcopum veteres censuerunt et idcirco statim a morte praedecessoris, convocata synodo Provinciae, successor eligebatur et in eadem synodo consecrabatur. Inde mos inductus, ut extra tempora aliarum ordinationum Episcopus consecraretur. Praeterea convocandi non erant Episcopi tempore ordinationum, ne ipsi in suis ecclesiis easdem habere prohiberentur.

934. Quod spectat ad locum, Trid. Sin. sess. 23. c. 8. praecipit: « Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a iure temporibus ac in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canonicis, publice celebrentur: si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur ».

At si ordinatio non sit generalis, alibi habere eam licet. Sic enim respondit s. C. C. 20. Nov. 1592. « S. C. censuit, si non fuerit ordinatio generalis, sed tantum aliquarum personarum, potest ubique Episcopus eam habere, etiam in cappella sua privata ».

Idem valet quoad Ordines minores. Pro Episcopali consecratione nullus est designatus certus locus et in privato quoque sacello conferri potest.

Tandem quod attinet ad apparatum, Ordines sacri (idem dic de Episcopatu) intra Missae actionem conferendi sunt atque ita, ut idem sit celebrans et ordinans. Non esset tamen censenda invalida, sed tantum illicita, ea ordinatio, in qua alter esset celebrans Missam, alter ordinans, vel quae extra Missae actionem conferretur. Cf. Benedictum XIV. *de Syn.* l. 8. c. 11. nn. 3.-7. Et idem subdit, quod « nullus a gravi culpa eximeret Episcopum, qui, contra communem Ecclesiae morem ritumque in Pontificali Romano praeceptum, sacrum ordinem extra Missarum sollemnia conferret... praesulem pariter, qui ordines conferret, cum non ipse, sed alter sacrificium offerret, multis nominibus graviter delinquere ».

Missa autem cum insignibus pontificalibus celebranda est.

Ordines minores extra Missam conferri possunt et Pontificale Romanum in hac hypothesi usum stolae et mitrae requirit.

Unde resolves.

VII. 1. Qui in una dioecesi est natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, a quovis trium illorum Episcoporum potest Ordines vel dimissorias accipere. Praep. q. 1. d. 14. Laym. l. 5. t. 9. c. 9. Dian. p. 8. t. 2. r. 8. et 9. ubi cum Aversa et aliis 3. contra Barbos. dicit, etsi ab uno eorum acceperit Ordinem unum, posse alterum ab alio accipere.

935. Quaesitum est, « 1° an in suscipiendis Ordinibus sit permissa variatio, ita ut qui ab Episcopo originis seu domicilii tonsura, ab altero ordinibus minoribus initiatus fuerit, possit ad alium ordinem minorem ab Episcopo beneficii promoveri. 2° An sit permissa variatio ab acolythatu ad subdiaconatum: 3° An sit permissum subdiacono in promotione ad diaconatum vel diacono in promotione ad sacerdotium variare? » Respondit s. C. C. « variationem in unoque ex praenarratis casibus, dummodo non in fraudem fiat, licitam esse » 27. Febr. 1666. Fraus est machinatio ad alterum decipiendum adhibita. Fraus ergo in his casibus non habet locum, dum promovendus iure suo utens neminem decipit. Fraus haberetur, si quis ex. gr. in minoribus ordinatus a suo Episcopo, alio transferret domicilium, in speciem quidem volentis ibi lares suos figere, reapse tamen animum gerens revertendi ad priorem dioecesim, statim ac in sacris ordinatus fuerit.

Adde quod habet Lucidi l. c. n. 79. (ex Honorante). « Licite potest quis domicilium mutare eo principaliter fine, ut ab Episcopo novi domicilii promoveatur ad ordines, quos Episcopus originis iniuste denegavit; utitur enim iure suo et quia, ut in casu supponitur, omnia requisita ad obtinendum domicilium implet et ita dicendum de illo, qui ob dictum finem beneficium in aliena dioecesi quaerit ».

VIII. 2. Potest quis ordinari, ut originarius, ubi ipse vel pater eius est natus. Barb. Zerol. Aversa et alii novem cum Dian. p. 8. t. 2. r. 12. Non tamen potest ordinari ab Episcopo, in cuius dioecesi natus est fortuito: v. gr. quia mater ibi itineris, vel negotiorum causa degebat; quia non contrahit ibi ius originis, sed ubi parentes domicilium habent, ibi enim natus esse censetur. Sanch. et alii octo, cum Dian. p. 8. t. 2. r. 11. contra Hurtad.

936. Haec iam declarata sunt sub Responsione n. 915. 1. Monet Lucidi l. c. n. 89. quod si nequeat dignosci domicilium patris, ut Episcopus originis cognoscatur, potest s. C. C. alicui Episcopo mandare, ut filium ordinet, quemadmodum identidem fecit.

IX. 3. Qui in diversis Episcopatibus habet duo domicilia, in quibus aequaliter, etsi non mathematice, habitat, potest ab utriuslibet loci Episcopo ordinari; quia utrique est subditus ratione domicilii Praepos. l. c. Sanch. Avers. etc. cum Dian. p. 8. t. 2. r. 10.: eius tamen filius ab illo tantum, in cuius dioecesi est natus. Quod si fortuito extra utriusque dioecesim sit natus, ab utrovis potest ordinari, quia uterque censetur eius

Episcopus originis, cum non sit potior ratio de uno, quam de alio. Praepos. Dian. l. c. Natus autem ex fornicatione, matris potius, quam patris domicilium sequitur. Praepos. Dian. l. c. r. 18.

937. Quod primo loco A. dicit, non videtur habere posse locum post Constitutionem Innocentianam n. 39. 2. Etenim Innocentius XII. pro domicilio idoneo ad ordinationem constituendo eas conditiones requirit, quae non possunt convenire domicilio duplici. Nam requirit animum perpetuo ibi manendi, qui alterutro modo manifestus fiat. Nempe vel quis maiorem partem bonorum eo transfert ibique per aliquod considerabile tempus commoratur: vel per decennium saltem ibi commoratur. Porro si uno in loco exstat maior pars bonorum; alibi non erit nisi minor; hoc autem non satisfacit conditioni. Si autem per decennium commorari debet, nequit ergo hoc tempore alibi etiam longas ducere moras.

Atque ita arguit Lucidi l. c. n. 90. Verum animus manendi alicubi *perpetuo* non perinde est ac animus manendi ibi toto anni tempore et commoratio alicubi per decennium non perinde est ac commoratio totis decem annis. Unde potest quis duplex verum domicilium habere, dummodo animum habeat perpetuo manendi in utroque aequalem (moraliter non mathematice) anni partem et cum hoc animo coeperit ibi habitare. Cf. Schmalzgr. tit. *de Foro competenti* §. 13. Cum ergo Innocentius non utramque conditionem simul, sed alterutram exigat, secunda autem etiam in duplici domicilio vera esse possit; non videtur hoc pacto accepto sententia Auctoris reiicienda, nisi cum aliis neges, verum domicilium duplex posse haberi.

A. deinde haec transfert ad domicilium patris, ex quo dignoscitur Episcopus originis pro filio et si duplex esse potest domicilium verum, poterit quoque esse duplex Episcopus originis pro filio, qui per accidens extra utriusque dioecesim natus sit. Cf. dicta n. 915. 1° Quod tertio loco dicitur heic, iam l. c. praeoccupavimus.

X. 4. Qui plura habet in diversis dioecesibus beneficia, potest a quolibet illorum Episcoporum ordinari. Garc. Praep. l. c. Dian. p. 8. t. 2. r. 25.

Clara res est.

XI. 5. Studiosi, qui in Universitate habitant, etiam ultra decennium, animo redeundi in patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque adeo ab eius loci Episcopo ordinari non possunt. Imo si istic ducant uxorem, nec filii eorum: sicut enim is non dicitur Episcopus domicilii respectu patris; ita nec Episcopus originis respectu prolis, quae nata fingitur in domicilio patris. Dian. p. 8. t. 2. r. 15. et 17.

938. Huiusmodi homines cum careant voluntate perpetuo ibi manendi, non domicilium, sed *quasi domicilium* acquirunt, etsi magna anni parte, imo toto anno ibi ultra decennium habitent. Porro *quasi domicilium* non sufficit pro Episcopo proprio constituendo quoad ordinationem.

Dub. II.

Quae requirantur in ordinando.

XII. Resp. 1. Ad validam ordinationem requiritur, et sufficit, ut mas sit baptizatus. S. Th. 3. p. q. 39. a. 2. Con. d. 20. d. 10. Vasquez, Fill. t. 9. c. 4. q. 2.

939. Duo ergo conditiones sufficiunt. Sexus masculinus et baptismus. Nihilominus si adultus ordinandus sit, requiritur ad valorem praeterea intentio recipiendi ordinem. Cf. Auctores citatos.

Unde resolves.

XIII. 1. Incapax ordinum est et quidem iure divino 1. Femina: Vasq. Regin. Fill. l. c. 2. Hermaphroditus, in quo sexus femineus praevalet. Fill. l. c. Quod si autem in eo incipiat praevalere post ordinationem validam, non potest valide consecrare, vel absolvere, licet characterem sacramentalem retineat. Lugo *Resp. Mor.* l. 1. d. 31. 3. Non baptizatus, ibid.

940. Feminam iure divino arceri ab ordinibus, iis saltem, qui sunt divinae institutionis, certum est ex perpetua traditione atque constanti praxi totius Ecclesiae et reprobatione sectarum haereticarum, quae feminas ad hierarchiam admittebant. Ab ordinibus, qui sunt ecclesiasticae institutionis, arcet feminas Ecclesia. quae ita arcere potest, ut nulla sit collatio ordinum iis facta atque talem esse Ecclesiae intentionem, satis constat. Cf. c. *Nova, de Poenit. et Remiss.*, ubi absonum et absurdum dicitur, feminas sacerdotales actus exercere.

Hermaphroditi in humana specie utrum et quatenus haberi possint, disputamus in Vol. seq. c. 3, ubi de imp. *impotentiae.* Certe fieri potest, ut propter abnormem organorum externorum structuram, identidem dubitetur, utrum homo mas sit an femina: tunc profecto, exsistente dubio, ordinare hominem non licet. Si autem ordinatio fuit collata, non licite, sub tali dubio, administrat ille, nec valide si vere femina sit. Quamvis in iis casibus, in quibus licet cum tenuissima probabilitate, necessitate urgente, sacramenta administrare, non est cur idem dubie hoc pacto ordinatis non liceat.

XIV. 2. Valide ordinantur 1. perpetuo amentes, caeci, muti, privati manibus, etsi iure naturali sint inhabiles. 2. Irregulares etsi iure Ecclesiastico sint inhabiles, maneantque ab eorum usu suspensi. 3. Pueri in cunis, qui tamen ad castitatem non tenebuntur vi voti, nisi id ratificaverint. Tol. Hen. Azor, l. 13. c. 14. Bonac. l. c.

941. Pueros ratione adhuc carentes valide ordinari, quemadmodum valide baptizantur et confirmantur, demonstrat s. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. a. 1. ex eo quod in his sacramentis actus suscipientis non requiritur ad perfectionem vel integritatem sacramenti, ut in poenitentia et

matrimonio; illa enim eo spectant, ut potestas aliqua divinitus detur, quam et peccatores recipere possunt, quaeque solum, de necessitate, requirit subiectum capax, cuiusmodi et pro ordine quilibet homo masculus.

Et quamvis in adultis intentio suscipiendi sacramenti postuletur ad hoc ut valide suscipiatur, id tamen non oritur ex ipsa natura sacramenti seu potestatis collatae, quae per se et invitis conferri posset, sed ex eo, quod huiusmodi dona, cum libere suscipi possunt, nolit Deus ea conferre, nisi voluntas aliqua suscipiendi praevertat. Cum ergo pueri capaces non sint voluntatis, haec in iis non exigitur et sufficit capacitas subiecti. Quia vero ratio allata a s. Thoma valet etiam pro Episcopatu, non est, cur eius susceptio dicatur invalida in infante.

Cum hac doctrina, quae ceteroquin communis fuit Scholasticis, aegre intelligitur, quî cohaereat alia, traditione et acceptatione instrumentorum imprimi characterem.

Porro ex his sequitur et ceteros valide ordinari quod A. primo loco recenset. Irregulares autem, qui secundo loco recensentur, pertinent reapse ad responsionem sequentem.

XV. Resp. 2. Ut Ordo licite et secundum iura Ecclesiae rite sumatur, aut non incurratur censura, requiritur in recipiente, praeter statum gratiae. 1. Ut non sit neophytus, vel infamis, vel hermaphroditus, vel irregularis, suspensus, excommunicatus. 2. Animus clericandi: Trid. sess. 23. c. 4. sine quo si primam Tonsuram, vel Ordines minores accipiat, videtur peccare, saltem venialiter (nisi iusta causa excuset); quia fraus est levis. V. supra lib. 4. (tr. IX.) c. 2. d. 1. art. 3. Similiter venialis inconstantia videtur, sine iusta causa statum Clericalem deserere. 3. Ut sit confirmatus; Trident. sess. 23. c. 4. et quidem secundum Bonacin. d. 8. p. 5. num. 10. sub mortali, secundum Sotum et Conin. sub veniali. 3. Litterae dimissoriae, etiam pro prima Tonsura, Episcopi proprii, sive originis, sive beneficii, sive domicilii. Vid. Dian. p. 3. t. 4. r. 194. 4. Examen coram Episcopo de scientia necessaria ad usum cuiusque Ordinis; nam Trident. sess. 23. cap. 4. pro prima Tonsura requirit, ut sciant fidei rudimenta, item legere et scribere: et de quibus probabilis sit coniectura, quod Clericatum elegerint, non secularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent. Pro minoribus, ut linguam latinam intelligant. Pro subdiaconatu et Diaconatu, cognitionem eorum, quae ad istos Ordines spectant. Pro Sacerdotio tantam scientiam, ut populum docere possint necessaria ad salutem et administrare sacramenta. 5. Titulus sustentationis, ut beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis, ut in Regularibus. Trident. sess. 21. c. 2. V. Bonac. 6. Ordo inter receptionem unius et alterius; cuius inversio, v. gr. suscipere Diaconatum ante Subdiaconatum, erit mortale: Episcopatus ante Sacerdotium erit etiam invalidus. 7. Tempus; sic minores conferuntur quavis Dominica, vel festo quidem tali, quod ex praecepto Ecclesiae celebretur etiam in foro, ut Silvest. Azor, Barbos. etc. commun. docent. Ac, licet Praepos. Fagund. Tann. Gayant. etc. putent sufficere quodvis festum duplex in Ecclesia eamque sententiam Dian. p. 5. t. 13. res. 47. vocet tutam in praxi, eam tamen ex decreto Urbani VIII. reiectam esse monet Card. de Lugo lib. 1. *Resp. Mor.* d. 43. Eosdem autem posse ex recepta Episcoporum consuetudine, etiam feria 6. vespere ante Sabbatum, quo omnes Ordines iure conferri

possunt, notat Dian. p. 2. t. 16. r. 28. ex Henriq. Reginald. etc. maiores vero Sabbatis Quatuor Temporum et Dominicae Passionis ac Hebdomandae sanctae. 8. Interstitia temporum. Sic maiores nonnisi post annum ab alterius susceptione conferri possunt ex Trident. sess. 24. cap. 11. 13. et 14. in quo tamen Episcopus ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae potest dispensare. Eodem tamen die, non nisi de licentia Papae, duo Ordines maiores possunt dari : minores vero omnes, dispensante Episcopo, possunt dari eodem die et, si consuetudo sit, simul cum Subdiaconatu. Nav. c. 25. Henriq. l. 10. c. 11. Vasquez, Suarez, Sà v. *Ordo*. Laym. l. 5. t. 9. c. 8. 9. Locus, scilicet pro solemni collatione, Ecclesia: pro privata, Sacellum. 10. Actas, in qua ordinarie Episcopus non potest dispensare et sic pro prima tonsura et minoribus requiritur saltem septennium completum, licet Quint. t. 6. s. 21. contra Sanchez etc. putet sufficere inchoatum. Pro Acolytho annus 12. completus. Fill. t. 9. c. 4. num. 28. Pro Subdiaconatu vigesimussecundus, pro Diaconatu vigesimustertius, pro Sacerdotio vigesimusquintus, omnes incepti, pro Episcopatu trigesimus completus. Vid. Bonac. d. 8. q. 1. Fill. tr. 9. c. 4. Laym. l. 5. tr. 9. c. 6. et 7. Dian. p. 3. t. 4. r. 162. Si autem dubium sit, an quis aetatem requisitam habeat, v. gr. pro Sacerdotio an annum 25. ingressus sit, ordinari non potest. Sanch. Laym. Bard. d. 6. c. 11. p. 6. §. 2. vide supra l. 1. t. 1. c. 1. d. 3. Peccat autem tam ordinans, quam ordinatus, si ordinetur, qui non habet qualitates requisitas.

942. Plura recenset A., de quibus singillatim dicendum est. Docet A. generatim requiri statum gratiae. Si sermo sit de ordinibus, quae sacramenta sunt, id certum est. Si vero de ordinibus minoribus (comprehenso etiam subdiaconatu) loquamûr, qui valde probabiliter non sunt sacramenta nec proinde gratiam conferunt, certe non est obligatio saltem gravis, ea recipiendi in statu gratiae, ut idcirco graviter peccet, qui eos ordines suscipit in statu peccati.

Ceterum si ordines in Missa conferantur et communicare oporteat, ad quod tamen nec sub levi tenentur initiati ad ordines minores neque sub gravi subdiaconi et diaconi (s. Alph. n. 801.): tunc status gratiae certe requiritur pro Eucharistia digne suscipienda.

943. Nunc de singulis requisitis. 1° Non sit *Neophytus*. Neophytum exclusit iam Apostolus non simpliciter ab ordine, sed a sacerdotio 1. Tim. III. 6., ex morali ratione, ne in superbiam scilicet elevetur et sic cum diabolo puniatur: quapropter si haec ratio h. e. periculum elationis cesset, non prohibet Apostolus, neophytum fieri sacerdotem, sicut olim factum est in s. Ambrosio et aliis.

Infames, suspensos, excommunicatos, irregulares submovet Ecclesia atque hic locus proprius esset tractationi de *Irregularitatibus*, de quibus tamen alibi sub finem operis agemus, morem gerentes Auctori et pluribus Theologis Moralibus.

944. 2° *Animus clericandi*. Tridentini verba, quae citantur, diriguntur proprie ad Ordinantes. « Prima tonsura non initientur... de quibus probabilis coniectura non sit, eos non secularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse ». Secularis iudicii fugiendi fraus in hoc esse sita videtur, quod quis in

petitione status clericalis id unum intendat, fugam nempe secularis iudicii, decipiat tamen Episcopum simulando voluntatem Deo cultum praestandi.

Animus clericandi est intentio praestandi Deo cultum non quemlibet, sed qui Deo exhibetur exercitio officiorum, quae propria sunt ordinum vel tonsurae saltem. Cum hic sit finis status clericalis, eum animum requiri in illo, qui recte agere velit, manifestum est.

De ipso ordinando vel clerico faciendo quaeri potest, an peccet qui tonsuram et ordines minores suscipit, non ut Deo cultum praestet, sed ob alium finem, puta ut privilegiis clericorum gaudeat, ut beneficio fruatur: an peccet qui suscipit aliquem ordinem absque animo ascendendi ad superiores: an peccet qui initiatus in minoribus uxorem ducit.

Ut ab hoc ultimo exordiamur, profecto ex hoc solum quod in minoribus constitutus quis sit, nullum peccatum esse potest in eo, quod uxorem ducat. Nam id ei adhuc plenissime licet, ut Episcopus ordinandis subdiaconis affirmat et frequenter expedit; eo quod vocatio ad superiora desit. Tempus sane, quod in minoribus ducitur, adhuc est tempus experimenti et probationis pro maioribus ordinibus et fructus probationis esse potest certitudo adepta, quod huic clerico magis vel unice conveniat status laicalis. Ceterum istae duae conditiones, clerici in minoribus et uxorati non repugnant; nam dummodo cum unicis et virginibus contraxerint, atque tonsuram deferant ac vestes clericales et alicuius ecclesiae servitio sint addicti, privilegio adhuc gaudent canonis et fori atque clerici appellantur et sunt: c. *Clerici*, *de Clericis coniugatis* in 6° et Trid. Syn. sess. 23. c. 6. *de Reform.*

945. Ad alteram quaestionem duplex potest esse casus; vel enim suscipiens ordinem, non vult ad superiorem ascendere sed ibi manere, vel (quod in minoribus locum habere potest) post susceptum ordinem ad statum laicalem redire.

Primo negamus per se peccare qui ordinem aliquem suscipit sine animo ascendendi ad superiora sed ibi manendi. Nam neque ex rei natura neque ex lege positiva Ecclesiae oritur haec necessitas seu obligatio progrediendi ad ordines superiores. Ius sane ecclesiasticum concedens Episcopis facultatem dispensandi cum illegitimis ad ordines minores, negans eandem quoad maiores (c. *Is qui*, *de Filiis presbyt.* in 6°) supponit, clericum perpetuo manere posse in minoribus. Nec ulla lex ecclesiastica exstat, praecipiens ascensum ad maiores ordines vel presbyteratum.

Et sane quilibet ordo suum proprium munus habet, quod cum Ecclesiae utilitate exerceri perpetuo potest, etsi alia munera non susci-

piantur. Atque in veteri Ecclesia quidam perpetuo sive citra praefinitum tempus erant Diaconi, quidam subdiaconi, quidam lectores. Cf. s. Alph. n. 785. qui merito improbabilem dicit sententiam eorum paucorum, qui asserebant, peccare mortaliter qui diaconatum susciperet sine intentione suscipiendi presbyteratum. An s. Laurentius, cum diaconus crearetur, intendebat animum ad presbyteratum vel episcopatum? Ex Christi institutione, diaconatus non est simpliciter quaedam via ad ulteriorem terminum, sed est status quidam in ecclesiastica hierarchia, ultimo quidem gradu positus, sed propria habens munera et officia. Nec Ecclesiam certe dedeceret, si nunc quoque, sicut olim, ii haberentur, qui diaconatus gradu contenti ea exercerent omnia, quae antiquitus diaconis solebant committi. Id utilitatem instituti triplicis gradus hierarchici ob oculos fidelium evidentius poneret. Sed hominum insolentia et arrogantia, de qua iam veteres cum Hieronymo conquerebantur, effecit tandem, ut quae diaconorum erant, presbyteris, qui et diaconi sunt, committerentur.

In altero autem casus illud dicendum putamus, quod iam in simili respondimus ex Sanchez tr. IX. c. 2. Vol. IV. 287. 3° Nam potest esse ratio cur ad tempus in clericali ordine ministret, puta ut beneficio vel pensione fruatur.

946. Restat prima quaestio. S. Alph. n. 785. d. 3. quaerens an peccet qui minores ordines aut primam tonsuram suscipit animo effugiendi forum laicale et postea, cessante metu laicalis iudicii, redeundi ad seculum, tres affert sententias, primam negantem ullo modo peccare; quia utitur iure suo: alteram affirmantem peccare mortaliter propter Trid. verba superius n. 944. recitata, quae damnant fraudis talem postulantem: tertiam dicentem esse veniale, vel, ut ait, Sanchez *de Matr.* l. 7. disp. 31. n. 17., nonnullam esse culpam; eo quod desit recta intentio.

Tertiam sententiam probabilem habet s. Alphonsus et improbabilem eius contradictoriam, quae est prima sententia.

Nam aliqua inordinatio in eo est, quod status clericalis assumatur non propter finem, ad quem ordinatur, etsi hic finis positive non excludatur, sed propter bonum aliquod temporale quod ex eo consequitur; quemadmodum inordinate agit sacerdos principaliter celebrans propter stipendium.

Sed s. Alph. probabiliorem censet sententiam secundam, quae dicit, peccare mortaliter eum, qui, ut fruatur aliquo tempore privilegio fori, suscipit ordines minores vel tonsuram, reversurus deinde ad statum laicalem. Ratio est, quia huiusmodi actio vocatur *fraus* a Trid. l. c.; nequit ergo excusari a gravi culpa et sane graviter defraudat Eccle-

siam, abutendo suis sacris ministeriis ad finem temporalem. Quae ratio est difficilis.

Nam primo non omnis fraus est peccatum grave: deinde abusus ministeriorum sacrorum haberi deberet in eorum exercitio: atqui hic rite ministrat et devote; neque enim ille finis, propter quem ingressus est, impedit ne susceptum officium, prout par est, exsequatur. Tandem defraudatio seu deceptio Ecclesiae, si qua est, non est gravis. Et videndum est, quaenam sit deceptio. Si dicas decipi Episcopum (nam hic est heic Ecclesia), qui putabat ab illo intendi sacerdotium, negamus veram deceptionem esse ex parte ordinandi, nisi supponas promissionem aliquam vel obligationem susceptam intercessisse, eo quod ille Ecclesiae sumptibus aleretur, ut teneretur proinde intentionem habere suscipiendi, nisi quid obstet, sacerdotii. Sed hoc seposito, quod ad nostram non spectat quaestionem, qui suscipiens ordines minores non vult fieri sacerdos, neminem decipit; quia non tenetur ascendere nec susceptio unius ordinis est tacita promissio susceptionis alterius. Et cum nunc soleant conferri ordines minores iis, qui de statu eligendo nondum deliberaverunt, gratuito prorsus affirmares, supponere Ecclesiam in huiusmodi initiatis voluntatem presbyterandi, saltem positivam.

Saltem dices decipi Episcopum, eo quod simulaverit clericus voluntatem perseverandi in statu clericali, quam non habebat. Verum primo, cum haec perseverantia non consequatur necessario ex susceptione status, non satis apparet, quomodo sola susceptione status, qui per se est mutabilis, perseverantia in eo simuletur.

Deinde etsi aliqua heic sit deceptio, ea certe non est gravis; quia nullum damnum infert Ecclesiae, dummodo ille, quandiu manet in statu clericali, rite se gerat suaque munera, ut par est, exsequatur.

Deceptio vere foret, si cum suscipit ordines, intentionem non haberet praestandi cultum Deo, cultum inquam non quemlibet, sed qui exhibetur Deo exercitio munerum quae sunt propria ordinis, ideoque intentionem non haberet ministrandi in iis ipsis ordinibus cum opus esset aut iuberetur. Haec est intentio, cuius defectu fraudem committi dicit Trid.

Verum, ut iam monuimus, non opus est, ut supponamus, talem animum geri ab eo, qui propter finem temporalem suscipit ordines. Si autem hic animus supponitur, probabilis tunc est ea secunda sententia, graviter peccari: dico probabilem esse, non certam; quia ut id certum affirmaretur, necesse esset, puto, demonstrare, gravem esse obligationem initiatis ministrandi in iis ordinibus; quam non satis video in praesenti saltem oeconomia Ecclesiae.

Auctor generatim dicit, videri peccari *venialiter*, si tonsura aut ordines minores suscipiantur sine animo clericandi: addit autem iustam adesse posse causam, cur sic suscipiantur. Casus est frequens ex. gr. in seminariis, in quibus solent alumni mitti certo tempore ad ordines minores. Fac adolescentem ibi iussu patris obligatum manere et consuetudinem ibidem esse, ut certa aetate alumni tonsura initientur; nonne id satis est, ut, quamvis nullam experiatur vocationem, permittat se initiari? Auctor provocat ad id, quod dixit et nos cum eo diximus tr. IX. c. 2. *de Statu clericorum* Vol. IV. 287. 3°. posse nimirum beneficium accipi cum animo illud postea dimittendi et redeundi ad statum laicalem, dummodo quandiu quis beneficium obtinet, suis obligationibus faciat satis. Cum ergo hic tonsura saltem initiatus esse debeat, patet, animum saltem *perpetuo* clericandi non requiri, ut tonsura et ordines minores licite suscipiantur.

947. 3° Requiritur *Confirmatio*. Trid. Syn. sess. 23. c. 4. *de Reform.* « Prima tonsura, ait, non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint ».

Advertit s. Alph. n. 786. verba Trid. potius decentiam indicare quam praeceptum; ideoque communiter teneri, quod obligatio haec non sit nisi sub levi.

948. 4° *Litterae dimissoriae*, de quibus iam egimus.

Adde quaestionem, quam facit s. Alph. n. 789., an Episcopus, cui diriguntur dimissoriae dispensare possit ordinandum super irregularitate aliove impedimento canonico, a quo Episcopus ordinandi posset dispensare, ut ex huius scilicet praesumpta licentia valide ille dispenset. Et quamvis quibusdam id sit visum; quia dans licentiam ordinandi, hoc ipso videtur licentiam dare ad omnia necessaria actui: probabilius tamen censet s. Doctor, id non posse fieri; quia res sunt disparatae facultas ordinandi et facultas dispensandi. Sed eodem pacto videntur disparatae facultas confirmandi et facultas ordinandi et tamen Episcopus ordinandum ad se dimissum confirmare potest. Verum facultas confirmandi merito praesumitur facta, cum nulli confirmatio denegetur: at esse possunt causae, cur proprius Episcopus, si impedimentum nosset, non dispensaret: cum autem haec facultas sit prorsus alia a facultate ordinandi, ea non intelligitur cum hac concessa.

949. *Scientia* congrua ordini suscipiendo et *examen* institutum, ut de illa certior fiat Episcopus. Cum huc spectet examen, si aliunde ea notitia habeatur, supersedere certe licet ab examine: quia « eum, qui certus est, certiorari amplius non oportet », ut habet reg. 31. iuris in 6.

Quam scientiam Trid. Sin., quae minimis est contenta, exigat sess. cit. cc. 4.-14. pro prima tonsura et ordinibus tum minoribus tum

maioribus habes breviter apud Auctorem, qui tamen in subdiaconatu et diaconatu praeterivit imprudens instructionem in litteris.

Cum Trid. Syn. dicat c. 11. « Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligunt, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videbitur, conferantur », negat s. Alphonsus n. 790., posse licite Episcopum ordinare in minoribus eum, qui gnorat linguam latinam, etsi spes sit, quod postea addiscet et advertit, exceptionem additam a Trid. *nisi aliud Episcopo* etc. referri communiter solum ad interstitia. Id saltem habet communis praxis. Et sane absonum satis est, eum lectorem (qui est 2^{m} ordo inter minores), ordinari, qui legere nescit. Non improbabile tamen s. Doctor censet, ordinari eum posse, qui latinam linguam non callet, quantum oportet, sed spem facit profectus mox futuri. Difficultas erit in determinanda vi illius dictionis: *quantum oportet;* sed hoc iudicio Episcopi est permittendum.

Eos, qui sunt prorsus rudes in lingua latina, irregulares censet s. Doctor l. c. q. 2. et quidem iure naturali, quod vetat, admittere ad aliquod munus eos, qui nequeant illud exercere: porro ait, ad ordinis exercitium requiritur sane scientia linguae latinae. Quod certe valet in lectoribus, etiam in Exorcistis, quorum tamen officium ipsis modo non permittitur. Quid praestet usus linguae latinae in ostiario, nescio; sed neque Acolythus ea opus habet, puto.

Oportet utique eum, si Missae privatae ministrat, tenere verba latina, quibus respondeat: verum id et laicus praestat, qui nihil intelligit atque nunc satis communiter haec officia committuntur laicis, qui sunt prorsus rudes in lingua latina.

Quaero nunc, an huiusmodi homines, qui, citra ullam scientiam grammaticae, exercitati sunt in officiis ordinis alicuius minoris, ius naturae vetet ordine illo insigniri?

Illud potius advertendum, quod s. Alphonsus monet circa sacerdotes n. 791. Quoniam sacerdos quivis, etiam non approbatus, excipere potest confessionem eorum, qui in periculo mortis versantur et fieri potest, ut id praestare debeat recens sacerdos; oportet, eum iam tenere ea, quae scitu sunt necessaria pro hoc ministerio rite fungendo. Adde administrationem Viatici et Extremae Unctionis. Hinc, iuxta s. Doctorem, ita iam instructi esse debent, ut solvere valeant dubia communiter occurrentia proxime morituris, ut noscant censuras et quid possint et debeant ipsi in censuris reservatis, quae exigenda sint a moribundo etc.

In regularibus minorem quam in secularibus scientiam requiri, si illi vitae contemplativae tantum dediti sint, communis est sententia. Id valere quoque in iis Ordinibus, quorum alumni ministeriis sacerdotalibus applicantur, censet s. Alphonsus n. 791. q. 3.; quia et hi communiter ordinantur tantum ad chorum et altare et quia si quid nesciant,

possunt facile a sociis doceri. Si ergo sint Ordines, quorum omnes alumni ad ministeria in bonum animarum destinantur non ad chorum, in iis, puto, valebit quod de secularibus dicitur; si praesertim illi regulares frequentius quam seculares a populis expetantur. Nam subsidium, quod a sociorum doctrina exspectari possit, praxis ostendit fere nullum esse.

De proclamationibus et scrutiniis cf. Canonistas.

950. De examine instituendo eoque diligenti loquitur Trid. Syn. sess. 23. *de Reform.* cc. 7. 12. 14. Hinc s. Alph. a. 792. advertit, teneri Episcopum examinare ordinandos per se vel alios, nisi, subdit, aliunde certus sit de ipsorum idoneitate per propriam notitiam vel per communem opinionem.

Neque ab hac obligatione examinis subeundi eximuntur Regulares; nam Episcopus potest quidem, si ei videatur, acquiescere testimonio Praelati regularis, sed non tenetur, ius hoc ipsi examinandi eosdem conferente Tridentino l. c. c. 12. « Regulares quoque nec in minore aetate nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ».

Hoc ius examinandi adeo Episcopo ordinanti competit, ut et ille qui alienum subditum per dimissorias proprii Episcopi ordinat, ius habeat examinandi quem est ordinaturus. Cum quesitum esset, « An Episcopus ordinans alienos subditos seculares cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis, eos examinatos fuisse et idoneos repertos, teneatur huiusmodi attestationi deferre vel etiam possit eosdem ordinandos examinare? » Respondit s. C. C. 16. Ian. 1595. « Posse Episcopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii Episcopi deferre, sed non teneri ». Cf. Lucidi l. c. nn. 75. seq.

951. Requiritur 5. *titulus*. Titulus heic est provisio sufficiens sustentationi honestae ordinati in sacris. Titulus vocatur; quia, ut videbimus, haec provisio primo et per se sita est in possessione beneficii, ad cuius *titulum* quis ordinatur. De veteri oeconomia, quae huic *titulo* ortum dedit, cf. Sanguineti *Iuris Eccl. Instit.* ed. 2. p. 187. Ea quidem adhuc apparet in eo, quod ad titulum primo et per se requiratur beneficium, quo certae Ecclesiae servitio clericus addicitur et ius obtinet vivendi ex bonis Ecclesiae. In praesenti tamen oeconomia finis intentus est sustentatio clerici, ut declaratur a Trid. Syn. sess. 21. c. 2. « Cum non deceat, eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere... statuit s. Synodus, ne quis deinceps clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet etc. ».

Iamvero ordinationis titulus primo et per se (pro secularibus) est beneficium ecclesiasticum: secundarium vero et in defectu illius ex quadam dispensatione, est patrimonium vel pensio. Patet ex verbis Trid. quae continuo sequuntur ad recitata, nempe « nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere... Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum ». Quae limitatio potestatis Episcopi et adiecta conditio, ostendit titulum esse *subsidiarium* et ex quadam indulgentia concedi.

Itaque primo loco est beneficium ecclesiasticum, quod verum beneficium esse debet (cf. tr. IX. Vol. IV. 243. seq.), cuiusmodi etiam censetur coadiutoria cum futura successione, si interea, ratione illius, habeat congruam sustentationem (Barbosa *de Offic. et Potest. Episcopi*, p. 2. alleg. 19. n. 23.), cuiusmodi autem non est cappellania laicalis (cf. l. c.): quae tamen si perpetua et sufficiens sit, valere poterit titulo patrimonii. Lucidi oper. cit. c. 3. n. 399.

Itaque beneficium debet esse tale, ut ad vitam honeste sufficiat, iuxta taxam scilicet, in qualibet dioecesi praestitutam, quae annuae sacerdotis sustentationi satis esse reputatur. Si beneficii reditus summam taxae non attingant, nondum habetur idoneus titulus: at quod beneficio deest, supplere licet ex privato patrimonio; quemadmodum respondit s. C. C. Octob. 1589. Cf. Lucidi l. c. c. 3. n. 393.

Oportet praeterea beneficium *pacifice* possideri et debet *legitime* (per acta nempe, quae fidem faciant in iudicio) constare de pacifica possessione.

952. Quia beneficium conducit sustentationi clerici et haec tandiu durare debet, quandiu clericus vivit; hinc beneficia manualia non sufficiunt: si tamen patronus vel is cui nominatio beneficiati aut cappellani competit, data fide Episcopo in forma iuris valida polliceatur se nunquam remoturum beneficiatum aut cappellanum quandiu hic vixerit aut quandiu de alio congruo titulo non provideatur: tunc titulus beneficii aut cappellaniae manualis admittitur. Cf. Lucidi l. c. n. 397.

Ut perpetuae clerici sustentationi consuleret, Trid. Syn. l. c. statuit, quod clericus « id beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit et aliter facta resignatio nulla sit ». *Aliunde* ait, non tantummodo, ex aliquo alio beneficio.

Si tamen clerici ita delinquant, ut privari beneficio mereantur, possunt eo privari, quamvis illud sit, ad cuius titulum sunt promoti,

quod pluries declaravit s. C. C. ut habet Lucidi l. c. n. 406., ne impune peccare liceat.

953. Quia vero frequenter contingit, non tot esse in ecclesia beneficia, quot sacerdotes postulantur, locus fit aliis duobus titulis, qui dicuntur *patrimonii*, vel *pensionis*. Accedat oportet consensus Episcopi tales titulos admittentis: admittere vero Syn. Trid. non permittit, nisi propter *necessitatem* vel *commoditatem* illius ecclesiae, ut patet ex verbis citatis. Titulus patrimonii ex bonis patrimonialibus (late accepta appellatione) constituitur, sive sint ex bonis patris aut ex hereditate sive donata. Patrimonium hoc porro attingere debet taxam synodalem, de qua diximus superius, quin liceat hac in re Episcopo dispensare, situmque esse debet patrimonium in bonis certis, stabilibus ac frugiferis, cuiusmodi ex. gr. putantur quoque tum census, iuxta leges Pii V. impositus (cf. tr. VIII. Vol. III. 841.) tum obligatio realis persolvendi quotannis summam pecuniariam iuxta taxam synodalem (Lucidi l. c. n. 411. et s. Alph. n. 817.) tum reditus empti ex versuris publicis; nam istar immobilium habentur, s. C. C. 29. Iun. cf. d'Annibale in Const. *Apost. Sedis*. ad suspensiones nempe 2^{m}, sequentes.

De Pensione cf. dicta tr. IX. c. 2. Vol. IV. 323. seqq.

Porro « a sacris sanctionibus aliena sunt ea patrimonia, in quibus expressa vel tacita conventio intercedit, ut fundi possessio semper ad eum pertineat, qui ratione solum patrimonii eundem fundum contulit, sive ut ordinatus nullos fructus vel illorum tantum partem ex eo fundo desumat, licet publicae tabulae obsignatae contrarium declarent». Ita Benedictus XIV. *Inst. eccl.* 26^{a} n. 14.

Ex praescripto Synodi oportet, ut patrimonia vel pensiones vere ab ordinando possideantur, ut de fructibus patrimonii libere possit ordinatus disponere et ut satis sint ad vitam sustentandam l. c. et sint per se perpetua. Quocirca pensio in favorem alicuius imposita ab Episcopo (cf. tr. IX. Vol. IV. 324. seqq.) alicui beneficio, cum ea desinat mortuo possessore beneficii et sic fieri possit, ut praemortuo isto, pensionarius careat pensione, haec pensio, inquam, non sufficit ad titulum, ut respondit s. C. C. 28. Iul. 1838.

Quocirca Trid. Syn. l. c. statuit, quod illa (sive patrimonia sive pensiones) deinceps sine licentia Episcopi alienari aut exstingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant, unde vivere possint ».

954. Ad instar horum titulorum, canonicum quoque ordinationis titulum constituit *Massa communis* sive constituunt portiones seu participationes, quas ex alicuius ecclesiae reditibus percipiunt ii, qui eidem adscripti sunt: dummodo reditus sint fundati super rebus im-

mobilibus et tutis et numerus participantium sit certus et pars cuiusque contingens, tanta, quae sufficiat ad congruam sustentationem atque iis etiam, absque sua culpa, impeditis, sit danda et taliter ordinati intelligantur obligati illi Ecclesiae, tanquam beneficiati eiusdem. Cf. Pignatelli *Const. Cann.* tom. 5. cons. 77. n. 34.

Quam in rem affertur quoddam decretum Sixti V. 28. Febr. 1590. statuens, « posse Episcopos promovere clericos adscriptos ad participationem *Massae communis* alicuius ecclesiae, dummodo isti permaneant servitio mancipati et participatio sit in fructibus bonorum stabilium et redituum certorum tutorumque quique satis sint congruae eorundem sustentationi, ita tamen ut proportionatus redituum numerus praefiniatur, qui excedi nequeat ac promovendi pro eo tempore, quo de massa participare nequeunt, securitatem pro alimentis obtineant ope publici contractus ». Cf. Pignatelli l. c. n. 34. Id porro est iuxta veterem oeconomiam.

Huic similis est titulus *servitii ecclesiae*, « qui (ut ait Instructio s. C. P. F. 27. Apr. 1821. *Collectanea Constitutionum* etc. s. Sedis n. 785.) iis quandoque conceditur, qui cum beneficio ecclesiastico vel pensione careant aut patrimonialia aliave bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui ecclesiae sint mancipati, ex cuius servitio et eleemosynis a piis Christi fidelibus elargiendis sustentari possint et ab eadem ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere queant, nisi aliter eis provisum fuerit ». Cf. Barbosa l. c. n. 27.

Monet Barbosa l. c. n. 24. praxim admittere, quod quis promoveatur ad titulum beneficii consistentis in distributionibus quotidianis. Et sane tale beneficium causam quoque canonicam praebet, cur quis ratione beneficii ab eius loci Episcopo possit ordinari. Lucidi op. cit. c. 2. n. 80.

Alios titulos in Germania usitatos vel toleratos cf. apud Aichner *Comp. Iuris Ecc.* §. 65. Sed et alii in aliis ecclesiis permittuntur.

955. Exstat et specialis titulus *Missionis*, quo ordinantur clerici, qui Apostolicis missionibus se devovent et in eo est situs, ut ex apostolico ministerio in Missione, cui fuerint addicti, ius habeant necessaria ad victum consequenda. Ad hunc titulum ordinari clerici nequeunt, nisi ex speciali Indulto s. Sedis (Instructio cit.) et iuramentum emittere debent (a).

(a) Formula iuramenti praestandi ab iis, *qui titulo missionis* ordinantur. Ego N. filius N. dioecesis vel vicariatus N. spondeo et iuro, quod postquam ad sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem. Societatem aut Congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae aut s. C. de P. F. licentia, ingrediar neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in hac dioecesi aut vicariatu (vel, *si nondum alicui missioni est addictus*, in Missione, cui s. Sedi vel s. Congregationi de P. F. me destinare pla

Pro religiosis professis valet ex communi iure titulus dictus *paupertatis*, vi cuius professi ius habent vivendi ex reditibus bonorum, quae ipsa religio vel monasterium possideat seu ex piis fidelium eleemosynis, quae religioni aut monasterio fiunt.

Accedit titulus *mensae communis*, qui eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitae disciplina degentes aut nulla nuncupant vota aut simplicia tantum, qui proinde ad seculum redire aut dimitti possunt. Ex huiusmodi clerici ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros Ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio a s. Sede aucta fuerint (Instr. cit.). Secus hae Congregationes iure communi reguntur.

Nota: Religiosi Societatis Iesu privilegium habent a Sancta Sede, ut nuncupatis votis post novitiatum, possint, quamvis non professi, ordinari titulo paupertatis: quod privilegium etiamnum durat, ut iam monuimus.

Quaeritur, an quis ordinari possit ad titulum beneficii (idem puto dicendum de aliis titulis), cuius fructus lucrari nequit, nisi post susceptum presbyteratum. Affirmat Barbosa *de Potest. Episc.* alleg. 29. n. 29.: negat Pignatelli l. c. n. 32.

Sententiam Barbosae probat s. Alph. qui, eo citato, ait: « si quis possidet beneficium, sed reditus exigere non potest usque dum fiat sacerdos, bene potest ordinari subdiaconus et diaconus ». Atque haec nunc frequens satis praxis videtur.

Quaeritur, an, ut beneficium vel cappellania dicatur sufficiens, quandoquidem iis inhaeret, ut plurimum, onus celebrationis Missarum, subducenda sint haec onera Missarum, an una possint computari ad constituendum valorem taxae de constitutione Synodi vel regionis more requisitae. S. C. C. 17. Iul. 1723. respondit huic quaestioni: « Esse relinquendum arbitrio et conscientiae Ordinarii ». Lucidi l. c. n. 394.

956. Quaestiones alias practicas subdimus ex s. Alphonso. Quid sane si defectus beneficii respectu taxae synodalis sit modicus? potestne clericus ordinari?

Affirmat s. Doctor, licite ordinari: secus vero, si defectus sit notabilis, notabilem porro defectum censet, si quintam attingat partem, n. 815. not. 2.

---

cuerit) perpetuo in divinis administrandis laborem meum et operam sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam: quod etiam praestabo, si, cum praedicta Sedis Apost. licentia, Religionem, Societatem aut Congregationem regularem ingressus fuero et in earum aliquam professionem emisero (Id puto accipiendum hypothetice. h. e. *si* vel *quantum* fieri poterit. Nam religiosus voluntate sua carens, obedire debet superioribus suis: nec superiores hoc iuramento tenentur, quod non emiserunt).

Item voveo et iuro, me praedictum iuramentum et eius obligationem intelligere et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Potestne quis ordinari ad titulum suae industriae, puta si sit pictor, magister grammaticae etc., ut spes probabilis sit, habiturum eum perpetuo, unde vivat?

Negatum est olim a s. C. C. Octob. 1589. « Si quis tantum habeat, quod ex industria vel honesto labore lucratur, puta quod sit musicus, magister grammaticae, pictor, scriptor aut alterius professionis, non potest promoveri, etiamsi id sit sufficiens ad sustentationem vitae ». Ratio non tam intrinseca quam extrinseca est, petita ex lege positiva; quia Trid. statuit, quod ordinandus non solum habeat, unde vivat, sed etiam, ad evitandas fraudes et errores, praescribit, ut legitime constet, eum beneficium (sive patrimonium) *pacifice possidere*. Quibus verbis excluditur quaelibet spes acquisitionis de futuro, quae spes pluribus ex causis per accidens deficere potest. Quocirca et alia exstat responsio eiusdem Congr. 23. Maii 1609. « Gradum doctoratus tam in Theologia quam in Iure canonico non esse titulum, ad quem aliquis ad sacros ordines promoveri queat: sed requiri omnino vel beneficium vel patrimonium, ad vitam promovendi honeste sustentandam sufficiens ». S. Alph. n. 818.

Quoad renuntiationem patrimonii, quaeritur, an ea fieri possit, sine licentia Episcopi, si habeat clericus aliunde, unde vivat. Obstat decretum Trid. l. c. « Atque illa (beneficium, patrimonium) deinceps sine licentia Episcopi alienari nullatenus possint, donec beneficium sufficiens sint adepti vel aliunde habeant, unde vivere possint ». Quibus verbis licentia necessaria Episcopi coniungitur cum facto beneficii adepti etc., ut tunc, hac conditione impleta, possit patrimonium cum licentia Episcopi alienari. Secus nec valida est renuntiatio, ut declaravit s. C. C. 4. Febr. 1652. quae respondit: « Renuntiationem patrimonii, ad cuius titulum clericus simpliciter sacris Ordinibus initiatus fuit, absque licentia Episcopi factam, *non sustineri*, etiam per assecutionem beneficii ad eius vitam sustentandam sufficientis ». S. Alph. n. 824.

Quoniam beneficii sufficientia ad sustentationem dimetienda est ex taxa, quam synodalis constitutio vel mos regionis invexit, si quis beneficium habeat in alia dioecesi ab ea, in qua domicilium habet, quaeritur, cuius dioecesis norma sequenda sit. Regula est, inspiciendam esse taxam loci, ubi beneficium residet; « cum enim; ait Sanguineti op. cit. p. 189., sufficientia tituli pendeat ex eo, utrum habeatur an non congrua sustentatio, clarum est, hoc determinari ex loci conditione, quo beneficiatus residet ». Idcirco si beneficium sit residentiale, norma erit taxa loci beneficii; secus erit taxa loci, ubi beneficiatus commoratur. Fieri enim potest, ut quod in loco beneficii sufficiat, puta in Casentino, non sufficiat Romae. S. Alph. n. 815. not. 1.

957. Requiritur 6° *ne ordines per saltum suscipiantur:* qua de re hoc unum dicendum, id quidem illicitum esse et olim tales fuisse suspensos: suspensionem verum nunc cessasse. Cf. vol. VII. *De suspensionibus,* in Const. Ap. Sedis.

7° Requiritur *tempus idoneum* collationi et susceptioni ordinum; qua de re iam dictum est nn. 928. seqq.

De *interstitiis* pariter, quae 8° loco recensentur, locuti sumus nn. cit.

De *loco ordinationis* pariter, qui 9° recensetur, diximus n. 934.

958. Sequitur requisitum 10^m^ et ultimum, quod est *aetas ordinandi.*

Quoad primam tonsuram et Ordines minores Trid. Syn. sess. 23. c. 4. *de Reform.* non definit aetatem, sed adsignificat, exigens pro tonsura ut fidei rudimenta didicerint et legere ac scribere sciant, qui initiandi sunt; id vero supponit eos infantiam excessisse.

Minores Ordines suscipi posse ante pubertatem adsignificat Trid. Syn. ibid. c. 6.: tum c. 11. exigit, ut initiandi latinam linguam intelligant: vult autem ut ordinati in ordinibus se exerceant, iuxta praescriptum Episcopi. Aetas his omnibus idonea inter decimum et duodecimum annum esse videtur.

Pro subdiaconatu, Diaconatu, Presbyteratu anni assignanti ab Auctore sunt ii, quos praescribit Trid. Syn. ibid. c. 12.

Haec est lex Tridentina, a qua certum est, ait s. Alph. n. 800., Episcopos nullo modo posse dispensare: *ordinarie*, ait A. h. e. iure proprio; *extraordinarie* quidem ex concessione vel delegatione Pontificis.

Pro Episcopatu Trid. Syn. sess. 22. c. 2. et sess. 24. c. 1. *de Refor.* eam aetatem requirit, quam canones statuerunt: iam vero c. *Cum in cunctis, de Electione* praescribitur, « ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit ».

Quod A. docet in casu dubiae aetatis iam resolutum est tr. *de Conscientia* n. 166.

959. Peccari in susceptione aut collatione ordinum, deficientibus qualitatibus requisitis manifestum est; at id non perinde est ac dicere quemlibet defectum esse peccatum mortale.

Iam sub n. 2° et 3° quid quoad ea tenendum sit, diximus. In 4° pariter, si nomine examinis intelligitur notitia, quam Episcopus habere debet, idoneitatis ordinandi tum quoad mores, tum quoad scientiam, liquet gravem esse obligationem: si intelligis actum illum, qui solet examen vocari, quando iam notitia illa habeatur, non est, ut iam monuimus, necessarium. Cetera requisita generatim constat, gravia ab Ecclesia censeri: generatim, inquam; nam quoad quaedam dubitare licet, an ex. gr. graviter peccet Episcopus minores ordines conferendo

in die feriali, vel festo post meridiem. Neque enim apparet gravis inordinatio.

Restat, ut poenas transgredientibus impositas atque adhuc vigentes indicemus.

960. Dixi poenas adhuc vigentes; nam plures olim exstabant censurae latae sententiae, quas Const. *Apost. Sedis* sustulit.

Itaque 1° cum in Const. citata tit. *de Suspensionibus* nn. 2. 3. 4. 6. 7. sermo sit tantum de conferentibus et suscipientibus *ordinem*, tonsura autem non sit ordo; cessant eo ipso omnes suspensiones latae olim in conferentes aut recipientes indebite tonsuram (Card. d'Annibale in dictam Const. l. c.). Quia vero suspensiones latae a Trid. adhuc valent (Const. cit. in fin.), excipienda suspensio a Pontificalibus lata a Trid. sess. 14. c. 2. *de Reform.* contra Episcopos dictos *titulares* (ecclesiarum nempe, quae in partibus infidelium consistunt), qui, quolibet in loco, alterius subditum, absque eius proprii praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, promovent ad sacros vel minores ordines vel primam tonsuram etiamsi id fiat titulo seu praetextu familiaritátis.

2° Omnis suspensio pro male ordinantibus est suspensio a collatione ordinum, non eius tantum ordinis, quem male contulerunt, sed universim cuiuslibet ordinis: id enim valet phrasis indefinita: *a collatione Ordinum*. Identidem suspensio est a Pontificalibus.

Pro male autem recipientibus ordinem suspensio est ab exercitio ordinis suscepti male: sic enim loquitur Const. *ab ordine suscepto, ab ordinibus sic susceptis.*

961. Quos primo loco (susp. 2.) percutit Const. Pii IX. sunt ii, qui ordinant aliquem absque titulo beneficii vel patrimonii (agitur ergo de ordinibus sacris), cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

Scilicet Innocentius III. c. *Cum secundum, de Praebendis*, si quis absque titulo ordinatus esset, iusserat Ordinatorem (utique scienter ita ordinantem, non ab ordinato deceptum) vel eius successorem illi in necessariis providere, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur. Idem iam statuerat Alexander III. c. *Episcopus*, tit. eod. quoad ordinantem diaconum vel presbyterum: qui tamen addiderat limitationem: « nisi talis ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere »: quam limitationem non sustulit Innocentius III. Porro hanc poenam indebite ordinantis renovavit Trid. Syn. sess. 21. c. 2. quod et censuit s. C. C. 27. Nov. 1610.

Poena a Pio IX. inflicta est suspensio per triennium a collatione Ordinum: quam ut ordinans incurrat, duo proinde requiruntur, 1° quod absque titulo ordinet et 2° fiat pactum, ne ordinatus ab ordinante

petat alimenta. Si hoc alterum deest, suspensio non incurritur. Patet agi de Episcopo, qui scienter ordinat carentem titulo.

Olim et ordinatus sine titulo suspensus erat ab exercitio ordinis, qua de re disputat s. Alph. nn. 820. seqq.: nunc nulla suspensionis poena tenet clericum ordinatum absque titulo vel cum titulo ficto neque eum, qui post ordinationem titulo amisso, pergit ministrare atque idcirco, si celebrat, non incurrit irregularitatem (d'Annibale, *op. cit.* not. ad n. 210.).

Nam hanc suspensionem Pius IX. praetermisit neque eam *invexit* Trid. Syn. etsi *innovaverit* sess. 21. c. 2., ut s. Alph. cum aliis censuit. Cf. dicenda in seq. tr. *de Censuris.*

962. Secundo loco (susp. 3.) puniuntur suspensione Ordinantes, qui vel ordinant alienum subditum absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati sed minime sufficientis: vel subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus. Haec ex dictis n. 917. et n. 920. clara sunt. Poena est suspensio per annum ab Ordinum administratione.

Ex Tridentino Ordinans alienum subditum sine testimonialibus eius Ordinarii eadem plectitur poena sess. 23. c. 8. *Reform.* Episcopus vero titularis ordinans alienum subditum absque dimissoriis eius Praelati, suspenditur per annum ab exercitio Pontificalium sess. 7. c. 10. *de Reform.* Ordinans autem etiam suum subditum in aliena dioecesi, absque Ordinarii loci expressa licentia, suspenditur ab exercitio Pontificalium, sess. 6. c. 5.

Vicarius capitularis dimissorias concedens intra annum non arctatis suspenditur per annum ab officio et beneficio sess. 28. c. 10.

Item ordinatus ab alieno Episcopo sine testimonialibus sui Episcopi, incurrit suspensionem ab exsecutione ordinum susceptorum, quandiu suo Episcopo placuerit. Pariter in sacris ordinati cum dimissoriis Vicarii capitularis illegitime datis, suspenduntur ab exsecutione ordinum, ad beneplacitum futuri praelati sess. 7. c. 10. *Reform.*

Ordinatus ab Episcopo, qui in aliena dioecesi, absque expressa licentia Ordinarii loci ordines contulit, est suspensus ab exercitio ordinum sess. 6. c. 5.

963. Tertio (susp. 4. Const. Pii IX.) suspenduntur per annum a collatione ordinum illi, qui (excepto casu legitimi privilegii) conferunt absque titulo beneficii vel patrimonii, ordinem sacrum vel clerico viventi in aliqua Congregatione, in qua non emittitur sollemnis professio, vel religioso pertinenti quidem ad Religionem habentem sollemnia vota, sed nondum professo. Cf. nn. 924. 955.

964. Quarto (susp. 5.) religiosi (h. e. qui sollemnem professionem emiserint) eiecti (non simpliciter dimissi) ab Ordine (iuste tamen h. e. si vere hanc poenam meruerint et servata sit forma a iure praescripta), extra religionem degentes, incurrunt suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum. Perpetua scilicet est, quandiu extra Religionem degunt. « Ceterum subdit d'Annibale in h. l., etsi ordines vel ordinem religiosus susceperit post eiectionem, ab eo vel eo quoque suspensus videtur, ut antea: lex non distinguit ».

965. Quinto (susp. 6.) illi qui ordinem recipiunt vel ab excommunicato, suspenso, interdicto (a collatione ordinum), nominatim denuntiatis vel ab haeretico aut schismatico notoriis, in duplici sunt differentia. Vel enim id mala fide fecerunt h. e. *praesumpserunt*, vel bona fide. Si mala, suspensioni ab ordine suscepto, reservatae Pontifici subiiciuntur: si bona, interdicuntur exercitio ordinis, *donec dispensetur*, h. e. donec eorum Episcopus dispenset.

966. Sexta (susp. 7.) occurrit suspensio respiciens clericos ordinandos tum suburbicarios tum alios Romae degentes.

Hanc, quia specialis est, nunc praeterimus, locuturi de ea in tr. *de Censuris*, ubi de suspensionibus sermo redibit ibique videbimus, an recensitae hactenus suspensiones, sint omnes censurae proprie dictae necne.

XVI. Quaeres, quae sint officia ordinatorum?

Resp. 1. Ostiarii est claves templi servare, aperire et claudere eius ianuas, arcere eos, quibus non licet interesse sacris, campanas pulsare, quae intra ecclesiam sunt, custodire, ei, qui praedicat, aperire librum. 2. Lectoris munus est, legere in ecclesia lectiones veteris et novi Testamenti: item docere catechumenos rudimenta fidei christianae. 3. Exorcistae munus est, manus imponere supra vexatos a spiritibus immundis, ad illos adiurandos et eiiciendos, item ad exorcizandos catechumenos. 4. Acolythi munus est praeparare ampullas vini et aquae ad sacrificium Missae et porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem sacrificium et illi ministrare, unde et ceroferarius dicitur. 5. Subdiaconi munus est immediate subordinari Diacono ad sacrificium Missae, calicem et patenam illi tradere, urceolum cum aqua praebere, aquam ad lavandas manus infundere, Epistolam ex officio et sollemniter in Missa legere. 6. Diaconi munus est, cantare sollemniter Evangelium in Missa, ministrare immediate Sacerdoti in omnibus, quae pertinent ad Missae sacrificium, vestire Altaria, Crucem ferre et denique ex commissione Sacerdotis praedicare et baptizare. 7. Presbyteri munus est offerre sacrificium Missae, absolvere a peccatis, baptizare, benedictiones aquae et similes facere, populum doctrina et exemplo pascere. V. Escob. E. 8. t. 7. c. 1.

967. Clara omnia sunt et cf. Pontificale Romanum.

Nota. De officiis clericorum iam data opera locuti sumus in tr. IX. c. 2. Ergo heic finis sit Tractationi.

ADDENDUM

Num. 360. dedimus responsum s. O. quoad iurisdictionem eorum sacerdotum, qui maria transmittunt; nunc est addendum aliud quod paucis ante mensibus prodiit ex eadem Congr. 1900. 4. Apr. E.mi enim Cardinales, ad omnem in posterum dubitandi rationem atque anxietatibus occasionem removendam, decreverunt et declararunt: *Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio ordinario confessiones excipiendi facultatem habeant, posse in navi, toto itinere durante, fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum vel etiam aliquandiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.* Quod ss. Pontifex probavit. Cf. *Monitore eccl.* 31 maggio 1900.

APPENDIX

Subdimus bene longam B. in re gravissima disputationem, quae visa est nobis prorsus digna, ut in lucem edatur. Claritas conceptuum, nexus logicus idearum, vis et robur ratiocinii, copia secretioris eruditionis ipsam commendant. In privatum commodum et usum destinata fuerat, ut nonnullis scilicet sodalibus novitatem suae doctrinae causantibus faceret satis B. eosque potius ostenderet novos esse et peregrinos in Morali Theologia. Quapropter vulgari idiomate exarata est, quod nos coegit, ut studiosis cuiusque gentis pateret securius, eius latinam versionem curare, quam mihi sodalis meus p. I. B., otio subsecivarum horarum bene usus, libenter praestitit. Videtur Auctor ex abrupto exordiri et bene est; nam longae exordiorum ambages dispendium sunt temporis et laboris. Ita ergo incipit.

DISSERTATIO P. A. BALLERINI

DE CASUUM RESERVATIONE

Velit quaeso lector animadvertere, huiusce scriptionis auctorem non id intendere, ut novam suam aliquam opinionem amplectendam proponat; sed unum spectare, ut scholarum doctrinas in medium adducat quoad duas quaestiones: nempe 1° utrum peccatum quod patratur citra cognitionem reservationis, sub reservationem cadat: 2° utrum *simplex* confessarius possit absolvere peregrinum ab eo peccato, quod in dioecesi quidem confessarii reservatum est, non autem in dioecesi poenitentis. Potest fieri, ut quae heic dicentur cum alicuius opinione non congruant: id autem hoc unum evincet, quoad duplicem eam quaestionem doctores inter se nequaquam convenire. Fiat igitur palam quid utrique senserint; tum fortasse apparebit, quae prius speciem haberent insolitae novitatis, ea non esse tantopere abhorrenda.

1. Quantum quidem iudicare potui, aliquibus dubia inde oboriuntur quod quaestionem in hunc fere modum propositam audiant: *utrum videlicet in hoc vel illo casu incurratur reservatio* aut etiam *utrum nonnulla rerum adiuncta ab incurrenda reservatione excusent* ex. gr. *utrum*

ipsius reservationis ignoratio ab eadem excuset; hoc unum, quod nimirum haec res in controversiam vocetur, scandalum nonnullis parit; quasi vero qui hanc dubitationem proponit supponere videatur, *reservationem afficere poenitentes*, non autem *confessarium.*

Quapropter ipse Gury (vol. 2. §. 571.) ad quaestionem *utrum ignorantia reservationis ab ea incurrenda excuset*, tamquam ad quaesitum iam definitum, absolute respondet = negative: idque ob eam nulli dubitationi obnoxiam causam, quod *reservatio restringit iurisdictionem confessarii quem immediate afficit; ergo sive poenitens habuerit notitiam reservationis sive non habuerit, potestas sacerdotis semper restricta manet.*

Par quoque scandalum, nisi etiam forte maius, quibusdam aliis creatur, ex eo quod audiant, posse simplicem confessarium a peccato reservato absolvere poenitentem alterius dioeceseos, non vero suae. Et quid aliud est hoc, inquiunt ipsi, quam aperte profiteri; *reservationem afficere poenitentem, non autem confessarium?* Quare confestim affirmant cum Gury (vol. 2. §. 572.) *hosce casus et plures alios iisdem similes hac unica regula* esse solvendos... nempe: *reservatio afficit immediate confessarium, non vero poenitentes; attende igitur ad hoc solum, utrum potestas confessarii restricta sit nec ne.*

Videamus igitur, haec dubia sive scandala quam sint rationi consentanea et quoniam valde differunt inter se duo genera propositarum quaestionum, quorum alterum versatur circa *subditos* superioris reservantis, alterum circa *non subditos*, ideoque a principiis valde dissimilibus quaestionum solutio petenda est, de utrisque seorsum agemus.

2. Itaque quoad primum, admiratione certe dignum est haberi hunc metum, ne videlicet obtrectetur huic sententiae, *reservatio est restrictio iurisdictionis* et *afficit confessarium.* Etenim quantum v. gr. spectat d eam quaestionem: utrum *ignorantia eximat ab incurrenda reservatione,* oportet profecto eos apud s. Alphonsum (lib. 6. n. 581.) longam scriptorum enumerationem legisse, qui in sententiam affirmativam conveniunt ac praeterea vidisse, huiusmodi opinionem habitam fuisse ut probabilem a gravibus etiam doctoribus, qui tamen *negativae* adhaerere maluerunt.

Ut autem de aliis taceam, comperi sententiam affirmativam docere quoque Patrem Beati, olim theologiae moralis in Collegio Romano Professorem qui *resolutiones suas morales* Romae vulgavit, approbante Patre Oliva et Card. Chisio inscriptas. Iamvero respondeant quaeso mihi adversarii: Numquid putandum est, hosce Doctores aut ignorasse aut reiecisse principium illud: *reservatio est restrictio iurisdictionis immediate afficiens confessarium?* Quamobrem vel haec una animad-

versio monere hos potuisset, huiuscemodi metum aut vanum omnino esse aut saltem iusto maiorem.

3. Re quidem vera vana haec formido videtur unice proficisci ex parum commoda ratione hanc et alias eiusmodi quaestiones proponendi: quae ratio persuadet quibusdam, *reservationem afficere poenitentem et non confessarium.* Exempli causa sint huiusmodi quaesita: *utrum incurrat reservationem aut ea eximatur, qui peccat extra territorium superioris reservantis, aut in loco exempto, aut utrum eam incurrant vel ab ea excusentur impuberes*, denique *utrum eam incurrat,* vel *ab ea utrum excusetur qui peccat ex gravi metu* etc. Et quidem quoad hanc postremam quaestionem, ego prorsus non intelligo, quomodo secum ipsis adversarii nostri non pugnent, dum pertimescendi sui principii obliti ultro fatentur *peccantem ex gravi metu non incurrere reservationem aut ab illa excusari.*

Sed praetermissa mentione eorum qui sibi non constant, ut timor omnis abigatur, sufficit alio quodam modo eoque meliori quaestionem proponere, qui nullos iniiciet metus; nam et qui nobis repugnant, casus ita propositos et legere et audire consueverunt. Praecedentium igitur loco formularum, haec potius adhibeatur: *An* videlicet *peccatum in his vel illis rerum adiunctis admissum in lege reservante comprehendatur* aut etiam, ut ait Ferraris, *an peccatum fuerit commissum secundum circumstantias seu conditiones quibus est reservatum.*

Itaque eadem prorsus ratione, qua quaestiones constituuntur: *num lex reservationis peccatum afficiat* quod sit mere internum, vel grave non sit in ratione actus interni aut externi etc., eadem inquam ratione et aliae quaestiones statuantur oportet, nimirum: an *lex reservans pertineat ad peccatum, cum ex gravi metu admittatur aut quando admittitur cum ignorantia reservationis, aut quando patratur ante pubertatis tempus, aut extra territorium, vel in loco exempto.*

Quaestiones ita propositae, ut patet, eaedem omnino sunt quae formulis praecedentibus enunciantur. Iam vero cuinam, quaeso, opportunum videatur ad resolvendas huiusmodi quaestiones in medium vocare principium illud: *reservatio est restrictio iurisdictionis afficiens confessarium et non poenitentes?* Nonne potius ridiculus iure meritoque haberetur qui affirmaret peccata ista in lege comprehendi ea de causa quod reservatio est restrictio iurisdictionis? Quaestio autem vera haec profecto esse censenda est: *utrum lex eo usque iurisdictionem restringat*, ut peccata in iis rerum adiunctis commissa nullatenus absolvi possint.

Iamvero huic quaestioni definiendae nulli profecto praesidio est ea responsio, quod nempe *reservatio est restrictio iurisdictionis* et quod *afficit immediate confessarium.*

Si autem hoc abs re omnino est et extra locum, recte igitur concludendum est, vanam esse formidinem illam, ne qui tueatur non incurri reservationem in quibusdam casibus (satius esset dicere: *peccatum non esse reservatum*), is continuo repudiet principia communia, quae hisce verbis efferuntur: *reservatio est limitatio iurisdictionis immediate confessarium afficiens.*

4. Ceterum non est hic profecto locus inquirendi, utrum suffragium auctoritatis et rationum intrinsecarum uni potius praefatarum quaestionum parti quam alteri faveat, ex. gr. si agatur de peccato impuberum. Hoc autem minime necessarium est ad confirmandum illud quod magis interest: scilicet oportere, ut etiam in praedictis casibus valeant principia generalia, quae in hisce quaestionibus loco normae et regulae habenda sunt. Itaque non solum quando probetur certum, sed etiam quando demonstretur esse probabile, quempiam ex supradictis casibus in lege reservante non comprehendi, nihil impedire debet quominus principium ab omnibus admissum revocetur, *simplicem nimirum quemlibet confessarium posse absolvere, quando reservatio peccati dubia est*, aut aliud principium adhibeatur: *confessarium posse absolvere cum iurisdictione mere probabili:* quandoquidem haec principia nullatenus alteri refragantur, *reservationem esse quendam limitem iurisdictionis in confessario.*

5. Hinc patet manifesto quanam ex parte peccet resolutio patris Gury (vide supra n. 1.). Ut enim evincat ignorantiam reservationis ab ea incurrenda non excusare ita ratiocinantur; *Reservatio est restrictio iurisdictionis. Ergo, sive detur sive non detur haec ignorantia, restricta semper manet iurisdictio.*

Iamvero iurisdictionem intelligendam esse in hoc vel illo casu restrictam, nimis absurdum est probare ex eo solum quod reservatio est restrictio iurisdictionis: et idem omnino esset ac si quis probaturus legem in his vel hisce casibus obligare, hanc afferret rationem: nempe legem esse *vinculum seu ligamen:* posset enim quis reponere, in tali casu *cessare reservationem.* Sufficitne ita reponenti subiicere reservationem esse restrictionem iurisdictionis? Quapropter nisi ad haec absurda devenire velimus, praestabit diversimode quaestionem statuere, ut supra diximus, eamque aliis principiis definire. Et haec quoad primam partem sufficiant.

6. Quod autem attinet ad secundam, hoc est an quilibet simplex confessarius possit absolvere a peccato, in propria tantum dioecesi reservato, poenitentem alterius dioeceseos: posset fortasse compendio res confici.

Certe quidem Dominicus Viva sententiam affirmativam *probabilem*

existimavit. Haec enim habet *de Poenit.* q. 9. art. 3. n. 4. in fin. « Est pariter *probabilis* sententia Soti et Fagundez... docentium posse peregrinum absolvi a reservatis, quae sint tantum reservata in ea dioecesi, in qua confitetur et non in sua patria; quia reus iudicandus est iuxta leges superioris sui (Viva non indicat locum ubi haec doceat Sotus: ego itaque illum allegationis vadem relinquo).

7. *Probabilem* quoque iudicavit Mazzotta, ubi scribit tr. 6. disp. 11. q. 3. cap. 4. tom. 3. pag. 331.: « Peregrini, iuxta Pellizzarium, *Dianam* et *alios probabiliter* non incurrunt casum reservatum in dioecesi in qua versantur, si ibi illud committunt; quia non tenentur legibus loci ubi sunt per transitum ».

8. *Probabilem* quoque habuit Reuter *de Poenit.* n. 371.: « Si vero poenitentis grave peccatum non esset in eius dioecesi reservatum et confiteretur in dioecesi ubi est reservatum, an possit absolvi a non habente in reservata facultatem. Dubium est...: pro affirmativa est, quia absolvit vi delegatae iurisdictionis ab Episcopo, qui peccatum id non reservat. Haec sententia probabilis est ».

9. Elbel autem *de Poenit. confer.* 14. n. 375., proposita utraque sententia et allegatis pro ea, de qua loquimur, Stoz, Fagundez et Babenstuber, ita concludit: « Et haec sententia utpote magis benigna et favorabilis poterit servire confessario in casibus, ubi videt poenitentem non nisi admodum aegre discessurum ad alium, pro obtinenda absolutione ».

10. Diana vero non solum hanc sententiam tradit ut probabilem iuxta doctrinam Leandri (vid. tom. 1. tract. 5. resol. 49. n. 1.) addita insuper auctoritate Vegae, Graffii et Petri Ledesma; sed scribit praeterea (ibid. resol. 39. n. 3.): « Nota quinto, quod confessarius inferior potest poenitentem absolvere a casibus reservatis in sua dioecesi quando poenitens eos commisit ubi reservati non erant ».

11. Non est autem putandum, favere huic sententiae tantum eos doctores, quos allegatos vidimus ab aliis, ut favet Pellizzarius (apud Mazzottam sup. n. 7.) Fagundez lib. 8. cap. 8. n. 201., Babenstuber theologus canonista, appellatus tam saepe tamque libenter a Voit (apud Elbel sup. n. 9.) p. Stoz e Societate nostra (*Tribun. Poenit.* lib. 2. quaest. 2. n. 64.) Alphonsus Vega (lib. 2. cap. 326., apud Dianam) et Leander *de Sacram.* tom. 1. tr. 5. disp. 12. q. 27. Dicastillo disp. 11. n. 242. Iacobus Graffi (apud Leandrum l. c.) Petrus de Ledesma *de Sacram. Poenit.* cap. 12. 5. sed praeterea sunt alii qui hanc sententiam ex professo docuerunt: ex. gr. Bartholomaeus Medina *Instr. pro confessariis* (in latinum ab hispanico idiomate conversa) lib. 1. cap. 3. Pater Mendo *in Bullam Cruciat.* disp. 23. cap. 2. n. 23. Quarti *de*

Casib. reserv. sect. 2. cap. 4. Naldi *de Casib. reserv.* sect. 2. cap. 4. q. 2. et *Summ.* V. *Cas. res.* n. 8. Carolus Bauci (apud Quarti l. c.). Paulus Mezger *Theol. schol.* t. 4. tract. 18. disp. 49. art. 2. §. 2. n. 15. Iosephus a Ianuario *Resolution. selectae* resol. 1. n. 8. et resol. 8. Ludovicus Engel *Manual. Parochorum* part. 3. cap. 2. §. 2. n. 7.).

Marcus autem Struggel theologus merito probatissimus, qui posteriore superioris seculi parte floruit, hanc doctrinam iam communem appellat. Itaque ita scribit *Theol. Mor.* tract. 11. quaest. 3. art. 4. n. 48.: « Poenitens peregrinus potest a quolibet legitimo confessario absolvi, quando affert casum in dioecesi confessarii reservatum, non vero reservatum in dioecesi poenitentis. *Ita cum Mezger et aliis communiter* Babenstuber (a).

Ex eo autem, quod haec sententia communiter teneretur, id repetendum videtur quod haec esset praxis in Germania, de qua loquitur Kresslinger (addit 2. ad. Reiffenstuel. *Theol. mor.* tr. 14. disp. 9. n. 10.) hisce verbis: « Videmus quod confessarii, alias in sua dioecesi propria non praediti facultate absolvendi a reservatis, solummodo attendant ad peccata reservata in hac propria sua dioecesi, qualia in confessionali *ordinarie* non absolvunt, absque eo quod praecedenter interrogent, ex qua dioecesi sit poenitens, an ex hac ipsa vel aliena, et num in aliena dioecesi hoc peccatum reservatum sit necne ».

12. Huc accedit iudicium, quod de opposita nobis sententia ipsi eius defensores ferunt. Etenim ex. gr. Suarez primarius eius auctor et propugnator eo contentus est ut dicat *de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 4.: « *contraria sententia mihi magis probatur* », quae tamen verba profecto ipse non protulisset, si deprehendisset, ad eam confirmandam auctoritates se tantum tres attulisse, falsas illas quidem et ab eius magistro Henriquez, incaute, ut suo loco videbimus, exscriptas.

Salmanticenses *de Poenit.* cap. 16. n. 24. hoc unum habent: « *contraria sententia... verior nobis videtur* ».

Et generatim alii nihil aliud dicunt praeterea, nisi suam opinionem esse probabiliorem: facile autem est intellectu, qui ad unam ex oppositis opinionibus inclinat, ab eo opinionem suam putari vocarique *probabiliorem*, sicut et ceteri contrariam defendentes idem iudicant et loquuntur.

Igitur iudicio etiam illorum, qui a sententia supra exposita dissentiunt, res tandem eo redit ut cuiusdam probabilitatis fines non praetergrediatur et eorum complures vel implicite vel explicite (vid. sup. n. 6.-10.), aliam quoque esse probabilem non diffiteatur.

(a) Hisce addenda unanimis consensio omnium auctorum ante Suarez, qui *primus* contrariam affirmavit sententiam, nec ullum nactus est quem posset, ob eius novitatem, appellare. Id autem suo loco videbimus.

13. Hisce praeiactis, nihil obstare debet, quominus vel hoc loco revocentur duo principia, quorum iam superius facta est mentio (n. 4.). Unum quidem est, *quando iurisdictio sit probabilis, licitum esse ea uti.* Cum itaque probabile sit, vel iudicio eorum qui oppositam tuentur, a simplici quolibet confessario posse absolvi poenitentem a casu in sua dioecesi non reservato, licet in dioecesi confessarii sit reservatus, non est cur quisquam iure scandalum patiatur, audiens posse illum tuta conscientia absolvi et cum hoc liceat, esse absolvendum.

Aliud principium est *posse absolvi poenitentem, quando dubium sit et incertum, utrum peccatum in lege reservante contineatur.* Iamvero cum doctores discrepant inter sese, ita ut conclusio hinc inde profecta infra terminos probabilitatis maneat, iam manifestum est, dubium quoque perdurare atque incertum, utrum in lege reservante peccatum comprehendatur, quod adamussim accidit in casu nostro; ergo in casu nostro potest dari tuto absolutio.

14. Finem autem heic facere posset qui hoc unum haberet propositum, ut eos nempe metu liberaret, qui ab hac resolutione scandalum subire videantur. Sed ad praeiudicia quaedam eliminanda, nimium quantum necesse sit huiusmodi argumentum penitus investigare. Hinc autem constabit 1° praemissam resolutionem non solum esse *probabilem*, sed perpensis rationibus intimis, unicam esse quae possit haberi ut vera: 2° sententiae oppositae fulciendae reapse nihil aliud remanere praeter extrinsecam probabilitatem: 3° regulam a p. Gury propositam (sup. n. 1.) quoad absolutionem subdito *alieno* impertiendam, profectam esse ex quadam rerum confusione, quae nonnullos erroribus ita implicuit, ut communia principia ex eorum animis obliteraret.

PARS I.

DE ABSOLUTIONE PEREGRINORUM.

15. Neque enim dissimulandum est pedetentim irrepsisse atque adeo vulgari coepisse theoriam sive doctrinam, quae antiquorum theologorum disciplinae prorsus opponitur, ideoque a principiis toto coelo diversis derivari consequentias omnino contrarias. Ita cum veteres, quique eos secuti sunt, in universum negarent poenitentem e sua dioecesi egressum, absolvi posse a casibus a proprio Episcopo reservatis (sive reservarentur sive non in eo loco ubi confessionem perageret), novae opiniones tulerunt, ut posset absolvi, dummodo non reserventur etiam in dioecesi confessarii.

E contrario, dum nemo ex veteribus reperietur, suspicatus unquam huiusmodi poenitentem non posse absolvi extra dioecesim a peccatis

in eius dioecesi non reservatis, ecce tibi novam theoriam, contrariam omnino sententiam statuentem, nimirum non posse hominem absolvi, cum in dioecesi confessarii eiusmodi peccata reservantur.

16. Hisce omnino novae disciplinae documentis accepta referri debet regula a P. Gury constituta: *Casus isti et plures alii similes hac unica regula solvuntur, nempe: reservatio afficit immediate confessarium, non vero poenitentes; attende igitur ad hoc solum, utrum confessarii potestas restricta sit nec ne.* Quae regula quidem difficile dictu est, utrum, ex eorum iudicio, conclusio sit deducta ab illis resolutionibus, an potius principium quoddam unde resolutiones illae profectae sint; quicumque enim ultimas eius doctrinae rationes scrutari voluerit, nihil aliud offendet praeter quam implexam rerum congeriem erroresque inextricabiles.

17. Cuius rei testimonium facile haberi potest, si proponatur casus cuiusdam e famulis domesticis nostri Collegii lapsi in peccatum ab Episcopo dioecesano reservatum et confessionem peragentis apud simplicem confessarium secularem.

Etenim quaeritur: poterit iste confessarius necne, servum ab eo peccato absolvere? Si affirmant non posse; poterit quis reponere: quomodo igitur verum erit, quod etiam s. Alphonsus docet (lib. 6. n. 583.) *familiares, qui sint perpetui commensales Regularium, exemptos esse a reservatione episcopali atque adeo eam non incurrere.*

Sin autem affirmant posse: quomodo tum vera erit regula ipsorum: *Reservatio afficit immediate confessarium et non poenitentes: attende igitur ad hoc solum, utrum confessarii potestas restricta sit necne.*

Reapse quoties hanc regulam ad trutinam revocavi et eius feci periculum, eius ego sectatores mirifice semper nactus sum perplexos: ita ut post longam dubitationem, aut faterentur habere se nihil quod responderent, aut absurdis responsionibus implicati, rationem reddere responsi sui nullatenus possent.

Nec aliter fieri poterat: casus enim solutio, ceteroqui facilis, ab alio pendet principio, quod ipsi penitus obliviscuntur, quodque, salvis principiis etiam apud ipsos communibus, deducit ad consectaria iis omnino repugnantia, quae ipsi inferunt a suo principio perperam intellecto.

18. Principium habendum heic prae oculis illud est, huiuscemodi regularium familiares, canonica dispositione (vid. Giraldi, *Expos. iuris pont.* part. 2. sect. 105. p. 971.) etiam quoad administrationem Sacramentorum Confessionis et Communionis Paschalis etc. etc. eximi a iurisdictione Ordinarii et subiici iurisdictioni Superioris Regularis; ita ut Superior confessarium ipsis religiosum dare possit, qui nullatenus

indigeat vel Episcopi approbatione. Hinc clare perspicitur ratio, cur s. Alphonsus diceret, huiusmodi famulos reservationi Ordinarii non esse subiectos. Cum enim Superioris regularis iam subditi facti sint, donec in eadem conditione permaneant, Episcopus in ipsos, quoad hoc, maiorem non habet iurisdictionem quam in Superiorem Regularem, aut in ipsos regulares, idest nullam omnino. Igitur eodem prorsus modo quo Episcopus non posset valide absolvere religiosum, nisi iste a moderatore suo hanc facultatem obtinuisset, quae vocari solet *facultas eligendi alienum*, aut facultas *subiiciendi se sacerdoti alieno;* per quam videlicet Superior indirecte communicat sive delegat iurisdictionem illi, qui a suo subdito eligitur ut confessarius, eadem inquam ratione agendum est quoad familiares aequali modo a iurisdictione episcopi exemptos. Hinc est quod Episcopus, dum eiusmodi poenitentem absolvit, non iam utitur ea iurisdictione quae ipsi competit tanquam Ordinario Dioecesis, sed absolvit unice vi iurisdictionis quae ipsi delegatur a Superiore Religiosi aut familiaris.

Regula est, quod delegatus non ex propria, sed ex delegantis iurisdictione iudicet: argum. c. *Sane, de Offic. deleg.* (Engel *Man. Paroch.* p. 3. c. 2. n. 6.). Quapropter in huiusmodi poenitentem Episcopus aut circumscriptam habebit aut non circumscriptam iurisdictionem, prout illi a superiore poenitentis Ordinario dabitur potestas cum limitibus aut sine limitibus; quod ut patet intelligendum est, praecisione facta a privilegiis quae forte aliunde habeat Episcopus.

19. Et quoniam *nemo dat quod non habet*, ideo perspicuum est, Episcopum, cum non habeat iurisdictionem nec in religiosos nec in eorum familiares, non posse ullo modo iurisdictionem in ipsos cuiquam conferre. Axioma est enim, ab ipsis rerum naturis vim nanciscens: Ordinarium non posse alteri delegare iurisdictionem nisi in eos, quorum est Ordinarius, h. e. in subditos suos, non vero in alienos. Quamobrem si religiosus quidam aut religiosorum familiaris, praeditus supradicta facultate, qua Superior regularis *ius suum et subditum suum alteri committit*, sacram exomologesim peracturus conferat se ad simplicem confessarium ab Episcopo approbatum, evidens est hunc quoque confessarium daturum absolutionem illi poenitenti, non quidem vi iurisdictionis ab Episcopo habitae, qui hanc illi tribuere nequaquam potest, sed dumtaxat vi iurisdictionis, quam Superior Regularis communicat indirecte illi confessario, quem sibi eius subditus eligendum putaverit.

20. Itaque haec tandem est certissima et clarissima ratio, cur huiusmodi familiares reservationibus Episcopi subiecti non sint: quoniam videlicet cum horum poenitentium absolutione nihil habet commune iurisdictio, quam sacerdos quidam acceperit ab Episcopo, neque ad

rem quidquam pertinet, utrum illi sacerdoti Episcopus iurisdictionem coarctaverit necne: quemadmodum nihil etiam interesset, si nullam omnino illi episcopus facultatem contulisset; in hoc enim casu ea tantummodo iurisdictio valet, quae *indirecte* tribuitur confessario a Superiore Regulari.

Hinc sequitur, quantumvis illimitatam confessarius iste habuerit ab Episcopo iurisdictionem, non posse tamen ab eo huiuscemodi poenitentem absolvi ab illo peccato, quod sibi Superior Regularis, in quantum potest, reservaverit et viceversa, nisi Superior aliqua reservatione communicatam iurisdictionem contraxerit, confessarius poterit atque adeo tenebitur absolvere poenitentem, non obstantibus quibuscumque Episcopi reservationibus.

21. Hac porro de causa superius (n. 17.) dictum est, in rebus hisce omnibus nec tantulum quidem laedi commune principium illud: *reservatio est restrictio iurisdictionis afficiens immediate confessarium.* Etenim in casu quoque nostro nullatenus potest confessarius iurisdictione uti nisi intra limites ipsi praefinitis: tota vero quaestio in eo vertitur, ut intelligatur, ad quemnam pertineat tandem huiusmodi limites praefinire et unde proficiscantur illae restrictiones, quae pondus et momentum habere putandae sint.

Iam vero hinc exsistit discrimen inter utramque theoriam. Nos iuxta vera principia dicemus, restrictiones ab illis esse apponendas, a quibus iurisdictio derivatur et iurisdictionem proficisci et unice derivari posse ab eo, qui in poenitentem *potestatem habeat ordinariam.* E contra recentiores nostri confusa quadam cogitandi ratione abrepti, ordiuntur a *falso supposito* restrictiones esse faciendas ab episcopo (nempe ab eo qui in poenitentem potestatem ordinariam non habeat), falso supponentes atque iniuria, procedere ab Episcopo eam iurisdictionem, vi cuius poenitens ille, de quo sermo est, absolvitur. Hinc oritur impossibilitas componendi principium commune: *reservatio afficit confessarium* etc. cum sententia aeque communi, familiares regularium non incurrere reservationem Episcopi Dioecesani. Auferantur igitur falsa supposita et vera principia revocentur: omnia facile conciliabuntur et omnis confusio dissipabitur.

22. Reliquum est, ut demonstremus, ea principia quae locum habent in casu de absolvendo regularium famulo, esse generalissima pro omni casu, ubi agatur de absolutione *personarum non subditorum,* seu *de personis alii subiectis:* sive tales demum sint *natura sua*, quales sunt illi qui ratione territorii (territorii separati) subiiciuntur alteri dioecesi, ubi servant domicilium, utcumque absentes, sive tales sint *ob privilegium,* quemadmodum ex. gr. ii regulares, qui dispositione ca-

nonica Ordinariorum iurisdictioni subtrahuntur, in quorum tamen territorio domicilium habent.

Attamen spectabimus praecipue *non subditos* primae classis, qui vocantur etiam *viatores* seu *peregrini;* quoniam de his praesertim quaestio instituitur. Imprimis autem moremur in eo principio, quod aliquibus persuaderi nequaquam videtur posse, nempe: eos quoque donec subditi remanent *proprio Ordinario*, non posse absolvi *nisi per iurisdictionem ab ipso delegatam.*

23. Itaque ad hanc rem quod spectat, principium generalissimum expressum reperitur in decreto Concilii Oecumenici Lateranensis sub Innocentio III. habiti et quidem in celebri Capite *Omnis utriusque sexus* (cap. 12. *de Poenit. et remiss.*) ubi dicitur: *Si quis autem* ALIENO SACERDOTI *voluerit iusta de causa sua confiteri peccata,* LICENTIAM *prius postulet et obtineat a* PROPRIO SACERDOTE: *cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.* Igitur sollemnis Ecclesiae auctoritas est, neminem posse alii valide confiteri praeter quam proprio sacerdoti, sine ipsius facultate.

Heic autem nomine *proprii sacerdotis* et rei natura, cum agatur *de deleganda iurisdictione* (quam non delegat nisi habens ordinariam) et Doctorum consensus postulant, ut intelligatur ille qui *potestatem* habet *ordinariam* quae quoad unumquemque fidelium in tribus personis residet ad invicem subordinatis, h. e. in proprio parocho, in proprio Episcopo et in Summo Pontifice.

24. Haec autem lex adeo firma est, ut, iuxta aliam definitionem, nulla contraria consuetudo infirmare possit aut ipsi derogare. Ita expressis verbis in cap. *Si Episcopus, de Poenit. et Remiss.* in 6. *Nulla quacumque potest consuetudine introduci, quod aliquis, praeter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absolvere vel ligare.*

25. Non oporteret heic quidem diutius immorari, ad demostrandum, *licentiam*, de qua sermo est in cap. *Omnis utriusque sexus*, non iam requiri leviter et perfunctorie; sed habere illum eundem valorem quem habet, cum dicimus Regulari cuidam necessariam esse *licentiam sui Superioris*, ut confiteri possit ex. gr. apud parochum; esse nimirum veram delegationem factam confessario. Quapropter locutio illa: *licentia confitendi alieno sacerdoti* et aliae huiusmodi quales sunt, *facultas eligendi confessarium alienum* vel *facultas se subiiciendi alieno*, vel *committere alteri subditum suum* clarius explicatas offendimus iis aliis formulis *committere alteri ius suum et potestatem absolvendi*, ut habet s. Bonaventura in 4^{m} dist. 17. part. 3. art. 1. q. 2. aut *committere ea quae sunt iurisdictionis*, ut ait s. Thomas, qui in

rem ita scribit: *Suppl.* q. 8. art. 6. ad 1.): « aliquis potest uti iurisdictione alterius ex eius voluntate, quia ea, quae iurisdictionis sunt, committi possunt ».

26. Hinc sequitur, quod Doctores communiter distinguant duas concedendae vel delegandae iurisdictionis rationes: 1° *directe* cum Superior Ordinarius sacerdotem aliquem deputat ad audiendas suorum subditorum confessiones: 2° *indirecte,* cum versa vice subdito suo potestatem facit seu veniam eligendi pro lubito confessarii. Ita Suarez *de Poenit.* disp. 26. sub init. « Potest autem iurisdictio duobus modis concedi seu delegari: primo *directe*, concedendo iurisdictionem sacerdoti... secundo ex parte poenitentis, quando alicui conceditur facultas eligendi confessorem »: non quasi hac ratione concedatur iurisdictio laicis quibus id permittitur, sed (addit Suarez ibid. sect. 1. n. 2.) « solum est potestas ad eligendam vel designandam talem personam, qua designata, Pontifex seu Praelatus Ecclesiasticus, qui talem facultatem dedit, confert illi iurisdictionem ».

27. Iam vero cum electo sacerdoti iurisdictio confertur per praedictam delegationem, clare consequitur sacerdotem aliunde non egere alia iurisdictione. Igitur eligi quoque potest qui aliunde nullam habeat iurisdictionem, quamvis post Concilium Tridentinum, saltem pro fidelibus sacerdotibusque secularibus, requiratur, ut sacerdos, qui eligitur, idoneus habeatur ab Ordinario loci. Quare Melchior Canus scripsit (*Praelect. de Poenit.* part. 6.): approbatus potest eligi etiamsi alias nullos subditos habeat nullamque penitus iurisdictionem.

28. Argumentum vero practicum, quod haec *licentia* habeat hanc vim et hunc valorem, desumi potest ex consuetudine, quae communis fuit omnibus fidelibus ante Conc. Trid; cum vi huius *licentiae* poterat unusquisque confessarium sibi eligere quemcumque sacerdotem quamvis nec approbatum nec a proprio Ordinario aliis facultatibus munitum ad audiendas confessiones: de qua praxi consuli potest Suarez *de Poenit.* disp. 28. sect. 3. n. 56. Etenim evidens est, talem sacerdotem, cum aliunde nullam haberet potestatem, non potuisse eam habere nisi ex delegatione quae comitabatur electionem confessarii a poenitente faciendam.

In rem nostram recte Victoria (*Summ.* n. 150.) « Quaeritur, utrum qui habet facultatem eligendi confessorem... possit eligere simplicem sacerdotem, nondum expositum ad audiendas confessiones? Respondeo absolute... quod sine quocumque scrupulo potest eligere quemcumque Sacerdotem, ut etiam dicit Caietanus... Ratio est, quia in hoc solo differt sacerdos habens iurisdictionem a non habente, quod ille habet materiam, hic autem non, et huic nihil aliud deficit ad hoc ut possit

absolvere nisi materia circa quam exerceat potestatem quam accepit dum ordinatus est. Cum ergo recipienti (auctoritatem eligendi) detur potestas subiiciendi se cui voluerit, iam talis sacerdos electus habet materiam et iurisdictionem circa illum: unde nihil sibi deficit ». Quae doctrina postea dicitur ab ipso *inter doctores trivialis.*

29. Concludamus igitur, cum non possit quisquam absolvi a *sacerdote alieno* sine licentia seu facultate ab eius Ordinario accepta; haec autem licentia cum aliud non sit quam indirecta delegatio iurisdictionis quae *eidem sacerdoti alieno* conceditur, nemo potest absolvi nec absolvitur *ab alieno sacerdote*, nisi per iurisdictionem quae ab Ordinario poenitentis ipsi communicatur.

30. Nec quisquam obiiciat, in praesens neminem cogitare de postulanda a proprio Ordinario licentia et nihilominus se valide absolutum existimare cum extra dioecesim confitetur.

Monent Doctores, ad hoc non requiri licentiam expressam aut explicitam; cum satis semper fuerit *implicita* seu *tacita* facultas, quae habita semper est ut concessa viatoribus et loco axiomatis receptum est illud principium, teste Caietano (*Summ.* V. *absolutio* 2.) iuxta quod *confessio comes esse debet viatorum*: seu ut habet s. Antoninus *Summ.* part. 3. tit. 17. cap. 4. *cum sine confessione digne peregrinari non queat.*

Cuius quidem taciti consensus seu licentiae tanta est vis vel in praesens, ut iuxta praemissa principia Doctores concludere debuerint, nullam esse scilicet confessionem illius peregrini, qui *proprio pastore invito et repugnante* sibi forte confessarium extra dioecesim eligeret. Vide Suarez *de Poenit.* disp. 27. sect. 3. n. 6. et Lugo *de Poenit.* disp. 19. n. 7. quos ego duos doctores libenter prae ceteris nomino, ut intelligatur in haec principia convenire eos quoque duos, qui prae reliquis occasionem aliis praebuisse videntur, ut quoad hanc materiam a recto tramite deflecterent.

31. Ceterum mirum prorsus est, nonneminem quasi ad inauditam novitatem caperare frontem cum audit, qui confessionem peragit extra dioecesim, eum absolvi per iurisdictionem modo praedicto delegatam a proprio Ordinario: cum non solum id liquido constet ex doctrina nobis ab Ecclesia in suis decretis proposita (supr. n. 23. 24.); verum etiam ipsi Doctores tum theologi tum canonistae, utut rerum novarum sectatores, eandem sententiam profiteantur.

32. Ut ceteros antiquos praeteream, sufficiat auctoritas Card. Turrecremata, qui in cap. *Omnis* haec habet *de Poenit.* etc. n. 6.: « Poenitens cupiens confiteri alieno sacerdoti... necesse habet petere licentiam a suo proprio sacerdote, aut a Superiore. Patet, quia alienus sine

commissione sibi facta ab aliquo illorum *nullam habet potestatem.* Patet ex cap. *Omnis utriusque* etc.

33. Eodem modo Azor part. 2. lib. 3. cap. 12. q. 10. ad quaestionem, *an rector unius parochiae possit alieni parochiani confessiones audire*, respondet: « minime, nisi consensu expresso vel tacito illius rectoris, cui est ille parochianus subiectus; nam (animadvertatur probe haec clausula) ad sacram poenitentiae confessionem audiendam requiritur *iurisdictio* ». Ergo idem et unum est consensum praebere et dare iurisdictionem.

34. Filliuccius autem (tract. 7. cap. 9.) non solum idem affirmat (n. 195.) hisce verbis... peregrini *possunt confiteri ex tacita licentia parochorum* et ait rursum (n. 233.) *consuetudinem per se sumptam non posse tribuere facultatem eligendi confessorem sine licentia* PROPRII, sed etiam ita rem aperte docet (nn. 227. 228.): *cui datur facultas eligendi confessorem, facta electione, Christus* PER PASTORES DAT IURISDICTIONEM *illi confessario.*

Ita Valentia tom. 4. disp. 7. q. 10. punct. 2. « Notatur hoc loco a Doctoribus, SEMPER oportere ab eo confessario, cuius alioquin curae quispiam commissus est, licentiam petere, ut alteri confiteri possit ». Et paulo post, allato cap. *Omnis utriusque sexus*, subiicit: « ubi praecipitur, ut si quis ex iusta causa velit confiteri alieno, id non faciat nisi de licentia proprii ».

Martinus Becanus, *Summ. de Sacram.* cap. 38. q. 2. n. 4. « Fit autem (applicatio materiae, in quo consistit concessio iurisdictionis) dupliciter. Primo via ordinaria, quando aliquis constituitur Episcopus alicuius dioecesis aut Parochus alicuius Parochiae. Secundo ex *commissione*, ut quando PROPRIUS pastor SUAM ovem alteri committit... suas illi vices committendo ».

Et iterum (ibid. quaest. 7. n. 2.): « Praeceptum est, ut quisque confiteatur proprio sacerdoti, vel alieno de *licentia proprii.* Hoc sensu definivit Tridentinum... absolutionem nullius esse momenti, quam sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem ». Hinc (ibid. quaest. 3. n. 3.) concludit, unum esse Summum Pontificem, qui habeat facultatem optandi sibi confessorem quemlibet sacerdotem.

Martinus Esparza (lib. 10. qu. 93. art. 3.). « Ratio Ordinis Hierarchici in Ecclesia Dei postulat, ut unusquisque Ordinarius habeat iurisdictionem fori etiam interioris contentam intra limites suae Dioecesis, *ita* ut nemo immiscere se *valide* possit quoad actus iuridicos circa oves alterius, seu circa subditos pertinentes ad alium in spiritualibus, *praeterquam de eius consensu et delegatione* ».

35. Ita Laymann *de Poenit.* cap. 10. nn. 9. 10. docet peregrinos posse absolvi *ex tacita Ordinariorum voluntate* et etiam a reservatis cum *tacito consensu Episcopi proprii.*

36. Roncaglia vero ita loquitur *de Poenit.* quaest. 7. cap. 2. q. 2.: « Potestas absolvendi a reservatis subditos alterius Episcopi fundatur *in tacito consensu Praelatorum... ut proprii subditi etiam extra Dioecesim absolvantur* ».

37. Etiam Salmanticenses *de Poenit.* cap. 11. n. 53. conveniunt in sententiam, posse peregrinos absolvi, *spectata consuetudine et tacita suorum Pastorum concessione... dum tamen ex industria non recesserint a proprio domicilio etc.* quam postremam animadversionem vidimus iam (sup. n. 30.) factam a Suarez et Lugo.

38. Ad haec Palaus (tr. 3. disp. 6. punct. 7. §. 2. n. 6.) « Ordinarius loci etsi possit forensibus et peregrinis... Sacramentum poenitentiae ministrare, id habet *ex concessione proprii Ordinarii* », quod rursus docet tract. 23. punct. 12. n. 12.

39. Et ut omittamus longam aliorum enumerationem (a), quorum plures inferius allegabuntur, Eusebius Amort *Theol. Moral* tract. 13. §. 17. q. 5. 6.) ad quaestionem: *an Episcopus aut alius confessarius habeat iurisdictionem in dioecesanos alterius Episcopi* clare respondet: « Non habet nec eam potest aliis delegare in alterius Episcopi subditos, *sine expressa vel tacita illius Episcopi concessione* ». Patet iterum ex actis Conciliorum, ubi prohibetur parochis vel Episcopis, ne recipiant alienum parochianum aut dioecesanum ad sacramenta sine proprii Episcopi vel parochi consensu ». Dicit autem *iterum*, nam paulo ante (q. 5.) dixerat tale responsum « probari ex constanti observantia Ecclesiae, quae viguit in toto orbe usque ad seculum XV. Constat enim ex innumeris actis Conciliorum et Synodorum, quod parochiani semper debuerint petere licentiam a proprio parocho si voluerint alteri confiteri ».

40. Ut autem de Canonistis aliquid innuamus, Pichler aperte dicit (lib. 5. tit. 38. n. 14.), quod « potestatem sibi tacite *delegatam* obtinent, qui peregrinos et advenas... confitentes absolvunt ». Et lib. 2. tit. 2. n. 97. « Neque fideles a Parocho non suo sine tacito proprii consensu recipere possunt absolutionem sacramentalem ». Ita lib. 1. tit. 2. n. 79. in fine docet episcopos dispensare peregrinos a votis *ex delegatione.* Ita etiam Lessius lib. 2. c. 48. n. 121.

(a) Si quis potest, afferat, quaeso, in contrarium totidem doctores, qui scilicet thesim contrariam defenderint; non enim hoc loco rationem habemus propositionum quarumlibet absonarum et sibi invicem repugnantium in eodem auctore. Quos afferent, iis, credo, digiti unius manus supputandis sufficient.

41. Schmalzgrueber autem (lib. 5. tit. 38. n. 38.) inter cetera iurisdictionis delegatae exempla hoc ipsum statuit, illius nempe quae *sacerdoti alieno* idest *non ordinario* confertur cum *proprii licentia aut ex eius commissione*, qui duo sunt adamussim delegationis modi directus alius, alius indirectus. Redditurus autem rationem, cur aliquoties peregrinus absolvi non possit a casibus suo Episcopo reservatis, causam affert principio consentaneam (ibid. n. 57.) quod videlicet in casu *iurisdictio tacito consensu Episcoporum extraneis confessariis non videtur delegata.*

42. Nec aliter Pirhing (lib. 5. tit. 38. n. 35.) docet, quum dicat: « neque dioecesanus *absque consensu Ordinarii sui* potest se subiicere iurisdictioni pastoris non sui » (a). Ex quo principio infert ipse (lib. 1. tit. 31. n. 147.) non posse extraneorum confessiones excipi « sine consensu *expresso vel tacito* proprii illorum parochi; cum absolutio sit actus iudicialis, qui nec licite nec valide exerceri potest in eum, in quem sacerdos *ordinariam* vel *delegatam iurisdictionem non habet* ». Atque ita manifesto profitetur deficiente tacito consensu Ordinarii, ipsam quoque iurisdictionis delegationem deficere atque adeo quamcumque in rem iurisdictionem.

43. Quo ratiocinio utitur etiam Viestner (lib. 5. tit. 38. n. 57.), ut probet necessitatem huius licentiae ad confitendum *sacerdoti alieno:* « quia absolutio sacramentalis est actus seu sententia iudicialis... Natura autem et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia *in subditos dumtaxat feratur,* cum a non suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi ».

44. Eandem doctrinam nobis proponit Fagnanus (in c. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et Remiss.* n. 52. seqq.). « Nota, confessionem sacramentalem faciendam proprio sacerdoti dumtaxat et non alieno, nisi de *proprii sacerdotis licentia*... Quia confessio sacramentalis est

---

(a) Diligenter notanda sunt haec verba: *nemo sine consensu Ordinarii sui potest se subiicere iurisdictioni pastoris non sui.* Est enim qui iudicat, posse se ab hac quaestione expedire, si dicat, peregrinum apud extraneum confitendo, hoc ipso eius subditum fieri. Hic autem lusus est verborum; etenim sine facultate proprii Ordinarii subditus nemo fieri potest alterius. Etiam Melchior Canus Relect. *de Poenit.* p. 6ª notavit, quod tantummodo poenitens, *qui habet facultatem a proprio sacerdote, praestat se subditum confessori quem eligit.* Franciscus quoque de Victoria animadvertit (*Summ.* n. 150.), tantum obtenta a suo praelato licentia, *dari huic potestatem subiiciendi se cui voluerit.* Pari modo Engel (*Manual. Paroch.* part. 3. cap. 2. n. 6.) monuit, in tantum posse subditum submittere se sacerdoti alieno, in quantum ordinarius *potest ipsi subdito licentiam dare, ut alterius iurisdictioni se submittat.* Quae quidem locutio ideo ab Engel adhibetur, quia statuit hypothesim, confessarium ex privilegio electum habere facultates extraordinarias Ordinario poenitentis nequaquam communes; vidimus enim iam superius *consensum* illum seu *licentiam* etc. Ordinarii, esse delegationem iurisdictionis: et ideo Doctores aiunt dare iurisdictionem *perinde esse ac subditum cuipiam assignare:* at absurdum est id praestari a Poenitente *unico confessionis actu:* non enim potest subditos ullos assignare.

actus iudicialis... Natura autem et ratio iudicii postulat ut sententia in subditos *dumtaxat feratur;* cum a non suo iudice ligari nullus *valeat vel absolvi*... Unde persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et Tridentina Synodus verissimum esse confirmavit... nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem ».

Sub n. autem 70. consequentiam deducit pro peregrinis. De iure communi nullus sacerdos potest absolvere poenitentem *sibi non subditum* etiam in illa dioecesi in qua est approbatus. Heic autem praestat adiicere hasce doctrinas habere sanctionem s. Cong. Concilii et quidem ex *oraculo sanctissimi* (a).

Narrat enim Fagnanus (l. c. n. 69.) Archiepiscopum Tienensem id sibi vindicasse, ut monachi Cassinenses in dioecesi s. Germani absolvere eius dioecesanos non possent. Fagnanus autem respondet. « Videtur respondendum, dictos regulares posse audire confessiones etiam dioecesanorum archiepiscopi; quia etsi de *iure communi nullus sacerdos possit absolvere poenitentem non sibi subditum etiam in illa dioecesi in qua est approbatus... imo nulla possit consuetudine introduci, ut aliquis praeter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat ut legitur* cap. 2. *de Poenit. et Remiss.* in 6°, etiamsi sit tanti temporis cuius initii non extet memoria: aliud tamen videtur dicendum in casu praesenti; cum Monachi Congr. Cassin. ab Ordinario approbati ex PRIVILEGIO... *possint audire confessiones alterius dioecesani etiam invito Episcopo.* Potuisse autem s. Pontificem tribuere hanc facultatem, admittunt omnes... imo, contrariam opinionem uti erroneam et periculosam in fide damnavit Ioannes XXII. ».

Et n. 75. « Sanctitas sua, audita relatione Congregationis, non revocavit in dubium, an possint confiteri sacerdoti non subdito (proprii Episcopi) sed tantum respondit: huiuscemodi Sacerdotem oportere esse ab illius (h. e. suo) Ordinario approbatum; atque ita Sanctissimus

---

(a) Huc facit etiam dogmatica explanatio, quam habemus in bulla Pii VI. in damnationem Synodi Pistoriensis. Ibi enim iterum docemur, non posse valide absolvi *nisi qui sit subditus* et neminem in alium habere potestatem tanquam in suum subditum, nisi obtineatur aut *ordinaria* aut *delegata* iurisdictio. Itaque Pius VI. haec habet in Bulla *Auctorem fidei:* §. 37. tit. *de auctoritate absolvendi.* « Doctrina Synodi quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enunciat: *post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive iure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio;* Quatenus post institutas Dioeceses et parochias enunciat, tantummodo *conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta, tamquam ad VALIDUM usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam; falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa. Erronea.

probavit, PRIVILEGIUM de confitendo Sacerdoti extra dioecesim non fuisse a Concilio sublatum ».

« Observandum est enim, ante Concilium unicum fuisse impedimentum; quia *nemo poterat confiteri alieno sacerdoti sine proprii sacerdotis licentia;* sed hodie ex Concilio additum est alterum, idest ut nemo sit idoneus ad confessiones secularium audiendas, nisi parochiale beneficium habeat vel sit approbatus ab Episcopo. Et quidem *primum impedimentum de non eligendo sacerdote alieno permansit in dispositione iuris communis,* ideoque potuit tolli per privilegium ante Concilium; quia Concilium non sustulit nisi privilegia quae adversantur impedimento a se imposito non autem quae adversantur iuri communi. Quare ut Monachi Cassinenses... approbati audiant confessiones sibi non subditi, non Concilium sed ius commune repugnat... Impedimentum autem iuris communis est sublatum privilegio... Ergo eis nihil obstat, quominus possint poenitentis sibi non subditi confessiones audire ».

Ex qua disputatione apertissime efficitur, esse et subsistere *ius commune*, neminem posse extra dioecesim confiteri absque facultate, quam dederit Ordinarius; secus confessionem esse invalidam: sed confessionem huiusmodi fieri posse valide apud Regulares ea de causa quod isti habeant *privilegium*. Huius autem virtute privilegii possunt ipsi alienorum confessiones excipere dioecesanorum, atque adeo citra eam facultatem quae ipsis daret iurisdictionem; quoniam huiusce vi privilegii iurisdictionem Regulares habent a Summo Pontifice.

Ecce autem quomodo Fagnanus (ibid. n. 73.) refert sententiam s. Congregationis: « Sacra Congregatio declaravit, Regulares intra Dioecesim Episcopi approbantis posse etiam absolvere poenitentem alterius dioecesis *cum habeant iurisdictionem a Papa*... cuius iurisdictio non restringitur ad limites alicuius territorii... sed universus orbis est sua dioecesis ».

Quo privilegio cum ceteri sacerdotes seculares careant, planum est *iuxta ius commune* quod viget, non posse illos valide subditos alterius Ordinarii absolvere, nisi si de eiusdem venia *tacita* vel *expressa* iurisdictio ipsis tribuatur; nec enim de illis dici potest quod de Regularibus dicitur, eos nempe gaudere privilegio et habere iurisdictionem a Summo Pontifice. Hinc etiam patet, ex eo, quod possunt Regulares, non posse quidquam iusto ratiocinio deduci, ad statuendam regulam ceteris omnibus confessariis applicandam.

Hinc est quod Reiffenstuel (tract. 14. dist. 8. q. 1. n. 15.) ad probandum, Regulares non accipere iurisdictionem ab Episcopo qui eos approbat, sed a Pontifice, argumentum illud affert, quod « Episcopus

loci tam amplam iurisdictionem audiendi confessionem omnium fidelium undecumque venientium... dare non potest » hoc est non potest tribuere facultatem absolvendi fideles aliarum dioecesium. In ipsum repetit Laymann (lib. 5. tr. 6. cap. 10. n. 19.). « Siquidem Episcopus tam amplam iurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium undecumque venientium... dare non potest »: idcirco, (n. 20.) hoc appellat privilegium regularium. « Privilegio illo absolvendi omnes fideles non comprehenduntur *Religiosi* » id est: Religiosi non sunt ex illis, quorum confessiones Regulares possunt audire etc... Tandem etiam Concina *de Poenit.* lib. 2. disp. 2. c. 3. n. 11. exhibet tanquam privilegium Regularium *absolvere fideles ex aliis dioecesibus venientes.* De eodem *Privilegio* vid. Suarez *de Relig.* tract. 10. lib. 9. cap. 2. a. n. 8.

45. Sed praeter haec, aliud occurrit maiore dignum consideratione; nam doctores in universum non eo contenti sunt, ut affirment, extraneum non posse absolvi valide, si desit ipsi ea proprii Ordinarii licentia, quae importat delegationem iurisdictionis confessario attributae; sed insuper adiiciunt, necessitatem huiusmodi licentiae nempe necessitatem iurisdictionis delegatae ab Ordinario poenitentis, *esse de iure divino.* Quam doctrinam perutile nobis erit habere prae oculis, ne gravibus labamur erroribus quoad eorum Doctorum intelligentiam, qui satis communiter docent licitam et validam esse confessionem extra dioecesim peractam *propter inductam consuetudinem.*

Satis habebimus hoc loco quatuor ex eis appellare eorumque sententiam referre, quorum duo fuerunt theologi Concilii Tridentini: duo autem inter theologos nostrae Societatis praestantissimi habentur.

46. Primus itaque sit Melchior Canus, qui hoc modo scribit (*Relact. de Poenit.* part. 6.): « Exploratum haberi debet, praeceptum de confitendo proprio sacerdoti divinum esse... Quapropter sine huiusmodi commissione (idest sine facultate delegata ab Ordinario) sacerdos *alienus* non est huius sacramenti minister atque proinde *iure divino* tenemur proprio sacerdoti confiteri. Nam confessio *quae fit alteri* ex facultate proprii sacerdotis, proprio fieri censetur ».

Hinc autem Canus rationem repetit, cur Bonifacius VIII. definierit (c. *Si Episcopus* 2. *de Poenit. et Remiss.* in 6°) quod « nulla consuetudine introduci potest, ut aliquis praeter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat qui eum possit solvere vel ligare ». Quoniam, ut Canus subiungit: « *si esset solum de iure positivo, aliqua consuetudo posset praevalere* ».

Et animadvertatur probe, quomodo idem Canus concludat dicens, hanc esse unanimem Doctorum sententiam: *In hanc sententiam conveniunt* OMNES SCHOLASTICI AUCTORES, atque adeo s. Thomas etc. Hoc

ipsum autem excusationi nobis erit, quod plusquam quatuor non afferamus.

47. Huic succedat Dominicus Soto, cuius hanc unam sufficiet afferre conclusionem (in 4. disp. 18. q. 4. art. 2. concl. I.): « Necessarium est confessioni *atque ad eius essentiam requisitum*, ut fiat proprio sacerdoti, *aut cui ipse commiserit* ». Iamvero essentia sacramenti non potest esse de iure humano, sed solum *de iure divino*. Ergo est de iure divino delegatio iurisdictionis ab Ordinario poenitentis facienda, cum eius subditus confessionem faciat *sacerdoti alieno*.

Hoc autem Sotus postea dicit expressis verbis et allegato supradicto cap. *Si Episcopus*, Bonifacii VIII. subiungit: « Quare nunquam confessionem ad *proprium* sacerdotem perstrinxisset, nisi id intellexisset esse *divini iuris* semperque adeo in ecclesia observatum ». Et iterum: « Quod autem nulla consuetudine abrogatur, ius est *divinum* aut naturale ».

48. Ceteri duo sint Vasquez et Suarez: quorum primus sine ambagibus scribit (In 3. part. q. 93. art. 2. dub. 2. n. 5.-6.): « Cum supra dictum sit, consuetudine introduci non posse ut quis *alieno* confiteatur sine licentia vel consensu proprii... inde probabimus esse *de iure divino;* cum consuetudine contrarium introduci non possit ». Et post alia plura concludit: « Merito ergo ex illo capite deduximus, esse de iure divino, alieno non confiteri nisi de licentia proprii ».

Quam quidem licentiam subinferre collationem seu delegationem iurisdictionis evidenter apparet ex illis eiusdem Vasquez verbis (ibid. dub. 3. n. 3.-4.): « Cum iure divino necessarium sit, confiteri sacerdoti habenti iurisdictionem et materiam *subditam legitime* et hic tantum sit proprius sacerdos, aut *alius ex licentia proprii* etc. ».

49. Tandem Suarez ceteris concors in hunc modum scribit *de Poenit.* disp. 27. sect. 3. n. 5. « Respondetur, eligere confessorem *sine licentia proprii* repugnare *iuri divino* et ideo significasse Pontificem in illo textu (videlicet in citato cap. *Si Episcopus*) non posse consuetudinem praescribere contra hoc ius; in quo multum differt haec consuetudo a quacumque alia lege humana ».

Et inde concludit Suarez, esse in potestate Episcopi hanc facultatem denegare. Ita ipse (ibid. n. 6.): « Ex quo infero, facultatem hanc (eligendi alienum) consuetudine obtentam, talem esse, ut semper pendeat a *voluntate proprii Sacerdotis;* ita ut, non obstante consuetudine, semper sit in eius potestate illam revocare si velit: quia alias *talis consuetudo formaliter ac directe esset contra ius divinum;* quandoquidem ex vi illius posset subditus confessorem eligere, proprio sacerdote repugnante ».

50. Dixi superius (n. 45.) hanc doctrinam profuturam, ne labamur errore, quoad intelligendos Doctores, qui forte in hac re mentionem facerent *consuetudinis:* quos in errores certo certius inciderunt nonnulli qui prima illa principia obliti ac proinde in hoc argumento incerti et temere fluctuantes, cum causam explicant cur absolvi possit peregrinus, dicunt ex. gr. cum Leandro (*de Poenit.* disp. 11. q. 38.) id fieri *ex tacita Praelatorum voluntate* AUT *ex consuetudine:* perinde quasi in praesenti casu posset consuetudo conferre iurisdictionem.

Melius alii non *disiunctive* sed *copulative* consensum Ordinariorum cum consuetudine coniunxerunt (ut ex. gr. Salmanticenses sup. n. 37.) unicuique rei partem postea tribuentes, quae ipsi competit.

Quae sit autem pars seu vis, quae tribui debet in hoc negotio consuetudini et quaenam ea quae *consensui* seu *voluntati* proprii sacerdotis, melius docuerunt ex theologis illi qui monebant, vi cuiuscumque consuetudinis non posse *contra ius divinum* subtrahi subditum a potestate sui superioris ordinarii, ita ut sine venia ab hoc obtenta possit ille absolvi.

51. Sana igitur doctrina consuetudini tribuit non *collationem iurisdictionis*, sed id unum, ut nempe sit merum indicium seu testimonium iurisdictionis, quam Ordinarius concedit. Audiamus de hac re Doctores, quorum satis erit quatuor heic allegasse.

Primus ante omnes esto Suarez, qui dictam doctrinam ita proponit (*de Poenit.* disp. 27. sect. 3. n. 3.): « Semper necessarium est, ut interveniat aliqua sufficiens significatio *consensus Superioris, ut ex tunc incipiat haberi haec facultas, non tam vi consuetudinis, quam virtute voluntatis Superioris,* ad quam significandam potest iuvare consuetudo. Quod recte declaratur exemplo... de sacerdotibus, qui ex consuetudine solent eligere confessorem; nam quia illi solent frequenter confiteri, ideo onerosum erat Parochis omnes audire et ideo facile consenserunt ut inter se invicem confiterentur: qui consensus non revocatus, consuetudine quasi continuatur et ipsa consuetudo indicium est eiusdem consensus ». Sed eo ipso quod consuetudo legem non inducit, nisi in quantum superior censeatur consentire in *delegationem facultatis,* idcirco addebat (ibid. n. 6. sup. n. 49.) Suarez, esse in potestate et arbitrio superioris eam revocare aut denegare; quod profecto non eveniret, si ageretur de consuetudine, quae vi praescriptionis conferat iurisdictionem.

Gregorius de Valentia (tom. 4. disp. 7. q. 10. punct. 2.): « Est autem hic notandum, consuetudinem... ea demum ratione valere, ut quis iurisdictionem ad audiendas confessiones acquirat, quia, cum illam sciente et tacente Superiore obtinet, eo ipso *consensus* etiam Superioris tacitus

intervenire censetur. Qua ex re intelligitur, non pugnare cum iis, quae de consuetudine diximus, capitulum *Si Episcopus, de Poenit. et Remiss.* in 6°, ubi dicitur nulla posse consuetudine introduci, ut quis sine licentia sui superioris eligat confessarium. Quae enim nos hactenus diximus, intelligi debent de consuetudine, cum qua concurrit *tacita saltem facultas* Superioris scientis et non prohibentis... Capitulum autem illud loquitur de nuda consuetudine, ad quam non accedat ille consensus saltem tacitus Superioris; ut si forte constaret, ipsam consuetudinem Superiori displicere. Tunc enim per illam nequaquam acquiri iurisdictio potest. Atque ita ad hoc capitulum respondet bene Ioannes Medina et Sotus ».

52. Hos duos excipiat p. Ioannes Marin e Societate Iesu, qui docuit Salmanticae, postea vero confessarius fuit Regis Hispaniarum (*Theol. specul. et moral.* tract. 22. disp. 10. sect. 1. n. 17.): « Praelati censentur conferre iurisdictionem electis (confessariis), dum videntes silent: ideoque haec *iurisdictio non manat ex consuetudine,* sed ex legitima concessione *Praelati* et continuatur ex vi talis concessionis non revocatae a successoribus. Unde consuetudo proprie loquendo, *non dat facultatem eligendi confessorem,* sed est signum concessae, *ex virtute consensus taciti Superioris* perseverantis. Ex quibus deducitur Praelatum, ex cuius tacito consensu continuatur consuetudo, posse pro lubito suo, expressa contraria voluntate, illam abrogare et penitus abolere, quin praecedens consuetudo possit ullo modo praevalere ».

53. Quartus esto Augustinus Michel ex Canonicis Regularibus, qui in sua Theologia edita Augustae ann. 1712. et Card. Sacripante dicata (tr. 4. p. 2. punct. 4. sect. 2. nn. 26.-29.) loquens de variis *delegandae iurisdictionis* rationibus et has inter indirectam delegationem constituens, ob consuetudinem peregrinorum confitendi extra dioecesim, ita de hac ratiocinatur: « Licet spectato iure communi a parocho licentiam (peregrinantes) postulare deberent; a generali consuetudine, *demonstrante universalem Ordinariorum facultatem,* habent, ut etiam sine ea non solum Regularibus privilegiatis (supra n. 44. vidimus privilegium esse Regularium omnium, excipere confessiones *undequaque venientium,* cum habeant iurisdictionem a Summo Pontifice), sed cuivis alteri in loco itineris exposito sacerdoti confiteri queant: dummodo bona fide et non in fraudem declinandi Ordinarium peregrinentur ».

Heic autem sibi ipse obiicit (ibid. n. 29.): Dices tamen, in cap. *Si Episcopus* 2. *de Poenit. et Remiss.* in 6° expresse definit Bonifacius VIII. nulla consuetudine posse introduci, quod aliquis praeter sui superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare ». Respondet (ibid.): « Respondeo, huic obiectioni nos obviasse

per verba: *demonstrante universalem Ordinariorum facultatem*, quibus non tam consuetudini hanc licentiam, quam voluntati Ordinariorum tribuimus; ita tamen ut voluntatis huius attestatrix sit consuetudo generalis ».

Consulatur Pirhing l. 5. tit. 38. n. 36., ubi illud inculcat, nullam consuetudinem quamvis *immemorialem* posse praescribere et differentiam ob oculos ponit, quae intercedit inter hanc quaestionem et aliam in eo positam, ut quis novos subditos consuetudine nanciscatur et inde iurisdictionem. Consulatur quoque Fagnanus in c. *Omnis*, *de Poenit. et rem.* n. 95., qui docet non posse talem consuetudinem induci, quoniam ius huius introductioni adversatur.

Et haec quoad nostram quaestionem sufficiant, ad demonstrandum videlicet iurisdictionem qua absolvitur peregrinus extra dioecesim ab *extraneo sacerdote*, repetendam esse a delegatione facultatis ab Ordinario concessae.

54. Ceterum si quis est qui forte causam non intelligat, cur tanto rationum pondere hanc doctrinam confirmaverimus totque argumentis eandem sententiam probaverimus, satis est, si ipse illud animadvertat, quo nempe studio notare voluerit s. Alphonsus (lib. 6. n. 588.), *hodie non amplius absolvi* (peregrinos) *ex voluntate suorum Episcoporum*. Quo studium illud huiusmodi sententiae obtrudendae, cui ceteroquin fulciendae nullum iacere potuit neque intrinsecum neque extrinsecum fundamentum? Iam diximus, pro hac sententia neminem tot esse doctores allaturum, qui digitos manus unius numero praestent: ratio nimirum ea est, quod sensit ille, recentem quam ipse amplexus est theoriam, quantum spectat ad absolvendos a casibus reservatis peregrinos, ab ea sententia pendere, qua reiecta, novam theoriam corruere oportere.

55. Et re quidem vera quum illud semel in tuto positum sit, confessarium peregrini non absolvere nec posse absolvere nisi per iurisdictionem ipsi indirecte delegatam ab Ordinario poenitentis; sermo interpositus de restrictionibus, quas Episcopus loci ponat iurisdictioni ab ipso tributae iis sacerdotibus, quos ad excipiendas suorum subditorum confessiones ipse destinaverit (ut iam vidimus nn. 17.-21.), nihil ad rem facit et quaestiones diversas perperam permiscet.

Confessarius dioecesis A, ad cuius pedes provolvatur peregrinus dioecesis B, est in eadem ipsissima conditione, in qua is esset, si ex. gr. p. Generalis Dominicanorum eum quoque confessarium ordinarium aut extraordinarium deputaret monialis unius ex monasteriis sibi subiectis ideoque a iurisdictione Episcopi exemptis. Confessarius (quem etiam pro monialibus approbatum supponimus) duas haberet distinctas

iurisdictiones pro binis subditorum classibus, qui ipsi commissi sunt: iurisdictio nempe pro moniali delegatur ipsi a p. Ministro Generali Ordinis Praedicatorum, pro fidelibus delegatur ab Episcopo. Quemadmodum autem nec Episcopus quidquam potest in moniales nec Generalis Dominicanus in subditos Episcopi, eodem modo nec Generalis laxare potest aut restringere iurisdictionem quam confessarius habet ab Episcopo pro fidelibus, nec viceversa Episcopus laxare potest aut restringere iurisdictionem quam Pater Generalis confessario dederit pro suis monialibus: nihil igitur pro confessione monialis valent limites iurisdictioni appositi, quam Episcopus pro suis subditis concessit et viceversa. Atque hoc tandem intelligitur, cum dicuntur moniales *exemptae* non subiacere reservationi Episcoporum; saltem ab iis, qui perpendunt principia, quibus haec res innititur. Idem ergo dicatur cum confessarius aliquis alteram habet iurisdictionem pro fidelibus dioecesis A ipsi delegatam, et alteram pro peregrinis dioecesis B: alia iurisdictio cum alia nihil habet commune nec limites uni a proprio Superiore adiecti, quidquam commune habent cum limitibus, quos alius Superior iurisdictioni a se delegatae addiderit. Igitur e duabus iurisdictionibus unaquaeque eos limites eosque dumtaxat habebit, quos singuli Superiores iurisdictioni a se concessae adiecerint ac proinde nihil esset absurdius, quam ut confessarius, dum absolvit peregrinum dioecesis B, haberet prae oculis iurisdictionem quam habuit pro subditis dioecesis A aut viceversa.

Ergo quotiescumque confessario absolvendus sit peregrinus dioecesis B, absurdum est ut normam capiat a reservationibus propriis suae dioecesis A: sed tantum spectare debebit reservationes siquidem eas poterit cognoscere, dioecesis B. Haec et non alia consectaria sunt doctrinae ab Ecclesia propositae et divinae huius sacramenti administrationis quam superius exposuimus.

56. Atque ita vere intellecta fuit res et in praxim deducta, non solum ab antiquioribus verum etiam ab iis ex recentioribus, quibus sorte datum est, ut oculos aperirent in tantum, ut se decipi non paterentur a nova theoria, *cuius origo, ut videbimus, sat nobilis non apparet.*

En exempli causa quam simpliciter celebris Bartholomaeus Medina quaestiones resolvit, quae spectant absolutionem peregrinorum a casibus reservatis (*Summ.* sive *Instructio pro Confessoribus* versa ex hispanico idiomate lib. 1. cap. 10. §. 3.): « Dubitatur 1° utrum subditus alicuius dioecesis, qui casibus reservatis innexus pergat in aliam dioecesim, possit ibi ab illis absolvi. 2° Si in illa dioecesi sunt alii casus reservati, qui non erant in sua et eos incurrat, utrum absolvi po-

terit ». Ad haec respondeo: Ad primum, si non habeat particularem licentiam a suo Ordinario, nullatenus posse absolvi. Ad secundum dico: si transgressus sit praecepta et incurrerit casus alterius dioecesis, etiamsi mortaliter peccaverit, tamen non esse casus pro ipso reservatos. Hoc intelligitur de iure communi: nos enim Mendicantes habemus certa privilegia etc. ». In qua resolutione illud manifestissime apparet, non haberi rationem nisi reservationum, quae sunt in dioecesis peregrini poenitentis, nullam autem reservationum, quae vigent in dioecesi ubi confitetur.

57. Sed quoniam Medina, supposita doctrina quam praemisimus, nullam affert rationem resolutionum suarum, iuverit hoc loco aliorum doctorum tum ex antiquis tum ex recentioribus sententias revocare.

Ex quibus efficietur 1° quam constans esset principium, peregrinum absolvi per potestatem ab Ordinario suo delegatam: 2° quomodo quaestiones omnes de reservatis unice redigerentur ad reservationes ab Ordinario peregrini impositas: 3° qua de causa et quosnam intra limites diceretur, peregrinum non posse absolvi a casibus in sua dioecesi reservatis.

58. Quaestione igitur instituta, num peregrinus extra dioecesim absolvi possit a peccatis in propria reservatis, doctores illi, qui regulis haud certis abripi se non sunt passi, confugerunt ad voluntatem *Ordinarii*, unde proficiscitur iurisdictio et usi sunt regula quam dedit Bonifacius VIII, in Decretali quae invenitur ad cap. 4. *Si episcopus* 2. *de Poenit et Remiss.* in 6° hoc est: cum Superior aut explicite aut tacite facultatem dat confitendi *sacerdoti alieno*, nunquam intelligi datam quoque facultatem fuisse pro casibus reservatis, nisi haec *expressis verbis* concedatur. En verba ipsa Decretalis. « Si Episcopus suo subdito concesserit ut sibi possit idoneum eligere confessorem: ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, *nullam habet potestatem:* cum in generali concessione illa non veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus ». Vi cuius legis sciunt omnes, si religiosus ex. gr. obtineat a Superiore facultatem confitendi intus et extra conventum, alii praeterquam ordinario, nunquam intelligi facultatem fieri, ut quis absolvi possit a casibus in Ordine reservatis.

59. Ecce autem qua ratione Caietanus allegatam legem ad peregrinorum casum transfert: et primum ante omnes Caietanum invoco, ut constet quam perperam alii cum Suarez eius auctoritate abusi sint, contrariam ipsi sententiam tribuentes. Ita ergo Caietanus (*Summ.* V. *Absolutio* 2. prop. fin.): « In reliquis autem omnibus (excepta praecepti

Paschalis implendi occasione) supradictis licentiis explicite vel implicite ab Episcopis vel Curatis, *non approbo* posse licentiatos absolvi a casibus reservatis Episcopo ; quia hoc est contra iuris dispositionem in 6° *de Poenit. et Remiss.*, cap. *Si Episcopus*, ubi dicitur, quod Episcopo dante licentiam alicui quod confiteatur, non propterea concedit casus reservatos. Si ergo licentia explicita non comprehendit casus reservatos, multo minus licentia implicita (quam habent peregrini) ad illos se extendit ».

60. Ita quoque Summa quae vocatur *Armilla* Bartholomaei Fumi ex Ord. Praed. (V. *Absolutio*, n. 30.). « Quando quis habet licentiam confitendi ab Episcopo vel Curato, propter hoc non poterit absolvi a reservatis; quia hoc est contra iuris dispositionem cap. *Si Episcopus de Poenit. et Remiss.* in 6° *et sic tenet Caietanus.*

61. Ita Martinus Navarrus (in c. *Placuit de Poenit.* dist. 6. n. 62. 63.). « Qui peregrinatur cum Episcopi vel Parochi licentia, videtur permissus eligere Confessarium... Expressa eligendi Confessarium facultas ab Episcopo concessa, non includit casus reservatos: textus expressus est singularis in illo cap. 2. *de Poenit. et Remiss.* in 6°; ergo a fortiori neque tacita ».

Imo alibi (Consil. lib. 5. cons. 21.) negat quoque Mendicantibus qui Romae commorantur (ubi, dicit ipse, Vicarius nullum sibi reservat casum) facultatem absolvendi *extraneum venientem ad ipsos a casibus Episcopalibus, quos Ordinarius dicti Poenitentis sibi reservavit* et hanc affert causam, quod cum Mendicantes iuxta communem opinionem non possint absolvere a casibus Episcopalibus in dioecesi, ubi approbati sunt, a fortiori non poterunt absolvere a peccatis extero Episcopo reservatis. Quam quaestionem quod spectat, omnis nunc controversia sublata est, ut videbimus, propter privilegium Regularibus a Clemente X. concessum.

62. Ita etiam Emmanuel Rodriguez e Minoribus (*Explic. Bullae Cruciatae* §. 9. n. 92.). « Dubitatur, si subditus alicuius Episcopi casibus reservatis obstrictus pergeret in aliam dioecesim, ubi non essent reservati, utrum ibi posset absolvi a confessario seculari approbato qui haberet casus suae dioecesis, quamvis non habeat Bullam. Navarrus putat posse innixus consuetudini: Medina in sua Summa dicit non posse ; quam opinionem magis veram existimo ». Nota Medinam non loqui omnino de confessario facultate pro casibus reservatis munito (Vid. sup. n. 56.).

Quod autem in sua *Summa* (cap. 55. n. 5.). concedit, posse ab Episcopo absolvi, id refundit in consensum Ordinarii poenitentis « Episcopus potest absolvere quemcumque civem et peregrinum, qui venit

ab alio Episcopatu de casibus reservatis eorum proprio Episcopo, *quia videtur quod talis Episcopus habebit ratum quidquid alius fecerit*, praecipue *si veniat a longinquo*, sicut si quis veniret Salmanticam ab Indis excommunicatus nominatim ». Verba Rodriquez: *Episcopus habebit ratum* etc. nemini probantur; nemo enim unquam, quando agatur de iurisdictione absolvendi, admisit ut validam futuram approbationem. Cum igitur falsum sit fundamentum; abnormis quoque doctrina, quam ipse auctor superstruit, per se ipsa concidit.

63. Pari modo Benedictinus Gregorius Sayro (*Summa Sacram. Poenit.* cap. 21. n. 6.). « Infertur quod peregrini, qui cum parochi licentia peregrinantur, confiteri possint his, quibus confitentur illius loci homines, in quem se receperint. Concedens enim licentiam peregrinandi, concedere etiam videtur ea, sine quibus commode peregrinari non potest... Unde cum quis commode peregrinari nequeat sine sacramentorum refectione, eo ipso quod peregrinandi licentiam concedat, etiam confitendi licentiam concessisse censetur... Paludanus et s. Antoninus in eo tamen falluntur quod existimant Episcopum concedentem licentiam peregrinandi, concedere etiam licentiam, ut ab Episcopalibus casibus absolvi possint. Quia etiamsi expresse concedat licentiam eligendi confessarium, non tamen censetur concedere facultatem, ut absolvi possit a casibus reservatis, *prout experientia docet* et aperte satis colligitur ex cap. 2. *de Poenit. et Remiss.* in 6°.

Fallitur tamen Sayro, cum ait opinari s. Antoninum et Paludanum, peregrinantes *semper* habere facultatem ut absolvantur a reservatis; ipsi enim hoc verum esse aiunt tantummodo cum agitur de Paschali praecepto adimplendo.

64. Fagnanus autem quoad opinionem Navarri, peregrinum posse absolvi saltem ab eo qui in propria Dioecesi habet facultatem reservatorum, iudicat hanc opinionem a veritate aberrare (in cap. *Omnis de Poenit et Remiss.* n. 95.). « Quae tamen opinio quoad sacerdotes seculares maximam patitur difficultatem (loquitur de confessariis secularibus; quoniam ad regulares quod attinet, asserit privilegium quod postea confirmavit Clemens X. in Bulla *Superna*) imo vera non videtur; quia nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat qui eum possit solvere vel ligare; quae sunt formalia verba textus in cap. 2. §. *Nulla de Poenit. et Remiss.* lib. 6°.

65. Pariter Iacobus de Graffiis Cassinensis (*Decis. aurear.* lib. 1. c. 13. n. 46). « Quaeritur an confessarius possit absolvere *non subditum* in loco tamen ubi fuit praesentatus, de aliquo peccato reservato suo Episcopo, quod tamen ubi confitetur non est reservatum, v. gr.

Episcopus Nolanus reservavit sibi adulterium, quod ubi confitetur adulter, idest Neapoli, non est reservatum: an confessarius expositus ab archiepiscopo Neapolitano possit illum absolvere? Respondeo quod... si domicilium non mutaverit, ut sunt peregrini, tunc *non potest absolvi* quia ex quo ratione domicilii et habitationis quis subditus dicitur (gloss. celebr. in Clementinis Unic. *de Foro Compet.* v. *subditos*), ideo non dicitur exceptus a subiectione sui Episcopi, qui peccatum reservavit, et per consequens non potest absolvi ».

66. Eodem modo Marcellus Megala Theatinus (*Instr. Confess.* part. 1. lib. 1. c. 7.), postquam dixit (n. 10.), Episcopum non posse absolvere extraneum ab iis peccatis, a quibus suos subditos potest absolvere, hanc affert rationem, quod praedictus Bononiensis quamvis per tempus longius decennali Mutinae habitaverit, nunquam tamen habuit animum perpetuo ibi manendi, sed redeundi Bononiam, cum primum gratiam impetrare poterit; ergo ex defectu huius intentionis, Mutinae domicilium non acquisivit: ergo per talem habitationem non est subditus Episcopi Mutinensis; ergo ab eo absolvi non potest ».

Facta sibi vero obiectione a consuetudine deprompta, quae permittit ut detur absolutio, respondet (n. 14.): « attamen dico, ex vi huius consuetudinis nec parochum nec episcopum absolvere eiusmodi habitatores... ex potestate ordinaria, sed ex *tacita concessione* seu *praesumpta delegatione* proprii Episcopi... ».

67. Finellus etiam (*Select. Aur. Cas. Reserv.* cap. 9. n. 8.) ad quaesitum, « si alienus accedat quï commisit in sua dioecesi peccata, quae ibidem sunt reservata, in dioecesi autem in qua nunc confitetur, non sunt reservata », respondet cum Caietano: « non solum alii, sed etiam peregrini absolvi non possunt, ait ipse (idest Caietanus), a casibus suo Episcopo reservatis, licet cum expressa, nedum tacita licentia a suo Episcopo impetrata confitendi alibi; quia huiusmodi licentia non extenditur ad casus reservatos, nisi sit specialis etiam pro talibus, ex cap. *Si Episcopus, de Poenit. et Remiss.* in 6° ».

68. Ita Iohannes Chapeville (*Tract. de Casib. reserv.* part. 1. c. 4. diffic. 9.) instituta quaestione, an qui facultatem habet absolvendi a casibus reservatis suo Episcopo, possit absolvere poenitentem alterius Episcopatus, cum iusta licentia sibi concessa, a peccatis reservatis suo Episcopo? respondet: « aut poenitens mutavit domicilium, aut non mutavit. In primo casu potest absolvi... si vero domicilium non mutavit, ut peregrinus quispiam, tunc non potest absolvi... Ratio est quia ex quo ratione domicilii et habitationis subditus dicitur... non videtur exemptus a iurisdictione sui Episcopi, qui peccatum illud reservavit, et per consequens non est absolvendus ». Postea solvit argumenta

quae pro opposita sententia afferebat Navarrus, qui nempe loquitur de diverso casu.

69. Ita Dominicus Soto (In 4. dist. 18. q. 4. art. 2.): « Peregrini quandiu non mutarunt domicilium, non videntur absolvi in alia dioecesi, nisi de licentia interpretativa sui Episcopi. Si autem Episcopus facultatem ei concessisset peregrinandi...: licet eo ipso concederet ei licentiam confitendi ubicumque, non tamen ut absolveretur a sibi reservatis; non ergo videtur posse absolvi in alia dioecesi sine licentia saltem episcopi illius loci, in quo confitetur atque hoc mihi probabilius ».

70. Ita Comitolus (videlicet noster P. Paulus Contini *Resp. Moral.* l. 1. q. 28.) confutat Navarrum, qui dixerat peregrinum posse absolvi a suis reservatis saltem ab eo, qui haberet facultatem pro reservatis in loco confessionis (a). Inter cetera argumenta, haec notentur (ibid. n. 2.). « 1° Veri absimile videtur, ut Episcopus Ferrariensis maiorem tribuat potestatem alieno sacerdoti in suum subditum, quam tribuere solet sacerdotibus suis; sed his cum potestatem dat audiendi confessiones, non largitur casus reservatos, nisi de illis proprie mentionem faciat, ut aperte sentit Navarrus... 2° Confirmatur hoc ipsum decretali Bonifacii VIII. *Si Episcopus, de Poenit. et Remiss.* in 6°. Si Episcopus suo subdito concesserit ut sibi possit idoneum eligere confessorem: ille quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo reservantur, nullam habet penitus potestatem. 3° Scimus, aliquem Episcopum vigilantia, religione doctrinaque commendatum respondisse, nolle se ut qui in eius potestate sunt poenitentes, cum alienas petunt obeuntque dioeceses, a casibus suis possint ab alieno sacerdote absolvi ». Etiam Filliuccius (tr. 7. c. 9. n. 284.) innuit rem hoc pacto: « nonnulli Episcopi de hoc interrogati, satis apte responderunt, nolle se ut poenitentes sui quando iter agunt possint absolvi a casibus reservatis ab alienis sacerdotibus ».

71. Sic Bartholomaeus Ugolini (*de Offic. et Potest. Episcopi*, cap. 39. §. 4.) postquam n. 3. dixit, peregrinos, obtenta facultate seu expressa seu tacita a proprio Ordinario, posse confiteri cuicumque sacerdoti, qui in alia dioecesi a suo Ordinario approbatus sit, addit (n. 4.) talem licentiam non valere pro reservatis. « Excipio tamen casus reservatos; nam per simplicem licentiam etiam concessam expresse confitendi alteri sua peccata, non intelligitur facultas concessa absolvendi a reservatis et ita Navarrus etc. ».

Tandem (ibid. n. 5.) contra opinionem Navarri tuetur sententiam, peregrinum a casibus reservatis non posse absolvi ne ab eo quidem

(a) Quoad principia Navarrus cum aliis consentit. Vid. sup. n. 61.

confessario, qui facultatem habeat pro reservatis in dioecesi ubi ille confitetur. *Nam* (ait) *speciatim a reservante facultatem habere debet;* quae quidem vera est ratio a sacramenti natura deprompta. Addit vero (ibid.) eandem doctrinam tradi et a Medina et ab aliis apud Hieronymum a Sorbo Cappuccinum.

72. Haud aliter *Summa*, quae nuncupatur *Summula Raymundi* (tr. 4. cap. 5.). « De peregrinis viatoribus... colligo ex Innoc. et Hostiens. in d. c. *Omnis,* quod si moram... alicubi non contrahunt, non poterunt confiteri ibidem, nisi licentiam acceperint a proprio Episcopo vel sacerdote parochiali ubilibet confitendi... quia tunc etiam ibidem confiteri possent et absolvi; quia praesumitur, quod eo ipso quod licentiam itinerandi dederunt, etiam confitendi et sacramenta suscipiendi dederunt. Tutius tamen esset specialiter licentiam petere et quos casus sibi reservat Episcopus suus, sibi declarari, *cum non possit absolvi a talibus casibus sine eius licentia.* Quod intellige quando per talem moram alicubi non steterit, quod possit ab illo Ordinario absolvi (hoc est ratione quasi-domicilii).

73. Addamus etiam sententiam Theatini Caietani Verani elapsi saeculi Canonistae, qui pariter sine ambagibus quaestionem ita resolvit (lib. 5. tit. 38. §. 7. n. 12.). « Quaeritur, an confessarius electus (loquitur autem de confessariis etiam extra dioecesim electis, ut aperte testatur n. 13.) possit absolvere a casibus specialiter reservatis Episcopo, qui subdito suo concessit facultatem eligendi sibi confessarium idoneum? Respondetur negative; quia confessarius quem subditus elegit, nullam penitus habet potestatem in casibus, qui eidem Episcopo sunt specialiter reservati, idque desumitur ex c. *Si Episcopus...* ubi Glossa in c. *Omnis* addit, contrariam consuetudinem non valere nec tenere absolutionem; eo quia sit sententia *a non suo iudice:* tum quia haec *consuetudo* esset onerosa Ecclesiis, per quam labefactaretur ecclesiastica disciplina, consequenter *nullius est censenda valoris* ».

Pariter Escobar *Theol. Mor.* l. 16. c. 7. n. 66. « Hinc peregrinantes, quibus a iure vel consuetudine concessum est, confiteri cuicumque parocho illius loci, qua transeunt, absolvi non possunt a reservatis in sua dioecesi, nisi de expressa sui superioris licentia ».

74. Hinc est quod Eusebius Amort (*Theol. Eclect.* tom. 3. *de Poenit.* disp. 9. q. 25.) postquam locutus est de privilegio proprio Regularium, absolvendi poenitentes aliarum dioecesium a peccatis pro eis reservatis, negat id admittendum esse, ut nova et opposita theoria docet, etiam pro quolibet seculari confessario et huiusmodi doctrinam vocat *difformem ab antiqua norma et rerum naturae contrariam.* « Dixi id declaratum fuisse circa confessarios Regulares. An vero Episcopi,

confessariis exteris non privilegiatis (idest non Regularibus) velint prorogare iurisdictionem in suos subditos quoad casus reservatos, vel utrum Papa, etiam invitis Episcopis, eam iurisdictionem velit extendere ad confessarios exteros non privilegiatos, est quaestio facti, in qua omnis eiusmodi quaestio positiva, nova et antiquiori observantiae traditae minime conformis, imo rerum naturae minime connaturalis, tandiu neganda et in praxi pro nulla habenda est, quandiu nullis argumentis moraliter certis aut certe probabilioribus sufficienter probata et extra prudens dubium collocata est ». Quae quidem solida argumenta utrum adsint necne, non ita multo post videbimus; quum reperiemus, fundamentum omne novae theoriae, sibi ipsi tam parum consonae, paucis falsisque allegationibus niti.

75. Haec procul dubio ratio fuit, cur Benedictinus Canonista Engel, postquam innuit vanitatem argumenti, quo nova theoria fulcitur, ut possint nempe absolvi poenitentes extranei, protestatur nolle se eam damnare tantum ob decus aliquod extrinsecae auctoritatis. Sic ipse (*Manual. paroch.* p. 3. cap. 2. n. 7.) « Interim quia praedicta sententia favet conscientiae et pro se habet graves et classicos auctores, *nolo damnare practicantem* ».

Quamvis ibidem magnum illud principium revocet, quod nemo unquam negare ausus est et quod ita affert Engel verbis Castropalai (tr. 23. q. unic. punct. 15. §. 4. n. 1.): « Palaus generaliter et recte docet, casus reservatos, a nullo quam a reservante et cui is potestatem dederit, vel superiore eius absolvi posse ».

76. Demonstravimus itaque non vanis somniis adductos sed sollemnibus Ecclesiae sanctionibus et propria actus iudicialis natura impulsos, Doctores immediato et legitimo nexu generatim deducere, peregrinum extra dioecesim sacerdoti extraneo confitentem non posse absolvi a casibus proprio Ordinario reservatis. Quoniam ibi sacramentaliter absolvi posset propter facultatem indirecte a proprio Ordinario delegatam; tamen haec facultas iuxta vim Canonum non ita porrigitur, ut extensa possit intelligi ad casus reservatos, nisi expresse Ordinarius etiam pro istis potestatem fecerit.

Age nunc casus videamus, in quibus Doctores a praedictis principiis ne punctum quidem discedentes censuerunt per indirectam delegationem de qua locuti sumus, ab Ordinario communicatam esse facultatem etiam pro reservatis. Ex quo etiam clarius elucescet et universalis consensus in praemissam doctrinam et firmissima in principiis constantia.

77. Itaque exceptio (siquidem hoc nomine appellanda sit) a praedicta regula, qua praecipitur, non intelligi datam facultatem pro reservatis,

nisi expresse ab Ordinario proprio fuerit concessa, exceptio, inquam, ab hac regula fit a Doctoribus pro casu peregrini aut viatoris, cui extra patriam praeceptum paschale obeundum sit. In eo enim casu arbitrantur, cum voluntas Ordinarii sit ut eius subditus, ubicumque fuerit, Communionem non praetermittat, hoc ipso tacite ipsi concedere, ut absolvatur, si opus fuerit, etiam a reservatis.

78. Primum omnium in medium adducemus Paludanum, eo ipso quod novae doctrinae auctores ipsius nomine insigniter abusi sunt, perinde ac ipse docuerit poenitentem viatorem semper pro legibus loci esse absolvendum, in quo confitetur. Videbimus non minus imprudenter hoc commentum de Paludano, quam alias de Caietano, ut diximus (sup. n. 59.), traductum fuisse.

Ita ergo Paludanus (in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. concl. 4.) « De peregrinis quidem dicendum est, quod si sine licentia Curatorum et Episcoporum profecti sunt, nihil privilegii habent (h. e. nullam habent facultatem eligendi confessarii aut ab ipso absolutionis exigendae). Si autem de licentia eorum profecti sunt, eo ipso habent interpretativam licentiam confitendi, cum sine confessione digne peregrinari nequeant. Si etiam veniat Pascha, communicare possunt *propter eamdem licentiam implicitam*, et de casu Episcopali absolvi.

79. Paludano iungamus immediate s. Antoninum; quoniam huius quoque nomine et auctoritate abusi sunt novae theoriae auctores, eam ipsi falso, ut videbimus, tribuentes, dum s. Antoninus fere ad litteram repetit verba Paludani, quem imo in ipso eius capitis initio ipse allegat.

En eius sententiam (*Summ.* part. 3. tit. 17. cap. 4.): « De peregrinis quidem dicendum est, quod si sine licentia Curatorum et Episcoporum profecti sunt, nil privilegii habent in hoc. Concordant in hoc, scilicet quod peregrini et negotiatores et alii viatores, si non habent licentiam a suis Curatis vel Episcopis, vel sine licentia eorum iter arripiunt, non possunt ab aliis *absolvi*, Innocentius, Hostiensis et Guillelmus. Si autem de licentia eorum profecti sunt, eo ipso habent interpretativam licentiam confitendi, quum sine confessione digne peregrinari non queant. *Si etiam veniat Pascha, communicari possunt propter eandem licentiam implicitam et de casu Episcopali absolvi* ».

Ubi iam est doctrina, quae s. Antonino et Paludano tribuitur, nimirum in absolvendis viatoribus habendas esse prae oculis, ut normam, reservationes illius loci ubi confitentur?

80. Eandem s. Antonini doctrinam invenimus in Summa Arrivabenii, quae appellatur *Summa Rosella* V. *Confessio* III. 2. 32.). « Peregrini, ait ipse, viatores etc. possunt confiteri alieno, si habeant licentiam a suis Curatis... Si etiam veniat Pascha, communicare possunt,... et de casu Episcopali absolvi ».

81. Nec secus Dominicanus Ioannes Tabiensis in *Summa* quae inscribitur *Tabiena* (V. *Confessio* 1. n. 41.): « Peregrini, qui cum licentia recedunt sui parochialis, eo ipso habent licentiam interpretativam confitendi, vel communicandi, *si veniat Pascha.* Ex quo enim non sibi reservavit... videtur licentiam dedisse, etiam a casibus Episcopalibus; secus, si sine licentia, nisi in casibus necessitatis ». Ubi semper eminet magnum illud principium, quod in universum et facultas confitendi et absolutionem consequendi et multo magis consequendi absolutionem a casibus proprio Ordinario reservatis, semper ab eodem poenitentis Ordinario sit repetenda.

82. Atque huc revocare licet opinionem Caietani, posse viatores, occasione praecepti Paschalis exsequendi, absolvi a reservatis proprio Ordinario, id conficientis ex declaratione nescio qua, *viva voce* ab Eugenio IV. facta.

Haec praemittit ille (V. *Absolutio* 2.): « quamvis nulla consuetudine introduci possit, ut quis possit sibi eligere confessorem, ut dicitur in c. *Si Episcopus, de Poenit. et Remiss.* in 6., ex hoc tamen quod Episcopus scit et tacet, tenetur providere illis de confessore *et tacita Episcopalis licentia robur dat absolutionibus et consuetudo non concurrit nisi ut testis licentiae implicitae* ». Cuius firmissimi principii supra mentionem fecimus (nn. 50.-53.) contra varias illusiones eorum, qui in hisce casibus virtutem absolvendi repetunt a consuetudine.

Huc Caietanus revocat facultatem pro viatoribus petendae absolutionis occasione Paschalis praecepti adimplendi: « Et ob huiusmodi implicitam licentiam viatores sine licentia Curati possunt in *Paschate* confiteri et communicare, ubi se invenerint, sicut licentiati ».

Imo ut argumentum eiusmodi tacitae facultatis affert Caietanus studium Parochorum exigendi postea ab illis viatoribus testimonium, quod comprobet eos alibi satis Paschali praecepto fecisse. « Attestatur siquidem huiusmodi consuetudo implicitae licentiae et piae mentis Curati, qua voluit suos confiteri et communicari extra, in casu quo festa paschalia contingeret extra peragere ».

83. Hactenus tamen nihil occurrit quoad reservata, quorum facultas (ut supra vidimus n. 59.) iuxta Caietanum nunquam data intelligitur per simplicem licentiam implicitam aut explicitam confitendi.

En igitur qua ratione Caietanus colligat facultatem pro reservatis a declaratione, quam ut ipse ait, Eugenius IV. viva voce fecit. « Memini alias me legisse, Eugenium IV. concessisse seu declarasse *vivae vocis oraculo,* viatores, ubi se invenerint in PASCHATE, censendos tanquam adeptos incholatum quoad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae ». Unde infert: « Et secundum hoc non est opus *in Paschate* huiusmodi

interpretativa licentia, sed possunt tunc ab illis confessoribus, a quibus incolae absolvuntur, absolvi etiam a casibus Episcopalibus, prout Episcopus loci disponit ».

Haec autem, ut patet, mera est Caietani illatio, quae omnibus necessaria minime videbitur; verba autem Eugenii IV. (quae qualia fuerint ignoramus) vel ut a Caietano recitantur, alium sensum multo magis obvium habere possunt, hoc est, ut unice ad electionem Confessarii referantur (a). De quo etiam Caietanus iudicium suum protulit illud scribens (*Summ.* V. *Absolutio* 2.): « licentiam datam implicite viatoribus confitendi alibi, intelligendam esse cum limitatione *quoad Confessores*, qui scilicet in locis illis confessores sunt aliorum; huiusmodi enim implicita licentia non est amplianda, ut faciat viatores melioris conditionis quam incolas, ut scilicet possint sibi eligere Confessorem, quem velint; sed sufficit quod provideat viatoribus, cum extra sunt, *ut possint tamquam incolae confiteri et communicare* », quibus postremis ea similia sunt quae Eugenio IV. tribuuntur et quorum Dominicus Soto hisce aliis sensum expressit (in 4. disp. 18. q. 4. art. 2.). « Peregrini vero et vagabundi, ceu oppidani parochiani oppidorum ubi se invenerint, confiteri debent nonnisi Plebanis; quia non debent esse liberioris conditionis, quam incolae ».

Quin etiam comperio Petrum Soto (*Instruct. Sacerd. de Confess.* lect. 5.) facta mentione huius Eugenii IV. declarationis, rem huc nimirum coarctare, ut viator possit absolvi ab iis confessariis, a quibus ceteri absolvi possunt: « Caietanus rationabiliter vel ex Pontificum concessione, vel certe ex ipsa aequitate, peregrinantem omnem putat absolvi posse, ubicumque se invenerit, *in paschate,* idque eo iure quo alii subditi illius loci, *hoc est ab his, a quibus alii absolvuntur* » omissis Caietani verbis, *et etiam a casibus Episcopalibus.*

Nec aliam consequentiam deduxit Navarrus (in c. *Placuit. de Poenit.* dist. 6. n. 66.) « Pro Thoma a Vio facit, quod ait alicubi se legisse, *vivae vocis oraculo declarasse Eugenium,* viatores eo loci, quo invenirentur, quoad sacramenta Eucharistiae ac Poenitentiae, *censendos esse tamquam incolas illius loci.* Cum igitur incolae non aliis quam suo parocho confiteri possint, sequitur neque peregrinis aliud concedendum ». Ita Navarrus, ne verbum quidem faciens de concessione pro casibus reservatis.

(a) Etenim notum est, Doctores tunc acriter disputare solitos num et quando qui licentiam haberet eligendi confessarii, posset eligere quemlibet sacerdotem, an confiteri deberet parocho loci ubi morabatur, aut saltem alicui ibi exposito ad audiendas confessiones.

Et ecce cur dixerim superius heic agi verius de opinione Caietani, quam de declaratione Eugenii IV. Utcumque sit, evidens est, et declarationem Eugenii IV., si admittatur, et conclusionem a Caietano illatam, ut possit absolvi viator a casibus reservatis, rem esse expresse restrictam ad *solam* occasionem *praecepti paschalis implendi;* quod bene memoria tenendum est, ad dignoscendum postea quantopere hac re abusi sint novae theoriae artifices.

84. Ut iam ad institutum redeamus, observandum est, alios Doctores, dum cum praecedentibus admittunt viatores aut peregrinos posse absolvi etiam a reservatis in casu necessitatis et praecipue cum satis ab ipsis *Praecepto Paschali* faciendum sit, addere tamen certam conditionem, de qua nihil dixerunt nec Paludanus nec s. Antoninus nec alii huc usque allegati: nempe Confessarium debuisse huiusmodi poenitentibus iniungere, ut eadem peccata proprio Ordinario iterum confiterentur, ubi primum commoda occasio daretur. In qua doctrina idem certissimum principium magis magisque semper elucet, hosce poenitentes habitos semper fuisse ut subditos proprii Ordinarii et ab hoc unice repetendam esse iurisdictionem ad eos absolvendos necessariam.

85. En igitur quo pacto res proponitur in *Summa Pisana* (a s. Antonino quoque allegata et laudata), quae aliis nominibus nunc *Summa Pisanella*, nunc *Magistrutia* (maestruzza?) vocatur (V. *Confess.* 3.): « Peregrinus a reservatis in sua Dioecesi potest absolvi a simplici sacerdote, maxime *in necessitate sumendi Pascha;* sed debet iniungi, ut cum habuerit copiam *sui Episcopi*, ab ipso petat poenitentiam; *si vero non fuerit necessitas, absolvi non valet.*

Potestne esse manifestius, tunc temporis ne cogitatum quidem esse de theoria postmodum invecta, considerandi huiusmodi poenitentes tanquam subditos Ordinarii illius loci ubi confitentur? Attendatur probe, 1° quomodo Doctores isti nullam rationem habuerunt reservationum in eo loco vigentium ubi fit confessio: 2° eos nequaquam commentos esse recursum fieri posse ad Episcopum eiusdem loci. Ratio autem clara est; quoniam nec potestas nec reservationes Episcopi eiusdem loci quidquam valent quoad confessionem hominis, qui sit dioecesi extraneus.

86. Hoc idem reperire est in *Summa* Ioannis a Friburgo, Ministri olim Generalis PP. Praedic. (lib. 3. tit. 34. q. 39.), qui postquam dixit, iuxta communem doctrinam, non posse peregrinum absolvi a sacerdote extraneo sine facultate a proprio sacerdote concessa, quaestionem instituit: « Quid si tale sit peccatum, cuius absolutionem retinuit sibi Episcopus dioecesanus? numquid poterit de illo absolvi, dum est in

peregrinatione, a simplici sacerdote? Solvit autem hoc modo: « Respondeo: Credo quod sic maxime (dicitur *maxime*, quia iuxta DD. possunt dari alii casus necessitatis: vid. text. Summae Pisanae n. praec. Tabiena sup. n. 81. et Summa Silvestrina infr. n. 89.), si institerit tempus generalis confessionis *in Paschate*. Sed debet ei iniungi a poenitentiario, quod cum habebit copiam sui proprii Episcopi, iterum confiteatur ei illud peccatum et ab eo recipiat poenitentiam de illo ».

87. Idem et iisdem fere verbis expressum legimus in *Summa* Fratris Minoris Astesano ab Asti, quae inscribitur etiam *Summa Astensis* et ad quaestionem (lib. 5. tit. 14.) utrum in itinere possit quis absolvi a peccato quod reservatum sit proprio Dioecesano, respondet: « Credo quod sic, maxime si institerit *tempus generalis confessionis Paschalis;* debet tamen ei iniungi, quod cum habebit copiam Episcopi sui, iterum confiteatur ei peccatum illud etc. ».

88. Nec aliter sentit Doctor alius Franciscanus, B. Angelus de Chivasso in sua Summa cui titulus *Summa angelica* (V. *Confessio* n. 6.). Sic ergo ille: « Utrum Episcopus concedens licentiam alicui, ut eligat confessorem idoneum, eo ipso concedat licentiam absolvendi a casibus suis dicto confessori electo? Respondeo, quod non, nisi hoc exprimat, vel evidenter constet per alia signa, quod hoc in speciali voluit concedere. C. *Si Episcopus, de Poenit. et Remiss.* in 6.

Post haec magis in specie quaestionem de peregrinis aut viatoribus instituit et ita respondet (ibid. n. 12.): « Respondeo secundum Rodriguez quod sic, *maxime si institerit tempus generalis confessionis ut in Pascha;* debet tamen ei iniungi, quod cum habebit copiam sui Episcopi, *iterum ei confiteatur illud peccatum reservatum* et ab eo recipiat poenitentiam de illo ».

89. Eandem nobis tradit doctrinam celeber Silvester Prierate, qui fuit olim S. P. Ap. Magister in sua Summa quae dicitur *Summa Silvestrina,* quae tam saepe vel a Doctoribus postremi temporis allegatur et hoc habet commodi quod explicet quomodo intelligenda sit doctrina, iuxta quam peccatum reservatum iterum proprio Ordinario in confessione aperiendum sit. Haec ergo habet ille (V. *Confessor* §. 11.): « Quaeritur de peregrinis, viatoribus et mercatoribus discurrentibus et non habentibus alicubi mansionem... nisi in proprio domicilio? Et dico quod si alicubi habitationem... non contrahant et de licentia proprii sacerdotis sunt in via, possunt utique recipere sacramenta; quod quantum pertinet ad confessionem... intelligo de quolibet peccato novo et veteri, nisi forte sit Episcopo reservatum... quia dando licentiam peregrinandi vel huiusmodi, dat licentiam providendi animae

suae, omni meliori modo quo potest, salvis praedictis (neque reservatione et fraude)... Imo absolvi possunt peregrini etiam habentes casus reservatos Episcopo, secundum Verve. et Rodr., si instet tempus generalis communionis, *ut in Pascha*, etiam a simplici sacerdote; *sed iniungi debet iterata confessio, data copia Episcopi*. Et hoc dictum licet communiter non teneatur; tamen post Petrum de Palude, Archidiaconus dicit, quod si Episcopus peregrinandi licentiam sibi non retinuit, videtur ex hoc dare licentiam communicandi et confitendi de casibus Episcopalibus, sicut curatus de parochialibus. Vel hoc dictum sic intelligitur, quod possunt quidem absolvi, sic quod liceat eis communicare, *non tamen possunt absolvi a reservatis* et hoc nisi in necessitate, idest in mortis articulo; quo casu non tenetur reconfiteri, sed solum satisfacere, si satisfaciendum erat, vel se praesentare, si erant excommunicati... Si vero sunt in via sine licentia, nullibi confiteri aut communicare possunt ».

90. Unde apparet, iuxta Prierate, vel, utpote doctrinam minus communem, non admittendam esse opinionem de *absolvendo a reservatis*, vel saltem intelligendam esse de illa absolutione, quae directe cadit *solum* in non reservata, et indirecte etiam in reservata, quae ita remittuntur ut postea Superiori confitenda sint.

Vasquez qui (in 3. part. q. 91. art. 3. dub. 9.) tueri voluit paradoxum non posse unquam absolvi ab inferiore poenitentem qui habeat reservata, quia eius iudicio non valet absolutio nisi *directe* cadat in omnia peccata etiam reservata, concedit tamen aliam sententiam esse inter antiquos communissimam (l. c. n. 1.); quamvis conetur multos ex illis doctoribus pertrahere ad absolutionem *directam*. Sed aperte verbis eorum vim infert, ut ex. gr. illi textui s. Thomae (in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad 4.): « Etiam si Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tenetur sibi omnia confiteri ut quantitatem totius culpae cognoscat *et de illis, de quibus non potest absolvere, ad superiorem remittat* ».

91. Hinc videre est, etiam Berarducci in sua Summa, cui titulus *Summa Corona* illud opinari, peregrinum directe absolvi tantum a peccatis non reservatis (*Summa Coron. de Sacram. Poenit.* n. 51. dub. 3. §. *Quarto quando*): « Peregrini, ait ipse, et viatores, qui nullibi moram faciunt nec mansionem eligunt, si discesserunt cum licentia sui Praelati, possunt ubique sacramenta recipere... nisi peregrinationem (quis) eligeret in fraudem et praeiudicium sui Superioris, eum fugiendo, tempore quo deberet providere alicui casui. Dico hoc, quia si discessio esset ob solam verecundiam aliquorum peccatorum, vel simile, nihil

refert, dummodo licentiam habeat. Unde qui habet talem intentionem, tenetur in specie confitendi licentiam petere, quo se contulerit, etiam de reservatis, si reservatum habet, nisi locus, ad quem accedere vult, habeat Poenitentiarios Papae, qui possunt absolvere ab omnimus reservatis, ut accidit Romae, in s. Maria de Loreto et similibus ».

« Sed hic dubitatur: Si petierit licentiam simpliciter de confitendo et obtinuerit, an intelligatur etiam de reservatis? Aliqui dicunt quod sic; sed melius dicitur quod non: ut ait Silvester (V. *Confessor* 1. §. 2. 11.) ».

« Et si dum peregrinatur, advenerit tempus *generalis communionis* et ipse habet casum reservatum, de quo non petiit licentiam, quid agendum? Dico quod potest confiteri, ubi se invenit, omnia peccata et confessor potest eum absolvere a *non reservatis*, a quibus potest, iniungendo ei, ut cum primum potuerit, se praesentet suo Praelato *pro reservatorum absolutione* et ita communicari potest: nisi casus reservatus esset excommunicatio maior etc. ».

92. Idipsum confirmat Cosimus Filiarcus (*de Offic. Sacerd.* p. 2. lib. 2. cap. 26.). Primo enim refutat sententiam Navarri, qui affirmabat peregrinum posse absolvi a suis reservatis saltem si confiteatur illi, qui in alia dioecesi habeat facultatem reservatorum et ex opposito concludit postea absolvendum esse a solis non reservatis. Ipsum audiamus: « Sed dubium est de peregrino, qui in propria dioecesi commisit peccatum reservatum suo Episcopo, an possit absolvi in alia dioecesi a confessore habente auctoritatem a suo Episcopo, absolvendi a casibus reservatis. (N. B. de simplici confessore, ut postea voluere novae theoriae auctores, ne innuit quidem posse disputari). Navarrus dicit quod potest et probat ex consuetudine (talis consuetudo non admittitur a Sayro. Vide sup. n. 63.) Sotus negat; quia peregrini quandiu non mutarunt domicilium, non videntur absolvi in alia dioecesi, nisi de licentia interpretativa sui Sacerdotis. Imo dicit, quod etiamsi Episcopus ei concessisset licentiam peregrinandi, ut moris erat in primitiva Ecclesia, adhuc non possit absolvi a reservatis commissis in eius dioecesi, etiamsi non essent reservata in alia, in qua confitetur; quia licet illi eo ipso concedat facultatem confitendi ubicumque, non tamen propterea concedit ut absolvatur a sibi reservatis ».

93. Deinde sic suam sententiam profert. « Si non posset dari sacramentalis absolutio a non reservatis, cum iniunctione, ut data commoditate confiteatur reservata proprio Episcopo, vel ab eo ad id deputato, dicerem quod, si se non transtulit fraudulenter in aliam dioecesim, ut ibi absolvatur et non se praesentet proprio Episcopo, sed sine ulla fraude: possit absolvi ab habente auctoritatem absolvendi a reservatis;

neque hoc restringerem ad Pascha, sed absolute concederem; nam ex hoc quod non reservatur amplius peregrinandi licentia, videtur concessum omnibus peregrinantibus, quod possint ubique confiteri et sumere SS. Eucharistiae Sacramentum. Sed quia credo, ut modo dicemus, *quod poenitens potest pro reservatis remitti ad suum superiorem, data ei interim absolutione a non reservatis; propterea dico, quod poterit absolvi et pro reservatis remitti et iniungi*, ut cum primum sui Episcopi copiam habuerit, ei peccata reservata confiteatur, vel alteri habenti ab eo facultatem ab illis absolvendi ».

94. Omissa nunc interea singulari Navarri opinione, sententiae Doctorum, dum ex altera parte conformissimae sunt magno illi principio fundamentali, absolutionem a reservatis non dari nec dari posse peregrino nisi per facultatem aut expresse aut tacite seu implicite delegatam ab Ordinario Praelato poenitentis, ex altera in duas classes dividuntur: nonnulli cum Paludano et s. Antonino opinati sunt, peregrinis, occasione *observandi Paschatis*, datam esse facultatem consequendae absolutionis etiam a reservatis per confessorem electum: isti autem numero minores sunt.

Alii putaverunt in casu necessitatis et praesertim ad implendum Paschale praeceptum peregrinos posse absolvi directe tantummodo a peccatis non reservatis et propterea cum onere confitendi postea reservata proprio Praelato: quae ipsa doctrina est et s. Thomae (sup. n. 90.) et communiter modo etiam ab omnibus admittitur, quum aliqua oriatur necessitas eum absolvendi qui habeat reservata nec confessarius facultate reservatorum praeditus sit.

95. Ceterum licet Doctores aliqui nonnihil deflexerint ab iis sententiis, quas catholicis scholis vidimus esse communes: nunquam tamen recesserunt a principio fundamentali, quod declaravimus. Ita ex. gr. Navarrus singularem habuit opinionem, quam etiam Filiarchus memoravit (sup. n. 92.), quod nempe « parochus habens facultatem absolvendi a casibus reservatis Episcopo suo possit absolvere poenitentem alterius Episcopatus, cum iusta licentia sibi concessa, a peccatis reservatis suo Episcopo », quam opinionem vidimus a pluribus reiectam: attamen (quidquid valeant eius argumenta) indubitatum est confugere ad *tacitum consensum Ordinarii Poenitentis*. « Episcopi (ait ipse *Man.* cap. 27. n. 261. §. *Decimo dico*) videntur tacite velle debere ut idem sit (nempe ut eorum subditus absolvatur) de peccatis eis reservatis, quando confessio fit habenti facultatem absolvendi a reservatis suo Episcopo: nimirum hac ipsa de causa quod huiusmodi causis cognoscendis idoneus sit ». Riginaldus (lib. 8. n. 66.) admittit hanc sententiam et subiungit, in tali casu confessarium privilegiatum

absolvere ex tacita eiusdem Episcopi (nempe Episcopi, cui poenitens subiicitur) *licentia.*

96. Ita dicatur de opinione quam invenio in Summa Fr. Pacifici a Novellaria, cui titulus *Summa pacifica*, qui (cap. 28.) iudicavit, quando peregrinus *ab ipsius Episcopi manibus insignia recipiat peregrinationis*, ex. gr. ad Loca Sancta, tunc esse retinendum, non solum habere illum facultatem eligendi confessarii, verum etiam ut gaudere possit absolutione a reservatis. Qua in re bonus hic religiosus certe recessit a doctrina communi et in illo *actu Episcopi* vidit concessionem, quam alii non agnoverunt. Quidquid id est, idem manet semper principium, nempe a proprio Episcopo huiusmodi facultatem derivari.

Et tantum aberat Fr. Pacificus a recentibus doctrinis, ut cap. illius 28. hoc faciat initium: « Sapientissimus Confessor sciat oportet, illi, iuxta Hostiensem in *Summa*, investigandum esse a poenitente cuiatem se esse dicat et cui sit Episcopatui aut iurisdictioni obnoxius et si ad suam non pertinet, debet ipsum dimittere nec eius confessionem excipere, praeterquam in casibus, in quibus licet confiteri aliis quam suo sacerdoti etiam sine ipsius licentia, quos casus enumerat Hostiensis etc. ».

De casu autem nostro ita scribit: « sed negotiatores, viatores, eremitae et peregrini, si absque licentia proprii Curati iter arripiunt,... non possunt suscipere poenitentiam aut alia sacramenta ab alio sacerdote, praeterquam in casu necessitatis, hoc est in periculo mortis ».

97. Etiam P. Emmanuel Sà aliquantulum discedit a regula communi quoad interpretandas facultates, quas Episcopus concedat illi qui peregrinari cogitat: licet intacta servet principia, quae huic omni negotio moderantur.

Dixi illum aliquantulum discedere a regula communi; quoniam existimat Episcopum, cum peregrinandi licentiam concedit, *hoc ipso* tacite concedere *saltem in parte* facultatem ut absolvi possint a reservatis. Sic ille (*Aphorism. Confess.* V. *Absolutio* 22.): « Dans licentiam peregrinandi, hoc ipso censetur dare licentiam ut possit absolvi a casibus reservatis, *salvis tamen peculiaribus reservandi modis;* secus est si detur solum potestas eligendi confessorem in eadem dioecesi », in quo differt a sententia communi, quae pro reservatis licentiam exigit magis explicitam.

Principia vero servat intacta, non solum quia ibidem facultatem pro reservatis repetit a voluntate proprii Praelati, sed etiam quia in genere valorem absolutionis agnoscit semper a facultate a proprio pastore impetrata.

Ita exigit licentiam aut facultatem proprii Pastoris, etiam cum

iusta suppetit ratio, cur aliquis ipsi nolit confiteri (V. *Confessio* n. 35.). « Cum periculosum est proprio sacerdoti confiteri, aut alicui iusta causa est ei non confitendi, posse sine eius licentia, petita tamen prius alieno confiteri, alii aiunt, alii negant, *quae opinio tenenda videtur iuxta* c. *Omnis utriusque* sexus etc. ».

Ita V. *Absolutio* n. 4.) postulat facultatem proprii superioris, ut subditus possit consequi ab aliquo Episcopo absolutionem cuiuspiam casus occulti Summo Pontifici reservati: « Absolvere potest Episcopus per se vel per alium sibi de iure, vel *de voluntate saltem tacita sui superioris*, subditos ob omnibus casibus etc. ».

98. Absolvamus hanc partem: conati sumus demonstrare, cum sollemnes Ecclesiae sanctiones et intrinseca sacramenti natura postulent, ut nemo absolvi possit nisi a proprio Ordinario aut ab alio, qui habeat iurisdictionem delegatam ab Ordinario, idque iure divino et ubicumque (idest aut extra aut intra dioecesim) fiat confessio, hinc necessaria illatione statuendum esse, iurisdictionem confessarii, *subditum alienum* absolventis, eos et eos *tantum* habere limites, quos ipse Ordinarius delegans apposuerit ac proinde necessario inferendum esse, a fundamentis esse falsam eam theoriam, quae in casu nostro id sibi arrogat, ut circumscribat iurisdictionem confessarii iis limitibus, quibus Episcopus dioecesis in qua fit confessio, eam circumscribit pro confessariis a se deputatis ad audiendos proprios subditos: quapropter perperam ab ipsa concludi, utut peccata reservata sint Ordinario poenitentis, hunc nihilominus posse absolvi, quando in dioecesi confessarii huiusmodi peccata non reserventur.

Iamvero haec omnia clarissime probata sunt demonstrando consensum Doctorum ad plura secula (et quidem consensum unanimem ante rerum confusionem inductam ab asseclis Suarez) in firmissimum principium de subiectione et dependentia, quae *iure divino*, quoad absolutionem sacramentalem, subiicit potestati et iurisdictioni Ordinarii proprii unumquemque subditorum, ubicumque moretur, dummodo remaneat. Principium autem hoc effecit, 1° ut facultas absolvendi extraneam aut peregrinum a reservatis semper penderet a facultate quam concederet aut negaret Ordinarius poenitentis eiusdem.

2° Effecit, ut semper a facultate concessa vel negata a praedicto Ordinario penderet *unice* talis absolutio: quapropter nunquam inductus est sermo de restrictionibus iurisdictionis, quas apposuisset confessariis Episcopus loci, ubi peregrinus confiteretur.

3° Effecit, ut licet doctores illi interdum discreparent inter se quandonam intelligeretur aut non intelligeretur concessa poenitenti a proprio Ordinario facultas, ut absolvi posset a reservatis, nihilominus

semper firmiter retentum sit, talem facultatem pendere et unice pendere ab arbitrio eiusdem Ordinarii. Quamobrem etiamsi extraneus pergeret ad confitendum Episcopo alicuius loci, per quem transeat, Episcopus eum non absolveret, nisi quatenus *delegatus* ab Ordinario peregrini, ut bene animadvertit etiam Marcantonius Genovesi in sua *Praxi* Curiae Archiep. Neapolitan. (cap. 67.) Paulo V. inscripta et Romae edita ann. 1669.: « Quilibet Episcopus potest absolvere a reservatis alteri Episcopo peregrinos *ex expressa voluntate sui Episcopi, vel tacita...* et dum consentit, censetur facere suum delegatum ».

99. Superest, ut ostendamus quo pacto a doctrinis fundamentalibus, ex quibus deducitur peregrinum extra dioecesim non posse absolvi a casibus reservatis proprio Ordinario, nisi ab hoc obtinuerit specialem facultatem, deducatur praeterea tanquam corollarium aeque necessarium, eundem peregrinum, quando confiteatur peccata quae sibi eius Ordinarius non reservaverit, posse absolvi ubicumque, quantumvis in dioecesi, ubi confitetur, illa peccata reservata sint.

100. Res autem, iuxta Theatinum Aversa (*de Poenit.* l. 17. sect. 3.), paucis expediri potest, si dicamus, debere tali conclusioni favere eos omnes, qui admiserunt etiam praecedens corollarium, nempe peregrinum non posse absolvi a reservatis proprio Ordinario, quamvis non reserventur in loco in quo confitetur. « Quia (ait Aversa et quidem perbene) ita videtur cohaerenter ad eam doctrinam dicendum, ut reservatio referatur ad omnes subditos, ubicumque sint non referatur ad non subditos, etiamsi in eodem loco sint ». Quam in rem etiam Suarez consentit (infr. n. 147.).

101. Revera, recepta sententia peregrinum absolvi extra dioecesim per *iurisdictionem indirecte delegatam* a proprio Ordinario illi confessario qui eligatur, ecce tibi clarissima ratiocinatio: Confessarius in casu ex delegatione accepit iurisdictionem ad absolvendum ab omnibus illis quae *delegans* semetipsi non reservaverit: atqui ex hypothesi peccata peregrini non sunt ex iis, quae Ordinarius delegans sibi reservavit, ergo confessarius habet iurisdictionem, ut ab iis omnibus absolvat. Ita Schmalzgrueber: « Delegati potestas ex auctoritate et potestate delegantis metienda est et ex mandato concesso: nam delegatus in iurisdictione sibi concessa vices delegantis gerit (Schmalzgr. l. 1. tit. 29. n. 31.).

102. Ita reapse ratiocinatur noster Stoz (*Tribun. Poenit.* l. 2. q. 2. §. 5. n. 64.): « Confessarius viatorem ex aliena dioecesi venientem absolvit per iurisdictionem ab Episcopo vel Parocho viatoris ex recepta consuetudine delegatam. Atqui haec non est ab iis ullo modo restricta. Ergo etsi confessarius vi suae ordinariae iurisdictionis non possit a casu

in sua dioecesi reservato *subditum suum* absolvere, potest tamen vi iurisdictionis delegatae absolvere viatorem ex alia dioecesi, in qua casus ille non est reservatus.

Quam evidentissimam rationem tetigit etiam Reuter scribens (*de Poenit.* n. 371.): « Quia absolvit vi iurisdictionis delegatae ab Episcopo, qui peccatum illud non reservat ».

103. Alio modo Ugolinus rationem reddit, quae tamen in praecedentem recidit, nempe reservationem non afficere neque afficere posse nisi subditos reservantis. Ita ipse (*de Offic. et potestatibus Episcopi*, cap. 39. §. 95. n. 1.) « Primum igitur in hos casus reservatos non incidit qui ei subditus non est, qui casus sibi reservavit ». Huc redit ratio quam affert Naldi (*Summ.* V. *Cas. res.* n. 8.). « Non afficit vagabundos (reservatio) neque *non subditos reservanti*, seu alienigenas, cum non habeant domicilium in dioecesi reservantis ».

In rem nostram Struggl idem affirmavit (tr. c. q. 3. art. 4. n. 48.). « Poenitens peregrinus potest a quovis legitimo confessario absolvi, quando affert casum reservatum in dioecesi confessarii, non vero reservatum in dioecesi poenitentis... Ratio quia reservatio peccatorum non valet nisi circa subditos Episcopi reservantis ».

De cetero principium, cui Ugolinus et Struggl heic innituntur, adeo certum est, ut Lugo (*de Poenit.* disp. 20. n. 9.) ut regulam generalem statuerit: « eorum peccata posse reservari qui *subditi sunt reservanti* ». Pari modo Arriaga (*de Poenit.* disp. 40. n. 4.) ad quaestionem, *quorum peccata possint reservari* respondet « eorum omnium *supra quos habet iurisdictionem qui reservat* » idcirco Eusebius Amort reservationem ita definit. « Est restrictio iurisdictionis in *subditos* ».

Imo ipsum Concilium Tridentinum hoc sancit, dum (sess. 14. cap. 7.) ait, Episcopos posse reservare peccata pro illis *in subditos tradita... auctoritate* ».

Sed omissis auctoritatibus doctorum et definitionibus Conciliorum, non est difficile intellectu, cum reservatio *sit restrictio iurisdictionis*, certe non posse eam restringere nisi qui ea praeditus sit. Iamvero Episcopus in extraneos non habet iurisdictionem; quia iurisdictio est *potestas in subditum*: ergo *negandum est suppositum*, Episcopum posse pro eo, qui non est subditus, laxare aut coarctare iurisdictionem.

104. Nec obiiciat quisquam, extraneum facere se subditum dum confitetur. Responderet enim Navarrus (In c. *Placuit, de Poenit.* disp. 6. n. 27.) quod *subiectio debet esse legitima*, idest facta cum facultate Ordinarii, qui est superior subditi. Et supra (not. ad n. 42.) innuimus iam quae sit in hac re doctrina communis et inter cetera notavimus vitium huiusce difficultatis; cum enim idem sit dare iurisdictionem et

praestare alicui subditum, iam extraneus daret iurisdictionem confessario. Reginaldus (*Praxis trib.* l. 1. n. 25.): « Notandum est, ait, *applicationem subditorum*, in QUA MAXIME IURISDICTIO HAEC CONSISTIT, fieri vel via ordinaria vel delegatione ». Atque adeo in hanc rem Navarrus in medium adducit (lib. c. n. 17.) sententiam iuris: *privatorum consensus non potest dare iurisdictionem ei qui nullam habet.* Sin autem intercedit consensus Ordinarii, qui est superior poenitentis, habemus iam *delegationem iurisdictionis,* quam restringere spectat ad illum qui eam concedit, non vero ad Episcopum loci. Hinc egregie laudatus Navarrus post Caietanum (c. n. 16.) animadvertit, tantummodo s. Pontificem, QUIA NON HABET SUPERIOREM, *posse se cui volet subdere et ab eo absolvi.* Reliqui omnes et etiam Episcopi in tantum possunt *se subdere alicui*, in quantum habent talem facultatem a legitimo Superiore et ab hoc derivatur iurisdictio in eos, qui debent ipsos absolvere. Doctores, quos sequitur s. Alphonsus, negant communiter posse extraneum quempiam dispensationem ab aliquo voto petere ab Episcopo loci per quem transit. Nihilominus nonne haberetur in hoc casu *subiectio voluntaria,* quae dicitur sufficere?

105. Afferam heic aliam considerationem Engel, quia utilis est ad melius semper dignoscendum, quam male talis fulciatur nova doctrina. Ita ergo ratiocinatur Engel (*Manual. paroch.* p. 3. c. 2. n. 7.): « Quaero: quando casus poenitentis non est reservatus in propria dioecesi ipsius, an debeat remitti ad Episcopum proprium vel ad Episcopum loci ubi confitetur? Non ad proprium, quia ille casum sibi non reservavit: non etiam ad Episcopum loci ubi confitetur, quia non est ipsi subditus, et reservationes casuum tantum intelliguntur circa subditos (Trid. sess. 14. c. 7.); sunt enim introductae, ut quilibet Episcopus suos, non alienos, subditos in officio contineat ». Ita quoque ratiocinatur alius Benedictinus Paulus Mezger (*Theol. Schol.* tr. 18. disp. 49. art. 2. §. 2. n. 25.): « Reservatio casuum ab Episcopo facta non est nisi circa suos subditos: sed ex hypothesi confitens non est huius Episcopi subditus, in cuius dioecesi confitetur; ergo neque circa ipsum valet reservatio. Et quo talis poenitens foret remittendus? An ad Episcopum proprium? sed apud ipsum casus non est reservatus: an ad alienum? sed ille nullam hebet iurisdictionem in alterius dioecesis subditum ».

Iam vero animadvertatur quaeso, qua ratione conatus est Voit ex hoc se loco extricare. Cum non audeat dicere poenitentem remittendum esse ad Episcopum loci, cuius non est subditus, inquit *saltem a confessario petendam esse licentiam ab ordinario pro hoc casu absolvendi a reservato.* Sed si talis poenitens non potest remitti ad Episcopum loci, quia hic non habet in eum iurisdictionem; quandonam posset hic delegare confessario iurisdictionem quam ipse non habet?

Voit (ibidem) aliud consilium insinuat, nimirum remittendi hunc poenitentem ad alium confessarium, qui habeat facultatem pro reservatis. Optime! Sed si non potest remitti ad Episcopum, quia non est eius subditus, num talis poenitens erit magis subditus Canonici Poenitentiarii? Aut hic Poenitentiarius, qui omnem suam auctoritatem habet ab Episcopo, maius aliquid facere poterit quam Episcopus ipse qui nihil potest?

Tandem Voit tertiam viam ostendit, si nempe poenitens remittatur ad confessorem suae dioecesis ubi casus non est reservatus. *Potest remitti ad quemlibet confessarium suae dioecesis:* ita ut res hunc habeat exitum, ut poenitens absolvi possit solummodo, si domum revertatur ubi peccatum non est reservatum.

Sed quomodo sic observatur illud quod etiam decreta Pontificia praecipiunt, cum poenitens habeat casum reservatum pro quo confessarius non habeat potestatem, remittendum esse ad *suum legitimum superiorem et iudicem?* Et quoniam in casu nostro superior legitimus dicit, non referre, ut ad se remittatur ille poenitens, quoniam illius casus absolutionem sibi non reservat; quare ad ipsum esset remittendus?

Sed haec est rerum confusio, quae necessario sequatur oportet, veris principiis abiectis. Voit paulo ante (n. 839.) dixerat cum Laymann, peregrinum absolvi *ex tacito consensu sui Ordinarii* et hoc significat, absolvi ex auctoritate ab hoc delegata. Sed si absolvitur auctoritate delegata ab Ordinario poenitentis et idem Ordinarius sibi non reservat illud peccatum, num confessarius iudex delegatus non habet iam auctoritatem?

106. Ceterum etiam sine magna investigatione argumentorum, quorum vi Doctores definierunt absolvendum esse poenitentem *extraneum* a peccatis, quae eius Ordinarius sibi non reservavit, utcumque ea reservata aut non reservata sint in dioecesi ubi fit confessio, argumentum certe cuiusdam ponderis in eo situm est, quod ante Suarez ne UNUM quidem reperire sit qui affirmaverit, non posse talem poenitentem absolvi, vel qui de hac re vel minimam dubitationem iniecerit. Iamvero num dicemus, in Ecclesia Dei usque ad Suarez a nemine compertum fuisse, qua se ratione gerere deberet confessarius in huiusmodi casu, ceteroquin frequenti et usque ad Suarez omnes in praxi turpiter erravisse?

107. Praeterea, unde quaeso putandum est accidisse, ut non solum ante Suarez nemo dixerit aut suspicatus fuerit, talem poenitentem in iis circumstantiis non posse absolvi; verum etiam ut Doctores, *maximam partem* ne mentionem quidem fecerint huiusmodi quaestionis?

(Vide elenchum auctorum quos supra allegavimus n. 12. quos inter antiquissimi, nempe Medina, Graffius Ledesma, Vega et Ugolinus sub finem sec. XVI. floruerunt).

Hoc enim profecto factum est, ut ante Suarez Doctores generatim disputarent utique de illo, qui extra dioecesim confiteatur et habeat peccata proprio Ordinario reservata; at vero utrum qui non haberet peccata proprio Ordinario reservata posset aut non posset absolvi propter reservationes dioecesis, ubi extraneus ille confitetur, de hoc, inquam, vix ullus illorum est, qui vel minimum verbum fecerit.

Cuius facti rationem difficile illi non est intelligere, qui mentem non habeat occupatam praeiudiciis novae doctrinae: est autem ratio quod quaestio ipsa est per se absurda et in tantum absurda, ut in mentem venire non potuerit cuicumque notitiam habenti principiorum, quae quoad hanc materiam vigent. Et revera cum sententia teneatur, neminem in itinere posse valide confiteri, nisi habeat a suo Ordinario facultatem eligendi confessarium et tale confessarium hac una re habere iurisdictionem ad eum absolvendum, quoniam haec illi ab Ordinario poenitentis traditur; quid iam refert inquirere, utrum confessarius hic habeat et in qua mensura habeat ab aliis iurisdictionem pro aliis subditis, ex. gr. utrum a Cardinali aliquo pro monasterio monialium *exempto* et ab Episcopo dioecesis pro suis subditis.

Quidnam dicendum esset de hoc confessario, si ex. gr. vellet absolvere subditos Episcopi iuxta mensuram iurisdictionis ipsi commissae pro monialibus et ob eam causam dimitteret sine absolutione fideles conscios certi cuiusdam peccati; quia hoc peccatum, quod ad moniales attinet servatum est: aut viceversa absolveret moniales peccato reservato quidem in earum ordine, sed ab eo absolveret utendo mensura iurisdictionis quam habet pro fidelibus, pro quibus illud peccatum non est reservatum? Sapientia, credo, huius confessarii risum moveret. Verum enim vero cuperem ego scire, quid iam discriminis intercedat inter commutationem iurisdictionis pro monialibus cum alia ipsi commissa pro fidelibus et commutationem iurisdictionis habitae ab Ordinario loci pro suis subditis cum alia ipsi delegata ab Ordinario peregrini?!

Hanc rerum confusionem ne suspicati sunt quidem Doctores illi: en ratio manifestissima et vera, cur de confessionibus peregrinorum aut extraneorum tractantes nunquam pensi habuerunt nec commemorarunt quidquam, quod referendum esset ad iurisdictionem aut reservationem propriam loci, ubi fieret confessio, sed solum perpendendum duxerunt, cuiusmodi iurisdictionem delegaret aut non delegaret Ordinarius, ad quem spectaret peregrinus poenitens: ideoque nunquam

potuit illis venire in mentem dubitatio, utrum peregrinus posset absolvi a peccato, quod sibi eius Ordinarius non reservasset.

108. Magis mirabile autem illud est, etiam defensores novae theoriae imprudenter, cum adversariis suis consentire et principium concedere, *cum peregrinus absolvitur facultate habita ab eius Ordinario, tunc nullam rationem habendam esse reservationum loci ubi ille confitetur.*

Et ecce quo demum modo veritas ipsa ex ore Arriagae hanc verissimam doctrinam expressit. Ipse (*de Poenit.* disp. 39. n. 33. 34.). postquam definivit, in absolutione danda extraneo servandas esse reservationes loci, hanc sibi facit obiectionem: « Ergo etiamsi veniret cum eo peregrino proprius parochus, non posset eum absolvere ab eo peccato ibi reservato, quod in loco unde exierunt non est reservatum ». Iam vero en responsum: « Respondeo negando consequentiam; quia *parochus proprius habet potestatem absolvendi non ab Episcopo loci ubi illi iam sunt, sed eius unde exierunt: ibi autem illud peccatum non erat reservatum;* ac proinde Episcopus dederat ei parocho facultatem etiam pro eo peccato ».

Ergo optime concedit, 1° Episcopum poenitentis, nisi peccatum sit ipsi reservatum, facultatem dare ab eo absolvendi: 2° qui habet hanc facultatem ab Episcopo poenitentis, posse eum absolvere etiamsi illud confiteatur in dioecesi aut loco ubi peccatum illud reservatum est. Egregie in hanc rem Vincentius Candidus (*de Censur.* disp. 22. art. 25. n. 9.). « Quando exercetur iurisdictio voluntaria, attenditur magis conditio personae, *si sit subdita*, quam conditio proprii territorii ». Iamvero haec est causa, quamobrem Doctores (vide sup. n. 102.) dicunt talem poenitentem posse absolvi, quoniam absolvitur iurisdictione ab eius Ordinario indirecte delegata.

109. Hoc ipsum confiteri coactus est Edmundus Simonet (*de Poenit.* disp. 9. art. 6. resp. 7.) ubi scribit: « Excipiendus est casus, quo quis ibi (hoc est in aliena dioecesi) confiteretur proprio parocho vel Episcopo; ibi enim posset ab illis absolvi, quia illorum iurisdictio plane independens est ab Episcopo loci, in quo casus est reservatus sicque ab absolvendo impediri non possunt per reservationem factam ab Episcopo loci, in quo illis suus subditus confitetur ». Ubi praeclaram veritatem confitetur, iurisdictionem Ordinarii poenitentis esse omnino independentem (plane independens) a iurisdictione Episcopi localis et propter hanc ipsam causam (sicque) qui habet iurisdictionem aliunde non posse impediri quominus absolvat, ob reservationes Episcopi localis.

110. Etiam Cardinalis de Lugo (*de Poenit.* disp. 20. n. 73.) debuit in hanc sententiam concedere positaque thesi: « si poenitens confiteatur aliquod peccatum quod in loco a quo discessit non erat reservatum, in

loco tamen confessionis sit reservatum, confessarium non posse eum absolvere », ecce illum hanc sibi difficultatem facere. « Dices : si parochus proprius simul veniret cum hoc peregrino, suo subdito, posset hic illum absolvere sine licentia ad reservata ab illo peccato, quod in eius dioecesi non est reservatum, licet hîc sit reservatum : ergo etiam parochus huius loci potest eum absolvere, tanquam a non reservato. Respondet autem sic : Respondeo negando consequentiam : ratio differentiae est, quia parochus ille prior non habet suam iurisdictionem *ab hoc Episcopo,* sed ab Episcopo proprio, vel dependenter ab illo. *Quare eius solus Episcopus potuit per reservationem auferre vel limitare eius iurisdictionem, non vero iste alius Episcopus, a quo non dependet; ideo respectu illius parochi non est reservatum tale peccatum sui subditi* ». Addatur modo principium, peregrinum non esse absolutum nec posse absolvi extra dioecesim nisi per iurisdictionem delegatam ab eius Ordinario et habebimus claram conclusionem : Episcopum loci, quotquot faciat reservationes, non posse impedire quin peregrinus absolvatur; quia cohibere iurisdictionem est solius Ordinarii peregrini, non vero loci.

111. Dicastillus adhuc melius hypothesim instituit sacerdotis, qui habeat iurisdictionem mere delegatam ab Episcopo peregrini. Ita ipse : (*de Poenit.* disp. 40. dub. 16. n. 241.) : « Si agamus de iurisdictione voluntaria et extra forum contentiosum, qualis est haec, tunc si ille confessarius habebat iurisdictionem, *saltem delegatam in illo Episcopatu* in quo non est reservatio, potest absolvere praedictum poenitentem, etiamsi casus sint reservati in Episcopatu, in quo est, dum confitetur; potest enim illum absolvere *utens iurisdictione quam habet in Episcopatu domicilii poenitentis, comparatione cuius iurisdictionis ille casus non est reservatus* ».

Iamvero haec est ipsa conditio illius qui absolvere debet subditum alterius Episcopatus; quod nempe habeat iurisdictionem delegatam ab Ordinario eiusdem subditi. Ergo...

Supponitur tamen in hoc casu Confessarium habere iurisdictionem Episcopi loci, ubi peregrinus confitetur; quod non requiritur pro parocho.

112. Denique, ut alios omittam, etiam Salmanticenses eandem exceptionem approbant (*de Poenit.* cap. 13. n. 27.) : « Si parochus proprius simul veniret, cum hoc peregrino suo subdito, posset hic illum absolvere sine licentia ad reservata ab illo peccato, quod in eius dioecesi non erat reservatum, licet hîc esset reservatum... Imo... si confessarius ille habeat iurisdictionem, saltem delegatam ab illo Episcopatu domicilii poenitentis, a quo discessit peregrinus et in quo non erat reservatio, potest absolvere praedictum poenitentem, etiamsi casus sint reservati

in Episcopatu in quo est, dum confitetur; *quia potest eum absolvere utens iurisdictione, quam habet in Episcopatu domicilii poenitentis, comparatione cuius iurisdictionis ille casus non est reservatus* » (a).

113. Concludamus igitur, etiam iuxta sententiam eorum, qui novae doctrinae studuerunt, legitimum esse alterum illud corollarium, de quo agimus, hoc est, posito principio, peregrinum non absolvi nisi per iurisdictionem ab eius Ordinario communicatam, inferendum inde esse: posse eundem peregrinum absolvi a quocumque peccato non reservato in patria sua, quamvis reservatum sit in dioecesi in qua confitetur.

Iamvero peregrinum et qualemcumque hominem non posse absolvi tum in dioecesi tum extra nisi ab eius Ordinario aut ab alio, qui ab illo habeat ad hoc facultatem delegatam, veritas est quam nos confirmavimus etiam suffragio novae theoriae assertorum (vid. supr. n. 33.-45. et n. 48.-54.) quos inter vel ipsos Salmanticenses attulimus. Imo videbimus paulo inferius duo auctorum paria difficile inveniri, qui hoc principium negaverint, quamvis plures omnia postea confundant et singulis quoque momentis secum ipsi pugnent. Ergo. Nec quisquam miretur, hosce Doctores ita aberrasse; nam arrepto falso itinere quid aliud consequi poterat?

114. Superest ut pauca dicamus de novis his theoriis, ut pateat, quam verum sit quod alias dictum est, nempe hisce novis sententiis non posse concedi nisi probabilitatem aliquam *mere extrinsecam*.

Nova haec theoria statuit principium: poenitentem utcumque *non subditum* iudicandum esse iuxta leges loci: hinc a simplici sacerdote debere aut non debere absolvi, prout culpae sunt aut non sunt in illa Dioecesi reservatae.

Quocirca discrimen inter hanc novam theoriam et aliam nobis a doctoribus traditam huc redigi potest: nova theoria vult, ut solum attendatur ad reservationes loci ubi fit confessio et nullatenus ad eas, quae sunt in dioecesi poenitentis: alia theoria vult ex opposito, ut attendatur unice ad reservationes dioecesis poenitentis et nullatenus ad eas quae sunt in dioecesi, ubi fit confessio.

115. Primus novae theoriae auctor fuit noster Henricus Enriquez, qui in sua *Summa theologiae moralis* edita ann. 1591. l. 6. c. 14. n. 8., quod veteres de casu necessitatis seu paschalis praecepti a regula generali exceperant, hoc ipsum ad normam generalem traducit primusque infert canonem, *absolvi peregrinum posse a peccato in dioecesi sua reservato, si reservatum in confessarii dioecesi non sit.* Succedit Hen-

(a) In his supponuntur ea, quae spectant ad *approbationem*, hanc nimirum dandam esse ab Episcopo loci.

riquez discipulus Suarez arreptisque e magistro tribus fallacibus allegationibus, Paludani scilicet, s. Antonini et Caietani (quas dein videsis a longa Auctorum serie ad s. Alphonsum usque bona fide transscriptas) non modo canonem illum repetit, sed insuper novum inauditumque ad eam usque aetatem inversum canonem primus statuit de peregrino subiiciendo reservationibus dioecesis, cuius subditus non est, si in hac confiteri velit.

116. Notandum interea probe: Henriquez huiuscemodi doctrinas aliunde profitetur, quae, ipsis etiam suis asseclis fatentibus, novum aedificium penitus subvertunt.

Etenim primo quidem facultatem alienum subditum absolvendi repetit a communicatione iurisdictionis confessario facta ab Ordinario poenitentis, quo prorsus modo semper ab omnibus creditum est. Ita ipse (lib. 6. cap. 14. n. 28.): « Episcopus alienus peregrinum civem, dum in eius dioecesi negotium habet, posset absolvere a reservatis proprio Episcopo, *ex tacita ratihabitione*, praesertim si proprius longissime distat ». Ita quoque Tanner (*de Poenit.* q. 9. n. 86.): « Ordinarius potest absolvere peregrinum a reservatis, *sub ratihabitione proprii Episcopi*, si praesertim remotissime distaret proprius Episcopus ut si ex India veniret... ». Hanc autem ratificationem (ratihabitio) significare collationem iurisdictionis dixerat idem Henriquez paulo ante (ibi cap. 13. n. 13.): « Ratihabitio Praelati (quae propter necessitatem vel alias rationes creditur aliquo externo signo data in praeterito aut praesenti tempore) tribuit confessario iurisdictionem ».

Et rursus (cap. 8. n. 5.). « Peregrini non tantum tempore Paschae, ubi ratione communionis tenentur confiteri, sed alias possunt eligere per viam et in termino peregrinationis confessarium de expositis; consuetudo enim interpretatur habere proprii Pastoris *licentiam*, quamvis eam non petierint et alienus Episcopus, vel eius vicem habens posset ex quadam *tacita proprii Episcopi commissione*, illum a reservatis *proprio Episcopo* absolvere. ». Et ad evitandam quamvis aequivocationem, aut quodlibet sophisma, animadvertatur impense, Henriquez haec dicere, dum explicat assertum hoc (ibid.), « Item *datur iurisdictio ratione status* ». Et in adnotatione q. cap. 14. n. 8. dicit, Doctores, qui negant peregrinum absolvi posse a reservatis ab *Episcopo alieno*, ita esse intelligendos, ut Episcopus id non possit *proprio iure*.

Ita ergo Henriquez primus confusionis auctor in hanc materiam inductae. Iamvero vidimus iam, etiam fautores huiusce novitatis (supr. n. 108.-112.) tueri sententiam, non valere regulam seu novam theoriam (iudicandi nempe *secundum leges loci*) cum adhibeatur iurisdictio tradita ab Ordinario poenitentis. Ergo testibus ipsis eius fautoribus, Henriquez tradit nobis monstruosam doctrinam, quae se ipsam destruit.

117. Neque id sufficit: quoniam Henriquez praeclusit etiam vim illi effugio, quo nonnulli inter sequaces eius novitatum conati fuerant vitare portentosam contradictionem, quam nuper innuimus, cum nempe confugerent ad nescio quam iurisdictionem tributam *a consuetudine*, quin eam ab Ordinario poenitentis repeterent.

Etenim Henriquez (ut habetur ex eius verbis postremi textus allati) nullas alias consuetudini partes assignat praeter illam, ut sit signum seu interpres licentiae sive facultatis a Pastore proprio concessae poenitenti: *Consuetudo enim interpretatur, habere proprii Pastoris licentiam.*

Et clarius etiam paulo ante demonstraverat Henriquez, haud potuisse se dimoveri a doctrina, non solum universali, sed dicta etiam *iuris divini* (sup. nn. 49. 53.), quae doctrina in eo est, ut consuetudo non possit efficere, ut subditus alienus possit valide absolvi, non habita facultate a proprio Pastore. Ita Henriquez (lib. 6. c. 8. n. 2. « Consuetudo *quamvis conferre non potest iam iurisdictionem*, est tamen testis interpres tacitae licentiae, quam Pontifices (idest Episcopi) dum vident et tacent, censentur concedere ». Ergo ipse Henriquez e medio tollit unicam rationem, falsam utique, sed tamen quomodocumque aptam, ad eximendam ab intrinseca contradictione novam theoriam.

118. Quin imo Henriquez aliquid maius praestitit et aliud posuit principium, quod ex adverso opponitur novae sententiae, quae docet iudicandum esse poenitentem iuxta leges loci ubi fit iudicium. Haec quidem sententia est Henriquez (lib. 6. c. 14. n. 8.): *Reus iudicari solet secundum leges et consuetudines loci, ubi praesens adest:* at tunc solum locum habet cum reus subiicitur *foro loci;* secus falsa est. Ac proinde cum ex. gr. Episcopus intra fines alterius dioecesis sine strepitu iudiciali aliquam edit sententiam aut hoc facit cum consensu etiam Ordinarii localis, tunc certe nullam habet obligationem iudicandi *secundum leges et consuetudines loci* et idem dicatur, si alius ibi hoc idem praestet ex delegatione illius Episcopi; nam leges et modus iudicii determinanda sunt ab eo qui dat facultatem iudicandi (vide sup. n. 101.).

En igitur id, quod diximus praestitisse Henriquez (lib. 6. c. 7. n. 2.); is enim proclamat doctrinam aliunde communissimam (etiam Lugo disp. 19. n. 9. ait oppositam doctrinam ab omnibus merito reiici) quod extraneus, ne *ratione quidem delicti acquirit forum favorabilem ut ab alieno possit a peccatis absolvi*, quamvis ratione delicti in foro EXTERIORI *iure puniri possit a iudice territorii* et hoc bene habet cohaerenter ad aliam doctrinam, quam etiam Henriquez sequitur (supr. n. 116.), quod *alienus absolvit ex commissione Pastoris proprii*

poenitentis. Cum igitur haec non sit causa pertinens ad *forum loci* pertineatque ad *forum illius*, qui delegat facultatem iudicandi illam causam, manifestum est, male ominatum illud principium, iuxta quod debet aut solet *iudicari secundum leges et consuetudines loci*, praepostere ab Henriquez invocatum esse et contra alia principia ab ipso admissa.

119. At enim posset quis dicere, Henriquez ut confirmaret principium, *quod possit aut debeat iudicari peregrinus iuxta leges loci*, idcirco attulisse sententias Doctorum quoad absolutionem, quae dari possit peregrinis a peccatis in eorum patria reservatis.

120. Ad quod respondeo 1° hoc argumentum claudicare, in quantum scilicet illud principium ex dimidiata tantum parte comprobaretur: nimirum dumtaxat quoad absolutionem, quae dari possit peregrinis ab eorum reservatis; non vero quoad recusandam absolutionem a peccatis quae reservata sint in dioecesi quidem confessarii non autem in dioecesi poenitentis.

121. Respondeo 2° argumentum illud claudicare quoque; quia *conclusio non continetur in praemissis*. Nam dato etiam, verum esse iuxta Doctores ibi allegatos, peregrinum posse accipere aut ab Episcopo aut ab alio absolutionem a peccatis in propria dioecesi Ordinario reservatis, hoc non significat eum iudicari iuxta leges aut consuetudines loci nec Doctores illi unquam dixerunt posse id fieri, *nisi peccata illa reservata sint in dioecesi confessarii*, quod arbitrio suo addidit Henriquez.

122. Sed magis notandum est, argumentum claudicare etiam quantum ad praemissas, quae falsae omnino sunt; falsum est enim Doctores ab Henriquez allegatos quoad absolutionem a reservatis, pro peregrinis, docere quae ipsis ille tribuit.

Huc autem spectabant praecipue mea verba, cum dixi (sup. n. 56.) novam theoriam natalibus sat parum honestis ortam; cum reipsa pro primo fundamento nihil aliud habeat quam nonnullas allegationes prorsus falsas: ita ut merito quis indignetur cernens, quam leviter, in rebus tam gravibus, animi a veritate abducti sint.

123. Sententiae, quas Henriquez tribuit Doctoribus, sequentes sunt (lib. 6. c. 8. n. 5.). « Alienus Episcopus vel eius vicem habens posset, ex quadam tacita proprii Episcopi commissione, illum (peregrinum) a reservatis proprio Episcopo absolvere ». Et iterum (lib. 6. cap. 14. n. 8. « Episcopus alienus peregrinum civem, dum in eius dioecesi negotium habet, posset absolvere a reservatis proprio Episcopo, ex tacita proprii ratihabitione ».

Animadvertatur attente generalitas harum propositionum (a) et videamus postea allegationes, quas addit Henriquez aut in uno loco aut in alio aut utrobique.

124. Ipse igitur 1° in secundo loco (nota q) incipit ab allegandis Paludano et s. Antonino. Iamvero Paludanus et s. Antoninus 1° non sunt locuti nisi de occasione aut necessitate Paschalis praecepti adimplendi: 2° ne verbum quidem fecerunt vel de Episcopo vel de Vicario; nam ne suspicati sunt quidem hasce absolutiones ad potestatem Episcopi localis esse ferendas. Eorum textus attuli iam supra nn. 78. 79.

125. 2° Utrobique dicit Henriquez id admitti a Dominico Soto dist. 18. q. 2. art. 5. ad 2. Hoc autem pura puta est falsitas. Sotus ibi nihil aliud dicit nisi hoc: in casu necessitatis *inferior absolvit directe a non reservatis, consecutive tamen* (nos dicimus *indirecte*) *a reservatis, cum poenitens firmum habeat propositum recurrendi ad Superiorem.* Et alio in loco q. 4. art. 2. dicit contrariam sententiam esse probabiliorem.

126. 3° Utrobique allegat Henriquez Navarrum in *c. Placuit.* n. 83. Hoc est aliud erratum: Navarrus enim nihil aliud ibi dicit aut tuetur nisi hoc: neminem ratione delicti sortiri *forum conscientiae;* quam ibi ipse merito appellat *doctrinam communem.* Haec autem doctrina contraria est doctrinae Henriquez, ut vidimus n. 118.

127. 4° Henriquez allegat Richardum a Mediavilla (in 4^{m} disp. 18. art. 9. q. 5.). Sed hoc nihil est ad rem; nam dicit solummodo (N. B.), PROPRIUM Episcopum posse absolvere a peccato etiam extra territorium patrato. « Episcopus *alicuius* potest illum absolvere a peccatis quae extra suum Episcopatum commisit ». Quidnam habet hoc commune cum absolutione extranei non subditi?

128. 5° Allegat Henriquez Antonium Cordova et innuit duo loca, nempe 1° *Cas.* 18.: 2° lib. 1. cap. 11. init. Sed perperam. Nam primo in loco Cordova loquitur de eo, qui habeat casum Papae reservatum et impediatur ire Romam aut inveniatur in articulo mortis et hoc est omnino extra quaestionem. In secundo dicit solummodo, « in casu extremae necessitatis quemlibet sacerdotem posse in quemlibet et a quovis casu ac sententia reservata absolvere » et id quoque non est ad rem.

129. Allegat 6° Henriquez duo loca Covarruviae, idest *Pract.* c. 11. n. 4. et in c. *Alma* §. 12. vers. *Est hic.* Sed primus locus continet doctrinam, quae nullum habet ordinem ad casus reservatos, quaeque aliunde (sup. n. 118.) subruit theoriam, quae statuit, reum iudicandum

(a) Cf. supr. nn. 58. seqq.

esse ex legibus loci: hoc est « in animae iudicio neminem ratione delicti forum sortiri, nec illius subditum ea ratione fieri cuius alioqui iure non esset ». In secundo loco nullum reperio versum qui incipiat *Est hic* nec in tota illa paragrapho quidquam legitur quod faciat ad rem.

130. 7° Allegat Henriquez Summam Silvestrinam V. *Absolutio* 4. §. 4. n. 6. Error et iste perinsignis, ut intelligi potest ex iis quae de isto auctore superius attulimus (n. 89.), in quibus docet prorsus oppositum. In loco citato autem Prierate agit de quaestione, quisnam possit aliis committere facultatem absolvendi a censura *ob clerici percussionem* et dicit etiam Episcopos id posse in quibusdam casibus: quae quidem res ad propositum nostrum nihil confert.

131. Allegat Henriquez etiam *Summam Armillæ* V. *Excommun.* §. 35. Heic autem, relate ad absolutiones ab Episcopo impertiendas, nihil aliud occurrit, nisi *excommunicationem contra impedientes litigare in Romana Curia, esse episcopalem*, praemissa satisfactione. Quid hoc ad quaesitum ?

132. Tandem allegat ipse alium Soti locum (in 4^{m} dist. 18. q. 4. art. 2.) et alium ex *Manuali* Navarri (cap. 27. n. 261.). Iamvero locus Soti non alius est, quam qui a nobis iam superius recitatus est (sup. n. 69.) et quem etiam Suarez iudicavit (*de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 4.) contrarium novae theoriae. Quod autem ad Navarrum spectat, nihil aliud habetur nisi ea singularis eius opinio, praesumendum esse Episcopum consentire poenitenti, ut habeat absolutionem a reservatis, quando in alia dioecesi *confugiat ad eum, qui pro reservatis habeat facultatem* (vid. sup. n. 95.): quam opinionem iam ab aliis vidimus refutatam. Imo ipse Henriquez (l. c. cap. 8. not. q) reprehendit Navarrum, perinde ac iste praesumat, peregrinum, ut consequatur absolutionem, habere obligationem revertendi in propriam dioecesim. Et revera nova doctrina non exigit ut confessarius habeat facultatem pro reservatis.

133. Alia doctrina, quam Henriquez praesumpsit confirmare suffragiis Doctorum, haec est (lib. 6. c. 14. n. 18.): « Si autem casus ille, qui a proprio Episcopo erat in sua dioecesi reservatus, non reservatur in dioecesi ubi adest peregrinus, posset illum parochus (huius dioecesis) absolvere ». Pro qua doctrina allegat

1° Dominicum Soto disp. 18. q. 2. art. 5. Notavimus autem superius, esse hoc prorsus falsum.

2° Citat Emmanuelem Rodriguez §. 9. n. 92. in *Bullam Cruciatae*. Et haec est alia manifesta falsitas: nam Rodriguez dicit imo eo in loco, credere se magis veram oppositam Medinae sententiam. Consulatur

locus, quem supra nos attulimus n. 62. Praeterea Rodriguez quaestionem instituit de confessario, qui habeat facultatem pro reservatis. Haec autem non est Henriquez quaestio; ergo etiam ex hac causa perperam facta est haec allegatio.

3° Citat *Manuale* Navarri cap. 27. n. 261. Sed haec quoque est falsitas: nam (quidquid sit de opinione Navarri ut dictum est n. 132.) Navarrus loquitur de confessario, qui habeat privilegium absolvendi a reservatis, dum Henriquez quaestionem instituit de parocho.

4° Citat etiam Caietanum (*Summ.* V. *Absolutio* 2°); sed hoc quoque falsum est et sane clarissime Caietanus mentem suam aperuit. Vide eius verba superius n. 59.

134. Tandem Henriquez confugit ad declarationem Eugenii IV. (Vide sup. n. 83.). Sed hoc quoque frustra in medium affertur pro generali illa assertione, aut in genere pro nova theoria. Nam quomodocumque libeat eam declarationem interpretari, semper certum erit et manifestum, eam unice spectare occasionem obeundi Paschatis (vid. sup. n. 83.). Incassum ergo et praepostere affertur ad statuendam regulam generalem pro qualibet confessione, quae fiat extra dioecesim.

Sed in loco allato (sup. n. 83.) satis demonstratum est, sive considerentur dubia quae tunc movebantur circa huiuscemodi quaestionem, sive spectetur ratio qua uterque Sotus atque Navarrus talem declarationem intellexerunt, prudenter dubitandum esse de sensu et amplitudine quam ipsi tribuit Caietanus et probabilissimum est, si vere Eugenius IV. declarationem ullam fecit unquam in hanc rem (nam alii sunt ex. gr. Theatinus Megala *Instr. Confess.* part. 1. lib. 1. cap. 7. n. 15., qui de ea loquuntur tanquam de re satis incerta) probabilissimum est, inquam, eum istud unum significare voluisse, *non esse liberum viatoribus,* quibus praeceptum Paschale extra dioecesim erat adimplendum, *ut arbitrio suo confessarium eligerent quemcumque sacerdotem,* sed eos servare debuisse *leges loci,* hoc est debuisse confiteri aut parocho aut alii, qui ab hoc expositus esset ad confessiones audiendas (vid. sup. n. 83.).

Et ad hanc conclusionem alia nos impellit eaque gravissima ratio. Etenim valde ponderandum est, si reapse Eugenius statuisset ut viatores (dico *viatores* et non *peregrinos;* quia, ut bene animadvertit Navarrus post Caietanum declaratio versaretur solum circa primos et non circa secundos: vid. Navarr. in cap. *Placuit* n. 66. 67.) saltem occasione implendi praecepti Paschalis subducerentur certo quodam modo suorum pastorum iurisdictioni, ita ut facultas eos absolvendi non amplius a propriis pastoribus proveniret, atque tales poenitentes independentes fierent tum a potestate tum etiam a legibus eorundem et proinde

decrevisset talem potestatem (et cum potestate etiam eius amplitudinem) repetendam esse a delegatione Sedis Apostolicae; si hic inquam, esset sensus declarationis Eugenii IV., certe non multa exstarent decreta Pontificia, quae huic possent, quoad rei magnitudinem, comparari.

Ageretur enim heic de gravissima mutatione disciplinae et quidem in re quae iurisdictionem Episcoporum afficit et quod magis est, in quaestione de Sacramentis et de validitate absolutionum et non pro casu aliquo singulari et raro, sed pro casibus in toto terrarum orbe frequentibus. Iamvero Summum Pontificem voluisse inducere talem mutationem simplici *Oraculo vivae vocis* et oportere nos fidem adhibere famae unius *Oraculi vivae vocis*, quod cuinam traditum sit, quando et ubi etc., penitus ignoratur, aut debere nos admittere decretum tanti momenti, quia Caietanus recordatione aliqua meminerit se illud legisse, quin quisquam noverit, ubinam illud legerit aut quisnam hoc illi narraverit: decretum autem illud tantae gravitatis et usus tam communis per totius orbis terrarum amplitudinem ignoratum esse ab omnibus (nam Doctores omnes ratione prorsus contraria quaestionem definiebant) nec apud aliquem vestigium illius ullum aut memoriam superfuisse; sed solum fortuito nescio cuius chartulae occasione, quam sibi visus est *olim* Caietanus legisse, aliquam ipsius haberi cognitionem et quidem formulis tam ambiguis expressam: haec et alia similia nimis incredibilia sunt et paulo post videbimus, Sedi Apostolicae huiuscemodi disciplinam aut innovationem probatam nullo tempore fuisse. Ergo concludamus, nullam illius habendam esse rationem, etiam pro solo paschalis temporis praecepto exsequendo.

135. Cogamus nunc omnia in pauca: aut spectamus in semetipsa innovationem ab Henriquez inductam, allato in medium inaudito illo principio, ex quo *subditus alienus debeat iudicari secundum leges loci;* atqui hoc principium ab ipso Henriquez reprobatur, dum negat extraneum ratione delicti acquirere conscientiae forum (supr. n. 118.) et praeterea, cum vel ipse constituat poenitentem extraneum non absolvi nisi per iurisdictionem ab eius Ordinario delegatam confessori, ipsis eius asseclis fatentibus, totam, quanta est, theoriam ipse suam sus deque vertit (supr. n. 116.). Igitur haec theoria per se spectata monstrum est contradictionis seque ipsa destruit.

Aut spectatur praesidium extrinsecum auctoritatis; atqui nos reperimus verissimum esse quidem quod Henriquez ipse fassus est (lib. 6. cap. 8. n. 5. not. 9.) nempe *multos alios* (verius scripsisset *omnes* aut *prope omnes*) *contradicere;* ceterum nihil aliud nobis ob oculos ponit praeter syllogen inutilem falsarum allegationum (sup. n. 124.-133.). Et ipsa adeo iactata Eugenii IV. declaratio hinc quidem nullam habet

notam, qua homo prudens possit eam admittere; inde vero etiamsi admitteretur, proposito confirmando nullatenus inserviret. En praeclaram originem, en ornamenta eximia novae huius doctrinae.

136. Nec doctores, qui eam amplexi sunt, eius conditionem valuerunt in melius vindicare: utut inter eos censeantur ex illis quos etiam Engel (vid. sup. n. 75.) appellavit *graves et classicos*. Scriptores isti possunt commode in tres classes distribui: prima est eorum, qui pressius adhaeserunt Henriquez, quos inter primo loco statui potest Suarez eius discipulus. Secunda eorum est, qui visi sunt sentire, theoriae, qualis etiam a Suarez proponebatur, fundamenta laborare: ideoque alia ratione eam suffulcire conati sunt et horum dux videtur fuisse Card. de Lugo: tertia tandem eaque copiosior eorum est, qui non multum visi sunt laborare, ut inquirerent rationem eorum quae scripserunt, sed bona fide nonnulla ex una, nonnulla ex alia classe transscripserunt, quin persentiscerent, ea sibi invicem repugnare. Iam vero nullam ex tribus hisce classibus novae theoriae conditionem meliorem reddidisse, facile est demonstrare.

137. Et ut a prima initium faciam, Suarez (ex quo postea *plerique omnes* plus minusve transscripserunt) nihil novi externi praesidii certe invenit aut proposuit, nisi si novum aliquod fulcimen existimare velimus, quod, quos Henriquez contradictores suae doctrinae *multos* esse (vid. sup. n. 135.) confessus est, hos *multos* Suarez (*de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 4.) converterit in *aliquos* et unos nominaverit Sotum atque Navarrum. Nihilominus indubitatum est, hosce *aliquos* fuisse doctores omnes, quotquot usque ad eius magistrum Henriquez de hac materia tractaverunt, ut nostris ipsi oculis vidimus.

Attamen Suarez huiuscemodi intemperantiam quodammodo compensavit, cum abstinuit a recitanda longa illa inutilium allegationum enumeratione quam suppeditaverat Henriquez eius magister; eo enim contentus fuit, ut invocaret auctoritatem Paludani, s. Antonini et Caietani; quae quidem et ipsae aberrationes sunt a vero, sed numero tantum tres.

Et vana haec ostentatio trium harum allegationum ea ipsa est, quae postea a Suarez transiit ad eos omnes, qui hanc sententiam professi sunt usque ad s. Alphonsum (lib. 6. n. 589.). Quantumvis enim pervolvantur Auctores et eorum allegationes inspiciantur, facile intelligitur, Caietanum et ut plurimum etiam Paludanum et s. Antoninum in medium semper adduci, adiectis (ut facile intelligitur) Suarez, Lugo etc., qui commentum hoc exscripserant.

Tribus illis falsis scriptorum auctoritatibus Suarez addidit celebrem Eugenii IV. declarationem, eam interpretatus eodem prorsus pacto quo

Henriquez. Et haec est universa extrinseca auctoritatis suppellex, cui nemo quidquam aliud hactenus adiecit.

138. Quod ad intrinsecam spectat causae naturam, et Suarez et post eum alii firmum retinuerunt principium, iurisdictionem ad absolvendum peregrinum aut extraneum, *indirecte communicari ab Ordinario Poenitentis.*

Ita Suarez (*de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 4.): « Atque haec, quae diximus de concessione iurisdictionis directe facta confessori, cum proportione locum habent in facultate *concessa poenitenti ad eligendum confessorem;* quia si generatim solum detur et non sufficienter ac specialiter explicetur, dari cum extensione ad reservata, illa non comprehendit: imo de hac facultate expresse loquitur dictum cap. *Si Episcopus.* Hinc vero orta est controversia inter auctores de illo speciali casu, in quo subditus unius Episcopi, iter agens per aliam dioecesim confiteri potest *ex tacita facultate*, consuetudine *introducta*, confessoribus *illius Episcopatus,* an possit absolvi etc. ».

Et ecce tibi aliam rerum repugnantiam sive incohaerentiam, ut necessario accidit in novitate qualibet inordinata. Quid enim interest inquirere de iurisdictione delegata, cum in animo est adhibere declarationem Eugenii IV.? Si in hac libet insistere, iam iurisdictio veniret a Summo Pontifice, ut notavit Reginaldus. Quod autem communiter recurritur ad iurisdictionem delegatam, significat, huiusce suppositae declarationis neminem vel minimam rationem habuisse. Et nihilominus evidentissimum est, Suarez in textu citatu comprehendere casum viatoris extra dioecesim, sub quaestione generali iurisdictionis indirecte delegatae *per electionem confessarii.*

Ita etiam, ut alios praeteream, Reginaldus (*Prax. For. Poenit.* lib. 1. n. 73.) loquens de Pastore, qui *peregrinaturo dat licentiam confitendi*, non solum monet talem viatorem *posse quemcumque sacerdotem etiam non habentem curam animarum eligere,* sed etiam (quod magis in rem nostram facit) scribit: « Adverte obiter, confessarium electum non habere potestatem ab eligente, *sed a superiore, qui eligendi licentiam dedit* ».

Quapropter habemus iam principium illud quod (ut bene iam notatum est de Henriquez sup. n. 116.), vel asseclarum harum innovationum iudicio, subvertit et demolitur fundamentum theoriae, quae praecipit, poenitentem iudicandum esse iuxta leges loci.

139. Sed enim Suarez et etiam Reginaldus labefactant opus illorum, qui cum Lugo, ad hoc incommodum vitandum, a consuetudine putarunt iurisdictionem provenire potius quam ab Ordinario poenitentis.

De Suarez quidem in hac re non attinet quidquam aliud addere: vidimus enim iam alibi (sup. n. 49.) reiectam ab eo talem consuetudinem tamquam *iuri divino repugnantem.*

Reginaldus autem opportune scribit (lib. c. n. 74.): « Consuetudo, ut recte monet Caietanus, non dat revera iurisdictionem; id enim satis constat ex eo quod in c. *Si Episcopus, de Poen. et Rem.* in 6° dicitur, *nulla posse consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* Itaque consuetudo tantum est testis tacitae *licentiae a proprio sacerdote sufficienter concessae...* Accedit, quod *delegare iurisdictionem* sit Superioris habentis *ordinariam*, non autem subditorum ipsius quorum est consuetudo. Id quod Suarez plenius tractans infert, iurisdictionem... semper pendere a voluntate proprii sacerdotis, ut non obstante consuetudine, semper sit in illius potestate eam revocare ». Quam doctrinam applicat ille postea viatoribus (ibid. n. 77.) qui censentur licentiam tacitam *habere confitendi alieno.*

140. Ceterum fatendum est, voluisse tamen Suarez quidquam addere ad magnum novae theoriae principium corroborandum: nimirum poenitentem iudicandum esse iuxta leges loci ubi confessionem peragit.

In quod principium mirum non est propensum fuisse Suarez ob aliam causam. Ratio est, quod Suarez mirandum in modum favit opinioni certe minus communi, extraneos, qui saltem ad breve tempus ex. gr. noctem unam in aliquo loco consistant, teneri leges omnes *speciales* eiusdem loci ubi observare. Ex quo factum est, etiam alium aliquem post Suarez, ad demonstrandum extraneum in confessione subiici legibus loci ubi confitetur, lectorem remittere ad illud quod sibi visi sunt demonstrasse in tractatu *de Legibus* circa obligationem extraneorum, observandi leges loci per quem transeunt. Ita ex. gr. Martinus Wigandt (*Trib. Confess.* tr. 14. exam. 2. n. 58.). Istud ergo est subsidium, quo eam theoriam Suarez corroboravit.

Nihilominus haec doctrina, ut patet, nullam habet vim. Siquidem 1° quamvis nonnihil ponderis haberet opinio, quae obligat extraneum ad observationem legum locorum per quae transit, tamen id applicari praesenti casui nequaquam posset; nam heic agitur de iudicio instituendo ex *delegatione superioris* illius hominis qui iudicandus est: iamvero esset absurdum extendere ad sententiam dandam ex *auctoritate delegata* principium quod leges loci observari debeant etiam a non subditis; etenim leges, iuxta quas iudicandum sit, aut ferenda sit sententia, non potest ferre et praescribere nisi proprius iudex; neque eas delegatus iudex transgredi potest. Ergo.

2º Quamvis casus hic comprehenderetur sub regula necessitatis quae extraneis est ut observent leges locales; respondebimus opinionem, quae hanc observantiam imponit extraneis, vix aliquam habere probabilitatem et ipsum s. Alphonsum oppositam opinionem profiteri ut communiorem atque *probabiliorem*. Si igitur vellet confessarius aliquis hoc onus imponere, dum probabilius est, extraneum non habere hanc obligationem, confessarius ille veram iniquitatem patraret. Ergo iniusta res est, ad hoc principium confugere ad extraneum subiiciendum reservationis legibus unius loci propriis ubi confitetur.

141. Ratio autem, quam praecipue Suarez praefert, haec est: confessarios scire casus in aliis dioecesibus reservatos non teneri. Ita ipse (*de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 4.): « Confessores alterius dioecesis non tenentur scire quinam casus reservati sint alteri Episcopo: ergo debent hunc (advenam) audire et iudicare iuxta ritum sui Episcopatus ».

Quam rationem ex Suarez transscripserunt postea quotquot eam viam ingressi sunt. Cardinalis autem de Lugo sic eam amplificat (*de Poenit.* disp. 20. 72.). « Neque enim confessarii huius civitatis debent aut possunt interrogare singulos poenitentes de patria, vel an sint peregrini et multo minus de casibus reservatis in sua patria; quos certe nec confessarius huius civitatis, nec ipse poenitens peregrinus scire possunt ».

142. Sed non multis opus est explicare volenti, nullius esse ponderis hanc rationem.

Et in primis non intelligo, cur tam certo affirmetur interrogare confessarium nec posse nec debere utrum poenitens subditus sit dioecesi nec ne. Attulimus superius (n. 96.) sententiam *Summae* Fr. Pacifici a Novellaria, qui admonet: « Sapientissimum confessorem nosse debere se, iuxta Hostiensem in *Summa*, teneri investigare a poenitente cuius sit et ad quemnam Episcopatum et quamnam iurisdictionem pertineat ».

Theologus autem Tridentinus Petrus Soto (*de Confess.* lect. 6.). « Quare qui in audiendis confessionibus versantur, sicut tenentur scire an, quos audiunt, sibi sint subditi, ita etc. ».

Videatur sup. n. 12. praxis opposita quam innuit Kresslinger.

143. Argumentum validissimum habemus etiam ex novae huius theoriae sequacibus. Nam, ut animadvertit quoque Bonacina (*de Poenit.* disp. 5. quaest. 7. punct. 2. n. 6.) « possunt quidem admitti ad Sacramentum poenitentiae advenae, sed, modo iter non faciant in fraudem legis ea solum de causa ut possint aliis confiteri. Itaque qui solum ad hunc finem iter agit, ut evitet proprium parochum et alteri con-

fiteatur non potest valide confiteri coram parocho vel sacerdote illius loci, ad quem pervenit ut bene observat Coninck, Vasquez, Suarez, Reginaldus et alii recentiores ». Etiam Concina (*de Poenit.* lib. 2. disp. 2. cap. 4. n. 20.) ita exigit, tacitum consensum suorum pastorum, ut sentiat, esse nullam absolutionem si *industria discesserint* (subditi) *ut alibi confiteantur.*

Et consonat huic sententiae ipse Card. De Lugo ubi aperte docet (*de Poenit.* disp. 19. n. 7.). « Qui peregrinantur et iter faciunt, possunt iam ex voluntate tacita suorum Pastorum confiteri etiam parocho illi quem in eo loco inveniunt in quo sunt; *dum tamen ex iudustria* non discesserint a suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiterentur ».

Iam vero quomodo affirmari potest, Confessarium nec posse nec debere ullo modo sollicitum se praebere cognoscendi patriam aut dioecesim poenitentis, cum sciat, si poenitens ad aliam dioecesim pertineat et industria exierit, ut confitendi occasionem nancisceretur, ipsius absolutionem invalidam fore? Aut quidnam interest discriminis studium inter et necessitatem cognoscendi, utrum poenitens egressus sit e dioecesi ut confiteretur et studium atque necessitatem quam Suarez et Lugo imaginantur cognoscendi casus reservatos aliarum dioecesium, pro iis qui novam ipsorum doctrinam amplecti recusaverint?

144. Quae quidem res si alio modo consideretur, insigne hoc argumentum, quod Suarez et post eum alii commenti sunt, petitum scilicet ex difficultate cognoscendi peccata in aliis dioecesibus reservata, eiusmodi est, ut paene dixerim risum moveat.

Revera omittamus modo seriem auctorum, quos falso agglomeravit Henriquez et ex parte transscripserunt Suarez, Lugo et reliqui omnes qui eorum vestigiis institerunt, illud propugnantes, iuxta Paludanum, s. Antoninum et Caietanum, advenas, etiam si non obtinuerint specialem a proprio Ordinario facultatem, posse semper extra dioecesim ab eorum reservatis absolvi. Res ad iustos terminos redigatur: nempe 1° ante Henriquez innovationes, extraneum non potuisse absolvi, si haberet peccata proprio Ordinario reservata, nisi in casu necessitatis, ut verbi causa in necessitate sumendi Paschatis. 2° Etiamsi Paludanus, s. Antoninus et Caietanus de tali absolutione loquantur, nulla alia apposita conditione; tamen poenitenti impositam esse obligationem peccatum reservatum proprio deinde pastori iterum confitendi. Hoc est unum quod nos Doctorum textibus afferendis confirmavimus. In summa, regula erat, ut advena, qui aliquod peccatum afferret proprio Ordinario reservatum extra occasionem Paschatis, non posset absolvi et in ipsa

Paschatis occasione, *iuxta communiorem*, absolvendus esset cum onere iniuncto peccatum, quod ipsi solum indirecte remissum fuerat, rursus proprio Superiori aut Ordinario confitendi.

Quibus praeiactis, nonne res est quae prope risum moveat, per tot secula in tota Ecclesia obtinuisse hanc praxim, nunc autem ex improviso prosilire in medium quosdam tantum in ea difficultatis deprehendentes, ut ex eorum sententia tota huiusce sacramenti administratio funditus mutanda sit? Nunquid necessarium etiam tunc temporis non erat, ut temporibus Suarez, nosse peccata in aliis dioecesibus reservata? et si per tot secula in universa Ecclesia administratio Sacramenti nemini quidquam impedimenti creavit, an aequum est, ratione imaginarii huius impedimenti, principia omnia quoad materiam iurisdictionis subvertere?

145. Sed magis mirandum illud est, inniti Suarez singulari Navarri sententiae, videlicet advenam, qui aliquod peccatum reservatum afferret posse alibi absolvi saltem ab Episcopo aut etiam a confessario, qui ab Episcopo facultatem haberet pro reservatis. Ubi potuisset addere, etiam Dominicum Soto idem pronuntiasse quoad Episcopum loci, si advena ab Ordinario proprio facultatem non esset assecutus (vid. sup. n. 69.) nec ad ipsum adire potuisset.

Iamvero quis non videat, etiam ad hanc sequendam opinionem, superesse inquirendum (perinde ac si non exsisteret formidatum a Suarez impedimentum), quanam ratione scilicet dignosci possit, quandonam alienus poenitens ad Episcopum loci esset remittendus, aut saltem ad aliquem alium confessarium privilegio auctum? Quomodo sane factum est ut, si ratio Suarez valet, non cogitaret Navarrus atque cum eo Sotus, id fieri nequaquam posse; eo quod reservata aliarum dioecesium ignorarentur?

146. Sed superest aliquid maius; nam brevi videbimus 1° Sanctam Sedem alias stricte prohibuisse, quominus quisquam e confessariis seu Regularibus seu secularibus auderet absolvere a peccatis quae Ordinarii sibi reservassent, non obtenta ab ipsis speciali facultate, quod intelligi volebat etiam de peccatis reservatis in aliis dioecesibus pro subditis earumdem. 2° Cum postea Clemens X. pro Regularibus confirmavit privilegium, ut absolvere possent in quibusdam casibus extraneos a peccatis in eorum dioecesibus reservatis, conditionem eandem apposuisse, quam iam vidimus a Doctoribus generatim apponi iis qui confiteri velint, dum extra dioecesim commorantur (sup. n. 143.). Dummodo nempe non venerint in *fraudem reservationis*, aut etiam iuxta Doctores, in eum finem ut alii confiteantur praeter proprium sacerdotem hoc est, ut se proprio sacerdoti subducant.

Iamvero nonne evidens est, si pondus inesse credamus argumento prolato a Suarez, a Lugo et ab universo agmine eorum, qui eos pone secuti sunt, eandem rationem iterantes, nonne inquam evidens est, carpenda a nobis esse huiuscemodi Sanctae Sedis Decreta tamquam sapientia destituta? Sane nonne ad haec quoque decreta reponi posset, quod Suarez et Lugo (supr. n. 141.) reposuerunt, confessarium non teneri aliarum dioecesium reservatos casus habere exploratos, neque a singulis poenitentibus esse percunctandum, cuiusnam dioecesis sint et utrum habeant casus reservatos? Accedit eodem, a Lugo haberi ut *probabilem* et in praxi securam eam doctrinam, quae tenet ignorantiam reservationis ab ea incurrenda excusare. Porro nihil forte frequentius accidit, quam ut advenae ignorent reservationes suorum locorum: en igitur alteram causam cur sciscitari quis non debeat a poenitente, utrum ad hanc aut ad aliam dioecesim pertineat. Adde s. Alphonsum (lib. 6. n. 590.) et cum eo Scavini (tract. 10. disp. 1. c. 4. art. 2. quaest. 7. n. 2.) negare, posse absolvi advenam a censuris in sua patria reservatis. Heic ergo eadem responsio occurreret, non teneri confessarium habere cognita omnia peccata, quae in aliis dioecesibus cum censura reservantur. Verba autem Clementis X. *nisi* NOVERIT, *eos in fraudem reservationis venisse,* ostendunt Confessariis modum auferendae difficultatis, quin omnium dioecesium casus pernoscant.

Concludamus igitur, hoc ipsorum argumentum nihil probare ob eam causam quod nimis probat. Et quoniam omnis argumentorum suppellex pro hac innovatione ad hanc infirmam demonstrationem reducitur; concludamus praeterea, theoriam hanc, cum nullum aliud habeat fundamentum, quod quidem ad extrinsecam auctoritatem spectat, praeter nomina quaedam praepostere allata, quod autem attinet ad intrinsecam unicum argumentum, cuius vanitas illico apparet; ad summum poterit aliquam habere probabilitatem petitam a numero scriptorum qui eam bona fide secuti sunt, at valore intrinseco caret omnino.

147. Heic autem non est omittendum, Suarez (*de Poenit.* disp. 30. sect. 1. n. 6.) id conari, ut probet a simplici confessario non esse absolvendum advenam, qui peccatum habeat, dumtaxat reservatum in dioecesi, ubi confitetur. « Aliqui putant, reservationem non comprehendere culpam huius poenitentis, quia non est subditus talis Episcopi. Contrarium vero CONSEQUENTER dicendum est, ut bene Caietanus et alii docent (a).

Relinquamus falsitatem allegationis Caietani et aliorum, qui fe-

(a) An est, qui possit unum Auctorem afferre, qui ante Suarez hanc tradiderit doctrinam?

rantur hoc eo tempore docuisse (vid. sup. n. 106. 107.); quoniam tunc temporis ne quaestio quidem de hac re fuerat instituta. Attendatur ad illud CONSEQUENTER quod nos admittimus: admittimus nempe ex eodem principio, quod absolvit a suis reservatis advenam quando in loco confessionis reservata non sint, negandam esse absolutionem, quando peccatum reservatur in loco confessionis, quamquam reservatum non sit in dioecesi poenitentis.

Sed hinc duo licet colligere. Primum quidem respicit consectarium a Suarez deductum; etenim secunda eius theoriae pars eatenus integra consistit, quatenus stare possit prima, quae eius antecedens est. Iamvero antecedens non innititur nisi tribus illis allegationibus mendose adductis et unico argumento quod falsum esse iam docuimus: ergo etiam consequens nullo fundamento fulcietur.

Alterum vero favet e contrario nostrae theoriae. Nam licet quaestio, utrum absolvi posset extraneus, cuius peccata tantum in loco confessionis reservarentur, ab auctoribus communiter non agitaretur, ipsi tamen probe definierant alteram partem, quam Suarez, tanquam antecedens praestituit, nimirum definierant poenitentem, nisi ad hoc haberet specialem facultatem, non posse absolvi a reservatis proprio Ordinario, sive haec in loco confessionis reservata essent sive non. Ergo heic etiam valeat rationabilissimum illud CONSEQUENTER, quod confirmatur (ut sup. n. 107. dictum est) per communem doctrinam ex natura Sacramenti et Ecclesiae declarationibus depromptam: consequitur scilicet, in advena absolvendo, nullatenus *per se* esse inquirendum, quaenam reservationes sint illius dioecesis, in qua confitetur.

148. Suarez addidit rationem congruentiae (l. c. n. 6.). « Ut iusta sit concessio debet esse utrinque aequalis et qui liberatur uno onere, debet sentire aliud, quod ex illo sequitur. Sed talis persona potest absolvi a quocumque confessore de peccatis reservatis a suo Episcopo, si ibi reservata non sint. Ergo e converso a peccatis ibi reservatis non poterit absolvi etiamsi reservata non sint a suo Episcopo ».

Nos admittimus hoc ratiocinium: imo iuxta illud confirmabimus nostram sententiam: nempe cum non debeat absolvi advena a suis reservatis, qui ad hoc non obtinuerit specialem a suo Ordinario facultatem, consequenter liberum eum esse debere ab onere reservationum loci, ubi confitetur ideoque esse absolvendum quoties eius Ordinarius peccatum sibi non reservavit.

Quod autem ad argumentum Suarez spectat, videtur negari posse maior et minor.

Falsum est, qui ab uno onere levatur, ipsi necessario aliud esse subeundum, ut maxime apparet in eo qui e territorio proprio egreditur

quique communi sententia speciales patriae suae leges observare non tenetur, nec idcirco eas observare tenetur, quae propriae sunt loci ubi est advena: et ita etiam extraneus non tenetur observare leges loci peregrinationis suae et nihilominus gaudere potest privilegiis et ex. gr. Mediolani diebus ieiunii vesci lacticiniis aut saltem caseo.

Neganda vero est etiam minor: nam demonstravimus iam, eam nonnisi falsis quibusdam allegationibus et inani argumento inniti.

149. Et hactenus de nova theoria satis esto, qualem post Henriquez suum magistrum, proposuit propugnavitque Suarez. Nunc aliquid de eadem dicamus, qualem Card. De Lugo temperavit.

Res est profecto digna, quae valde consideretur, neminem e scriptoribus, quantum ego percipere potui, animadvertisse maximum discrimen, quod in hac quaestione intercedit Suarez inter et Lugo: imo plures, ut iam notavimus, imprudenter ex ambobus contraria principia, unde proficiscuntur, in sua scripta transtulisse atque ita factum esse ut, *humano capiti*, ut habet Horatius, *iungerent cervicem equinam*. Adeo quoad hanc materiam erratum est.

150. De Lugo igitur qui ceteroqui, quoad hanc quaestionem, materiam hausisse non videtur nisi e scriptoribus aevi perquam sibi proximi, duos offendit scopulos in doctrina Suaresiana, qui ipsi insuperabiles visi sunt; ac proinde, ut eos vitaret, aliam prorsus viam ingressus est.

Itaque, quacumque posset ratione, tueri voluit, confessario iudicandos esse advenas iuxta leges loci. Sed cito sensit quam hoc esset absurdum, si quis defendere perstitisset, advenam iudicari ex facultate delegata ab eius superiore, ut aiebat Suarez; cum sit absurdum, iudicium instituere nomine et potestate cuiusdam Superioris aut Episcopi, adhibitis legibus ab alio Episcopo latis, qui in ea causa nihil potest. « In hoc casu (dicit Lugo disp. 20. n. 73.) eius (advenae) solus Episcopus potuit per reservationem auferre aut limitare iurisdictionem eius (nempe confessarii delegati), non vero iste alius Episcopus (loci), a quo non dependet ». Consulatur integer contextus qui supra recitatur n. 110.

151. Alium scopulum offendit Lugo in doctrina Suarez, in quantum scilicet, cum hic concedat subditum ideo posse extra dioecesim confiteri quod a suo Ordinario tacitam saltem habeat licentiam aut facultatem eligendi confessorem, habebat heic iam locum lex Bonifacii VIII. in c. *Si Episcopus,* ubi dicitur (ut habet ipse de Lugo disp. 20. n. 69.) Episcopum suo subdito concedentem facultatem eligendi sibi confessarium idoneum, non intelligi concessisse facultatem ut absolveretur a casibus reservatis. Quo posito, *iam actum est* de regula iudicandi poenitentem extraneum iuxta leges loci: nam si Ordinarius poenitentis

peccatum sibi aliquod reservavit, hic absolvi non poterit, licet heic reservatum non sit, neque absolvi poterit quidem ab eo, qui pro reservatis habeat facultatem.

Quo in loco egregie Lugo (l. c. n. 7.) Navarri et Soti incohaerentiam notavit, qui concederent extraneo posse saltem dari absolutionem a suis reservatis per Episcopum, aut per habentem ab ipso facultatem pro reservatis.

« Et quidem, ait, aliqui ex adversariis, ut dixi, non videntur consequenter loqui. Si enim ideo non potest (advena) absolvi, quia eius Episcopus iter agentibus solum praesumitur concedere facultatem eligendi confessarium pro *non reservatis* non pro reservatis; non poterit absolvi a confessario alterius Episcopi, etiamsi ibi habeat facultatem ad absolvendum a reservatis: nam suppono non esse eadem sed diversa; imo licet essent eadem, si Episcopus poenitentis non dedit licentiam pro reservatis, licentia alterius Episcopi per accidens se habebit ad illam absolutionem ». Nec negari potest, a Lugo optime urgeri duos illos, qui singularem illam sententiam, a nobis alibi notatam, protulerunt.

Quoniam tamen duo illi supponebant licentiam Ordinarii poenitentis, ut supra innuimus n. 95. quoad Navarrum, idcirco censura mitiganda est: quamquam ratiocinium Lugo rectum sit et illud nos admittamus.

152. Ut igitur se ab omni impedimento extricaret Lugo, arrepta occasione respondendi ad obiectionem sumptam ex praedicto c. *Si Episcopus*, consilium coepit negandi, advenas confiteri ex concessione facta ab eorum Ordinario. Ita ipse (l. c. n. 70.). Respondeo, poenitentem in nostro casu non habere facultatem ab Episcopo eligendi confessarium, sed habere facultatem consuetudine et approbatione Praelatorum introductam (a), quam Eugenius Papa IV. approbavit, qua potest, dum in alieno Episcopatu bona fide versatur, gerere se in ordine ad confessionem, sicut alii qui sunt incolae illius loci ».

Responsum profecto novum et audax: nec scio, utrum quis alius, praeter s. Alphonsum, eum hac in via secutus sit (lib. 6. n. 589.). Sed s. Alph. non videtur advertisse se id dicere quod omnes respuunt.

153. Et quod Lugo sola necessitate coactus tale responsum ediderit, argumento sit, quod prius contraria prorsus sententia exaraverat (d. 19. n. 7.): « Qui vero peregrinantur et iter faciunt, possunt *iam ex voluntate tacita* suorum pastorum confiteri etiam parocho illi, quem

(a) Consensus aut approbatio Ordinariorum, quae non sint facultas eligendi sibi confessarium, est res omnium monstruosissima. Hoc idem esset, ac supponere Episcopos, consensisse, ut proprio iure in suum subditum expolíarentur: quod rerum naturae repugnat.

in eo loco inveniunt, in quo sunt; dum tamen ex industria non discesserint a suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiterentur ».

154. Sed his omissis, quod magis sententiae Lugo adversatur, illud est, nempe fieri non posse *ut introducatur* huiusmodi consuetudo, qua subditus valeat, non obtenta venia a suo Ordinario, eligere sibi confessarium: in quam sententiam negantem convenit unanimis consensus Doctorum et praeterea, unanimi quoque Doctorum sententia (vide sup. n. 46. 49.), ideo talem consuetudinem introduci non posse, quia *iuri divino repugnat*, ut ait Suarez (supr. n. 46.). Et Doctores praecesserat Decretalis Bonifacii VIII. in c. *Si Episcopus.* « Nulla quoque potest consuetudine introduci; quod aliquis praeter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absolvere vel ligare ».

155. Ad haec, quomodo potest induci sermo de hac *consuetudine introducta*, dum doctores omnes coaevi non solum factum negant, verum etiam ipsius inficiantur possibilitatem?

Insuper quid huc pertinet anacronismus Eugenii IV. qui talem approbet consuetudinem? Etenim omittamus modo, huic iactatae Eugenii IV. declarationi nulla probabilitate posse quidquam certi valoris tribui; praetereamus etiam silentio, huiusmodi declarationem (quicumque eius sit sensus), non valere nisi in casu necessitatis sumendi Paschatis: sed hoc omisso, nonne vidimus Doctores omnes ad Lugo usque non exclusis novae theoriae patronis facultatem peregrini absolvendi *a tacita aut expressa sui ordinarii concessione* repetere? Et si omni tempore sensus omnium universalis hic fuit; quomodo poterat Eugenius dare approbationem rei aut consuetudini, quae non exsisteret et de qua nemo cogitaret? (a).

156. Ceterum affirmavit De Lugo; sed quasnam probationes attulit? nullas omnino. Addidit nonnullas allegationes (l. c. n. 71.) et iam intelligitur, primo loco adhibendum ipsi fuisse celebrem ternarium perperam allegatum, nempe Caietani, Paludani et s. Antonini. Et quod magis mirere, illud est: Caietanus (vid. sup. n. 59.), ut illud tueatur, quod in data facultate eligendi sibi confessarii non comprehenduntur reservata, utitur hoc ipso c. *Si Episcopus*, cui conatur heic Lugo respondere et nihilominus Lugo illum ipsum allegat Caietani locum ! ! Addit deinde allegationes Suarez, Henriquez, Reginaldi et aliorum duorum qui posteriores sunt, quorum alter (Villalobus) rem adeo urgere institit, ut ex dubio illo Eugenii vivae vocis oraculo, abreptus

---

(a) Si cui responsio B, manca videatur, conferat solutiones ab eo datas dubiis quibusdam, quae exstant in fine huius 1ae Partis et conferat speciatim dubia 7m et deinceps usque ad 11m. E.

aestro praefervido fabricatus sit *Decretalem Extravagantem* (*Summ.* tom. 1. tr. 9. diffic. 59. n. 4.). Ceterum iam nos animadvertimus, et Suarez (sup. n. 49.-138.) et Henriquez (sup. n. 116.-117.) et Reginaldum (sup. n. 139.) aperte pugnare cum Lugo et eius systema penitus subvertere.

157. Concludamus: nova theoria, si agitur de praesidio extrinseco auctoritatis, coepit meris insistere perperam allegatis auctoritatibus, quae tamen propter auctoritatem eorum, qui illis ab initio usi sunt (Henriquez, Suarez, Vasquez, Lugo) commeatu libero frui potuerunt, ut scholis irreperent et nostra adhuc aetate cum plausu exciperentur.

Nihilominus processu temporis falsis illis nominibus addi revera potuerunt nomina eorum, qui falsis illis allegationibus innixi huiuscemodi novitatem induxerant: licet etiam auctores allegentur ex iis, qui reapse oppugnant illud quod defenditur, ut fieri vidimus a Card. De Lugo et idcirco fit etiam a s. Alphonso.

Quoad meritum, ut dicitur, intrinsecum, alii nullum afferunt argumentum, ut Lugo, alii cum Suarez non afferunt nisi umbram argumenti nullius ponderis.

Adde defensores huius innovationis inter se in duas classes dispartitos (loquor de illis qui ratiocinari nonnihil conati sunt) ex utraque parte eiusmodi fundamenta ponere, quae stare nequeunt, quin alia aliorum fundamenta disperdant.

En valor theoriae, quae aliunde contra se habet doctrinam et praxim innixam naturae Sacramenti, sollemnibus Ecclesiae sanctionibus consensioni Doctorum unanimi usque ad Henriquez et Suarez tempora et a scriptorum serie ad nos usque deductae.

158. Unum superest, ut scrupulus omnis auferatur illis qui existimare possunt, doctrinam hanc non satis componi posse cum Constitutione *Superna* Clementis X.

Scrupulus autem iniicitur ab illis verbis §. 7. « Posse autem regularem confessorem in dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse ».

Duo autem alicui videntur ex hisce verbis erui posse: nempe

1° Non posse unquam extraneum alterius dioecesis a quodam peccato absolvi, si hoc reservatum sit ubi ille confitetur: ergo falsum esse et Constitutioni Apostolicae contrarium, dicere ex. gr. cum Engel, posse absolvi advenam ab omni peccato quod in sua dioecesi reservatum non sit, quamquam reservatum sit ubi confitetur.

2° Cum peccatum reservatum non est in dioecesi ubi advena confitetur, posse eum ab illo absolvi, quamquam peccatum reservatum sit in dioecesi poenitentis, nec ille ullam obtinuerit specialem facultatem a suo Ordinario ut a reservatis absolvatur. Ergo falsum esse oportere, quod diximus a tot doctoribus doceri, iuxta c. *Si Episcopus;* hoc est, si Episcopus dat alicui facultatem eligendi sibi confessarium, non esse intelligendum datam esse facultatem pro casibus reservatis ideoque ab his absolvi non posse.

Quae consectaria necessaria sunt in hypothesi, quam certam habet qui ita ratiocinatur, nimirum Clementem X. ibi iuris communis principia exposuisse.

159. Ad hosce scrupulos igitur auferendos, quoad primum punctum videtur, nobis esse concedendum, ut verba Clementis accipiamus eo sensu, quem ibi communiter agnovere Doctores. Iamvero sensus iste est, ut ibi agatur de peccato *Ordinario poenitentis reservato;* quod peccatum possit absolvi in alia dioecesi, quando in hac alia reservatum non sit et absolvi non possit, si etiam in ista reservetur.

160. Ita La Croix (lib. 6. part. 2. n. 1631.): « Si peregrinus habens reservatum confiteatur in dioecesi, ubi non est reservatum, potest... ibi absolvi sine onere sistendi se suo Episcopo, uti declarat Clemens X... Et ibidem declarat, si casus sit reservatus in dioecesi, in qua confessarius audit talem peregrinum, non posse absolvi sine facultate huius loci Episcopi; quod certum est, *si talis casus sit reservatus in dioecesi tam poenitentis quam confessarii.* Si autem casus non sit reservatus in dioecesi poenitentis, sed tantum in dioecesi confessarii, *de hoc casu nihil expresse declarat Clemens* ».

161. Ita Ferraris « Poenitentes confluentes ex alia dioecesi cum peccatis *in ea reservatis*, possunt absolvi a confessario Regulari in dioecesi, in qua est approbatus, si *in ipsa* talia peccata non sint reservata. Sic expresse Clemens X. etc. ».

162. Et Eusebius Amort (*Theol. Schol. de Poenit.* disp. 9. q. 26.). « Si peregrinus afferat casum reservatum in dioecesi confessarii... non potest absolvi, nisi aliam suam intentionem circa vagos et peregrinos declaret Episcopus. Ratio est, quia Episcopus potest prudenter confessariis inferioribus circa graviora crimina denegare iurisdictionem... Alii hanc resolutionem probant ex praefata Bulla Clementis X. *Verum ex illa nihil argumenti erui posse censeo;* quia Pontifex non negat peregrinos absolvi posse a peccatis in dioecesi confessarii tantum reservatis, sed praecise negat eos absolvi posse a peccatis, si in propria et aliena dioecesi simul reservata sunt ». Amort quoad primam partem respondet id verum non esse: sed modo non est quaestio de hac re:

sed quaestio est de Bulla Clementis X. et ipse aperte negat Bullam loqui de casu peccati in dioecesi tantum confessarii reservati.

163. Ita Marcus Struggl. (*de Sacr. Poenit.* q. 3. n. 48.); Poenitens peregrinus potest... absolvi, quando affert casum reservatum in sua dioecesi, si iste *simul* non est reservatus in dioecesi confessarii... Responsio colligitur ex Constitutione Clementis X. *Superna*, ubi de confessariis *Regularibus* statuit etc. ».

Quod autem Struggl non admittat ut comprehensum in Bulla Clementis etiam casum peccati mere reservati in dioecesi confessarii, evidens est; quia ipse dicit, in tali casu advenam posse absolvi, et eius verba iam supra attulimus (supr. n. 103.).

164. Etiam Reuter (*de Poenit.* n. 371.) nullum alium casum in Clementis X. decreto complectitur, praeterquam casum in ambabus dioecesibus reservatum. « Si poenitens lapsus in reservatum in sua dioecesi, peregrinus veniat in aliam dioecesim, in qua id non est reservatum, potest... ibi absolvi... Excipe nisi confessarius noverit poenitentem in fraudem reservationis in alienam dioecesim pro obtinenda absolutione migrasse. Ita statuit Clemens VIII. in Bulla *de Privilegiis Regularium* et innovavit Clemens X. in Const. *Superna* ».

Hinc ait a peccato in sola confessarii dioecesi reservato esse *probabile* posse dari absolutionem (ut vidimus supr. n. 7.) quod non dixisset, si credidisset etiam hunc casum comprehendi in Bulla Clementina.

165. Idem dicatur de Mazzotta, qui (vide supr. n. 7.) iudicavit *probabile*, sicuti Reuter, advenam non comprehendi in lege reservationis loci, in quo confitetur: postea vero (tract. 6. disp. 2. q. 3. §. 2. n. 2. tom. 3. pag. 340.) loquens de Bulla Clementis X. *Superna*, dicit probari ex ipsa: « si poenitens afferat casum reservatum in alia dioecesi, non autem in hac ubi fit confessio, absolvi potest etc. ».

166. Etiam Dominicus Viva (*de Sacr. Poenit.* l. 9. art. 3. n. 4.) loquitur utique de prohibitione facta Regularibus a Clemente X. in praedicta Constitutione; sed postea subiicit: « probabilis est sententia docentium, posse peregrinum absolvi a reservatis, quae sint tantum reservata in ea dioecesi, in qua confitetur, et non in sua patria ». Ergo etiam iudicio Vivae casus hic non comprehenditur in Bulla Clementina.

167. Eodem modo observare licebit ceteros communiter decretum Clementis X. restringere ad casum peccati in dioecesi poenitentis reservati, qui possit aut non possit absolvi prout reservetur aut non reservetur etiam in dioecesi confessarii.

Ita Platelius (*Synops.* part. 5. n. 909.).

Ita Roncaglia (tract. XIX. quaest. 7. cap. 2. q. 1. resp. 2.).

Ita Thesaurus (*de Poenit.* part. 2. V. *Absolutio* cap. 3.).
Ita Auctor *Instructionis pro novis Confessariis* (vol. 2. n. 503.).
Ita noster p. Wagemann (*Synops. Theol.* part. 3. tr. 2. cap. 5.).
Ita Illsung (*de Poenit.* n. 224.).
Ita Gobat (tract. 7. n. 376.).
Ita Antoine (*de Poenit.* c. 3. art. 1. q. 6.).

168. Et revera ad detorquendam in hunc sensum Clementis X. Bullam, ut significaret, non posse absolvi extraneum a peccato quod sit reservatum quidem in dioecesi confessarii non autem in dioecesi poenitentis, nihil minus necessarium erat, quam ingenium Voit, qui (vol. 2. n. 840.) nullatenus attendens Clementem loqui de solis regularibus et de eorum privilegio, arripit tantum verba *in illa ubi idem confessor est approbatus*, et de reliquo periodum arbitrio suo ita componit: « Clemens X... statuit, quod confessarius possit absolvere confluentes ex aliena dioecesi a reservatis alibi, non autem a reservatis *in illa ubi idem confessor est approbatus* ». Sed ideo quia Clemens dicere noluit quod ipsi tribuit Voit, idcirco periodum non instituit eo modo quo ipsam Voit deformat atque pervertit.

In Synodo Tusculana part. 3. c. 10. art. 9. n. 4. post allata Clementis X. verba (supr. n. 158.) subiicitur: « Ex quibus Clementinae Constitutionis verbis illud etiam intelligimus, non posse peregrinum absolvi ab iis peccatis, quae licet in sua dioecesi a qua venit reservata non sint, in ea tamen, in qua sacramentaliter confitetur, Episcopo sunt reservata. Clemens enim aperte statuit confessorem posse confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi est approbatus, absolvere. Et ratio quidem huic decreto apertissime suffragatur: ubicumque enim peccatum admissum fuerit, in ea certe dioecesi in qua illa est reservatum absolvi a confessariis nequit; iis enim quoad eiusmodi peccata, vel numquam concessa vel adempta est iurisdictio absolvendique facultas ».

Ingratum certe accidet sic aberrasse p. nostrum Stefanucci, qui tunc nonnulla de iure canonico tradebat in Collegio Germanico et per id tempus Episcopi Tusculani theologum egit. Clemens in neganda facultate absolvendi, duas conditiones simul coniunxit, si peccata reservata in dioecesi poenitentis sint etiam reservata in dioecesi confessarii: Stefanucci has distraxit unamque arripuit atque hanc expressit sententiam: non posse confessarium absolvere peregrinum a peccato reservato in loco ubi is confitetur, sive reservatum illud quoque sit in dioecesi poenitentis sive secus.

Quod spectat autem ad rationem additam, perpendendus fuisset Patri Stefanucci casus famuli, quem initio nos proposuimus. Ibi intel-

lexisset, posse optime absolvi casum reservatum in dioecesi; dummodo habeatur ad hoc iurisdictio ab eo qui potest eam committere. Pro advena autem eam non suppeditat Episcopus localis, sed Ordinarius poenitentis, dummodo confiteatur alicui qui ab Ordinario loci expositus sit ad audiendas confessiones. Ergo eius argumentum *falso supposito* laborat.

Praeterea, cum provocaret ad Clementis verba, non erat ipsi omittendum verbum *Regularem*, quod in casu est essentiale. Nam Regulares accipiunt iurisdictionem a Summo Pontifice et in Bulla illa Clemens declarat ipsorum privilegium absolvendi advenas a reservatis, cum iis limitationibus quas Pontifex duxit adiiciendas. Iamvero a privilegiis Regularium quidnam adiumenti peti potest ad ius commune definiendum?

Ad inferendum autem, casum hunc ibi non comprehendi, satis esse deberet cautela omnibus necessaria, ne tribuatur Pontifici aliquid stulti. Etenim nonne vidit Voit Clementem, cum diceret confessarium posse absolvere etc., addidisse exceptionem, *nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam dioecesim pro obtinenda absolutione migrasse?* Iam nonne foret talis exceptio stulta, si ibi comprehenderetur etiam casus peccati quod in dioecesi poenitentis non est reservatum?

Sed labes omnis inde profecta est, quod plures praescriptiones Clementis X. cum novae theoriae figmentis commutarent.

169. Haec autem confusio perfecit, ut multi existimarent, voluisse Clementem in textu allato (supr. n. 158.) aut exprimere seu efferre ius *commune*, aut confirmare novam ipsorum regulam, ut semper et a quolibet confessario absolvi possit extraneus a peccatis in sua dioecesi reservatis, dummodo non reserventur etiam in dioecesi confessarii. Ita ex. gr. Potestas, Voit etc.

Re autem tantisper perpensa, ut alterum scrupulum eximamus (n. 158.) recolendum est, facultatem ibi expressam absolvendi advenam a peccatis in sua dioecesi reservatis, dummodo eadem peccata aeque non reserventur in loco confessionis esse *merum privilegium Regularibus concessum*. Ac proinde a Bulla Clementis X. eruenda potius erat confirmatio eius doctrinae, quae sponte dimanat a primis principiis de iurisdictione in administrando Poenitentiae Sacramento quaeque, cum perdurasset ut communis usque ad confusiones ac novitates ab Henriquez aut potius a Suarez introductas, temporibus Clementis X. profecto in oblivionem non abierat.

170. Et primo quidem memoria retinendum est, vel ex ipsis novae doctrinae fautoribus complures fuisse, qui aperte monuerunt, Clementem X. ibi non loqui de omnibus confessariis, sed de solis *Regularibus*.

Ita ex. gr. Ferraris (v. *Reservatio Casuum,* n. 4.) qui propterea (ibid. n. 5.) addit postea quaestionem « an autem possint dicti poenitentes confluentes ex alia dioecesi sic absolvi a confessario seculari? Negant etc. ».

Ita Simonnet (tr. 15. disp. 9. art. 6. resp. 7.): « Si quis habens casum reservatum, veniat in aliam dioecesim, in qua casus ille reservatus non sit, REGULARIS PRIVILEGIATUS, ibidem approbatus poterit illum absolvere... ut expresse declarat Clemens X. ».

Ita Elbel (*Confer.* 14. n. 376.) ad nostram quaestionem respondet: posse absolvi talem advenam, deinde subiicit: « Ita expresse statuit et CONFESSARIIS REGULARIBUS indulsit Clemens X... utrum autem id ipsum valeant alii sacerdotes seculares, dubitari posset etc. ».

Ita Roncaglia (lib. c. supr. n. 167.): « Quamvis autem ibi Pontifex de CONFESSARIIS REGULARIBUS LOQUATUR, nihilominus cum id prohibuerit quia nulli licet in fraudem legis operari etc. ».

Ita Platelius (*Synops.* part. 5. n. 909.): « Si quis habens casum reservatum in propria dioecesi veniat ad alienam, in qua casus iste non sit reservatus, potest illic absolvi a *confessario Regulari* approbato. Ita expresse Clemens X. ».

Ita Viva (*de Poenit.* disp. 9. q. 25.: « Ceterum Clemens *non loquitur de omnibus confessariis, sed tantum de Regularibus* ».

Ita Amort (*de Poenit.* disp. 9. q. 25.): « Dixi ita declaratum fuisse (Const. Clem. X.) circa CONFESSARIOS REGULARES. An vero Episcopi Confessariis exteris *non privilegiatis* velint prorogare iurisdictionem in suos subditos etc. ». Et sic Antoine (*de Poenit.* cap. 3. art. 1. q. 6.) et Collet (*de Poenit.* cap. 8. part. 2. n. 560.).

Fr. Antonius a s. Ioseph Procurator Generalis Carmelitarum Excalceatorum Romae quique Romae edidit *Compendium Salmanticensium* Pio VI. regnante, ita scribit (tr. 27. n. 389.): « Veritatem huius sententiae quoad *Confessarios Regulares* declaravit Clemens X. in Const. *Superna.* At de ceteris confessariis oppositum tenent Soto, Graffius, Fagundez, Comitolus, Fagnanus et alii graves doctores. Nihilominus P. Concina in praesenti affirmativam... dicit esse *probabiliorem* ». Estne clarum, Romae non esse tum cogitatum, Clementem loqui de omnibus confessariis? Et etiam s. Alphonsus (lib. 6. n. 589.) id supponit, cum dicat talem Bullam a *fortiori* valere pro sacerdotibus secularibus etc. ».

Veruntamen quid opus est plures auctoritates afferre, quum Bulla per se ipsa loquatur? De quibusnam dicit se Papa loqui nisi de *Regularibus?* Et si Papa scribit: « Posse autem *regularem confessorem*... confluentes ex alia dioecesi etc. quid plura quaerimus? An vocabulum illud *Regularem* erit adiunctum ibi appositum ad meram sermonis elegantiam ?

Insuper nonne satis clare loquitur titulus ipse Bullae Clementis ? nam ipsius propositum est hoc ipsum, ut *privilegia Regularium declaret.* « Constitutio in qua *Regularium privilegia* quoad praedicationem Verbi Dei et *Sacramenti Poenitentiae administrationem* DECLARANTUR ». Et nos adhuc disputamus, utrum loquatur de singulis confessariis, an de *solis Regularibus?* Sed hoc mirum esse non debet consideranti incredibilem rerum confusionem a nova hac theoria illatam!

171. Quod autem Bullae titulus innuit ab Historia confirmatur ; quae praeferea rationem nos docet illius Constitutionis, ut nempe, in quantum fieri posset, modus poneretur discordiis perpetuis Episcopos inter et Regulares, ob privilegia quae postremi ostentabant.

Hoc est quod narrat Franciscus Maria Campioni ex Clericis Matris Dei in opere *Instructio ad audiendas Confessiones* Romae 1704. cap. 9. « Diversis temporibus insurrexerant plurimae difficultates circa decreta Concilii Tridentini super *privilegiis Regularium* in praedicando verbum Dei et administrando Sacramentum Poenitentiae, quae difficultates enodatae fuerant auctoritate apostolica. Huius autem oracula Clemens X. collegit in Constitutione, quae incipit *Superna* anno 1670. ».

172. Noster autem P. Ioannes Marin (*Theol. Specul. et Moral.* tr. 22. disp. 10. n. 45.) certiores non facit, eo libentius Clementem initio sui Pontificatus cogitasse de hisce dissidiis componendis, quia cum plus annis triginta fuisset a secretis sacrae Congregationis, ea penitus cognoscebat. « Clemens X. cum ante suum Pontificatum integram notitiam habuisset, eo quod per plures triginta annis a secretis fuisset s. Congregationis, postquam in Pontificem electus est, ciusmodi dissidia exstinguere cupiens, promulgavit Bullam etc. ».

173. Quapropter Cardenas (*Cris. Theol.* p. 4. disp. 2. n. 265.) addit ad hasce discordias finiendas Clementem X. definire voluisse utriusque partis contendentium iura. Loquens igitur de opinionibus, quae « non parvam dissensionem excitarant inter Episcopos et *Regulares* », subiicit, quod propter hanc causam ss. D. Clemens X. anno 1670. « Bullam promulgavit, ut has dubitationes et quaestiones ad unam determinatam formam reduceret, per quam EPISCOPORUM et REGULARIUM dissidia compescerentur... Ubi observandum, hanc Constitutionem non esse solum praeceptivam, sed etiam (imo maiori ex parte) *declaratoriam iuris uniuscuiusque partis competentis* ».

Narrat praeterea idem Cardenas (ibid. nn. 249.-250.), data a Clemente X. hac Bulla, Regulares Matriti Reginae Gubernatrici supplicavisse ut eam suspenderet: ipsam vero, *habito maturo consilio cum viris zelo* et *doctrina praeditis*, scripsisse ex opposito encyclicam Episcopis eos exhortans, ut prudenter uterentur facultatibus ipsis a Constitutione concessis aut attributis.

174. Ceterum facile intelligitur, unde orirentur discordiae etiam quoad rem praesentem. Etenim Regulares propugnabant habere se a longo iam tempore privilegium, non solum *audiendi et absolvendi quoscumque et undecumque venientes* (ut dicit *Sum. Armilla.* V. *Absolutio* n. 22.), sed absolvendi etiam a reservatis, exceptis iis quorum reservatio esset *a iure.*

Ita Bartholomaeus Fumi (*Summ. Armilla.* V. *Absolutio* n. 26.) « Fratres, qui habentur praesentati secundum dictam formam Clem. *Dudum*, ab omnibus casibus absolvere possunt (exceptis praecise reservatis Episcopo vel Superiori *in iure*) *quantumcumque reserventur Episcopo ex consuetudine vel constitutione vel beneplacito alii casus...* Quia gratia quam concedit Papa, videlicet posse absolvere ab omnibus, nisi reservetur a iure, revocare vel arctare non potest inferior... Ideo haec opinio secure tenenda est et practicanda... ».

Ita etiam Prierate (*Summ. Sylv.* V. *Confessar.* 2. n. 5.). « Alia opinio dicit, quod dicti fratres absolvere possunt ab omnibus casibus, exceptis praecise reservatis Episcopo in *iure* vel Superiori, quantumcumque reserventur Episcopo ex consuetudine vel constitutione vel beneplacito. Quam opinionem sequuntur COMMUNITER omnes Summistae et Doctores sequentes et hoc *rationabiliter* et *vere* ».

Et Ioannes Tabiensis (*Summ. Tabiena.* V. *Dispensatio*, n. 16.): « Cum ergo dicti fratres non possint absolvere a casibus *in iure* reservatis Episcopis ut dicitur in d. Clem. *Dudum;* ergo possunt ab omnibus aliis, ut *reservatis ex consuetudine particulari loci* vel synodali Constitutione; quia unum negando, aliud tacendo concessit... *Nec possunt Praelati dictam concessionem revocare vel defalcare:* non directe, denegando audientiam confessionis; quia habent per Clement. *Dudum*: non indirecte, prohibendo parochianis ne confiteantur eis... nec per retentionem multorum casuum; quia fieret in fraudem legis, quod fieri non debet ».

Hoc autem inter alios propugnavit etiam seculo XVI. exeunte Vivaldus, ut refert Reginaldus (*Prax. for.* lib. 8. n. 55.). « Religiosi, quibus a Summo Pontifice commissa est potestas absolvendi ab omnibus peccatis et censuris Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla Coenae possunt a casibus Episcopo reservatis absolvere sine eius licentia. Ita Alph. a Vivaldo in *Candelabro aureo, de Absolut.* n. 26.-53. ». Nec ab hac doctrina ipse Reginaldus abhorruit, quia summatim recensuit utriusque partis argumenta, ita tamen ut ad thesim Vivaldi propenderet. Et Praepositus (*de Poenit.* q. 4. n. 7.): « Respondeo, ait, non videri... posse Episcopos respectu illorum (Mendicantium) casus reservare...; quia sunt immediate delegati Pontificis, a quo suam iurisdictionem immediate habent ».

Mirabilius illud est, etiam post decreta Sedis Apostolicae sub Clemente VIII., Urbano VIII. et Clemente X., qui vetuerunt Regulares absolvere a casibus reservatis Ordinario loci, Platelium (part. 5. n. 910.) ad quaestionem: *An Regulares privilegiati vi suorum privilegiorum possint adhuc absolvere a casibus Episcopo reservatis*, respondere: *Non desunt docti et graves viri, qui adhuc id affirment.* Licet ipse oppositam sententiam sequatur et referat affirmativam sententiam ab Alexandro VII. in Propositione 12. esse damnatam.

175. Regulares autem hac facultate pollere nonnulli doctores confirmabant vel ex privilegio a Paulo III. Societati Iesu concesso 3. Iunii 1545. cui privilegio communicabant alii (vid. *Potestas* n. 3461.).

En verba Bullae, quae certe nullam habent limitationem quoad reservationes Episcoporum, « Nec non illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christifidelium ad vos *undecumque accedentium* confessiones audiendi et confessionibus diligenter auditis, ipsos et eorum singulos, *ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis* quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis... (exceptis contentis in Bulla, quae in die Coenae Domini solita est legi) absolvendi etc. ».

176. Itaque cum res ita essent, en decreta Clementis VIII. mense Ianuario anno 1601. et mense Novembri anno 1602. edita, in quorum primo abolitis quibuscumque privilegiis, abstulit facultatem omnem absolvendi vi cuiuscumque privilegii, a peccatis utcumque S. Sedi reservatis aut locorum Ordinariis, cuicumque confessario sive regulari sive seculari (a), non obtenta prius nova et peculiari licentia a sua Sanctitate pro papalibus, aut ab Ordinariis pro casibus eis reservatis, et *quidem* nisi licentia prius fuerit scripto tradita, *quae Ordinariis esset ostendenda.* Quae postrema clausula sive conditio, quod attinet ad casus ab Episcopis reservatos, argumento esse posset, decretum Clementis VIII. etiam ad aliorum dioecesium reservata extensum esse: nam certe opus non erat, ostendere Ordinario licentiam pro eius dioecesi, postquam ipse eam scripto tradidisset.

177. Postea vero ob difficultates exortas circa eiusdem decreti *interpretationem atque observationem*, idem Clemens VIII. secundo decreto primum mitigavit ita, ut absolvendi prohibitio extenderetur tantummodo 1° ad casus Bullae Coenae et ad reliquos quinque casus Papales, qui ideo vocari solent *Clementini*, 2° ad casus quos *Ordinarii locorum sibi reservarunt* vel in posterum reservabunt.

(a) Thesaurus p. 2. V. *Absolutio*, cap. 3. alludi heic existimat ad privilegia quibusdam locis et ecclesiis concessa, quae putantur privilegia particularibus personis concessa.

Deinde declarat, praeter hasce duas exceptiones quemlibet confessarium posse absolvere, iuxta privilegia, quae ante primum decretum habuisset; nihil tamen concedi illis, qui specialibus huiuscemodi privilegiis aut facultatibus non gauderent. « In quibus omnibus enumeratis dumtaxat... eadem S. Congregatio vult et mandat, dictum decretum (nempe primum an. 1601.) in sua firmitate et pristino valore permanere ac propterea declarat, eos quidem sacerdotes tam seculares quam regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis et facultatibus in supradicto decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum *privilegia* indulta et facultates, usu ante ipsum decretum receptas et quae sub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantum et non alias absolvere a casibus hac praesenti declaratione non comprehensis; aliis vero sacerdotibus, eiusmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedi ».

Iamvero animadversum est, ut habet Wigandt (tr. 14. Exam. 2. n. 59.), prohibitionem absolvendi a casibus reservatis ab Ordinariis, intelligendam esse de reservatione Ordinariorum *loci ubi est confessarius.* Ita ipse: « Dum Clemens VIII. prohibuit, ne confessarii absolvant a casibus reservatis... Ordinariis, debet intelligi de Ordinariis *respective,* nimirum illorum locorum, ubi illi confessarii inveniuntur ».

Idipsum notavit Filliuccius (tr. cap. 7. 9. n. 284.): « Respondeo, prohibitionem Clementis VIII. debere intelligi de Ordinariis *respective* hoc est: nemo absolvat a reservatis suo Ordinario: a reservatis autem alteri, non suo, non prohibetur: quia de hac reservatione non est sermo in eo decreto ».

Cui interpretationi favet alia eiusdem Clementis VIII. Constitutio, quae incipit *Quaecumque* 7. Dec. 1604. §. 9. ubi hac ipsa utitur locutione, appellatque casus reservatos *respective Ordinariis locorum:* « Decernimus insuper, ut iidem confessarii... ab aliis casibus tam a nobis quam a praedicto nostro in Urbe Vicario et locorum Ordinariis respective reservatis et pro tempore reservandis... absolvere... nullo modo possint ».

Favebat praeterea locutio Urbani VIII. (Decret. 17. Nov. 1628.) qui cum verba utique faceret de supradictis Clementis VIII. decretis, optavit formulam: *absolvendi a casibus Ordinario loci reservatis:* quae formula indicare videtur unum Ordinarium loci, ubi fit confessio.

178. Posito igitur 1° prohibitionem absolvendi a casibus, quos sibi Ordinarius reservasset, intelligendam fuisse solum de casibus reservatis Ordinario loci, ubi confessarius exciperet confessiones, 2° de cetero vi decreti eiusdem Clementis VIII. *Regulares* suis privilegiis uti potuisse: 3° vi horum privilegiorum potuisse absolvere poenitentes *undecumque*

venientes etiam a peccatis in eorum dioecesibus reservatis; pronum erat inferre, nimirum tales confessarios regulares et privilegio donatos, potuisse absolvere advenas a peccatis in respectivis eorum dioecesibus reservatis.

Quo loco revocari potest decisio Fagnani (In C. *Omnis de Poenit. et Remiss.* n. 55.): « Satis est quod pertinet ad dubium, de quo nunc agitur, Regulares in ea dioecesi in qua sunt approbati, posse absolvere confluentes *etiam a casibus in aliena dioecesi reservatis;* in hoc enim plus operatur *apostolicum privilegium* quam consuetudo, ut patet in cap. fin. h. tit. et in Extrav. *Vas electionis, de Haeretic.*, ubi damnatur error Ioannis de Poliaco asserentis, Summum Pontificem non posse concedere Regularibus generale privilegium audiendi confessiones sine licentia proprii sacerdotis etc. ».

Quod privilegium negat Fagnanus sacerdotibus secularibus esse commune ac proinde negat ipsis huiusmodi facultatem. Ita ipse: « Quae tamen opinio quoad sacerdotes seculares maximam patitur difficultatem, imo vera non videtur; quia nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare; quae sunt formalia verba textus in c. 2. *de Poenit. et Remiss.* in 6.

179. Quam doctrinam post Fagnanum amplexus est etiam Reiffenstuel (*Theol. mor.* tr. 14. dist. 9. q. 1. c. 2.) haec scribens: « Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis, possunt absolvere poenitentem alterius dioecesis a casibus in dioecesi poenitentis reservatis, si hi non sint reservati in dioecesi in qua confessiones audiunt: CUM REGULARES HABEANT IURISDICTIONEM A PAPA et Episcopus alterius dioecesis nequeat, etiam quoad suos subditos, limitare iurisdictionem sacerdotis *sibi non subditi* ». Quae ultima verba: *sibi non subditi* intelligenda sunt de sacerdote *habente iurisdictionem ab Episcopi superiore* nempe a Papa: secus ratio falsa esset: quoniam omnes admittunt (vid. sup. n. 30.) *contra voluntatem Ordinarii* eius subditum in alia dioecesi absolvi non posse.

180. Attamen fatendum est, hosce auctores satis obscure rationem reddere huius Regularium privilegii.

Sed mirum videri non debet; hoc enim infortunium inde ortum habet, quod principiis recentioris innovationis miscuerint principia vera nondum penitus obliterata; quae commixtio effecit ut etiam Fagnanus in hac quaestione pertractanda, cuius iam attulimus resolutionem (sup. n. 181.), quandam nobis suppeditet rerum confusionem.

181. Opportunius de hoc privilegio locutus est Eusebius Amort quamvis in iisdem principiis nec ipse satis sibi constet. Afferam totam para-

graphum. Ipse igitur (*Theol. Schol. de Poenit.* disp. 9. q. 25.) instituta quaestione, *an possit absolvi poenitens peregrinus ex alia dioecesi, si afferat casum in sua dioecesi reservatum*, eam hoc modo resolvit.

« Respondeo: Nisi Episcopus peregrini specialiter restrinxerit et limitaverit iurisdictionem confessariis extradioecesanis in suos subditos circa casus reservatos, praesumendum est, eum confessariis eiusmodi delegasse etiam iurisdictionem circa casus reservatos ».

Heic Amort sequitur certe principium illud verissimum et etiam *iuris divini*, ut iam vidimus, nimirum neminem posse absolvi praeterquam a suo iudice, idest, aut ab Ordinario aut ab eo qui ab Ordinario habeat facultatem delegatam. Sed errat in quantum suggerit, praesumendum esse, Ordinarium suo subdito etiam pro reservatis facultatem tribuisse. Regula iuxta c. *si Episcopus, de Poenit. et Remiss.*, haec est: ut talis facultas nunquam intelligatur comprehensa, nisi specialiter exprimatur (sup. n. 58.). Nihilominus Amort quaestionem rursus aggreditur et concludit talem concessionem habendam esse ut improbabilem, nisi validis argumentis probetur. (Vide eius verba sup. n. 74.).

182. Cum postea gradum faciat ad Regulares, ad quos nihil attinet delegatio iurisdictionis facta ab Episcopis, habent enim iurisdictionem a Summo Pontifice: recte Amort animadvertit, quod ipsi possint in tali casu aut non possint advenam absolvere, id pendere unice a limitibus a Summo Pontifice appositis iurisdictioni ipsis commissae et concludit posse eos absolvere, eo quod ipsis facultatem Pontifex tradat.

Ita ipse (l. c.). « Ita saltem (ut nempe habeant facultatem pro advenae reservatis) circa confessarios REGULARES PRIVILEGIATOS, qui habent iurisdictionem a Papa, in omnes fideles, limitatam tamen circa casus reservatos Episcopis, decrevit Clemens X. in Bulla *Superna* ».

Allato autem Bullae textu, ita prosequitur. « Ex his verbis colligitur, quod Papa voluerit confessariis *Regularibus privilegiatis* conferre iurisdictionem in quosvis dioecesanos etiam circa casus reservatos, quando confitentur extra suam dioecesim, ubi eiusmodi casus non sunt reservati. Quia tamen non est praesumendum eum voluisse praeiudicare iuri Episcopali, quoad reservationem casuum, illi termini, *nisi... noverit in fraudem*, ex praesumpta mente Pontificis, ita explicandi sunt ut sensus sit, peregrinos extra suam dioecesim absolvi posse a casu in sua dioecesi reservato, nisi id faciant contra prohibitionem Episcopi, iurisdictionem confessariis exteris quod huiusmodi casus reservatos recusantis ».

Ecce igitur quanam ratione historice concludendum sit, in hac Clementis X. declaratione habere nos vere *privilegium regularium;* quo-

niam iuxta *ius commune* cum nunquam intelligenda sit viatoribus concessa facultas, ut absolvantur a reservatis, alius quilibet confessarius non praeditus privilegio regularium, qui in praedicta mensura iurisdictionem habent a Papa, non posset eos absolvere. Ergo Clementis Bulla cum ea, quam nunc versamus, quaestione nihil habet commune.

183. Hoc tamen privilegium circumscriptum est paulo ulterius quam ut rei natura postulare videatur. Conabor rem explicare. Suppono Paulinum a suo Ordinario, scripto obtinuisse facultatem eligendi sibi ubilibet confessarium qui possit eum absolvere *etiam a reservatis* ipsi Ordinario. Quisquis negare nolit prima principia ab omnibus admissa, concedet confessario a Paulino electo, quicumque aut ubicumque sit (dummodo ab Ordinario loci sit approbatus) delegari ab Ordinario Paulini facultatem seu iurisdictionem eum absolvendi *etiam a reservatis*. Ipsi novae theoriae propugnatores deinde docent (vide supra n. 108.-113.), quando confessarius in advena absolvendo utatur iurisdictione ipsi a poenitentis Ordinario commissa, hunc solummodo posse ipsius contrahere aut laxare facultates et in iudicio tali confessarium ab Ordinario loci esse omnino independentem, ideoque ab ipsius reservationibus nullatenus impediri.

Ergo in casu confessarius electus posset Paulinum absolvere a suis reservatis, quantumvis eadem peccata et in dioecesi confessarii reservarentur. Etenim non obstat reservatio Ordinarii localis; nam in iudicio huiusmodi, ipsis adversariis non diffitentibus, confessarius independens omnino est: non obstat vero reservatio Ordinarii poenitentis; quoniam hic facultatem confessario indirecte communicavit: ergo hic Paulinum absolvere potest, licet peccatum in utraque dioecesi tum scilicet poenitentis, tum confessarii reservatum sit. Revera ipse Suarez et post eum omnes, cur id peccatum in genere absolvendum non sit, causam hanc afferunt, quod desit nempe facultas cum Episcopi localis tum etiam Episcopi poenitentis. Ergo fatentur, etiam unius huius postremi consensum sufficere.

Iamvero privilegium Regularium iuxta declarationem Clementis X. eo usque non progreditur, nam ad casum peccati in ambabus reservati dioecesibus non porrigitur. Sed ratio in promptu est; quoniam Regulares ad absolvendos ab eorum reservatis peregrinos, non utuntur iurisdictione ipsis tradita etiam pro reservatis ab Ordinario poenitentis, in qua hypothesi possent et ipsi a peccato absolvere in utraque dioecesi reservato, cum Clemens X. non interdicat quin Ordinarii possint et regularibus dare iurisdictionem pro reservatis, ut supra supposuimus datam confessario a Paulino electo; sed regulares absolvunt advenas ab eorum reservatis per iurisdictionem a s. Pontifice ipsis traditam.

Iamvero visum est Summo Pontifici non dare ipsis iurisdictionem nisi duabus limitatam conditionibus: nempe 1° ut peccatum in utraque dioecesi non sit reservatum: 2° ut peregrini non accedant in fraudem reservationis: en igitur causam cur tale privilegium circumscriptum hoc modo sit. Intelligo autem *rationes positivas*, quae in eius arbitrio consistunt qui privilegium largitur. Si quis antem scrutari vellet, cur Summo Pontifici visum sit hunc aut illum privilegio modum ponere, inquirat licet rationes congruentiae, dummodo ab obtrudendis phantasiae suae figmentis abstineat.

184. Dixi autem alteram esse privilegii Regularium limitationem quod absolvant a reservatis peregrinos tantum, cum noverint eos non advenisse in *fraudem reservationis:* quoniam reapse inter doctores non defuerant qui certa quadam ratione in speciem probabili propugnarent, posse Regulares etiam eos absolvere, qui in fraudem etc. venissent; ita ut etiam ante datam a Clemente X. Constitutionem, auctoritas s. Congregationis necessaria fuerit quae declararet, non esse ab ipsis in tali casu dandam absolutionem.

Ratio illius doctrinae desumebatur a privilegio Regularibus Mendicantibus concesso, quod eos a iure communi eximebat quod spectat ad audiendas confessiones cuiuscumque dioecesis subditorum. Nam ius commune clare in c. *Omnis utriusque sexus* expressum, postulabat ut nemo confiteri posset nisi proprio sacerdoti aut cui ab ipso Ordinario sacerdote facultas tradita fuisset. Hinc etiam Suarez atque Lugo vidimus (supra n. 30.) docentes, invalidam esse eius absolutionem, qui sine proprii Pastoris licentia *cum alieno confiteretur*. Iamvero Summi Pontifices decreverant, ut Regulares possent audire confessiones et Christifideles absolvere qui ab eorum Ordinario nullam haberent licentiam, imo etiam cum licentia negata fuisset et confessio apud regulares contra ipsorum voluntatem accideret. Imo vidimus (sup. n. 44.) tale privilegium etiam Fagnani temporibus fuisse declaratum.

Itaque praedicti doctores ita intellexerunt, ut quoad privilegium regularium eadem fieret in iure communi exceptio quantum attinet ad absolutionem a reservatis. Nam ius commune postulabat ut nemo posset absolvere a reservatis excepto reservante aut eius Superiore aut alio qui ab ipso facultatem accepisset. Iam vero iidem contendebant, quod Regulares, sicuti poterant Christifidelium confessiones etiam contra eorum voluntatem Ordinariorum excipere, ita et ob eandem causam eos fideles a reservatis possent absolvere, etiamsi in fraudem venirent, nec dubitari potest quin quibusdam temporibus haec praxis obtinuerit. Nihilominus difficile intellectu non est, quantum intercedat discriminis inter duas eas causas, ac proinde facile intelligitur praeterea, cur s. Sedes alteram illam privilegio Regularium limitationem addiderit.

185. Et haec satis sint de Constitutione Clementis X. Dico res hactenus disputatas sufficere debere. Nam postquam demonstravimus, 1° Constitutionem Clementis id unum habere propositum, ut quae specialiter ad Regulares pertinent declaret: 2° textum, de quo fit quaestio, continere dumtaxat privilegium seu specialem Regularium facultatem: 3° praetereaque casum ibi allatum non esse eundem de quo controvertitur et postquam haec omnia non ad libitum affirmavimus, sed communi Doctorum consensu confirmavimus rationibusque evidentibus et praesidio historiae declaravimus: rationabili cuicumque viro satis hoc esse debere censendum est. Si tamen non obstante rerum evidentia, velit quispiam nihilo secius existimare et tueri verba, *declarantur privilegia regularium* id significare et hunc unum habere sensum, *ut ius commune constituant:* facultates autem privilegiatas regularium, qui a Summo Pontifice recipiunt iurisdictionem, exprimere normas communes pro quocumque alio qui habeat iurisdictionem ab Ordinario et praeterea in ea Clementis X. Constitutione velit casum deprehendere quem ibi Clemens X. non comprehendit: si quispiam inquam iudicare ita velit, faciat licet quod sibi collibuerit; insuper si sua haec figmenta tanti momenti putat ut pro illis tuendis amandandae censeantur sententiae innixae, ut vidimus, Sacramenti naturae sanctionibusque Ecclesiae et unanimi consensui Doctorum, quantum libet ingenio suo obtemperet: aequus tamen ita sit ut ceteros non vexet, qui quoad Clementinam Constitutionem et reliqua omnia sequi malit unanimem doctorum sensum, quam eius phantasiae commenta.

Brevius: quod Clemens X. voluerit omnino totam Sacramenti Poenitentiae oeconomiam pervertere, qualis esse debet, spectata natura Sacramenti et sollemnibus Ecclesiae sanctionibus, in annuntiando autem Ecclesiae universae placito seu decreto huius naturae, hoc ipse modo se gesserit ut in sua Bulla, ubi non agitur nisi de privilegiis Regularium, atque adeo in uno inciso, ubi eorundem Regularium explicatur privilegium, homines (contra regulam praecipientem, in materia reservationis non posse argui nec a simili, nec ab aequivalenti, nec maiori) internosse deberent casum, de quo ille ne verbum quidem facit et ab hoc casu, quem sibi mente confingunt, argumentando eruere deberent sententiam quae omnem praeteriti temporis doctrinam subruit, haec, inquam, paradoxa sunt, quae nemo facile deglutiet.

186. Nunc ut ad ius commune revertar et absolvam, dicam, ex rebus hactenus pertractatis satis palam factum esse, quaenam ex duabus theoriis sit praeferenda: nemo scilicet vacuus praeiudiciis censebit illam anteferendam, quae recens nata nullo alio fulcimine subnixa est praeterquam vanitate falsarum quarundam allegationum, ratione qua-

dam imbecilla et quae praeterea tum secum ipsa pugnat tum cum primis principiis: ita ut ipsi tribui non possit nisi probabilitas qualiscumque mere extrinseca, propter eorum auctoritatem nomenque hominum qui eam amplexi sunt.

187. Quidquid id est, nemo inficiabitur, posse aliquem usum habere novam hanc doctrinam in quantum agit de absolutione danda peregrino a peccatis in eorum dioecesi reservatis etiam a quolibet simplici confessario: quod quidem fieri potest non vi Constitutionis Clementis X.; haec enim nihil aliud continet praeter declarationem quoad *privilegium quoddam Regularium* nec vi argumenti Cardinalis De Lugo statuentis peregrinum in hoc casu absolvi independenter a potestate sui Ordinarii et virtute consuetudinis nescio cuius; nam definitum iam est, talem consuetudinem non posse introduci et *iuri divino* repugnare: nec ob eam causam quod aliquis per actum confessionis faciat se subditum cuicumque cuiusdam loci approbato Sacerdoti: repugnat enim *iuri divino* quemquam efficere ut valide a iudice non suo iudicetur et eo absurdius haec ratio affertur quod ne confugitur quidem ad qualemcumque consuetudinis praetextum: nec ea de causa quod in quocumque iudicio agendum sit legibus loci; hoc est enim absurdum, cum iudicandi potestas non provenit ab Ordinario loci, sed delegatur ab alio superiore ab eodem Ordinario independenti: sed illa vera ratio erit et esse tantum potest, quam cum aliis tetigit etiam Sporer (*de Poenit.* 747.), nimirum quod Ordinarii *sciunt* et *tacent* et hinc habetur ea quae audit *ratihabitio de praesenti:* quo prorsus modo quoad viatorem, qui extra dioecesim confiteatur, dixit Caietanus (sup. n. 82.): *tacita Episcopalis licentia dat robur absolutionibus* et consuetudo non concurrit nisi ut testis licentiae. « Tenendum est, iurisdictionem... sufficientem acquiri per licentiam tacitam quae habetur ex ratihabitione de praesenti, tunc contingentem, quando vidente et sciente ac tacente sacerdote proprio, qui potest contradicere, sacramentum poenitentiae administratur ». Reginald. l. 1. n. 70.

188. Haec ratio tamen quamvis possit legitimas reddere absolutiones, quae dari coeptae sunt ex quo Henriquez inducere voluit absurdam regulam iudicandi alienos subditos legibus eius, qui non est eorum superior; haec ratio inquam omni rigore destituitur quoad aliam conclusionem quam ab absurdo Henriquez principio deduxit Suarez per suum illud *consequenter;* nempe peregrinum non esse absolvendum tunc cum aliquod eius peccatum reservatum sit in dioecesi, ubi confitetur. Etenim nihil est quod impellat ad iudicandum, Ordinarium poenitentis peccatum aliquod non reservantem, negare vel cuicumque confessario a suo subdito legitime electo facultatem ab eo absolvendi.

Quod si Ordinarius facultatem confessario electo committit; quae tandem tam absona causa sit, qua impulsus huiusmodi confessarius nolit ea uti facultate denegetque absolutionem?

189. Hoc enim vero singulare profecto esset et sensui Doctorum adversaretur. Doctores enim in id proclives omni tempore fuerunt, ut quam minime possent legum vim proferrent easque, quantum in eis situm erat, in favorem poenitentium interpretarentur. Quapropter licet ex declaratione authentica Bonifacii VIII. (in c. *Si Episcopus 2. de Poenit. et Remiss.* in 6°) nunquam intelligenda esset concessa facultas petendae absolutionis a reservatis, nisi Ordinarius eam *expresse* concederet; nihilominus s. Antoninus et Paludanus id conati sunt, ut occasionem sumendi Paschatis exciperent: Navarrus opinatus est, posse praesumi consensum Ordinarii quando subditus illi confiteretur qui in alia dioecesi haberet *facultatem* a suo Episcopo *etiam pro reservatis:* Dominicus Soto autem concessit, ut quoad haec posset negotium relinqui iudicio Episcopi localis, quando expresse haberi non posset consensus proprii: denique Auctor Summae *Pacificae* vult ut etiam extra occasionem Paschatis intelligenda sit concessa peregrino a suo Ordinario facultas pro reservatis, saltem cum aliquis e dioecesi egressus est cum *expresso* Episcopi consensu. Iamvero nonne iniquum est, dum Doctores omni studio conantur legem mitigare, quae vetat ne absolvatur citra consensum atque auctoritatem Ordinarii, nunc negari velit absolutio etiam cum Ordinarius pleno id consensu indulget?

190. Adde rationem aliam quam Engel (*Man. paroch.* p. 3. c. 2. n. 7.) a Concilio Tridentino recte deducit (sess. 14. c. 7.). Tridentinum enim Concilium expresse admonet, facultatem reservandi peccata tribui Episcopis iuxta auctoritatem ipsis commissam *in suos subditos:* hinc reservationem, quae fieri debet *in aedificationem* et non in destructionem opportunam esse debere iis rerum adiunctis, in quibus subditi reperiuntur. Itaque si peccatum reservatum est in dioecesi A, non autem in dioecesi B, hoc indicio est, Episcopum dioecesis B iudicare, pro suis subditis nequaquam hac reservatione opus esse.

Quo posito, quidnam monstri hoc esset, Confessarium electum in dioecesi A velle imponere poenitenti dioecesis B onus aliquod, quod intelligere debet eius Ordinarium non duxisse esse imponendum?

191. Concludamus igitur, quamvis inveniri possit ratio sufficiens adoptandi praxim recentiorem absolvendi scilicet peregrinos a peccatis in eorum dioecesi reservatis; nulla tamen ratio est adoptandi etiam alteram partem, nempe non absolvendi peregrinos ex hac una causa, quod afferant peccatum in dioecesi confessarii unice reservatum.

192. Heic autem revocandum in memoriam est, quod inde ab initio notatum est (sup. n. 13.), nimirum hac quaestione vel crassius etiam spectata, videlicet inspectis tantummodo sententiis ab auctoribus allegatis, rem stetisse semper hinc inde intra fines merae probabilitatis. Itaque cum ad evidentiam demonstratum sit, probabilitatem opinionis negantis posse absolvi peregrinum a peccato in sola confessarii dioecesi reservato, esse mere extrinsecam et ita extrinsecam ut appareat intrinseco quovis fundamento destituta; contrarium esset omni aequitati, probabilitati oppositae sententiae tantum ponderis denegare, ut in praxi tanquam illicitus eius usus interdiceretur.

Etenim prima principia eo redeunt, ut ille, cuius interest, idest Ordinarius poenitentis (dici solet Ecclesia; sed in concreto deveniendum est ad *proprium Sacerdotem*, qui unus habet potestatem in subditum et potest unus eam alteri delegare) intelligatur conferre aut delegare iurisdictionem, quando rationes sufficientes suppetant existimandi iurisdictionem reapse haberi.

Cum igitur sententia, de qua agimus, tot argumentis freta sit ut oppositae non relinquat nisi probabilitatem mere extrinsecam; iuxta prima principia integrum est confessario eam in praxim cum omni securitate deducere.

193. Proposita quaedam dubia expenduntur circa peregrinorum a casibus reservatis absolutionem.

Dubium 1^m^ Si potestas absolvendi peregrinum a casibus reservatis in sua dioecesi datur indirecte ab eiusdem peregrini Ordinario, certus sim oportet, mihi Ordinarium huiuscemodi auctoritatem tribuere. Iamvero accidit, ut aliquis Ordinarius ne suis quidem dioecesis presbyteris velit potestatem concedere a quibusdam reservatis casibus absolvendi, ex. gr. Episcopus Triburtinus reservat sibi exclusive facultatem absolvendi eum qui vulget libellos famosos. In hoc casu videtur supponendum *a fortiori*, nolle ipsum facultatem huiusmodi concedere sacerdotibus alterius dioecesis.

Resp. 1° Haec difficultas certe scholarum doctrinam non afficit, immunem a rerum confusione ab innovationibus Henriquesianis inducta; negat enim, absolvi posse peregrinum a reservatis Ordinario suo, quin poenitens facultatem ad hoc obtinuerit. Perlegatur quod noster p. Contini (Comitolus) disserit hac super re, cuius sententias attulimus n. 70.

2° Nec stricte loquendo afficit doctrinam, quae iuxta Clementis X. Constitutionem confert *Regularibus privilegiatis* facultatem advenas absolvendi a peccatis in respectivis ipsorum dioecesibus reservatis nec simul reservatis in loco confessionis; quandoquidem Regulares absol-

vunt ex iurisdictione a s. Pontifice accepta, non vero ex facultate ipsis indirecte a poenitentium Ordinariis communicata.

3° Igitur afficit dumtaxat doctrinam supra n. 187. propositam, silentium videlicet Episcoporum, qui norunt proprios subditos solere absolvi in aliis dioecesibus etiam a sibi reservatis, aequivalere tacitae ratihabitioni de praesenti, ideoque iurisdictionis collationi. Itaque quoniam in hac praxi habetur aut certe subintelligitur exceptio = dummodo confessarius non noverit *poenitentes in fraudem reservationis alio commigrasse* = ut habetur quoque in privilegio a Clemente X. Regularibus confirmato; hinc est, ut difficultas proposita dare tantummodo possit occasionem inquirendi, utrum qui proprii Episcopi voluntatem huiuscemodi perspectam habeat, sit reapse ex iis qui migrant in *fraudem reservationis*. Quare difficultatem hanc communem habet etiam supradictum Regularium privilegium.

194. Dubium 2^m^ Dare facultatem absolvendi a casibus reservatis est actus iurisdictionis. Atqui iurisdictio exerceri non potest a Superiore nisi in territorio proprio nec extra ipsum. Igitur Episcopus dioecesis A quomodo potest dare facultatem Sacerdoti dioecesis B, ubi nullam habet iurisdictionem, quippe positae extra ipsius territorium?

Resp. 1° Regula non exercendae extra territorium iurisdictionis respicit dumtaxat tale exercitium *cum strepitu iudiciali:* proinde Doctores omnes consentiunt, Episcopum et etiam Parochum posse extra territorium audire suorum subditorum confessiones, quin ullam ab Ordinario loci facultatem requirant.

2° Episcopus in casu nostro dat suo subdito facultatem eligendi sibi confessarium. Iamvero actus hic, qui est actus iurisdictionis, fit in dioecesi et non extra.

3° Conveniunt omnes, Episcopum posse absolvere sibi subditum ab aliqua excommunicatione, licet extra territorium commorantem et viceversa Episcopum extra territorium degentem posse cum sibi subdito dispensare, sive extra dioecesim ille sit sive intra. Ergo...

195. Dubium 3^m^ Oporteret confessarios nosse omnes dioecesium omnium reservatos casus: quod esset onus intolerabile.

Resp. Huic difficultati satis iam fecimus (n. 191. seqq.). Hèic solum animadvertimus, talem difficultatem haberi etiam ad absolvendum a reservatis peregrinum, qui veniat *in fraudem reservationis:* quae facultas vi recentioris theoriae dari voluit singulis confessariis. Ergo qui suis se armis confodere nolit, talem praetereat difficultatem.

196. Dubium 4^m^ Si peregrinus absolvi nequit a reservatis proprio Ordinario, nisi ex potestate ab eodem commissa, sequi videtur non posse illum absolvi a reservatis Ordinario confessarii, nisi dederit huius

Ordinarius ipsemet ad hoc facultatem. Probandum esset igitur, peregrinum in dioecesi non sua, subiectum non esse legi reservationis.

Resp. Ad absolvendum peregrinum requiritur et sufficit sola iurisdictio eius Ordinarii nec hilum huc pertinet Episcopi localis iurisdictio. Et si huc non pertinet huius iurisdictio, neque pertinet huc restrictio iurisdictionis, videlicet reservatio; nec opus est proinde ullam ab ipso facultatem requirere.

197. Dubium 5^m^ Ordinarius poenitentis quomodonam potest iurisdictionem tradere sacerdoti, qui eius subditus non est?

Resp. Delegatio alteri facta propriae auctoritatis nullo modo exigit delegatum esse subditum delegantis. Ita in quibusdam casibus Vicarius potest delegare Episcopum et si Guardianus Capuccinorum dat facultatem suo subdito confitendi cum Episcopo, Guardianus dat auctoritatem Episcopo nec tamen Episcopus est aut fit subditus Vicarii sui aut Guardiani. Ergo ad summum necessaria erit subiectio, quando agatur de *imponendo* alteri officio delegati, non vero si tantummodo committatur auctoritas.

198. Ceterum sententia illa, qui recipit iurisdictionem, subditum esse oportere Ordinarii, non est revera nisi falsum consequens alterius opinionis, quae late alias viguit, Ordinarium nempe, a quo Concilium Tridentinum praecipit habendam esse *approbationem*, intelligendum esse Ordinarium *sacerdotis;* ex quo inferebatur, sacerdotem post susceptam a proprio Ordinario approbationem, pro universis mundi dioecesibus approbationem iam esse consecutum. Sed postquam Sedes Apostolica iterum iterumque declaravit, approbationem, de qua Conc. Trid. loquitur, recipiendam esse ab Ordinario loci, ubi fit confessio, antiquata est illa opinio et cum ipsa evanuit etiam praedictum illud consequens, ut ut nonnulli, quemadmodum Gury, transscribere huiuscemodi speculationem perrexerint, cuius non videntur unquam inquisivisse aut intellexisse rationem. Dixi autem *falsum* consequens; nam perperam trahitur ad *iurisdictionem* quod disputatum fuit de *approbatione*, quae duo tamen diversissima sunt: ita ut Suarez, qui aliunde supradictam antiquatam opinionem praetulit quoad *approbationem*, nihilominus propugnaverit iurisdictionem, qua peregrini absolvuntur, ab eorum Ordinario committi.

199. Dubium 6^m^ Ad audiendas confessiones requiritur approbatio Ordinarii loci. Atqui haec non consistit in indivisibili. Potest approbari sacerdos pro monticolis et non pro civibus, pro casibus ordinariis non pro difficilioribus etc. Quando igitur Episcopus dat sacerdoti alicui facultatem audiendi confessiones, exceptis casibus reservatis, videtur dicere: pro hisce casibus te non reor idoneum. Hoc posito, sacerdos

ille quoad hosce casus ab Ordinario suo non approbatur: ergo Ordinarius poenitentis non poterit illi delegare iurisdictionem, ergo sacerdos ille non poterit tanquam delegatus absolvere ab illis casibus pro quibus non est approbatus, etiam si in dioecesi poenitentis ea non reserventur. Proinde ad quaesitum: *quandonam promulgata fuit lex vi cuius sacerdos habendus sit tanquam destitutus iurisdictione pro supradictis casibus?* responderi posset: implicite promulgata fuit, quando decretum est, requiri approbationem Ordinarii localis.

Resp. Consilium explicandi reservationem, hoc est restrictionem iurisdictionis in hunc sensum, ut reservatio sit limitatio approbationis, est vana cavillatio, quae prima vice in lucem prodiit in aliquo Theologiae moralis cursu aetatis nostrae, doctoribus sive theologis aut canonistis prorsus ignota.

Dixi *vanam cavillationem;* nam ex iis, quae in ipsa obiectione dicuntur, exploditur. Revera verissimum est, approbationem dari solere tantum pro regione montana (non pro solis montium incolis, ut ibi imprudenter dicitur), non vero pro urbe: pro solis hominibus, non pro mulieribus: pro populi fidelibus utriusque sexus, non pro puellabus alicuius orphanotrophii. Sed nemo unquam somniavit facultatem ita concessam esse limitem iurisdictionis quoad certa peccata. Reapse confessarius approbatus pro solis montium oppidulis, ibi *valide* absolvit etiam cives, qui eo se conferant confessionis peragendae causa et confessarius pro solis hominibus aut popularibus ab *eisdem peccatis* absolvit, quae mulieres et orphanae cuiusdam gynaecaei committunt et etiam a gravioribus atque difficilioribus.

Vana est autem haec cavillatio etiam ob eam causam quod praxi communi opponitur. Revera 1° cum Ordinarius (sive Episcopus ille sit sive abbas etc.) facultatem impertit eligendi confessarium qui possit eum a reservatis absolvere, 2° cum eadem facultas occasione alicuius iubilaei omnibus conceditur, cum personis particularibus hoc ipsum conceditur, sive per Bullam Cruciatae sive per aliud quoddam privilegium: nec Papa nec Episcopi nec alius quilibet qui veniat sub nomine Ordinarii unquam quidquam aliud exigunt praeter hoc; ut videlicet confessio fiat cum sacerdote qui in dioecesi sua sit approbatus; non autem postulant (quod faciendum esset iuxta vanam hanc cavillationem) ut confessio fit cum eo qui approbatus sit pro casibus reservatis, seu ut aptius nos loquamur, cum eo qui habeat facultatem pro casibus reservatis.

200. Quod autem additur in dubio, nempe hanc legem tunc esse promulgatam, cum lex promulgata fuit de Ordinarii approbatione confessariis necessaria, manifesto pugnat cum historia. Lex enim quae

postulat approbationem Ordinarii lata est in Concilio Tridentino. Iamvero inter Concilium Tridentinum et novitatem a Suarez primum inductam, in absolvendo advena a reservatis standum esse legibus loci confessionis, dimidium seculi intercedit. Igitur supponendum esset absurdum, aliquam e Concilii Tridentini legibus fuisse, cuius per dimidium seculi in Ecclesia Dei nemo ullam notitiam haberet nec de illa vel minimum cogitaretur, quin imo omnes eo se modo gererent qui cum supposita hac lege conflictaretur.

Cum vero Suarez suam illam novitatem protulit et primus affirmare ausus est, non posse a simplici confessario absolvi advenam a peccato in confessionis loco tantum reservato, nullo modo confugit ad hanc somniatam legem, nec insolitam illam approbationis restrictionem cogitavit, quam nullibi ego legi praeterquam in opere patris Gury; sed eam novitatem protulit tanquam consectarium et quidem talis antecedentis quod pro fundamento nihil aliud haberet, exceptis tribus illis allegationibus, ut iam supra vidimus.

201. Dubium 7^m^ Dici potest, tacite convenisse inter Episcopos, eorum subiectos habendos esse in qualibet dioecesi tanquam illius dioecesis subditos, quod spectat ad absolutionem et sacerdotes tantum habere pro omnibus iurisdictionis quantum ipsis conferat eorum Episcopus pro suis subditis.

Resp. Poterit quidem aut debebit supponi conventio in eiusmodi rebus in quibus, ut perficiantur, Episcopus quidam opera, auxilio aut interventu alterius indigeat, ita ut vere dici possit, alterum alterius fieri *gestorem negotiorum:* non ita vero, si de his negotiis agatur, in quibus nihil opus est ut alius sese immisceat. Ita profecto accidit in casu nostro; nam cum peregrinus absolvitur et Ordinarii eius iurisdictio adhibetur, nulla ratio est, cur Episcopus localis possit ad eam rem concurrere suamque operam obtrudere. Hanc autem conventionem non exsistere qualis hoc loco describitur, argumento est quod non absolvitur peregrinus a reservatis proprio Ordinario, quando intelligitur ipsum e dioecesi egressum esse ad vitandum vinculum reservationum propriae dioecesis.

202. Dubium 8^m^ Propagatio novae theoriae, communis praxis ob oculos Episcoporum posita, nemine contradicente, uno verbo usus iam receptus et tacite approbatus videtur evidenter tacitam hanc conventionem testari: nam dicere Catholicum Episcopatum sive inertia sive ignorantia tacuisse, temerarium foret.

Resp. Omittamus tacitam conventionem, de qua iam diximus; nihil enim ad rem nostram pertinet. Animadvertamus potius imprimis, a nonnemine fortasse *commutari praxim communem* cum iis, quae in

patria sua quis doceri audivit quaeque leguntur in libris valde communibus. Qua in re potest esse non levis error. Quid enim novit ille ex. gr. de PP. Servitis suo Strugglio studentibus, qui oppositam sententiam docet? Quid novit ille de PP. Benedictinis, quorum doctores Engel, Babenstuber, Mezger oppositum et ipsi tenent? et pro contraria nonne Theatini suum Megala suumque Naldi habent nec non celebrem Diana qui eam *probabilem* affirmat? Franciscani autem habent et ipsi suum Elbel, qui eam *probabilem* vocat. In societate autem nonne contrarium docent Fagundez, Stoz, Mendo et Pellizzarius et praeterea nonne *probabilem* esse concedunt Viva, Mazzotta et Reuter? Dominicani autem nonne ad manus habent suum Medina et ceteros omnes Summistas? Non confingamus igitur mundum arbitrio nostro, neque totam terrarum amplitudinem dimetiamur ex iis quae in quibusdam recentioribus libris legere est: scire enim nos oportet, utramque sententiam tandem intra fines probabilitatis contineri.

Episcopos autem aut inertiae aut ignorantiae esse coarguendos res est quae nihil huc attinet. Et revera quidnam censendum nobis esset de Episcopatu, cum primum Henriquez et Suarez novitatem illam suam produxerunt fultam quidem nonnullis perperam adductis auctorum textibus, sed reapse doctrinae praxique universali oppositam? Certe si cum auctore dubii ratiocinamur, ad excusandos ab inertia aut ignorantia Episcopos recurrendum nobis erit ad eorum tacitam conventionem. Sed si imaginatione tantum confictam illam conventionem admittimus, quomodo episcopos ab incuria aut ignorantia excusabimus, dum eodem tempore augebantur numero summisque efferebantur laudibus editiones hispanice, latine, et italice vulgatae Summae Bartholomaei Medinae, quae docet sententiam prorsus contrariam, quaeque haud dubium quin, quippe liber molis levioris, volitaret per manus sacerdotum nulla comparatione plurium, quam qui pervolverent volumen illud sesquipedale Henriquez ac Suarez, quorum in angulo ea novitas inserebatur? Quomodo, inquam, eos excusabimus, dum per idem fere tempus Medinae doctrina (quae paulo ante unica fuerat doctrina cognita omnibus et probata) Romae docebatur et inculcabatur a summo illo suae aetatis viro Bartholomaeo Ugolini, a Ledesma, a Vega, a Graffi, deinde vero a Fagundez, a Mendo, a Naldi etc.? Num dicemus ad excusandos Episcopos tacitam aliquam interfuisse conventionem etiam pro doctrina doctrinae Suarez opposita ita ut conventio exsisteret in utramque partem?

Omittamus igitur haec figmenta et si voluerimus ratione aliqua solidiori haec explicare, sufficiat nobis animadvertere, quonam pacto doctores sese soleant expedire in pluribus aliis huiuscemodi quaestio-

nibus, quae iurisdictionem spectant et in quibus diversae sunt theologorum sententiae. Duae sunt res in propatulo: altera facti, altera iuris. Prima est, communiter Episcopos in rebus non definitis integrum theologis relinquere, ut inter se certent de merito opinionum. Secunda est, eosdem consentire in principium omnibus commune, posse nempe adhiberi iurisdictionem iuxta opinionem quae prudenter iudicetur probabilis; ex quo tacito et universali omnium consensu exsistit iam traditio illa iurisdictionis quae actus consolidat et ratos habet. Ita reddi potest ratio cur temporibus Suarez et deinceps, quamquam diversitas sententiarum videatur id secum adducere ut ex duabus partibus altera iurisdictione destitueretur (ex duabus enim contradictoriis una tantum potest esse vera), in praxi tamen unusquisque suis usus est sententiis, nullo unquam excitato dubio de validitate absolutionis, quam alii iuxta oppositas sententias impertirentur.

203. Dubium 9m Durum videtur admittere, in Ecclesia universaliter propagatum esse errorem gravissimum quoad rectam unius sacramenti administrationem, falsamque praxim increbuisse in tali errore fundatam. Durum videtur admittere, ad quaestionem; *quonam pacto accidit ut validae sint tot absolutiones quae singulis diebus dantur in dioecesi A a peccatis reservatis in dioecesi B et non reservatis in dioecesi A iuxta theoriam praximque horum temporum?* respondendum esse; *quia tacite suppletur iurisdictio quam confessarii non habent:* et ad quaestionem aliam: *cur suppletur haec iurisdictio?* respondendum esse: *Ignorantia universalis verae doctrinae circa rectam huius sacramenti administrationem, tum praxis universalis erroneae doctrinae consentanea Ecclesiam impulerunt ad supplendam iurisdictionem, sive coegerunt Episcopos ut ratum haberent abusum absolvendi, non obstante reservatione, ne tot eorum oviculae invalide absolverentur.* Quin imo hoc nescientes faciunt; quia sub eorum oculis et cum eorum approbationibus imprimuntur, pervolutantur, explicantur in Seminariis huiusmodi libri, qui eorum auctoritati derogant, qui tanquam veram doctrinam confirmant errorem habentque ut iure validas absolutiones, quas ipsi ex mera indulgentia convalidant et nihilominus tacent et iter institutum prosequuntur. Opinionem autem et praxim impugnatam esse moraliter universalem, colligi potest ex theologiae cursibus, qui longo iam abhinc tempore imprimuntur et Cleri institutionis basim constituunt.

Resp. Animadversiones in responsione ad dubium praecedens factae, sufficiunt ut haec difficultas, quae magni cuiusdam montis similitudinem praefert, instar nebulae evanescat.

Dicamus imprimis: prodeat in medium qui probare possit, falsum esse, Henriquez et Suarez inanium unice allegationum fundamento

innixos auctores fuisse praxis et principii, quae praxi universaliter in Ecclesia admissae repugnarent. Quod si factum negari non potest et aliunde placet oppositori, doctrinam hanc et praxim tanquam oppositas praxi et doctrinae eo usque in Ecclesia universaliter admissae gravissimum dici errorem, quomodo effugiet ipse ea incommoda, quae ipsemet profert in medium et amplificat, ad causae suae defensionem?

Nonne quoad modum quo se gesserunt Episcopi ab initio seculi XVII., eadem obiici poterunt quae ipse disserit de Episcopis seculi XIX?

Ut aliquid igitur de hac implexa quaestione intelligatur, potiusquam de *errore gravissimo* aut de absolutionibus per ignorantiam datis ab eo, qui ignoraret, fovere se abusum in praeiudicium propriae auctoritatis etc.: inducatur sermo, ut par est et ut facta postulant, de opinionibus intra limites probabilitatis contentis, quibus addere pondus potuit auctoritas virorum praestantium et quibus aditus eo facilius recludi potuit, quo communior esset earum usus apud Regulares, qui tunc temporis maiorem Cleri partem efficiebant et Episcoporum facultate non indigebant. Adde huc principium commune, licite adhiberi posse iurisdictionem probabilem, quin interrogentur Episcopi de consensu aut de opinionum validitate. Ecce autem argumentationem illam omni robore destitutam: quae ratiocinatio quoad hanc materiam nihil aliud efficere potest, quam ut quaestionem implicet, quin ullam suppeditet rationem veras difficultates dissolvendi.

204. Dubium 10^m^ S. Alphonsus (lib. 6. n. 588.) refert resolutionem Sacrae Episcoporum et Regularium Congregationis quae favet novitati Suarez.

Resp. Nemo unquam reperire potuit decretum huiusmodi seu huiusmodi resolutionem, quae revera instar prodigii esset habenda: quia supponitur data mense Nov. an. 1616. cum communis esset atque in suo robore praxis opposita novitatesque Suarez vix inaudirentur.

Ceterum s. Alphonsus cupientem inspicere eiusmodi resolutionem remittit ad Pictonium, auctorem omni auctoritate quoad hanc rem destitutum. Pictonius autem (*Deciss. pro Confess.* n. 620.) videtur utique quandam resolutionem referre: sed revera nihil aliud est quam eius commentum; etenim Cabrini (*de Cas. Reserv.* p. 1. resp. 22.) apud quem Pictonius ait inveniri dictam resolutionem, nihil habet in hanc rem quae resolutio sit: sed tantum ait, *extare Decretum Congr.* et quidem nec indicat cuiusnam Congregationis: unde apparet, marte suo Pictonium addidisse hanc esse Congregationem Episcoporum et Regularium: quae praeterea non apparet cur agere debuisset de hac quaestione; dum nullum est indicium, eam resolutionem versari in re ad Regulares pertinente.

Hisce difficultatibus addatur neminem unquam huius resolutionis vel minimam rationem habuisse, nec eius mentionem unquam fecisse cuius interierat, eamque Fagnanum ignoravisse auctorem aequalem, quique ab anno 1618. a secretis fuit pluribus Congregationibus. Hoc igitur nec documentum est nec argumentum cuiuscumque roboris nec dignum haberi potest, quod ut norma doctrinae suscipiatur.

205. Dubium 11^m^ Praesens praxis habet iam caracteres consuetudinis iuridicae, quae vim habet legis et dat etiam iurisdictionem. Propter hanc peregrini quoad confessionem habentur ut subditi; legalis autem Legislatoris consensus (Romani Pontificis) dat iurisdictionem confessariis: qui tamen ea non possunt nec debent uti nisi intra eos limites quibus ab Ordinario circumscribitur; nam ad eos tantum limites extenditur approbatio ipsis concessa.

Resp. Ut clara sit oratio, distinguenda sunt diversa capita, ad quae talis consuetudo redigenda sit. Itaque.

Si 1° agatur de facultate aut libertate confitendi extra dioecesim et de licentia recipiendae absolutionis (omissa heic quacumque de reservatis quaestione) praxis haec nihil probat pro consuetudine de qua sermo est, et a qua petere quis velit iurisdictionem: quam nolit agnoscere ut delegatam ab Ordinario poenitentis. Etenim ut factum aliquod id probaret, oporteret ut tale factum per se ipsum coniunctam haberet aliquam rem ad quam non posset extendi et in qua non posset habere partem ullam potestas proprii Ordinarii quaeque idcirco exigeret interventum iurisdictionis aliunde arcessitae. Iamvero hoc falsum est. Etenim pro tali facto suffigit iurisdictio indirecte delegata ab Ordinario poenitentis ob tacitam facultatem eligendi confessarii, quam habet ex consuetudine quicumque e propria dioecesi egrediatur. Habemus ergo consuetudinem, quae in iure nullam infert innovationem, sed consentanea est praxi iuris quae semper obtinuit. Iamvero consuetudo conformis alicui iuri non potest ius idem abrogare et introducere ius contrarium; eo vel magis quod etiam pro legibus consuetudine introductis valet et valere debet principium illud, in interpretandis novis legibus, quantum fieri potest, vitandam esse reformationem legum praecedentium et e contrario omne studium adhibendum esse, ut invicem concilientur.

Nec obstat, nostris temporibus ob facilitatem ultra citroque commeandi et ob viatorum frequentiam multos esse, qui occasionem habeant extra dioecesim confitendi. Data consuetudine, qua cuicumque e dioecesi sua exeunti tacite concedatur facultas eligendi sibi confessarii, inter approbatos cuiuscumque alius dioecesis, quo pedem inferat, parum refert esse paucos aut multos, qui exeant e dioecesi, sive in proximam sive in longinquam dioecesim se conferant.

Nec pariter obstat, multos esse (loquor de viventibus, non vero de Doctoribus qui scripta reliquerunt) qui nunquam cogitaverint in absolvendo advena adhiberi facultatem indirecte communicatam ab Ordinario ipsorum eosque id audientes admiratione defigi. Hoc dimanat ex eo quod nunquam consideraverint principia, quae in hisce materiis fundamentalia sunt et pro eo ut cogitent de iurisdictione repetenda a consensu Legislatoris supremi, isti per errorem existimant facultatem provenire ab Ordinario loci.

Ergo 1° erronea haec opinio non faveret iam introductioni alicuius iuris repetendi a consensu legali supremi legislatoris de quo est sermo sed faveret iuri singulorum Ordinariorum in quemlibet qui in ipsorum dioecesium se conferat; tale enim ius hac opinione stabilitur. 2° Iuxta prima principia actus provenientes ab erronea opinione non sunt idonei fundando *iuri consuetudinis:* 3° eo vel magis quod multitudo Doctorum ad nostram usque aetatem falsam hanc opinionem reiicit. Dixi autem multitudinem Doctorum: notavimus enim iam OMNES esse concordes in eo statuendo quae solemnes Ecclesiae definitiones sanxerant, nempe auctoritatem absolvendi non reperiri nisi in Ordinario aut in eo cui Ordinarius delegaverit facultatem, ideoque peregrinos non absolvi nisi per facultatem indirecte ab ipsorum Ordinario communicatam. Unus sanctus Alphonsus ab hac opinione discessit et ante ipsum Lugo. Huius tamen tam exlegis opinionis duo isti auctores ne minimam quidem rationem reddere potuerunt nec ullam auctoritatem vel unius scriptoris afferre. Itaque sententia duorum tantummodo scriptorum affirmationem suam nullo argumento nullaque auctoritate probantium, contra multitudinem doctorum, qui doctrinam suam sollemnibus et claris Ecclesiae sanctionibus confirmant, huiusmodi sententia, inquam, nec habet nec habere potest quidquam momenti.

2° Si autem non agatur de praxi absolvendi in genere peregrinos ab eorum peccatis, sed eos absolvendi a peccatis in singulis eorum dioecesibus reservatis, distinguendi sunt confessarii Regulares a confessariis secularibus.

Si sermo sit de Regularibus, nullus superest locus loquendi de consuetudine, quae ipsis det iurisdictionem. Regulares iurisdictionem habent a Papa et ab eodem Summo Pontifice privilegium habent absolvendi peregrinos a peccatis in singulis eorum dioecesibus reservatis: cui privilegio Clemens X. in Const. *Superna* duas limitationes apposuit, aliam ex parte poenitentium, ut nempe a dioecesi non exissent in fraudem reservationis: aliam ex parte peccatorum, nempe ut non essent reservata etiam in dioecesi ubi audiretur confessio. Cum igitur Regulares habent a Papa iurisdictionem, pro ipsis non est aliunde requirenda iurisdictio.

Unum superest igitur inquirendum, utrum supponenda sit aut a consuetudine repetenda iurisdictio pro confessariis Cleri secularis, postquam isti talem praxim adoptaverunt, perinde ac etiam ad ipsos spectaret decretum editum a Clemente X., quo privilegium dedit Regularibus. Iamvero ne istud quidem factum argumento esse potest novi iuris legali consuetudine introducti. Ad reddendam enim eius facti rationem sufficientem sufficit aliqua res iuri communi conformis, videlicet tacita ratihabitio *de praesenti* ab Ordinario poenitentis facta, ut supra iam dictum est n. 187. Tacita haec ratihabitio manifesta est in ipso facto: Episcopus enim probe novit praxim, qua eius subditi extra dioecesim a reservatis absolvuntur et nihilominus haud reclamat. Et sicuti adest consensus Episcopi cum scit et tacet circa usum aliarum opinionum probabilium quoad iurisdictionem quae ab ipso dimanat, idem omnino dicendum est in casu praesenti, circa quem Ordinarium non latet credere confessarios communiter sequi se in hac re opinionem probabilem.

3° Ceterum heic etiam deficerent characteres, qui iuxta communia et prima principia requiruntur ad constituendam legalem consuetudinem. Nam ad inducendam stabiliendamque consuetudinem quandam iuridicam requiritur, ut in eius actibus exercendis communitas sciat et velit operari contra ius constitutum et agnitum. Iam vero id in casu nunquam accidit. Etenim huiusmodi praxis pedetentim introducta est propter opinionem (quae falso credita est Doctorum suffragio muniri) in absolvendis peregrinis sequendas esse leges locales. Haec autem opinio tantum abfuit ut ad abrogandam in hoc auctoritatem Ordinarii conspiraret, quin imo simul statueret et auctoritatem absolvendi provenire ab ipso poenitentium Ordinario. et hanc in absolvendo regulam teneri ex ipsorum Ordinariorum consensu: et iam dictum est in hoc iudicandi modo nullam esse dissentionem inter doctores, excepta singulari opinione s. Alphonsi et Lugo. Ergo frustra heic inquiritur consuetudo iuridica, quae mutationem iurium inducat.

Tandem supposita haec legalis consuetudo referri posset ad praxim non absolvendi peregrinum ab eo peccato quod tantummodo reservatum sit in dioecesi confessarii. Atqui etiam sub hoc aspectu incassum quaereretur consuetudo, quae vim legis obtineat. Nam principium certum est et a Canonistis universaliter receptum (vid. Reiffenst. lib. 1. tit. 4. n. 26. et Schmalzgrueb. lib. 1. tit. 4. n. 14.) ad inducendas eiusmodi consuetudines opus esse ut actus a Communitate ponantur *ex certa scientia*, ita ut scienter illis actibus imponi velit aut induci lex, quae cognoscatur non exsistere aut velit scienter abrogari lex quae cognoscatur existere, contra ipsam operando. « Similiter (ait Reiffenst.)

si longo tempore (populus) eliceret actus contrarios legi, quam ignoraret esse positam, non praescriberet contra legem... Si populus ex errore per decem annos observat diem festum vel ieiunium, putans se aliqua lege ad hoc teneri, non per hoc inducitur consuetudo praeter ius ». Iamvero elementum hoc in casu nostro penitus deest. Et rē quidem vera aut nos consideramus poenitentes, et extra rem est cogitare, ipsos, cum scirent posse se absolvi per confessarios extra dioecesim a peccatis ibi, ubi confitentur, reservatis, voluisse non absolvi, ea mente ut ita legem tandem statuerent: aut nos consideramus confessarios, et aeque absurdum est cogitare, scivisse ipsos posse se absolvere et nihilominus noluisse absolvere, ut per hanc consuetudinem, legem efficerent.

In summa, praxis inde orta est quod crassa Minerva, ut dicitur recepta sit opinio satis inter auctores vulgata, qui prae ceteris manibus tererentur, quin satis curae esset expendere, utrum et quodnam fundamentum haberet talis opinio. Ergo ne in hoc casu quidem habemus elementa idonea ad constituendam consuetudinem, quae vi legis praedita sit.

PARS II.

AN RESERVATIO AFFICIAT IGNORANTES

Utrum absolvi possit ab eo qui non habet facultatem pro reservatis poenitens qui peccatum admisit ignorans, illud esse reservatum.

206. Notatum est iam supra (n. 1.-3.) nullam adesse causam eius scandali, quod nonnemo ex tali quaestione patiebatur, perinde ac ea proposita, illico in dubium revocaretur axioma: reservationem *afficere confessarium*, quin imo statueretur eam *afficere poenitentes*. Nihil aliud hoc est nisi formido vana, orta ex modo quo nonnulli quaestionem proponunt; *an qui reservationem ignorant eam incurrant*... aut aliud quid simile.

Proponatur quaestio aliis verbis: ex. gr. utrum lex reservans comprehendat peccatum, etiam tum cum qui peccat legem ignorat etc. et extemplo apparebit nihil aliud illud fuisse quam metum inanem. Praeterquamquod optandum est, pusillos istos scandala haec non nimium iactare; nam id agentes nihil efficiunt aliud, quam ut se admodum ieiunos lectione Theologorum ostendant, in quibus utraque formula reperitur: quod autem maxime refert illud est, ut singulae quaeque res probe intelligantur.

207. Notatum est praeterea (sup. n. 5.) perperam a quibusdam existimari, quaestionem omnem quoad hoc praecidi posse adducto in medium

magno illo principio: *reservatio est restrictio iurisdictionis in confessario.*

Nam animadvertimus controversiam, utrum tale peccatum comprehendatur in lege reservante, aequivalere quaestioni: *utrum in tali casu restricta sit iurisdictio confessarii.* Iam vero quaestio, utrum in certo casu aliquo restricta sit iurisdictio confessarii, non potest solvi, ut patet, respondendo reservationem esse restrictionem iurisdictionis. Nihilominus (quis crederet?) haec quibusdam unica ratio est, aliis est praecipua, qua putant reiiciendam esse opinionem illius, qui affirmet, casum hunc vel illum non comprehendi in lege: licet, quod peius est in crassam quoque rerum repugnantiam incurrant; ut paulo post explicabimus.

208. Itaque ad solvendam quaestionem ut eam nos proposuimus (quae tandem unica et vera ratio est confessariorum usibus opportuna) utrum videlicet deleri absolvendo possit vel ab eo qui pro reservatis facultatem non habeat, peccatum cum ignorantia reservationis commissum, adhibenda est eadem methodus, quae adhiberi solet cum quaeritur ex. gr. utrum talis confessarius absolvere possit ab huiusmodi peccatis ex gravi tamen metu commissis, aut cum dubium adest *iuris* aut *facti* utrum peccatum reservatum sit necne etc.

Investigandum nempe est, utrum adsint sufficientia intrinsecorum argumentorum praesidia, aut suppetant extrinseca auctoritate subsidia in tantum, ut decerni possit id esse saltem *probabile.*

Dixi *saltem probabile;* iam nos enim in mentem revocavimus (sup. n. 4.) iuxta principia communiter admissa, cum confessarius niti possit opinioni *probabili*, posse illum tuto absolvere poenitentem; quandoquidem reservatio debet esse certa.

209. Ut igitur de hac re nonnulla dicamus, imprimis dissimulandum non est, quod alibi notatum fuit, mirum profecto accidere, hac opinione audita tantum scandali aliquibus creari. Certe quidem reputandum erit animo aut hosce nunquam legisse quae de hac re habet s. Alphonsus l. 6. n. 581. aut illorum esse oblitos. Nam nonne affert ipse longum catalogum Doctorum, qui aut absolute sententiam hanc professi sunt, aut saltem probabilem iudicarunt?

Notandum autem est, numerandos esse etiam Doctores, quos ibi s. Alphonsus refert pro *secunda sententia.* Haec enim a prima hoc tantum differret, quod excipiat reservationem, ut ait s. Alphonsus, factam a Superiore praecepto aliquo particulari, veluti cum s. Ignatius praecepit confessario domus, ut non absolveret tyronem illum, qui in horto carpserat granum uvae.

Itaque quidnam accidit, quaeso, post s. Alphonsum, ut sententia

illa amitteret eam probabilitatem, quae tunc illi concedebatur? Nam postea prodiit aliqua Ecclesiae definitio, quae controversiam finierit, aut argumenta alia reperta sunt tanti ponderis quae illam destruerent?

210. Noster P. Mazzotta (tr. 6. disp. 2. q. 2. quaest. 2.) rem arbitrio lectorum permittit. Dicit enim: *alii communius docent, etiam qui ignorat, reservationem incurrere.* Sed postea subiicit: *Sed oppositum probabile reputant etc.* et addit undecim nomina et praeterea: *alii apud Dianam, quibus ipse etiam, mutata opinione, adhaeret.*

Et profecto verissimum est. Dianam (Edit. Coord. tom. 1. tr. 5. n. 39. n. 2.) allatis rationibus, quas affert de Ianuario ex Piis Operariis, concludere in hunc modum: « Alias rationes videbis penes eundem de Ianuario: adi illum et non pigebit... Sed sententiam de Ianuario puto *satis probabilem esse*, quam tuetur etiam Graffius etc. ».

Eandem sententiam tribuit Diana (Ibi resol. 38. n. 1.) Cardinali de Lugo, cuius affert nonnulla verba ac dein subiicit: « Haec Lugo, in quibus videtur *aperte* sentire ignorantem reservationem alicuius casus, *secundum opinionem probabilem* non incurrere in dictam reservationem. Revera etiam s. Alphonsus (lib. 6. n. 581.). Lugo annumerat illis, qui dictam sententiam probabilem censuerunt.

211. Imo cum Lugo coniungendus quoque Sanchez, qui, eodem Lugo teste, talis doctrinae *probabilitatem* admittit. Ita Lugo (*de Poenit.* disp. 20. n. 11.). « Denique alii dicunt, requiri non solum scientiam prohibitionis, sed etiam talis poenae impositae: *quare ignorans invincibiliter reservationem peccati impositam, non illam incurrit: quam sententiam ipse Sanchez* (*de Matrim.* lib. 9. disp. 32. n. 18.) *existimat probabilem*, licet contrariam teneat ut probabiliorem ». Et reapse Sanchez (l. c.) scribit: « Hinc deducitur, dum in nova Constitutione reservatur absolutio alicuius peccati in odium illius... ignorantem invincibiliter eam Constitutionem non incurrere hanc reservationem, quamvis se delinquere novit ».

212. Quod autem magis animadvertendum occurrit, illud est, dici a Lugo se id notavisse, ut *praxi inserviat.* Ita ipse (l. c.): « Ceterum quia quaestio haec generalis est ad omnes poenas ecclesiasticas, sufficiat indicasse *sententias probabiles*, quae in hoc puncto sunt, ut unusquisque in facti occurrentia possit eam doctrinam probabilem ad praxim applicare ».

213. Sed antequam finem de Lugo loquendi faciamus, recensere praestat quoddam eius mendum, quantumvis in se leve, quod tamen cum quaestione nostra coniunctum est.

Ipse (sup. n. 211.) scripsit de Sanchez: « Quam sententiam ipse

Sanchez (*de Matr.* lib. 9. disp. 32. n. 18.) existimat probabilem, licet contrariam teneat ut probabiliorem ».

Iamvero contraria prorsus ratione se habet res: nimirum Sanchez sententiam illam *veriorem* ac *probabiliorem* habet, non autem oppositam. Nam (l. c. n. 17.) hanc thesim praemittit: VERIUS tamen esse credo, universas has poenas non incurri, ubi adest praedicta iuris ignorantia ». Idcirco paulo post (n. 18.) deducit corollarium huiusmodi: « Hinc deducitur, cum in nova Constitutione reservatur absolutio alicuius peccati, in odium illius,... ignorantem invincibiliter eam Constitutionem non incurrere hanc reservationem, quamvis se delinquere norit ». Sanchez adstipulatur Mazzuchelli apud Dianam tom. 5. tr. 7. resol. 62. n. 5.

214. Etiam Viva (*de Poenit.* quaest. 9. art. 3. n. 2.) non solum dicit: « Equidem censeo *probabilem esse* etiam secundam sententiam », sed eam tanto studio tuetur, ut significet eam sibi magis arridere quam primam.

Ecce autem primum eius argumentum: « Omnis reservatio habet rationem poenae medicinalis, si fiat per legem universalem et est odiosa tam confessario, cuius iurisdictionem restringit, quam poenitentibus, qui coguntur pro absolutione Superiorem adire. Atqui poena spiritualis medicinalis *ex communi doctorum sententia* apud Sanchez *Moral.* lib. 1. c. 8. non incurritur ab ignorante illam: ergo nec reservatio. Etenim tam excommunicatio reservata, quam reservatio peccati est restrictio iurisdictionis in absolvente, utraque est poena in delinquente et est poena medicinalis praeservativa a gravioribus delictis, spectans ad rectam Ecclesiae gubernationem. Ergo tam excommunicatio quam reservatio ignorata non incurruntur ».

215. Animadvertatur autem quomodo Viva argumentum, quod nuncupat ipse Achillem adversariorum, difflavit: nempe quod nos supra innuimus n. 207. (ibid. n. 3.): « Limitatio itaque iurisdictionis est quidem circa peccata reservata; verum quia accedente ignorantia reservationis, peccatum non est amplius reservatum; ideo accedente tali ignorantia, sicut etiam accedente dubio reservationis, non habetur iurisdictio restricta et limitata in confessario ».

216. Notetur autem quod adiicit (ibid.): « Quare a primo ad ultimum nec reservationem nec excommunicationem incurrunt qui illas ignorant. Et quia *communiter* Doctores inadvertentiam actualem et oblivionem aequiparant ignorantiae invincibili et inculpabili; inde fit quod non advertens ad poenam sive reservationis sive censurae, illam non incurrat, non secus ac si ignoraretur ».

217. Salmanticenses (tract. 18. cap. 6. nn. 12. 13.) postquam attulerunt primam quandam sententiam quae distinguit inter reserva-

tiones medicinales et poenales et de hisce dumtaxat statuit ignorantiam ab illis excusare, subiiciunt: « Secunda sententia omnem reservationem esse poenalem dicit et sic ab omni reservatione ignorantiam saltem inculpabilem excusare... *Huic sententiae adhaeremus* ».

Et notetur, Salmanticenses non urgere argumentum illud ignorantiam excusare a poenis, sed aliud afferre: quia nempe in tali casu ne medicinalis quidem esset reservatio: « quia (en verba) respectu illius qui nesciret peccatum esse reservatum, reservatio a commissione illius nullo modo cohiberet et finis intentus a superiore in tali reservatione omnino cessaret. Ergo sicuti respectu ignorantis cessat finis reservationis nec ista medicina retrahens a peccato respectu illius ita respectu illius cessat reservatio ».

218. Quoad Sporer, sufficit hanc eius thesim animadvertere, ubi qualitates enumerat, quas peccatum aliquod habere debet ut sit reservatum (*de Poenit.* n. 735.). « Ut peccatum mortale externum, actu et efficaciter reservatum sit, *requiritur notitia reservationis*... adeo ut si poenitens ignoret, peccatum a se patratum esse reservatum, adhuc (saltem pro illa vice) absolvi possit ab inferiori vel ordinario confessario. Ita Navarrus etc. ».

Commode autem Sporer addit ea verba, saltem pro illa vice; supponit enim a confessario certiorem fieri poenitentem de reservatione quod quidem causam suppeditat cur timere desinant ii qui ex hac doctrina omnis disciplinae ruinam et alia sexcenta pertimescunt.

219. Noster P. Adamus Burghaber in *tertia selectorum conscientiae casuum Centuria* eandem doctrinam amplectitur. Ita ipse (cent. 3. cas. 31.): « Respondeo Drogonem ob ignorantiam huius reservationis, probabiliter non incurrisse in eam, ideoque a Parocho absolvi a peccato sortilegii potuisse et consequenter male sine absolutione dimissum fuisse. Ita Navarrus etc. ». Affert autem hanc rationem: « Nulla poena extraordinaria a Synodo imposita incurritur, si invincibiliter ignoretur, ut cum pluribus docet Palao... Atqui omne statutum reservationis est poenale et in odium peccati, ut aperte docet Fagundez alios referens. Ergo nullum statutum reservationis incurritur, si invincibiliter ignoretur, ut pluribus ostendimus. C. 1. cas. 78. ».

Notetur autem quomodo etiam Burghaber expresse dicat, tradere se talem doctrinam, ut praxi inserviat (ibid.). « Atque haec responsio nostra ad praesentem casum, ut merito suo probabilis, ita perquam utilis videtur Parochis, cum rari sint e parochianis, qui reservationes synodales sciant ».

220. Roncaglia, quem certe nemo damnat laxitatis, de hac sententia ita scribit *de Poenit.* q. 7. c. 2. q. 4.). « Nescio videre, quomodo saltem

non debeat dici probabilis ea opinio, qua asseritur, reservationem non afficere ignorantes saltem inculpabiliter reservationem; quam opinionem aliis citatis propugnant Salmanticenses ».

Qui postquam de quibusdam aliis disputavit, ita prosequitur: « Universaliter igitur videtur verum, non obligare leges, quamvis non pure poenales, sed etiam medicinales, quoties cessent esse medicinae; atque ita cessare videntur, quoties ex ignorantia seu oblivione non habeant retrahere a peccatis, a quibus voluerunt tales leges omnes cohibere ».

Infert deinde conclusionem pro praxi: (ibid.): « Et his rationibus hanc opinionem vere probabilem iudicavi. Ex hoc etiam animadvertat confessarius, an hic locum habere possit ea doctrina, qua... dixi, pro administrando Sacramento Poenitentiae, sufficere iurisdictionem probabilem ». Cui conclusioni etiam Marcus Struggl assentitur (*Th. Mor.* t. 21. q. 3. art. 4. n. 44.): « Sententia saltem tunc est practice probabilis ».

221. P. Gabriel Beati, qui theologiam moralem in Collegio Romano tradidit et Romae an 1663., moderatoribus tum externis tum domesticis plene approbantibus, *Morales* suas *Resolutiones* edidit, en quomodo sine ambagibus de hoc argumento loquatur (quaest. 18. 2. 25.).

« Colligitur tertio, invincibiliter ignorantem Constitutionem aliquam novam, in qua alicuius peccati reservatur absolutio... eam reservationem non incurrere. Quamvis enim se peccare cognoscat, non tamen contra Constitutionem, cum eam invincibiliter ignoret. Ergo incurrere non potest reservationem, quae est poena post illam Constitutionem imposita. Sanchez lib. 9. *Matr.* disp. 32. n. 18. ».

222. Eandem habet doctrinam Canonista Graffi, tempore prior, in opere cui titulus: *Practica quinque casuum* etc. (l. 2. cap. 40. n. 29.), ubi scribit: « Non ligantur ignorantes Constitutionibus seu Statutis Episcoporum, quamvis poenis aliis alligentur... et consequenter nec hac reservatione casus, cum sit poena; quod extende non solum quando dabat operam rei licitae, sed etiamsi rebus illicitis operam daret. Faciunt quae dixit Navarrus in cap. 27. n. 80. Et ratio est quia ignorantia contingens in eo, cuius causa reservatio facta est, omnino ab ea reservatione excusat ».

223. Haud absimili certitudine solvit hanc quaestionem noster P. Quintanadvenas in opere quod inscribitur: *Singularia theologiae Moralis* (tract. 3. sing. 11. n. 1.) et inter ceteros hoc praestat, quod nec immoretur in ea pertractanda, sed inter ea recenseat quae in auctoribus obvia sunt. Ita ipse in *Singulari* cui titulus: *Practica et selectae observationes pro Regularium nec non secularium confessoribus quoad casus reservatos* et ita incipit: « Omitto plures (obser-

vationes) quia perviae in Doctoribus, quarum prima erat, quod ignorantia reservationis sive iuris sive facti, etiamsi CULPABILIS sit seu vincibilis, *excusat a reservatione* ».

224. P. Iosephus de Ianuario theologus est e Congregatione Piorum Operariorum, qui opus de hac ipsa quaestione reservationum composuit, cuius inscriptio est: *Resolutiones selectae... ad casus Episcopales reservatos maxime pertinentes*, quod opus Neapoli primum impressum an. 1850., postea nempe an. 1653. iterum typis editum est in Belgio. S. Alphonsus (lib. 6. n. 58.) ipsum allegat tanquam auctorem sententiae cuiusdam quoad praesentem quaestionem singularis. Sed revera discrimen ab ea opinione, de qua agimus, nullius momenti est. Etenim de Ianuario solum excipit, quando reservatio fiat *per modum praecepti particularis* datum confessoribus, et quod respicit (ut bene explicat Burghaber l. c.) peccata praeterita. Et quoniam de aliis dicendum est, eos de hoc casu potius siluisse quam contraria sensisse, hinc vere dici non potest, eum ab aliis discrepare.

Ceterum en conclusionem, qualis reperitur in indice argumentorum sub initium posito. « Resolutio prima: Ignorantia excusat non solum a censura, sed etiam a reservatione, sive reservatio fiat in poenam delicti, sive ob bonum regimen Ecclesiae ».

In ipso autem exordio disputationis sive tractationis suae, en eius thesim: « Respondeo quod si reservatio est facta in Synodo, seu per modum Statuti, qui ignorat talem reservationem, non incurrit in illam et consequenter potest absolvi a quocumque confessario inferiori ».

225. Item Theatinus Paulus Maria Quarti (*de Cas. reserv.* sect. 2. cap. 3. q. 6.) ad quaestionem: *An ignorantes hanc reservationem* (nempe casuum Episcopalium sine censura) *eam incurrant*, post allatam quam ipse vocat *Opinionem*, hoc modo quam ille appellat *Sententiam* ipsi opponit: « Sententia opposita docet, ignorantiam invincibilem reservationis excusare ab ea atque adeo respectu ignorantium casus reservatos, perinde se habere ac si casus reservati non essent atque posse eosdem ignorantes absolvi a quolibet Confessario ».

Contrariis autem dubiis expunctis, instar primi corollarii, non secus a Viva (sup. n. 216.) ponit casum de inadvertentia etc.

226. Diligentius atque copiosius eandem quaestionem pertractat noster p. Ioannes Marin, qui Salmanticae theologiam tradidit et in ea enucleanda integram et longam sectionem impendit (tract. 22. *Theol. Specul. et Moral.* disp. 90. sect. 2. a. n. 90. ad 120.) et ecce thesim quam statuit (n. 113.): « Quidquid sit, an ignorantia moraliter vincibilis excuset ab incursione reservationis, ignorantia invincibilis sive iuris sive facti, excusat ab incursione reservationis etiam medicinalis ».

227. Et hoc satis iam sit quoad inquirendas auctoritates: qui plures alios auctores videre cupiat, videat eos apud s. Alphonsum, Dianam et Marin, cuiusmodi sunt Ciera, Paludanus, Bellocchius, Navarrus etc.

Nunc breviter perpendemus intrinsecam sententiarum naturam, ut pateat, utrum argumenta eorum, qui affirmant non posse poenitentem absolvi, tanti ponderis sint, ut elevent probabilitatem alterius sententiae, quam exposuimus.

228. Animadvertatur imprimis, oppositores seu adversarios non negare, ignorantiam interdum excusare ab incurrenda reservatione; sed negare id solum cum reservatio medicinalis est, concedunt autem quando est mere poenalis.

Heic vero vel ab ipso initio gravis statim occurrit incohaerentia, quae hisce doctoribus tribuitur. Ipsi enim sunt qui, ut negent ignorantiam excusare a reservatione medicinali, putant se fulmen aliquod iaculari, cum obiiciunt, ut argumentum, effatum illud: *reservatio est limitatio iurisdictionis; ergo, sive ignoretur sive non ignoretur, non licet absolvere quia deest iurisdictio* etc. Iamvero nonne intelligunt fulmen istud vel contra ipsos torqueri posse, cum inquiunt ignorantiam excusare a reservatione dummodo *poenalis* sit? Num reservatio naturam heic immutat nec amplius *limitatio iurisdictionis* dicenda est? Quomodo igitur sine iurisdictione dari potest absolutio?

Wiestner (lib. 5. tit. 38. n. 82.) ad vitandam difficultatem respondet in hanc sententiam: « Poenali reservatione iurisdictio confessario inferiori denegatur vel aufertur... non omnino absolute, sed sub tacita conditione: *Nisi delinquens legem eaque proditam reservationem invincibiliter ignorarit.* Sed quisnam non intelligat responsionem huiusmodi adhiberi posse vel ab eo qui affirmat, aeque excusare ignorantiam a reservatione quando medicinalis est?

229. Nec opus heic habebimus rursus dicere, magnum illud fulmen argumentum esse nullius momenti. Nam qui tuetur hoc, ignorantiam excusare ab incurrenda reservatione etiam medicinali, tuetur et hoc aliud, peccatum cum tali ignorantia commissum non esse reservatum (vide responsionem Vivae sup. n. 206.). Iam ad oppositam sententiam propugnandam, videlicet huiusmodi peccatum esse reservatum, frustra est reponere, reservationem esse limitationem iurisdictionis. Et nihilominus hoc est omnium validissimum et saepe unicum argumentum, quo bellum gerunt!

230. Ceterum notandum est, dum isti oppositores tuentur ignorantiam non excusare a reservatione *medicinali* sed tantummodo a *poenali*, inter se illos nullo modo consentire, cum definiendum est, quaenam dicenda sit *poenalis* quaeve *medicinalis*.

Alii *poenalem* dicunt reservationem, si qua illi censura aut alia quaelibet poena adnexa sit: medicinalem vero, si peccatum est mere reservatum sine censura aut poena. Atque hi sunt rigidiores; quia solum in priore casu concedunt, peccatum non manere reservatum, si admissum sit cum ignorantia talis poenae. Attamen aliunde benigni isti sunt, in quantum excusant a reservatione ob eiusmodi ignorantiam non solum quoad casus Papales, sed etiam quoad Episcopales.

Alii vocant *poenalem* reservationem, cum peccatum reservatum versatur circa rem per se indifferentem et hinc dumtaxat malam quia prohibita: *medicinalem* autem, cum peccati materia per se illicita est.

Alii praecedentibus duabus distinctionibus praetermissis, *poenalem* appellant reservationem, quando haec imponitur in odium criminis, quaecumque tandem materia sit sive per se peccaminosa sive non, *medicinalem*, quando refertur ad bonam Ecclesiae gubernationem: sed postea ad distinguendum, uter casus accidat, ne verbum quidem adiiciunt et singulorum coniecturis omnia permittunt.

231. Quoniam autem tot numero sunt et tantae gravitatis auctoritates quae statuunt, quamlibet reservationem esse *poenam*, tandem in eam cogitationem ventum est, ut producerentur reservationes *mixtae* et deinde efficeretur reservationes omnes esse revera *poenales* simul *et medicinales*, scilicet *mixtas*.

Sic Doctor ille, qui pro Episcopo Tusculano actus Synodales compilavit anno 1763. (part. 3. cap. 10. art. 9. n. 2.): « Criminum reservatio alia est poenalis, alia medicinalis et alia mixta. Prior ad crimen puniendum, altera ad praecavendum a crimine, postrema ad utrumque obtinendum adhibetur. *Mixtae autem videntur esse reservationes omnes sive Pontificiae sive Episcopales* ». Quare duae species priores evaserunt in mere methaphysicas abstractiones.

Prius autem scripserat Collet (*de Poenit.* part. 2. cap. 8. n. 198. 199.): « Omnis reservatio et *odiosa* est tum confessariis, quorum iurisdictionem coarctat, tum poenitentibus qui a peccato mundari non possunt, dum alii mundantur et *poenalis* est utrisque, cum poenitentes coram Superioribus sistere se teneantur, vel eorum loco confessarii, ut absolutionis iisdem impertiendae facultatem obtineant. Non me fugit a pluribus admitti, reservationes minime poenales, quae (inquiunt) non tam in delicti poenam, quam in fidelium bonum et prudens Ecclesiae regimen institutae sunt, cuiusmodi est reservatio haeresis, in qua quis a puero educatus est, quaeque plus misericordiae exigit quam vindictae. At simul fatendum est, reservationes pene universas in ultionem peccati peccatorisque verecundiam cedere et ideo poenales esse ».

232. Quamobrem, oppositores (qui iam sentiebant suum agmen destitui iis non paucis qui pro illis stabant, in quantum supponebant

reservationes mere medicinales) coacti sunt proclamare novum principium, videlicet ignorantiam non excusare a reservatione, quando haec *poenalis* utique sit, sed simul etiam *medicinalis*.

Iamvero hoc pugnat cum iis quae vel rigidissimi concedebant, nempe excusare ignorantiam quando aliqua censura adnexa sit reservationi; est enim etiam tunc *medicinalis*.

Praeterea violatur heic principium universaliter admissum, nimirum ignorantiam excusare ab incurrendis censuris: definitur enim censura *poena medicinalis*. Quod si cum agitur de dispositione *medicinali*, effectum nullatenus impedit ignorantia, certe non obstabit etiam, quominus censurae incurrantur.

Tandem praeventa iam fuerat haec difficultas et responsum erat (vide sup. n. 217.) reservationem ignoratam ne *medicinam* quidem esse; nequit enim praeservare, si non cognoscitur. Imo Marin putat posse se retorquere argumentum (l. c. n. 113.): « Ideo ignorantia, ait ipse, invincibilis non excusat iuxta adversarios, quia reservatio est *medicinalis*... Sed quod reservatio sit medicinalis, probat eam non incurri ab invincibiliter ignorante. Et Sanchez affert verba (l. c. n. 13.) quoad censuras: Non esset medicina sed potius obesset, si ignorata incurreretur ».

233. Ratio autem cur alii firmius persisterent, huiusmodi fuit: quod si admitteretur haec excusatio propter ignorantiam, tum Ecclesiastica disciplina, tum Regularis gravissimum caperet detrimentum; quoniam plurimi inter fideles reservationes ignorant et inter religiosos quoque bene multi.

Hoc autem vanissimum est terriculamentum. Cum enim prima vice poenitens peccatum illud confitetur, confessarius illum de reservatione monebit atque ita in posterum relaxationibus formidatis aditus praecludetur. Quod autem attinet ad tempus praeteritum, nec rigida sententia consequi potuisset, ut reservatio relaxamentum praepediret; cum enim ignoratur reservatio, quaecumque admittatur sententia, nullo pacto munere fungi potest praeservandi et deterrendi a culpa.

Res autem evidentior est quoad religiosos. Sive enim reservatio peccati cuiusdam cognoscatur sive ignoretur, nota est doctrina, iuxta quam confessarius vel speciali facultate destitutus potest prima vice ab eo absolvere: tum vero poenitentem de reservatione admonebit, secunda vice non absoluturus. Igitur in utraque sententia quoad religiosos res eodem redit.

Hinc est quod Gobat (lib. 7. n. 361.) et Elbel (*Conf.* 11. n. 364.) qui admittunt, confessarium posse sine speciali facultate prima vice absolvere a peccato reservato, cum ignorantia reservationis patrato, quoad rei summam, dicunt quod docent alii.

234. Duo alia argumenta video afferri ab oppositoribus. Primum est hoc (apud Viva *de Poenit.* q. 9. art. 3. n. 3.). « Ignorantia poenitentis non potest conferre confessario iurisdictionem quam non habet ».

Causa, quae praeter hoc nihil aliud habet fulcri cui insistat, talis male fulta dicenda est. Respondet Viva: « Nos non asserere, quod ignorantia reservationis quae sit in poenitente, conferat confessario iurisdictionem relate ad peccata reservata; sed solum asserimus, quod ignorantia reservationis, quae sit in poenitente, impediat quominus per legem reservationis restringatur in confessario iurisdictio relata ad illa peccata ».

235. Aliud argumentum affert Amort (*Theol. Moral.* tr. 13. §. 22. q. 21.) videlicet in formulis reservationum nunquam fieri verbum de exceptione pro eo qui reservationem ignoret.

Verum responsio satis est obvia. Talis enim exceptio ne in illis quidem formulis fit, ubi aliqua censura imponitur; multo minus autem exprimitur exceptio pro eo qui ob gravem metum peccaverit. Amort posset reponere, tales exceptiones subaudiri, utpote spectantes ad principia communia: at alius excipiet, ob eandem causam opus non fuisse, ut exceptio de qua agimus exprimeretur.

236. Concludamus: Sententia, iuxta quam nulla obtenta speciali facultate, potest absolvi poenitens qui peccatum admisit ignorans illud esse reservatum, 1° suffragio Doctorum satis munitur: 2° innititur principiis iuris communiter receptis: 3° adversarii numero plures, sed inter se discrepantes in definiendo quid sibi negandum affirmandumve putent, nullum validum argumentum afferunt, cui responderi apte non possit. Iamvero iuxta canones ab omnibus admissos in hisce rerum adiunctis sententia quaedam tutissima conscientia teneri potest. Ergo.

FINIS

INDEX

TRACTATUS X. — De sacramentis.

SECTIO V. — DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

CAPUT I. DE ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI. . . . . Pag. 1
Dubium I. De materia et forma. . . . . » 23
Dubium II. De Contritione. . . . . » 77
De actibus fidei speique. . . . . » ibid.
An sufficiat propositum virtuale. . . . . » 78
De propositi conditionibus . . . . . » 95
De relapsu praeviso. . . . . » 96
De occasione peccandi. . . . . » 101
De obligatione quoad remotam. . . . . » 103
De obligatione quoad proximam. . . . . » ibid.
De obligatione quoad proximas sed non iugiter existentes. » 109
De occasione necessaria . . . . . » ibid.
Quandonam occasio dicenda sit moraliter necessaria. . . . » 110
De iuvenibus laborantibus cum feminis. Et de puella admittente visitationes futuri sponsi. . . . . » 118
De recidivis et habituatis. . . . . » 123
Distinctio recidivi et habituati. . . . . » ibid.
De habituatis . . . . . » 124
Notio recidivi. . . . . » 126
Quomodo agendum cum recidivis quoad absolutionem . . . » 129
Sententia s. Alphonsi expenditur. . . . . » 134
Perpenditur aliorum DD. sententia, qui a s. Alph. et aliis allegari solent . . . . . » 145
De signis extraordinariis doloris, quae recentiores requirunt. » 163
De poenitente minus disposito iuvando . . . . . » 170
De differenda absolutione poenitenti disposito. . . . . » 175
Dubium III. Qualis confessio requiratur. . . . . » 187
Artic. I. An debeat esse integra materialiter . . . . . » ibid.
Artic. II. De integritate formali. . . . . » 206
Artic. III. De reliquis Confessionis Conditionibus. . . . . » 232
Artic. IV. Quando Confessio sit invalida et reiteranda. . . . . » 236

Dubium IV. De satisfactione. . . . . Pag. 246
Caput II. De ministro poenitentiae. . . . . » 275
Dubium I. Quis sit minister. . . . . » ibid.
Dubium II. Quid sit approbatio et a quo petenda. . . . . » 278
Dubium III. De iurisdictione Confessarii. . . . . » 302
De absolutione complicis. . . . . » 344
Dubium IV. De reservatione casuum. . . . . » 360
Dubium V. De Officio et obligatione Confessarii. . . . . » 447
Dubium VI. Quae scientia et prudentia in Confessario requiratur. . . . . » 487
Caput III. De adiunctis poenitentiae . . . . . » 502
Dubium I. De sigillo Confessionis . . . . . » ibid.
Dubium II. De Praecepto et obligatione Confessionis. . . . . » 572
Appendix. De sollicitatione. . . . . » 600

DE SUFFRAGIIS ET INDULGENTIIS

§. 1. De suffragiis generatim. . . . . » 640
§. 2. De Indulgentiis . . . . . » 649
§. 3. Quotuplex Indulgentia et de Iubilaeo . . . . . » 676
§. 4. De quibusdam specialibus indulgentiis . . . . . » 689
Artic. I. Coronae B. V. M. . . . . » ibid.
Artic. II. Scapularia. . . . . » 693
Artic. III. Via Crucis. . . . . » 696
Artic. IV. Altare privilegiatum et Gregorianum . . . . . » 700
Artic. V. Actus heroicus caritatis erga animas in purgatorio detentas. . . » 704

SECTIO VI. — DE EXTREMA UNCTIONE.

Quid sit Extrema Unctio et quae circa eam observanda. . . . . » 705

SECTIO VII. — DE ORDINE.

Dubium I. Quid sit Ordo, quotuplex, quae eius materia. . . . . » 734
Dubium II. Quae requirantur in ordinando. . . . . » 775
Addendum. . . . . » 793
Appendix. Dissertatio P. A. Ballerini. De casuum reservatione. . . . . » 785
Pars 1ª De absolutione peregrinorum . . . . . » 801
Pars 2ª An reservatio afficiat ignorantes. . . . . » 890

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.B24 C001 V005
OPUS THEOLOGICUM MORALE IN BUSEMBAUM MED
3 0311 00044 1415

WITHDRAWN

48189

BX
1758
.B24 Ballerini, Antonio 48189

AUTHOR
v.5 OPUS THEOLOGICUM MORALE
TITLE ~~IN BUSEMBAUM MEDULLAM.~~

~~210~~ ~~21,905~~ ~~B1910~~
~~v.5~~

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.